

...bi glo. ⁊ doc. de le. i. ⁊ no. glo. in l. ...
...ppter. ff. de in. actuq; ꝓ.a. ⁊ dixi in l. ij. §. si cũ l. se. ⁊ ...
...ſſiſſi. cog. ¶ Preterea ſi vera eſt opi. pau. de ca. ſequeret q; melio ...
...ris cõditionis eſt doloſus eximens q̃ ereptus q; in nulla culpa fuiſ- ...
...ſet ⁊ abſq; dolo ſuo preſcripſiſſet ꝓtra. l. nõ ſolũ la. i. ff. de nox. cuz ...
...ſi. attamẽ q; eq̃or eſt op. pau. de ca. ideo cã iuſtinẽdo dici põt q; au ...
...dire nõ dz iſte ereptus q; agẽdo ꝓtra extrẽũ impetraret ei culpã ex ...
...qua ꝑſe exempt⁹ lucrũ cõſecutur⁹ fuiſſet. qõ eẽ nõ dz. vt ff. l. cũ i ſũ ...
...do. §. q; tod ſi mulier. ff. de inre vo. hãc opi. eſt vt tenere ſuit. ff. ea. i. ...
...§. ſi. ¶ Jn glo. magna ibi ꝑpetua ⁊ cã ꝓpte loqtur gl. q; ꝑpetua ...
...rij dicit actio qñ efficit longioris vite q̃ primo eſt. vt ſi primo dura- ...
...tura erat annis. xx. vel. xxx. nũc ꝑpetuat in. xl. vt. l. ſi. C. de preſcri. ...
...xxx. anno. ⁊ l. i. v. excepti. C. de anna. exce. nã talis ꝑpetuatio nõ fit ...
...niſi p lit. ꝓte. nõ aũt p citationem. de qua h. vt le. ⁊ no. l. ij. pri. al ...
...le. ⁊ in. l. cum notiſſimi. in ꝑn. allegata in glo. vnde recti⁹ glo. fuiſ ...
...ſet hic locuta ſi ñ; dixiſſet de ꝑpetuatione actionis. ſed de interrupti ...
...one vt dicit glo. ad fi. nã interruptio fieri põt p citatiõem ⁊ preſcri ...
...ptio de nouo ic̃oanda eſt. ⁊ erit neceſſarius idem curſus temporis ...
...q; ꝓmo requirebat. d. l. cũ notiſſimi i ꝑn. ⁊ l. ſicut eo. ti. ¶ Et iſtõ ...
...facit ad. q. ſtatuti de qua hic vide p bar. ⁊ eũdem in. l. cũ notiſſimi. ...
...in ꝑn. ⁊ cũ eo cõcordat ang. ⁊ imo. in. l. ſi ſeruũ. §. ſeqtur. de verb. ...
...ob. ⁊ p bal. in ſua diſpu. incipiente ſtatuto cauet q; fenerator in vl. ...
...col. ⁊ ang. in. l. ſicut. C. de preſcrip. xxx. an. ⁊ bal. ⁊ imo. in. l. iij. §. ...
...ſi rẽ. ff. p empto. p ſali. in. c. fi. C. de preſcrip. xxx. an. ⁊ in. l. cuz no- ...
...tiſſimi. §. immo. eo. ti. ¶ Jn ea. ibi tranquilitati ꝑncipis ꝛc̃. iſtud ẽ ...
...diuinare ⁊ violare. d. l. cũ notiſſimi. ¶ Preterea ſolum in q̃buſdam ...
...actionib⁹ ꝑpetuis ⁊ pretorijs ẽ inductũ q; p oblatõem ꝑcũ factam ...
...ꝑncipi interrũpatur preſcriptio. vt. l. i. ⁊ ij. ⁊ h̃ no. in glo. ſecus aũt ...
...in alijs. vt. d. l. ſicut. ⁊ ibi glo. in v. ſufficiat. ¶ Jn ea. ibi. vel q̃ ẽ ...
...ma⁹ ꝛc̃. hec ſolu. ẽt diuinat ad iſtũ ter. ¶ Jn ea. ibi. vel dic q; iu- ...
...re veteri ꝛc̃. hec ẽ vera q; de iure veteri. ff. ox. nõ erat iducta preſcri ...
...ptio. xxx. an. vt no. in. l. qui occidit. §. i. cũ ſi. ff. ad. l. acql. ⁊ in illa ẽ ...
...vez q; ſufficit miſſio executoris ſeu citatio ad interrũpendam pre- ...
...ſcriptionem. d. l. ſicut. ⁊ d. l. cum notiſſimi. ſed preſcriptio. x. vel ...
...xx. an. q̃ erat bñ cognita de iure. ff. vt p totum ti. ff. de vſucap. ⁊ in ...
...illa regritur lit. cõt. ad interrũpendam. l. more de rei vẽdi. ⁊ de iſta ...
...poteſt intelligi iſte ter. ¶ Põt ẽt itelligi iſta. l. in actõib⁹ preto. iis de



2909
Н-3139


BIBLIOTECA
CENTRAL
DE LA RIOJA

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI EPISCOPI KISAMI, APOST. S. BIBLIOTHECARII, VIRI DOCTISSIMI, DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBRI X.

Opus immensa non solum eruditione ac pietate refertum, sed omniũ quoq; tam ueterum quàm recentiorum Philosophorum quasi medullam complectens, hincq; ut lectu dignissimum, iam denuò in lucem editum.

Idem de Eugubij, urbis suæ, nomine.





BASILEAE PER NICOLAVM BRYLING. ET SEBASTIANVM FRANCKEN, ANNO M. D. XLII.

P/3993

LECTORI S.

OPeram certè hoc in libro excudendo dedimus, amice lector, quantũ fieri potuit, ut & nitidè & emendatè expressa tibi omnia in manus traderemus. Quorũ alterum an assecuti simus, prima statim fronte ita se prodit, ut commendatione opus esse longiore non putem. De altero, cum cauere non omnino liceret, quin inter festinandum (ita ut solet) quidam quasi nebulæ hinc inde aspergerentur, quibus tamen Lector non omnino stupidus nihil, uel parũ adeò offendi queat, ne hac quoq; parte diligentiam nostram desiderares, locorum omnium qui ita excribendo typis deprauati essent, emendatiorem lectionem ad libri calcem adijcere uisum est; idq; in ipso statim limine admonere te, operæpretium duximus. Vale amice Lector, & operam nostram boni consule.

BEATISSIMO PATRI AC SVMMO CHRISTIANAE RELIGIONIS PRINCIPI

PAVLO III.

AVGVSTINVS STEVCHVS
BIBLIOTHECARIVS.

BEATISSIME PATER,



Era mihi ſemper in Philoſophia uiſa eſt ſententia, Sapientiam, atque Pietatem, ex eiſdem fontibus naſcentes, unumq; ad finem reſpicientes, omnes quoque rationes alias, quibus conſiſtant, habere conformes. Ipſa Philoſophia id clariſsimè probat: quæ cùm ſupremum fructum, præmiumq; laborum, Sapientiam prommittat, hanc Plato, & Ariſtoteles, philoſophorum facilè principes, non aliam deniq; nobis intelligendam proponunt, quàm Scientiam, Cultumq; Dei: quod illis ſua lingua dicitur, θεωρεῖν, καὶ θεραπεύειν τὸν θεὸν. Hanc rerum eſſe ſummam, hic demum ſpeculationes, ſtudia, curaſq; Philoſophorum omnes deſinere. Multos igitur uelut in amœniſsimis campis flores ex omni Philoſophia hanc diuinitatem redolentes, decerptos, eorumq; ſuaueolentem coronam confectam, iure tibi, qui & Sapientiæ, & Religionis obtines principatum, ſacrauimus: tuæ maieſtati congruos honores offerentes, quæ Sacris tuendis, Sapientiæ propagandæ, atq; illuſtrandæ præſidet. Quam cum & autoritate, & ſcientia iamdiu tenueris, rexeris, et ad eam amplificandam animi tui magnitudinem oſtenderis, dum uiris undiq;, ſapientia, moribusq; conſpicuis, ad religionis moderamen accitis, ex his ſapientiſsimum ſenatum conficis, dum pulcherrimis ædificijs, Vrbem, templaq; Deorum exornas, bibliothecas Græcis, Latinisq; præcellentibus ſcriptoribus auges, (mitto enim quòd pacis, qua ſtabilita religio, difficillimis itineribus ſuſceptis, autor fuiſti) tibi certè De philoſophia, ſupremisq; ſapientiæ myſterijs libri, uelut arcus triumphales inſcribere, quibus tua memoria, quantum in nobis eſſet, celebraretur in poſterum, par erat.

INDEX EORVM QVAE IN HOC OPERE DE PERENNI PHILOPHIA HABENTVR.

LIBRO PRIMO.

CAP. I. De ſucceſſione Doctrinæ ab exordio mundi.

II De tribus modis, quibus cognita eſt Sapientia, ſed poſteriore præſtantiſſimo, (bris.

III Quòd Patris ac Filij diuinitas & poteſtas fuerit apud antiquos celebris.

IIII Eorum quæ prolata ſunt, comprobatio, ex Theologia Græcorum & Hebræorum.

V De eadẽ Mente, Progenie, Sapiẽtiáq; diuina, ex Platone, regina, moderatrice omniũ rerum, omnium maiorũ conſenſu. Et quòd Ariſtoteles eã laudarit, ſuſpexerit, qui de ea locuti eſſẽt, admiratus fuerit.

VI Mentem ex Macrobio eſſe Filiam ſummi Boni, ſummum Bonum ipſum ſupremum Genitorem.

VII Ex eiſdem Chaldæorum oraculis de Mente, diuina Progenie, cuius imago ſit animus humanus, & ex Philone.

VIII De Mente, Prole diuina, ex Mercurio Triſmegiſto: Eademq; Creatrice animi humani, ſicut ex Chaldæo Philone.

IX De eadem Mente ex oraculis item Chaldaicis, quòd ſit creatrix, quòd ſpectaculum Deorum.

X De eadẽ Mente, ex Mercurio, & Platonicis, omniq; eius diuinitate: et quòd ſit mũdi creatrix, et Idea mundi, ipſeq; mũdus archetypus.

XI De Mente ex oraculo quoq; Chaldæorum, & Porphyrio, & Proclo: & quòd ſit à Patre, quòd creatrix mundi: & quòd ſit ea quæ dicitur ultramundana Mens.

XII Quòd Mens ſit Deus, opifexq; mundi: & quòd ueteres Græciæ Philoſophi id agnouerint: & de Ideis.

XIII Ex Proclo, & Porphyrio de Mente & eam antecedente Genitore.

XIIII Ex eodẽ Proclo, de Genitore, ſummo Bono, progenie diuina, Mente: item de tertio Anima, ſeu ſpiritu: & de diuinitate ipſius Mentis.

XV Mirabile teſtimonium Porphyrij de eadem Mente ab æterno genita.

XVI Ex Plotino de eadem ipſa mente, & Genitore eius, & eius cum Patre coniunctione: &, quòd poſt Patrem ſit maxima omniũ Mens.

XVII Ex eodem Plotino, quòd Mens ſit poſt ſummum bonum, quòd per eam ad ſummum perueniatur, quòd ſit locus, & Idea omnis pulchritudinis, quòd creauerit mundum.

Quòd

XVIII Quòd creatio sit Mentis, Genitore iubente, ipsa operante, et de duobus his, ex eodem Plotino.

XIX De eadem Mente ex Plotino mirabilis Theologia, ut à Patre generetur, omnibus bonis ditetur.

XX Summa eorum, quæ diuinitus Plotinus de Primo & Secundo est locutus, De Bono & Mente ab eo genita, Idearum plena, sapientissima origine Mundi.

XXI Ex Theologia Chaldæorum apud Sibyllas, de Prole diuina, quòd sit Regina mundi uisibilis, & inuisibilis: & quòd à Patre princeps constituta. Ex quibus est conformatio et comprobatio eorum, quæ superius Platonici dixerunt.

XXII Fidele esse Magorum, Sibyllarumq; testimonium.

XXIII De Verbo diuino, & quo modo sit Lumen de lumine, ex Mercurio.

XXIIII De diuino Verbo, ex eodem Trismegisto: & de uirtute eius, quòd sit opifex mundi, & quòd nascatur à Patre.

XXV De Mercurio Trismegisto, Theologiamq; eius esse ueram, id est, ab antiquissimo illo Mercurio perscriptam: de Magis, & Sibyllis.

XXVI De Verbo diuino, ex Philone Iudæo, cuius dictis probetur uerè priscum illum Mercurium de ipso Verbo superiora scripsisse. Multiplexq; de eo apud Philonẽ Theologia, quòd sit creator Mundi, & origo, quòd Filius Dei, quòd hominis archetypum.

XXVII Ex Platone, Filium habere Patrem: Verbum esse diuinissimum, Principem præsentium, & futurorum.

XXVIII Ex Theologia Orphei, de Verbo diuino, & quòd sit uox diuina, & quòd formator mundi.

XXIX Alia quædam ex Philone Iudæo, de Patre, et primogenito Filio, qui sit uerbum eius, creator mundi, hominis archetypum: & quòd Pater sit eminentissimus, Filius lex, & moderamen mundi, princeps Angelorum, coæternus Patri.

XXX Testimonium de Patre, ac Filio, ex Numenio Pythagoreo: et quòd Pater sit primus, Filius secundus: & quòd Filius agat omnia, Pater iubeat: & quòd Pater sit ipsum Bonum.

XXXI Ex Amelio, de Verbo diuino æterno, pòst homine facto: Et quòd Amelius testimonium Ioannis protulerit: Heraclitumq; etiam de Verbo fuisse locutum.

LIBRO SECVNDO.

CAP. I. De Theologia antiquorum testimonium Aristotelis, exemplaq; ex alijs quàm sit ueneranda, ac suspicienda.

II Quòd à Barbaris Græci didicerunt, & quòd ingenuè discipulos eorum

rum ſe Græci fatentur, quo conſtet Barbarorũ Theologiam prio/rem, ac meliorem eſſe, & quòd à Græcis nihil debuit, uel potuit innouari ſuper Theologia.

III De tribus gradibus diuinis, ſiue Numine trino, uel tribus Regibus, ter-naq; poteſtate: & de Spiritus ſancti apud antiquos commemora/tione, ex Mercurio, Plotino, Pythagora: et quòd procedat à Mẽte.

IIII Examinatur oraculũ Platonis de tribus numinibus, aut hypoſtaſibus, circa quas ſint oia: ſed principaliter circa Primũ, q ſit omniũ finis.

V Quomodo Animam ſeu ſpiritũ ex illis duobus produci tradiderint.

VI Quòd Aegyptij ter acclamabant, trinã Deitatẽ deſignantes. et quòd diuinam ſapientiam, omnia eſſe apud eos inſcriptio demonſtrabat.

VII De tribus Regibus, ſiue tribus Intelligentijs, triplicitq; Diuinitate, ex Numenio, Amelio, Plotino Theodoro, Iamblicho, Proclo.

VIII De tribus principijs, ex Proclo, Platonis Theologia contentis, quæ di cuntur Bonum, Mens, Anima, alijsq; nominibus appellantur. Et quòd hæc tria principia, non ſubſtantia tria ſunt, ſed alia ratione.

IX Quòd Proclus teſtatur Platonem de tribus Regibus in Epiſtola ſen/ſiſſe: & de nominibus, quibus deſcribitur ineffabile Principium, nempe Deus Pater.

X De tribus item illis altißima Procli Theologia, myſteria Platonis in/terpretantis: & quòd Platonici faciunt tria principia, quorum pri mum gignat ſecundum, tertium ſit habitus amborum.

XI De tribus ſubſiſtentijs, ſiue principijs, ex Plotino: & quòd non ſint plura, neq; pauciora. Et quòd hæc cognitio potius diuina eſt, quàm ratione demonſtrabilis.

XII Profunda Theologia Plotini de tribus ſubſiſtentijs: & quòd à Primo ſit omnis ſapientia Diuinitasq; Secundi.

XIII De trina Diuinitate, ex Numenio: & quòd ſuper his ſanctè, caſteq; loquendum eſt: & de eorum mutua induiſibilitq; ſubſtantia.

XIIII De trino Deo, ternaq; Diuinitate ex Calcidio, quo ſenſa ſuperiorum Platonicorum declarantur. Et quòd Primus eſt ſummum Bonum, Secundus Mens, Prouidentia, Sapientia æterna, Tertius Intima/tor & Anima mundi. Et quòd tres has perſonas, & hypoſtaſes apertè & diſtinctè fateantur.

XV De ſecunda Hypoſtaſi, id eſt, Mente creatrice mundi, ex Anaxago/ra diuina naturæ eius deſcriptio, & quòd ab hac creat uiſibilia, & inuiſibilia Anaxagoras, quemadmodum hodierna religio.

XVI Cõprobatio ex Plethone Gemiſto, qd' Magicæ ſentẽtiæ de Trinitate loquãtur, de primo, et ſecundo Creatore, ſiue Deo: et quòd Beſſa/rion

rion etiam uidit hæc, & confirmauit: quòd Auicenna Arabs hunc Trinitatis ordinem uidit apud Platonicos, sed non usquequaque rectè percepit: & quòd Intelligẽtia primi orbis, est eadem & Anima mundi.

XVII Quòd autore Suida Trismegistus de trina Diuinitate, sempiternaq; Trinitate scripsit, quam solam dixit æternam, inseparabilemq; substantiam. & quòd creationem per Verbum Dei, quemadmodum & Moses, extitisse dicit.

XVIII Diuum Augustinum apertè testari Platonicos de tribus personis scri

XIX De tribus Hypostasibus, ex Apollinis oraculo: & quòd apud Ephesios, omnia metricè scribebantur: & quòd ab his oraculis mysteria ueterum Philosophorum manare potuerunt.

LIBRO TERTIO.

CAP. I. De tota Diuinitate: & quòd omnes instinctu naturæ Deum singulariter in omni ætate nominarint: exemplaq; ex Platone, & Aristotele, & Homero, & Demosthene.

II Quòd simili ratione locuti sunt, & quidem diuinius poëtæ, qui Homero successerũt, de singulari Deo et his quæ uerè de eo prædicãtur.

III Eadem probatio ex priscis Philosophis, de laudibus diuinis, ab eis celebratis, quòd sit unus Deus, quòd Mens Animatioq; Vniuersi, principium, medium, finis, ex Pythagora, & Archyta, Philolao, & Asclepio, Acmone, Mercurio.

IIII Quòd prisci Philosophi super uno, ac singulari Deo, mirabiliter cum sacris literis consenserunt.

V Quòd appellata sit in ueteri Theologia Natura diuina, prima excellentißimaq; Vnitas: & quòd omnia ex ea dixerint esse nata, ex Empedocle & Parmenide & Zenone, & Aristotele, Melisso, Damascio: & quòd hanc Vnitatem uocarint immobile Principiũ.

VI Eadem probatio ex his quæ senserunt Parmenides, & Melissus, Em

VII Priscam Philosophiam, Deum appellasse ipsum (pedocles, & Plato. Esse: consensusq; eius cum Theologia uera.

VIII Quòd Deus in ueteri Theologia appellatus sit ipsum Vniuersum.

IX Deum in antiqua Theologia appellatum ipsam infinitatem.

X Comprobatio eorũ, quæ sunt antè demonstrata de sentẽtia priscorum, nominibusq;, quibus appellarunt summam Diuinitatem, ex Simplicio, qui libros eorũ legit, quod retulit etiã doctißimus Bessarion.

XI Eadem ratione dixisse priscos Mundum imaginem Dei.

XII Deum apud ueteres, Deorum esse creatorem.

XIII Quòd unus tantum maximus Deus, ideoq; solus æternus.

XIIII Oraculum Apollinis de Deo, & de creatione Deorum.
XV Aliud ex eodem, de Deo, diuinis q; rebus, teſtimonium.
XVI Aliud oraculum de Deo, locis q; cœleſtibus, quòd Deus ſons, principium, creator omnium, inſcrutabilis: quod nemo peccans eum lateat: quod omnia proſpiciat.
XVII Quòd Iupiter ſit Deus ille uerus, magnus, Dæmonis oraculo: quod eius poteſtas, omnibus uenerãda: quòd ſolus ille ſapiẽs, largitorq; ſapientiæ: & quòd hæc oracula, uerè ſunt à Dæmone edita Philoſophorum teſtimonia.

LIBRO QVARTO, PLATONIS ET Ariſtotelis Theologia diſcutitur.

CAP. I. Ariſtotelem ſingularem Deum eſſe confeßum: Non ſolis motibus cœleſtibus, ſed omni item mundo eum præſtciſſe: Eandem fuiſſe Academicorum Philoſophiam: Eandem & Senecæ: Non ſolas intelligentias, quæ cœlum moueant, eum agnoſcere.
II Ariſtotelem aliud Intelligentiarum genus, quàm cœleſtes orbes mouentes ſenſiſſe: ſupra motus cœleſtes, Deos beatos locaſſe: Eorum uerã felicitatẽ deſcripſiſſe: Antiquos qui hæc docuerãt collaudaſſe
III Compendium Philoſophiæ Ariſtotelis, unum ſingularem, moderatorem ſolum ordinũ cœleſtiũ, uitæq; omnis confiteri. Collatio aliorũ quorundam locorum, de priſca Philoſophia, quæ ſingularem Deũ prædicat: Deum inuiſibiliter omnia mouere, & regere.
IIII De hoc Philoſophiæ compendio quædam probationes, quòd Ariſtoteles prouectioris ætatis, & ad Alexandrũ ſcripſerit, ſæpe magnos uiros ſententiam mutaſſe: Multa ex priſcis Ariſtotelem in contrarium retuliſſe: Multa ſcripſiſſe Ariſtotelem, quæ non extent.
V Examinatur Philoſophia, quæ eſt in Compendio: Vbi unum duntaxat cœli motorem, dominumq; totius uitæ uidetur Ariſtoteles agnoſcere. Quòd minores iſto ſupremo Deos quoſdam confeſſus eſt: Quòd eius poteſtatem omnia inuiſibiliter operari dicit.
VI Ariſtotelem fateri à ſummo Deo factos Deos minores: interpretari Deum, quam Vnitatẽ Empedocles dixiſſet: confiteri diuinã Prouidentiã quæ naturã excedẽtia aliquãdo inoperetur. Cõpendiũ uerè eius eſſe. Loqui nũc emendatius eũ de Vno ſingulari, quod alibi de
VII De uno ſingulari ac ſupremo deo, ex eodẽ Ariſtotele quem (pluribus à motu cœli abſoluerit, cuius ſit immenſa ſapientia, qua reſpicit etiam res humanas.
VIII Ariſtotelem miris laudibus efferre, qui Menti rerum creationem tribuiſſent, in quo ſit incluſa confeßio creati mundi. De Mente dixiſſe eum quæ prior præceptor Plato. In his unius Dei cõfeßionẽ eſſe.

Quòd

IX Quòd etiam in Moralibus unum ſingularem Deum eſt confeſſus, rerum humanarum proſpectorem: Et quòd ad aliam, quàm præſentem uitam prouidentia eius & quæ largiri bonis eum ait Ariſtoteles, referantur.

X Ex eo quod Ariſtoteles de Nectare Deorum ſcripſit, probari & unius ſummi Diuinitatem, qui ſibi & cunctis ſit cauſa felicitatis: & Deos illos non eſſe uertentes orbes cœleſtes. Virtutes, quæ poſſidentur à mortalibus, multo magis à Deo poſſideri.

XI Admiranda Ariſtotelis Theologia de beatitate diuina: quæ ſit contemplatio: Eandem eſſe minorum Deorũ felicitatem, Deum ſummum contemplantiũ. Ex quo ſumma unius maieſtas comprobatur.

XII De beatitudine Deorum: de unica, ſimpliciq; uoluptate, quam Deo tribuit Ariſtoteles. Conſenſus eius cum ſacris literis, beatitudinem eſſe diuinam contemplationem.

XIII Ariſtotelem ſummum Deum affirmare cum Homero Patrem eſſe Deorum, hominumq;: eiuſdem eſſe generis cum illis. Hinc creationem Deorum, & ſolum Primum æternum demonſtrari.

XIIII Deũ ab Ariſtotele, ueluti generis humani Regem declarari, omni genere ſapientiæ maiorẽ, cui libenter omnes obtemperare oporteat.

XV Mentem, quam exterius uenire ſcribit Ariſtoteles, non niſi ab uno ſingulari Deo uenire poſſe. Quem Theophraſtus eius diſcipulus confeſſus eſt omnium rerum originem.

XVI Appellari legem Deum ab Ariſtotele: imperiũ legis eſſe imperium Dei. Ex his ſequi, ut tacitè fateatur legem hodiernã diuinam eſſe, cui maximè parendum ſit: in his eſſe Dei ſingularis confeſſionem.

XVII Quòd Ariſtoteles dicens diuiniſſimum Reipublicæ genus Monarchiam, uiſus eſt unum Deum ſingularem, qui ſingulariter omnem mundum gubernat, confiteri.

XVIII Ariſtotelem pietatem collaudare, utilemq; eſſe fateri. Ex his deduci, ut pietatem, quæ uerè Deum colit, creatorem mundi credit & fatetur, collaudarit.

XIX De ſingularis Dei beatitudine, quam Ariſtoteles uidit, ucreq; definiuit. Quòd omnes Ordines mundanos confeſſus eſt à Deo factos, dicens ab eo contineri naturam: & quòd is eſt Verbum Dei, ex Philone.

XX Ariſtotelem fateri Deum maſculum & fœminam creaſſe ad generis humani perennitatem, cum Moſe mirificè conſentientem.

XXI Ariſtotelem cunctis in republica rebus præferre pietatem. Quæ cau-

ſa iuſtiſſima, cur ſit pietas potior. Super hoc, Ariſtotelem præceptoris Platonis ſententiam fuiſſe ſecutum.

LIBRO QVINTO, PLATONIS DE SINGULARI ac ſupremo Deo Philoſophia perpenditur.

CAP. I. Platonem unum ſingularem Deum aſſerere. quam cœlo perinde atq; Ariſtoteles tribuat Diuinitatem, non ueram, ſupremamq; illi Diuinitatem, ſed creatam eſſe, factamq; ab illo ſupremo. Deum illum magnum ac ſupremum appellare Platonem ineffabilem, ex Theologia Triſmegiſti. Hunc ipſum, nõ corporis modò cœleſtis, ſed etiam animi affirmare Platonem creatorẽ. Vehementer eos errare, qui dicunt Platonem ſentire creationem perpetuò manantem. Secutum eſſe Platonem Aegyptios & Chaldæos in deſcribenda creatione mundi.

II Non ſolum in Timæo, ſed alijs item locis, Platonem de Deo ſupremo egregiè loqui: Eum cunctarum rerum, etiam Deorum, affirmare creatorem. Exemplum in libris de Republica, de facili Dei rerum omnium creandarum poteſtate. Platonem dicentem, Deum etiam ſeipſum gignere, quis ſenſus.

III Cur Plato in libris de Legibus magis aſtrorũ Diuinitatem, quàm ſupremi Dei obtulerit. Quòd ſupremum Deum ſentit ac dicit ineffabilem, de quo cautè ſit loquendum.

IIII Platonem de ſummo ac ſingulari Deo ſenſiſſe, quæ à maioribus audiſſet. Timæum Pythagoreũ fateri Deum autorem mundi, itemq; temporis, & omnis cœleſtis ordinis inuentorem: quæ ſecutus ſit, maximeq; approbauerit Plato.

V Exempla, quibus probatur Dei ſingularis & unius confeſſio apud Platonem, in cuius potentiam & autoritatem cuncta bona referat idem, confitens eum cunctorum quæ poſſidemus autorem.

VI Apud Platonem multa, nomine diuino appellari, ſed unum eſſe ſingularem & ineffabilem creatorem omnium, atq; moderatorem.

VII De ſummo Deo, quem ſummũ Bonum uocat Plato, affirmans eũ rerũcunctarũ cœlo ac terris autorẽ, à quo rebus omnibus adſit eſſe.

VIII Platonẽ fateri Deum omnium bonorũ nullius autem mali autorem, optimum, pulcherrimum, ueridicum. Prodeſſe dare pœnas, & caſtigari. Dogma de Bonitate, ſumptum eſſe ex Triſmegiſto.

IX Hoc de Bonitate diuina ſumpſiſſe Platonem ex Triſmegiſto.

X Deum creatorem omniũ rerum dicere Platonem. Teſtimonia, quibus apparet eum Vniuerſi conditorem nuncupaſſe. Prolem diuinam autorem mundi eſſe Platoni, cui det Patrem in Epiſtola.

Alijs

XI Alijs locis creatorem cœli, ordinumq; cœlestium moderatorem Platonem dicere Deum, qui distribuerit ad gubernacula mundi Angelos suos, creator mundi, omnium bonorum repertor.

XII Varia testimonia, quibus singulari Dei apud Platonẽ probatur confessio: quem et creatorem mundi fatetur, et ei bona cuncta accepta refert.

LIBRO SEXTO.

CAP. I. Quòd recentiores Philosophi, qui post Platonem et Aristotelem floruerunt, Theologiã maiorum uenerati imitatiq;, mirificè cũ Theologia cœlesti consenserint, unum singularemq; Deum appellantes, omniaq; de eo prædicantes, quæ sunt in libris sacris. Testimoniumq; Theophrasti, & Alexandri de Deo.

II Theologiam Romanorum agnoscere, fateri, nominare Deum unum singularem, prospicientem omnibus, ubiq; præsentem, mundum omnem implentem, immensæ sapientiæ, rerum creatorem, animorum largitorem, Mentem Vniuersi, inuisibilem, ex operibus agnoscendum. Variaq; de eo Marci Tullij Philosophia.

III Senecam unum singularemq; Deum ore pleno nominare Autorem mundi, & rerum humanarum Præsidem sæpius prædicare: Ei cuncta in terris bona accepta referre.

IIII Senecam exordiũ mundi fateri à Deo fuisse, qui singula distinxerit, loca rebus, situsq; assignauerit. Antiquior mundo, lucis creator, operis sui spectator, per Vniuersum diffusus. Ventorũ moderator, largitor, prospector, cuius decreto cuncta fiant, qui mare diffuderit ad beneficiũ nostrum, benignus Pater, bonorum amantissimus.

V Designatio diuinæ naturæ apud Senecam: quòd sit ratio incorporea, rerum magnarũ opifex: per omnia diffusa, custos, rector uniuersi, Dominus, & artifex: causa causarum: Natura rerum ex qua nata sunt omnia. Quomododo sit ipse mundus, aut pars maxima mundi. Qui sit plenus Ideis æternis, ad quas formauit mundum. Fundator mundi: & quòd ipsa Natura.

VI De summo & singulari Deo, ex Plutarcho, Philosopho insigni, omnes fermè de eo laudes canente, quæ in sacris literis habentur. Hunc unum adorandum esse, non elementa mundi huius: Solem, Lunamq; esse signa quibus diuina maiestas innotescat: Ea esse organum, artemq; Dei. Deum esse creatorem mundi, qui templum sit sacerrimum, in quod spectator operum diuinorum introducatur homo. Mundum esse tanquam theatrum, in quo nobis spectatoribus Deus insignes opes suas ostentat.

Deum creasse Solem, qui sit quædam lucis æternæ suæ per mundum decurrens imago. Diuinam naturam esse ac felicitatem, uirtutis excellentiam.

VII Item ex Plutarcho Deum in pelago sanctitatis habitantem, cuncta recte moderari: Solem in cœlo uelut exemplum sui collocasse. Esse eum uirtutis omnis simulachrũ & Ideam, quam homines oporteat imitari quoad fas est. Principes esse distributores bonorũ, quæ largitur Deus. Principẽ esse imaginem Dei uiuam. Præcipuũ, insignemq; Dei cultũ, esse, imitari bonitatem eius. Ad uirtutes acquirendas opem eius esse necessariam. Res Romanas creuisse, Deo uolente. Deum esse regem mundi. Bonorum largitorem.

VIII Affirmare Plutarchũ omnia facienda in Republica, honoris diuini causa. Deum esse Patrem hominumq; Deumq;, creatorem autem mundi. Hunc priscos fateri totius ordinis, harmoniæq; autorẽ. Principium iustitiæ. Viuens æternũ, optimum. Dæmones malas eũ non fecisse: ex inordinatione ordinem fecisse. Optimum artificem, plenum artificij, immortalem, beatum, beneficũ, uidentem uniuersa.

IX Deum fecisse hominem animal placidũ, sociabile. Amore patrio eum hominũ res attendere. Omnia circum mare & terras prospicientem, omnibus consulentẽ. Voluntate eius, pulcherrima quæq; fieri. Animam esse instrumentum eius. In eo sempiternam esse præsentiam. Hominem ad cognoscendum fecisse.

X Ex alio Philosopho, qui dicitur Epictetus, Stoicus autẽ fuit, non Christianus, de Natura diuina, de qua deprædicet quæ sacræ literæ concelebrant. Eandem esse naturam bonitatis ac Dei. Substantiam diuinam esse Sapientiam, perfectamq; rationem. Deum cunctis prospicere, mundũ gubernare. Hominis esse opificium eius. Ad unum Deum respiciendũ esse. Ei pro beneficijs gratias haberi oportere.

XI Eadem de summo ac singulari Deo sensisse subsecutos Philosophos. Iamblichum affirmare, Deum principium, medium, finem, in eo respiciendo & sequendo felicitatem esse. Eum esse Dominum omnium bonorum, principium beatitudinis, finemq; omnis Philosophiæ. Felicitatem esse, sequi mandata eius.

XII Porphyrium, singularem, unicumq; Deum commemorare, cui rationabili sacrificio, castisq; cogitationibus sit litandum. Eum esse omnipotentem, omnis uirtutis autorem.

XIII Itẽ ex Simplicio profunda Theologia, de uno bonitatis fonte, unico rerum, singulariq; principio. à quo causæ cunctæ, cunctaq; principia dependeant. Et quòd se ad ferendã miseris opem inclinet.

Ex.

XIIII Ex eodem Simplicio, Deum esse absoluti boni nostrorum animorum principium finemq́; in quem unum sit respiciendum: cui quãdiu co hæserit animus, sua radice hæreat, diuulsus marcescat. Quòd mundum Deus creauerit.

XV Ex Proclo, de singulari Deo, quòd sit Vnus, quòd Bonũ, quòd prima caussa, bonorum cunctorum Autor, Deorum etiã creator. Quòd ineffabilis, incogitabilis, Virtutis infinitæ, Naturæ indeficientis.

LIBRO SEPTIMO AGITVR De Mundi creatione.

CAP. I. Omnẽ nationem à uetustißimis seculis traditione per omnes ætates descendẽte, fateri mundum creatum. Vidisse quædam Creati mundi priscos signa. Fuisse famam apud priscos Creati mundi creberrimam. Rationes, quibus nonnulli noluerunt creatum mundum.

II Resoluuntur rationes de Aeternitate mundi. Nulli Aeternitatem prodeße, sed uehementer obesse. Hunc esse mortalibus omnis impietatis, omnis infelicitatis fontem, rerum humanarum confusionẽ. Nullam reddi posse prouidentiæ rationem, rebus æternis. Non posse animos immortales esse rebus æternis: aut eos non ascendere in cœlum: nullaq́; esse post uitam præmia uirtutum. Stultos esse, qui deteriora uelint æterna, quæ sint melioribus impedimento. Non esse malum destruere mundum caussa maiorum bonorum.

III Dissoluitur secunda ratio, In creando mundo non esse prius & posterius tẽpore. Quãdocunq; creatus fuisset mundus, quæri potuisse, cur non prius creatus. In æternitate non esse prius & posterius. In multis hallucinari mentes humanas perinde atq; sensus. Omnẽ infinitatem absurdam esse, & indecoram, præter diuinam. Vnius tantum esse naturaliter Aeternitatem. Quòd supersedens Deus Creatione mundi, neq; tardauit, neq; cessator fuit. Neq; dici potest supersedisse, ac distulisse.

IIII Examinantur Philosophorum, primum Aristotelis de Aæternitate rationes. Aristotelem non impugnare simpliciter Creationẽ, sed quallem nonnulli ante eum deprædicassent, qui Chaos æternum, Creationem in tempore fuisse asserebant. Priscos non quemadmodum calumniatur Aristoteles, tempus æternum credidisse. Priscos asseruisse tempus & cœlum creatum, creatum cœlum ex liquida aquæ substantia.

V Dissoluuntur rationes Procli partim è natura, partim opinione Platonis ductæ. Tempus in quo conditus est mundus, non esse cœleste

tempus. Plura esse posse tempora, quàm cœleste. Redundare, super uacaneam q; esse animam cœli, aut eam esse Deum summum. Maioris honoris esse Deo, æternitatatem suam, quàm perennem rerum factionem. Aeternitatem mundi, impiarum opinionum esse fontem. Non sequi potestatem æternam Dei, æternam mundi conditionem. Deum non esse mutatum cum creauit. Naturalem fuisse Dei æternitatem, mundi principium. Platonem nõ æternum, sed in tempore factum mundum scripsisse.

VI Patonicos priscos, non quemadmodũ affirmat Proclus, mundũ æternum dixisse, sed factũ. Diluuntur rationes Plutarchi sub aliorũ persona. Deum creantem mundũ, humanis q; reb. consulentem non laborasse, Deum creasse hunc mundũ non causa uoluptatis suæ, sed propter homines, quod Stoici ettã fatentur. Vexationes bonorũ, improborũ secundas res nõ prohibere quo minus mundus sit creatus.

VII Diluuntur rationes Epicurei & Cottæ apud Tullium. Earum solutionem esse, quod ubi Marcus ipse loquitur, secus sentit. Et ea est Academicorum libertas. Platonem non suis primũ oculis creationem uidisse, sed apud priscos legisse. Platonem dicere mundũ corruptibilem in posterum, sed potestate opificis non interiturũ. Non ociatum esse Deum, fruentem ante mundum Diuinitate sua. Non supersedisse creatione mundi. Sapientibus et stultis creando mundo prodesse uoluisse. Assecutũq; esse, quòd bonitatẽ suam fecit clariorem. Omnes particulares motus in primum motorem referri.

VIII Diluuntur rationes Simplicij de æternitate mundi. Simplicium ægrè tulisse Ioannem Philoponũ rationes Aristotelis de Aeternitate motus refutasse. Eundem Theologiam Mosaicam contemnentem, non intellexisse quæ de Luce & Sole creato idem scripsit. Non accepisse Mosen ab ab Aegyptijs Theologiam, sed cõtrà, Aegyptios ab eo. Græcos ab Aegyptijs didicisse, ut si sit Aegyptiorum fabulosa Theologia, sit etiam Græcorum. Quomodo oporteat intelligi, lucem primum creatã, quarta autem die creatum Solem, Resoluuntur rationes, quibus Simplicus ex Platone probat æternum mundum.

IX Ostenditur creationẽ mundi ab antiquissimis omniũ nationum fuisse confessam. Cunctos fermè Philosophos uetustæ famæ, patrumq; traditioni subscripsisse. Explicatur in primis Theologia Trismegisti de creatione mundi. Trismegistum cum Mose congruere in describenda creatione. De creatione lucis, siue solis, siderumq; aliorum, & aëris ex aquæ purissima defecatione. Ante omnia de creatione terræ et aquæ, quæ cæteris fuere principia, dictũ chaos ab illis aut

lis aut hyle. De nudatione terræ, ne animaliũ, & hominis ad imaginẽ creati Dei. Hanc Theologiã uidisse Ouidium apud Græcos, Latineq; expressisse. Deos eorum esse sidera, factos ex aqua. Secutos esse priscos Græcos hanc Theologiam exempla ex Platone.

X Orpheum adorasse, secutũq; esse Theologiã Trismegisti de constituti one mundi. Minores affirmasse quæ prior Orpheus, pdidisset. Primã Theologiæ partẽ apud Orpheũ, esse laudes Creatoris æterni, sapientiss fœcundissimi, Omnia nata esse ex fœcũda sapientia uerbi diuini secũdũ Orpheũ. Secũdã theologiæ partẽ esse de chao, nẽpe terræ et aquæ creatiõe, post quas ex eis creatæ sint formæ rerũ. Similẽ esse Mosi Orpheũ in hac creationis assignatione. Phaneta esse solẽ. apud Orpheũ, Amorẽ ipsam diuinã sapientiã creandi cupidam. Ex chao et Oceano natos esse Deos, nempe sidera cœlestia.

XI Homerum atque Hesiodum ueneratos hanc Theologiam, similiter atque priores de mundi origine, & eius principijs cecinisse. Terram & aquam Homerum primas res creatas dixisse. Hesiodum primum fuisse Chaos, id est, terram & aquam, totamq; creationem affirmasse ac decantasse.

XII Parmenidem, Thaletemq; creationem esse confessos, Amorem esse Deum sempiternum apud eos, Solum Deum æternum dixisse Thaletem. Mundum opificium diuinum appellasse. Noctem ante / cessisse diem, dixisse Thaletem, ut Moses tenebras ante lucem. Aquas illas primordiales Mosaicas eum principium dixisse, Mentem autem creatricem.

XIII Physicos autore Plutarcho confessos creationem mundi, cuius initium fuerit à terra: Ab aquis segregatã ætheriã substantiã primam.

XIIII Aratum fateri Deum summum posuisse stellas in firmamento cœli, quemadmodum Moses. Idem cantasse Ouidium.

XV Aristotelem, rationem fateri coëgisse creationem mundi. In æternitate, uel animos esse mortales, uel ascendere in cœlum non posse, corpora semper animantes. Sequi ex his in Philosophia grauissimos errores. Aristotelem à maioribus in creatione mundi dissentire non debuisse. Verba Aristotelis quæ diuersis locis posita probant eum creationem prudentem uel imprudentem esse confessum.

XVI Ex dictis oratorum & poëtarum, artium sermonis, & humani generis probatur exordium.

XVII Plotinum apertè fateri, contrà quàm proclus contendat, tempus creatum, cum cuius conditione consequitur etiã cœli, mundiq; creatio.

XVIII Apertè perspicueq; Porphirium de temporis exordio scripsisse Iam

blichum multis rationibus omnia nata eſſe, confiteri: Qui conſentaneè cum Moſe prædicet hominem diuinitus factum. Itemq; ordines cœleſtes à diuiniſsimo Verbo repertos. Et quòd condemnat hunc mundum, aſſerens ab eo fugiendum eſſe.

XIX Crantorem Platonicũ, uitam præſentem condemnaſſe, eiq; non eſſe & mortem antepoſuiſſe. Quo ſequitur improbatio Aeternitatis mundi. Idem ex Ariſtotele infertur.

XX Epictetum et Arrianum homines à Deo creatos, inq; mundum, operum diuinorum ſpectatores introductos fateri.

XXI Ex ſententijs Plutarchi de mundo, Principijsq; eius. Ea in quibus nonnulli peccauerunt, de materia prima, de anima malefica. Reſponſiones contra calumnias Lucretij, quas contra prouidentiã, temeritatem, & caſum defendens, effudit.

XXII Diſſoluuntur uanæ Lucretij contra mundi creationem, rerumq; ordinem calumniæ. Coarguitur neceſſariò ſenſiſſe prouidentiã rebus ineſſe, Omnia cauſa noſtri feciſſe Deum: quæ putaſſet Epicurus noxia, uel ſuperuacanea, ſummam prouidentiam habuiſſe.

LIBRO OCTAVO.

CAP. I. De Angelis, & ea natura, quæ inter Deum ſupremum, atq; homines intercedit, & quòd de his etiam priſci Philoſophi ſunt locuti: Et de ueris Dijs, fabuloſis excluſis.

II In ſermone Platonis, Ariſtotelisq;, apparere Deos alios, q̃ qui mouent orbes cœleſtes. Nec alios eſſe poſſe, q̃ Angelos ſupercœleſtes.

III Quòd Plato de Dijs ſiue Angelis uera ſenſit, et ſcripſit. Et quòd eorum ſedes in cœlo conſtituit, quibus Deus gubernationem humani generis tradiderit: & de eorum natura.

IIII Ex Ariſtotele de Dijs ſiue Angelis, quos ſimiliter ac Plato in cœlo ſupra motus ætherios locauit, et beatos eos, rerumq; humanarum cuſtodes dixit.

V Ex cæteris locis probatio, Deos Angelosq; Ariſtotelẽ ſenſiſſe ſupra ſidera motusq; cœleſtes, eumq; de beatitudine eorũ uera ſcripſiſſe.

VI Quòd uitam, naturamq; Angelorum, & felicitatem Poëtæ ſicut & Theologi deſcripſerunt.

VII Conſiderationes ex Marco Tullio, apud quem eſt Deus ſupremus, et itẽ alij Dij nominantur, qui præterquã Angeli eſſe non poſſũt.

VIII Ex alijs autoribus de Angelis ſiue Dijs, poſt ſummum Deum.

IX Ex oraculis Chaldaicis de poteſtatibus, ſiue mentibus ſummis: & quòd has rectores mundi Chaldæi dixerint.

De

X De triplici ordine Deorum, ſiue Angelorum ex Platonis, præcipuè Proclo, in quo uidetur noſtros ſecutus, ubi à ueritate diſſentiat: & de primo Deorum ordine.

XI Generatim de Dijs, & eorum prima acie, quid'ue Proclus commentitium affixerit,

XII De triplici Hierarchia Deorum, & quid ueri, aut à uero diſſentiens de ea ſcripſerit Proclus.

XIII De ſecundo Deorum ſiue Angelorum ordine, quem ex Dionyſio deducat Proclus.

XIIII De tertia Hierarchia, uel ordine Deorum, ex Proclo, & quòd in eo ſecutus eſt Areopagitam.

XV Quòd Hermias item, quemadmodũ et Proclus, ſecutus eſt Dionyſiũ in definiendis Hierarchijs cœleſtibus, et quid non ueri addiderit.

XVI De alijs generibus, & nominibus Deorum apud Proclum ex Dionyſio, & quid in his diſſentiat à uero.

XVII De eſca Deorum, uel Ambroſia, & Nectare: quæ cùm uerè à Platone, & Ariſtotele fuerit aſſignata, Proclus parumper infecerit.

XVIII Ex Theologia Damaſcij de Dijs, ſiue Angelis & uno ſuperſubſtantiali Deo, & quòd is etiam imitatus eſt Dionyſium.

DE DAEMONIBVS.

XIX Priſcis Dæmonũ naturam innotuiſſe. Profanas literas ſimilia ſacris de Dæmonibus perhibere. Nomen Dæmonũ, Græcum, Hebraicumq; eſſe poſſe. Eſſe hoc nomen commune bonorũ, ac malorum.

XX Exempla quibus monſtratur hoc nomen, diuinã potentiã, numenq; deſignare, & uſurpari pro Deo, Dijsq; à Poëtis, & Philoſophis. Demum quòd malorum poteſtatum ſit proprium nomen. Eſſeq; apud eos bonos & malos Dæmones.

XXI De uario genere Dæmonum apud Philoſophos: & quòd non ſemper phyſicè nomen hoc uſurpent, transferentes nomẽ, naturamq; Dæmonum ad alios. De Dæmonibus ueris et fabuloſis ex Platone, & Poëtis. Et quòd ueri Dæmones ſint aërij. Correctio eius, quòd ſitum aërium dicunt naturaliter Dæmonibus attributum.

XXII Declaratur ſententia Platonis de Dæmonibis, qua tribuit eis legationes, interceſſionemq; inter hominem, atq; Deum. Et quòd hi ſunt Angeli cœleſtes.

XXIII Separantur ea, quæ promiſcuè de Dæmonibus aërijs et Angelis cœleſtibus locutus eſt Plato. Et, quòd mirè cum ſacris literis conſentit, de principibus humano generi datis.

XXIIII De Dæmonibus eligendis, eorumq; præsidio, custodiaq; hominum in uita, & post, à Platone tradita, in Deos, uel Angelos congruere. Quis sensus, cum aiunt iustos post mortem fieri Dæmones.

XXV Separantur ueri Dæmones à fabulosis, quos celebrant poëtæ. Veros Dæmona aërios illos esse.

XXVI Veri Dæmones ostenduntur esse aërij, natura malefici, ingenio praui, boni nunquam ipsismet Philosophis autoribus. Et quòd etiam Aristoteles de Dæmonibus est locutus.

XXVII Dæmones esse gentem aëriam. Hoc sacram & profanam sentire Theologiam. Idem Platonem, Pythagoram, Aristotelem prodidisse. Testimonium etiam diui Pauli.

XXVIII Ex prisca Magorum Theologia, naturæ Dæmonum clara definitio. Eos esse maleficos incantationibus præsidentes, quod Plato asseruit: esse feras agrestes, Stygios canes, Vltores, carnifices malorum: affectibus malis delectari, domicilijsq; impiorum: Transferre sese in Angelos lucis,

XXIX Ex Theologia Aegyptiorum uetustissima apud Trismegistum Dæmonas esse, & esse malos, malorum inspirationum autores. His esse omnia plena. Vltores impiorum esse. Eos esse ex alijs aërios, uagos, per phantasias, & illusiones decipientes. In quibus cum nostra Theologia concordia.

XXX Dæmones nidoribus oblectari, ob id materiales appellari.

XXXI Quæ Dæmonibus nonnulli Philosophi attribuerunt, eos omni mundo præficientes, Angelis congruere, idq; ab eis deprædicari.

XXXII De Dæmonibus qui dicuntur se mulierũ commercio contaminasse, aliosq; Dæmones genuisse: Hos esse Dæmonas fabulosos, et quasi poëticos, non ueros: & quòd is fuit multorum error.

XXXIII Apud Orpheum cum sint Dæmones boni & mali, hoc nomen denig; malorum potius esse, quàm bonorum, sicut in sacris literis.

XXXIIII Dæmonas ab antiquis Philosophis proditum, dare pœnas toto mundo persecutionem patientes. Nullum eos elementum admittere colo cadentes, ab Empedocle dictos. Pherecydem de eis scripsisse. Zoroastrem principem malorum quendam prodidisse. Nomen Dæmonis eis proprie malorum esse.

XXXV Dæmonis nomen apud priscos malorum esse. Vera eorum descriptio apud Philosophos ueraq; cognitio: Eos esse aërios, uagari per omnem mundum, Deo persequente dare pœnas.

XXXVI Diuinationem, uaticiniaq; & oracula ab halitu terrestri fieri non potuisse. Aristotelem, Plutarchum, Ciceronem ista suspicatos, se ipsos declarare, contrarias rationes opponentes.

XXXVII An oraculũ Apollinis à bono uel malo Dæmone funderetur: Quod à malo, signáq; eius. Quòd sæpe Deus spiritibus, hominibusq; im probis usus est ad prædictionem futurorum.

XXXVIII Dæmones nunquam in consortio beatorũ fuisse, non ex cœlestibus gaudijs, quæ posiderent, sed possessuri essent, si rectè operarent, cecidisse. Peccatorum eorum fuisse superbiam, inuidiamq;.

XXXIX De Dæmonibus è cœlo ruentibus, priscos quædam cognouisse, & prodidisse, Pherecydem, Empedoclem, Homerum, Plutarchum ruinam hanc designasse.

XL De Genijs, siue Angelis, singulo cuiq; custodibus datis, inter eos & nostros mirus consensus. Testes horum Menander, Empedocles, Plutarchus, Arrianus.

XLI Calcidij de Dæmonibus sententiæ, Dæmones ætherios, quibus sere rena, pura ue corpora tribuat idem, potius Angelos appellandos. Definitio Dæmonis iuxta eundem.

LIBRO NONO, DE CREATIONE HOMINIS, & immortalitate animorum.

CAP. I. Quòd omnes consenserunt hominem à Deo creatum: animos ueni re diuinitus: & quomodo fuit hæc fama manans à priscis, temporum longinquitate apud nonnullos denigrata.

II Vt Pythagoras, & Archytas consentiant hominem à Deo creatum, eiq; super omnes animantes imperium datum. Et quòd hæc fuit etiam totius scholæ sententia.

III Quòd hæc Pythagoreorum, de homine diuinitus creato Theologia ducitur ab Aegyptijs: Et quòd Mercurius Trismegistus eã latius expreßit.

IIII Poëtas antiquos, quos secutus est Ouidius, Mosaicam de homine diuinitus creato, sententiã confirmasse, idq; etiam Cornutũ asserere.

V Quòd etiam Chaldaica Theologia confirmat hominem à Deo creatum, animamq; exterius infusam in corpus. Et quòd idem asserunt Aegyptij Philosophi, & item oraculum Apollinis.

VI Sententia Platonis de homine diuinitus creato, & quòd in Timæo formationem corporis attribuens minoribus Dijs, poëticè potius dixit, in alijs locis tribuens totum opificium summo Deo.

VII Quòd Aristoteles mirificè consentit cum Theologia Mosaica, hominem à Deo conditum, formatumq; corpus, datamq; sexus uarietatem, animam autem exterius inspiratam.

VIII Quòd Aristoteles de animi immortalitate, ac diuinitate sensit, ac dixit, quæ superiores, Chaldæi, Pythagoras, Aratus, Mercurius Trismegistus, exinde Philo, & Marcus Tullius.

Quòd

IX Quòd confirmauit Aristoteles eandem sententiam alijs locis, quibus sensit aperteq; pronunciauit animum à corpore segregatum, idemq; testantur Peripatetici eum sensisse.

X Ex his quæ scripsit in libris De Anima & De partibus animalium similis probatio: & quòd hoc ipsum interpretes Græci contendunt Aristotelem sensisse.

XI Quòd Marcus Tullius pro cunctis Romanis animum & corpus affirmat à Deo supremo creatum, ipsumq; animum esse ad imaginẽ, & similitudinem Dei: & quòd cum Mose mirè consentit.

XII Variæ, multiplices que Senecæ sententiæ de immortalitate, originẽq; animorũ. Fateri eum delibatos, aut fusos eos à spiritu diuino. Futuros in æterna requie inter beatorum choros post à corpore discessum. De eorum cum Dijs cognatione. De sempiterna luce, fortunatorum sedibus.

XIII De sempiternis animis hausti ex origine diuina, ex eodem Seneca. De eorũ diuina stirpe, atq; natura. De natali die, quo peruolabunt ad superos. De uita beata post mortem, eiusq; diuina descriptio.

XIIII De similitudine, & imagine animorum cum Deo, ex Platone, qui tota sua Philosophia hoc idem perhibuerit: Et quòd hanc causam immortalitatis eorum asseruit.

XV De Phocylide uetustissimo poëta, qui dixit animam immortalem, digressamq; à corpore fieri Deum. Et quòd similia confessa est antiquissima Theologia Magorum.

XVI Ɛdicletum in Philosophia cunctis admirabilem, creatum animum à Deo ad similitudinem suam fuisse confessum: & quòd membra corporis idem disposuerit, animo libertatem dederit.

XVII Aliæ super eodem, Epicteti sententiæ, quòd animus abscissus, siue rapidiauit à Deo: & quid abscissio aut radiatio animorum.

XVIII Quòd factus est homo, in mundumq; introductus à Deo, ut contemplaretur, quòd membra corporis ad operationes disposita: & quòd is est omnium consensus.

XIX Quòd Philosophi duplicem hominem assignauerint: sed uerũ ipsum animum, hunc immortalem, & simulem Dei.

XX Quòd ob hanc causam dixerunt animum è cœlo cecidisse in corpus, in quo uiuat in pœnam: & quòd hæc suspicio non sit uera: & quòd alio sensu intelligendum, quòd prisci prodiderant: Et Plotini sententia super immortalitate animorum.

XXI Alexandrum Aphrodiseum, animũ immortalem sensisse. Separare eũ animã corpoream, ab anima diuiniore. Animi agentis dignitatẽ primum

mum ſummo Deo, tum intellectui noſtro tribuere, utrumque incorruptibilem, affirmantem. Alexandri clara uerba de intellectus humani incorruptibilitate.

XXII Quòd idem Alexander Aphrodiſeus animum immortalem aſſeruit, & dubitationem de mortalitate reſoluit. Et quòd Plato prior & Ariſtoteles hoc ipſum docuerunt, oſtendentes organa labefactari poſſe, animo incorrupto & inuiolato.

XXIII Rationes Plotini de immortalitate: & quòd idem iterum Ariſtoteles & Plato ſunt confeſſi, animam eſſe incorpoream, quemadmodum Deum: Et epilogus eorum, in quibus mirè cuncti fermè Philoſophi conueniunt, ſuper immortalitate animorum.

XXIIII Epilogus rationum, quibus uiſus eſt ſapientibus animus immortelis.

XXV Contra rationem, qua putarunt animos retro ſempiternos: et quòd errarunt, omnipotentiam, maieſtatemq; ſummi Dei, qui ſolus ſit præditus motu ſempiterno, imbecillis animis tribuẽtes: et quòd animi humani non ſunt per ſe principiũ omnis motus, ſed ſolus Deus.

XXVI Quòd ratio qua ſibi perſuaſerunt animos ingenerabiles, non eſt uera: & quòd errauit Panætius transferens ad animos, legem rerum corporearum. Et quòd Philoſophi conſentiunt non omnia nata occidere, è quibus Plato cenſuit mundũ factum non interiturũ. Tum ex ratione decretũ hoc Philoſophorũ neq; uerũ eſſe, neq; animis congruere. Reſoluunturq; rationes Ariſtotelis, quibus probat omnia nata interire.

XXVII Quòd lex illa in Philoſophia, omnia orta occidere, etiam à Philoſophis aliquando contemnitur: quòd eorũ ſententia, non modò incorporea, & ſimplicia, ſed etiã corporea poſſint incorruptibilia fieri: Et quòd nõ eſt ſæpe uſitatis exẽplis inſiſtendũ: et de duab. naturis.

XXVIII Quomodo ſibi ipſis contradixerunt, animos è celo cadere dicentes, iterumq; reuerti, & quæ fuerit erroris cauſa. Et quòd perperam intellexerunt, quæ de regeneratione fuerant uaticinatæ Sibyllæ.

XXIX Quòd Plato dicens in Timæo ſeri animos in aſtris, & inde demitti, non uidetur id penitus exiſtimaſſe: & quod alijs libris ueriora ſcripſit, quibus hæc in Timæo refelluntur.

XXX Quomodo uera ſit ſententia, ad animum uniuerſi, particulares reuerti. quòd hoc myſteriũ Philoſophi recẽtiores peruerſe intellexerint. Quòd ea ſit ſacrarũ literarũ ſententia. Quòd Plato, et Pythagoras dicunt animos ad Deũ reuerti. Et ſuper hoc errores Themiſtij.

XXXI Errores Themiſtij, aliã eſſe animã uniuerſalẽ aſſerẽtis, aliũ ipſum Deũ ſummum. Si foret unus illuminans omnes mentes, intellectus Deũ foret. Rationes cur non ſit unus.

LIBRO DECIMO.

CAP. I *In religionem ueram cunctos Philosophos consensisse: Pietatem, Philosophiamq; Christianam, quæ sola cunctas ambages resoluit, omnes tacitè collaudasse: Rerum humanarum finem esse, Philosophorum consensu, pietatem: Hanc autem esse solam Christianam.*

II *Philosophos perhibere pietatem esse uirtutem principem probari hanc solam esse Christianam. Finem à Philosophis consentaneè religioni Christianæ constitui, ut Deum sequamur. Huc omnem uitam dirigendam. Hoc illos dicentes, apertè religionem, quæ sequitur Deum, respexisse, probasse Philosophis ueram scientiam esse, Deum noscere.*

III *Defeniente Platone ueram sapientiam fugam ex hoc mundo, assimilationemq; diuinam tum sanctitatem, ac iustitiam, unam duntaxat religionem Christianam hac definitione concluisse. Probari Platonis hoc testimonio, necessariò uenturum in terras Deum fuisse, quem imitari genus humanum posset, Iamblicho apertè fatente diuinam similitudinem comparari, Deiq; præcepta cognosci non posse, nisi Deus ipse audiatur: palàm hodiernam religionem necessariam mundo ostendisse.*

IIII *Beatos Aristotele & Platone prædicantibus, qui diuinam iustitiam sequuntur, hodiernam religionem cunctis laudibus comprobasse, solam magistram ueram diuinæ iustitiæ.*

V *Platone præferente cunctis obedientiam diuinam, apertè assensum esse hodiernæ religioni: ut homines scirent iussa superna, in terras necessariò uenturum fuisse Deum.*

VI *Definitionem sapientiæ ueræ, quæ assignatur à Iamblicho, uni Christinæ congruere. Philosophos in humana sapientia nullam spem habendam asserentes, solam diuinam hodiernam, ueram esse iudicasse. Ex his quæ facere Philosophiam contendunt, & quæ in humana Philosophia reprehendunt, probari duntaxat Christianam ueram Philosophiam esse*

VII *Philosophos mundi uoluptates improbantes, omnemq; continentiam admirantes, collaudasse, comprobasse Christianam religionem, ueram continentiæ magistram. Mirabile Plutarchi dictum ad uirtutem, & probitatem, opem Dei esse necessariam.*

VIII *Philosophos eam laudantes Philosophiam, qua uiuitur purè, à corporeis illecebris segregamur, apertè religionem Christianam spectasse. Eos, uoluptates corporeas impedimento esse ad cœleste iter asserentes, unam nobiscum religionem asseruisse.*

Philoso-

IX Philosophiæ finem, cognitionem Dei, maiestatisq; eius admirationem Philosophos asserentes, religionem Christianam, cuius finis est Dei notio, omnibus suffragijs confirmasse: Archytam, Plutarchum, Iamblichum, Simplicium hæc dicere.

X Philosophos præsentem uitam contemnendam, & ad solum Deum uertendos animos, odioq; habendum corpus affirmantes, hodiernam religionem comprobasse. Mercurij Trismegisti, Platonis, Aristotelis, Syriani super eo testimonia.

XI Philosophos affirmantes finem omnis Philosophiæ esse contemplationem, & felicitatem ueram, solum intuitum Dei, & regnum cœlorum sentire potuisse. In terris nullam esse beatos reddentem contemplationem. Ex his cum religione Christiana palàm eos sentire.

XII Veram sapientiam, & omniũ quæ fieri possint optimũ, testib. Philosophis esse pietatem: hanc autem esse similitudinẽ cum Deo, eamq; felicitatem ueram. Hoc cum à Philosophia fieri dicant, nullam aliam eos spectare potuisse Philosophiam, quàm hodiernam.

XIII Miris laudibus extulisse Philosophos charitatem non ficlam: Eo Christianam religionem, cuius fundamentũ est charitas, comprobasse. De præcepto Pythagoreorum.

XIIII In cultu Dei & pietate Philosophos, eximias uoluptates statuentes, affirmare, quæ semper concinunt sacræ literæ. Desiderantes eosdem perfectam, mirificamq; pietatem, hodiernam desiderasse.

XV Philosophos diuitias contemnendas docentes, malisq; malas & perniciosas asserentes, paupertatem admirantes, curam carnis abijcendam, studium quæ ad pietatem, & cultum Dei transferendum contendentes, præsentem religionem unicè comprobasse. Hanc unam eos uoluisse.

XVI Philosophos asserere religionem purè exercendam esse quærendumq; acceptißimum Deo cultum, cuncta humana contemnenda. His probari, ea, quæ habentur in religione Christiana, auidißimis animis eos acceptasse.

XVII Philosophos arbitrio libertatem tribuentes, sed opem diuinam ad opera recta necessariam prædicantes, mirificè cum religione hodierna congruere. Mala ex nobis ipsis esse, autoribus eis.

XVIII Hieroclẽ, Syrianũ, eximios Philosophos, uerã iudicare sapientiã, uirtutũq; principem pietatem, & aßimilationem cũ Deo, & imitationem bonitatis, iustitiæq; eius. Eũq; esse Philosophiæ finem, Hanc esse beatitudinem, quam Marcus Tull. dicit à Philosophia donari.

XIX Priscos à maioribus audisse de præmijs æternis. Famam semper inter mor-

ter mortales crebuiſſe futuræ felicitatis poſt hanc uitam. Platonis, & Socratis, & Marci Tull. teſtimonia.

XX Plato & Socrates & Marcus Tullius teſtes, fidem, antiquam eſſe de præmijs iuſtitiæ, ac probitatis. Eos cum noſtris prædicare, fugiendas corporeas illecebras, uitam cœleſtem in corporibus agitandam. Qui hoc egiſſent, in concilio Deorum futuros.

XXI Probos poſt uitam Deos declarandos, quemadmodum ſacræ literæ, prædicare Platonem: Improbos, iniuſtos, ſceleratos cum ſimilibus habitaturos, Tenebras appellare Platonem, pœnas malorum.

XXII Ex Platone de bonorum, malorumq; futura ſorte. Teſtimonium eius hanc Theologiam priſcam eſſe.

XXIII Platonis de præmijs & ſupplicijs poſt uitam, de regno Sacroſancto Beatorum, de teterrimo carcere malorũ, de carnificibus infernis, ſententiæ. Quòd boni bonos, mali malos adeunt. Quòd hæc religio, Fidesq;, non fuit niſi cœlitus antiquis reuelata.

XXIIII Platonem fateri reddituros quoſq; de factis proprijs rationem, bonos cum fiducia: malos, cum ſumma trepidatione. Non illic affore propinquorũ cateruas, qui reos ante Tribunal iudicis defendant. Labores quos pij fortiter exantlaſſent in uita, meritis præmijs afficiendos. Deſcriptio patriæ cœleſtis, nominibus rerum ſenſibus expoſitarum.

XXV Deſcriptio regionis beatæ, Platonis, diuiq; Ioannis. Vt pulchritudo uenuſtasq; terreſtris, exprimit eis pulchritudinem cœleſtem.

XXVI De pœnis ad inferos, ex Plutarcho. De Dæmonibus carnificibus. De præmijs æternis. Hanc Theologiam eſſe priſcam.

XXVII Ex uetuſtiſſimis Poëtis, de pœnis et præmijs bonorum ac malorum. Philoſophorum ac Poëtarum autore Plutarcho eſſe teſtimonium, manere bonos maxima præmia poſt uitæ curſum.

XXVIII Teſtimonium Plutarchi, Iamblichi, Marci Tullij, Pythagoræ, de præmijs ac ſupplicijs poſt uitam.

XIX De Mundi exitio.

FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGV=

BINI DE PERENNI PHILOSOPHIA

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.

De succeſsione Doctrinæ ab exordio mundi. Cap. I.



T unum eſt omnium rerum principium, ſic unam atq; eandem de eo ſcientiam ſemper apud omnes fuiſſe ratio multarumq; gentium ac literarum monimenta teſtantur. Hæc partim nata à prima hominum origine, per omnes ætates deuoluta eſt ad poſteros: Partim ex multiplici rerum conſideratione parta, Philoſophiæ nomine ſemper celebris fuit. Hanc quidem ſcientiam in primis hominibus cumulatam, abſolutamq; fuiſſe, ea res clariſsimè probat, quòd dum naſcerentur, à Deo ſe creari cernerent: & ab eo paulo antè omnia condita perſpicerent: Cœlum, ac Terras, & Mare è nihilo parta: Animalia, Sidera, Camporumq; uiriditates. Nati autem, colloquio Dei, & præſentia fruebantur: & quicquid temporis à creatione ad eos pulſos è Paradiſo exactum eſt, mirabilium rerum fuit cognitio: fas autem non eſt, tantarũ rerum memoriam poſteris eos non reliquiſſe. Neq; uero probabile eſt, primum hominẽ ſuum, mundiq; ortum ignoraſſe, ſcienterq; filijs ſuis exerta uoce non prædicaſſe: totaq; uita caſum, resq; priores ſuas non commemoraſſe. Ac magnus ille ſator, et parens generis humani à creatione ſua ad mortem, mille annos, demptis ſeptuaginta, uixit: quo temporis ſpacio innumerabiles (licet pauci commemorentur) neceſſe eſt fuiſſe procreatos, qui primum illum generis ſui ducem, diuinitus creatum contemplati, & cum eo locuti fuerint, totamq; creati mundi rationem ab eo didicerint. Plura quoque quorum in eo fuiſſe perſpicuam, exactamq; ſcientiam, mirabilis animi, & corporis ueniens à Deo arguit creatio. Nos enim ab eo nati ſumus. Eum uerò, quem Deus præſens, aſtansq; creauit, multis de cauſis neceſſe eſt, animo & corpore fuiſſe nobiliſsimũ. Quæ igitur ab illo referebantur, ab innumerabilibus quidem audita, paucorum animis (quos ſcilicet terrenæ cupiditates curæq; mortales minus occuparant) retenta ſunt. Qui & ea ipſa & alia, quæ ſeculorum ordo, ætatisq; ſucceſsio afferebant cognoſcentes, poſteris, quorum mentes tantarum rerum ſcientia ad cultum Dei inflammare cupiebant, prodiderunt. Quippe Noë cuius poſt diluuium plus trecentis annis uita proceſsit, plus quingentis anteceſsit, & ſecula diluuio ſuperiora, & interitum generis humani cum filijs non conticuiſſe, ſed maximè prædicaſſe, omniumq; aures hac fama repleuiſſe, & probitas eorum, & humanus inſtinctus oſtendit. Atq; is ipſe optimus iuſtiſsimusq; uir, cuius ante magnam alluuionem ſexcentos annos uita dicitur obiuiſſe, uidit eos, qui primum parentem uidiſſe potuerunt: (ſi quidem diluuium milleſimo, & quingen-

teſimo plus minus anno ab origine generis humani inundauit) uitæ uerò primi hominis ad millenos annos, demptis ſeptuaginta, progreſſa eſt: proxime quam ſexcenti illi Noë ante diluuium anni, palàm attigerunt. Ac præter alios fortaſſe (quorum nec memoriam, nec numerum annorum Theologiæ uiſum ſit referre: quod una tantum ſeries præſtantiorum hominum, ad texendam principij, omniumq; deinceps naſcentium ſeculorum hiſtoriam ſatis eſſet) fuit is, qui dictus eſt Mathuſalem, quem inter Adam & Noë poſitum utrunque uidiſſe, familiariterq; cum utroque uixiſſe, primo quidem ſeruientem, ac ſumma cum pietate, obſequium præſtantem, ab altero ueluti minore obſequium accipientem, ad rationis conſenſum, etiam antiquæ Hebræorum traditiones prodiderunt: Illumq; ipſum ueriſſima temporum ſupputatio probat, anno ante diluuium deceſſiſſe, natum agente Adam uitæ ſuæ ſexcenteſimum octogeſimumſeptimum annum, ut ducentos quadraginta tres annos Mathuſalem uiuere, uerſariq; cum Adam, cumq; uidere potuerit. Cum Mathuſalem autem commertium, conſuetudinemq; Noë potuit habuiſſe, plus quingentis annis ante diluuium. Omnia igitur ãnte diluuium uel uidit, uel audiuit Noë, tum in medio quaſi temporum conſtitutus, & diluuium aſpexit, & prædicare trecentos annos poſt, omnibus omnia potuit: præcipuè filijs, à quibus, ceu tribus fontibus, natum omne humanum genus fecit diuortia. Atque anteà quàm deceſſiſſet Noë natus Abraham eſt, ante eius obitum plus quinquaginta annis. Nec uerò piſſimum hominem patriſq; ſimillimos filios, par eſt, ſub ſilentio res tantas, tamq; memoratu dignas preßiſſe, & ad pietatem, iuſtitiamq; homines tum originem eorum à Deo docentes, tum pœnam, quæ ſeculum flagitioſum deleuiſſet, commemorantes non inflammaſſe, præcipueq; ipſum Abraham, quem ſanctiſſimum, piæq; nationis principem fore proſpicerent. Ab hac igitur ueriſſima cauſa, magnam rerum diuinarum, humanarumq; ſcientiam deductam par eſt, ſeculis, poſtea & barbarie, ſolitudineq; primorum hominum plurimum labefactatam, factamq; ſemper uetuſtate deteriorem. ſiquidem cùm poſt ſparſum, ac diffuſum in omnes terras genus humanum, priores illi & pauci fuiſſent, & longius à ſe receſſiſſent, tum uitæ neceſſarijs excogitandis eſſent intenti, neceſſe fuit rerum præteritarum memoriã neglectam, apud paucos omnino remanſiſſe. Et forte necdum literarum repertus erat uſus, aut diluuio penitus extinctus, aut ne tum quidem repertus. Maioribus igitur hæc ore, non ſcripta poſteris tradentibus, facilior fuit obliuio. Et ueritas quidem apud paucos reſtitit: falſa uerò quædam, obſcuraq; eius imago, & fabuloſis uulgi rumoribus ſimilis, per omnes dimanauit. Hinc nationes hæ, quæ priores ſunt ſatæ, & in quorum terris natæ, & geſtæ res antiquorum ſunt, earum rerum clariora ac plura, quàm cæteræ, monimenta retinuerunt: dico Chaldæos, Armenios Babylonios, Aßyrios, Aegyptios, Phœnices, penes quos partim aperta, & detecta, partim fabuloſa, & ſcyrpis & latebris abſconſa, & diſſimulata, partim impijs figmentis uiolata Theologia maiorum reſedit. Factum non tam

ſtudio,

ſtudio, & induſtria, quàm caſu, dum ueritas à ſuo fonte recedens, fit per omnes diſſipata deterior, affigente unoquoque aliquid, aut quod traditum eſſet, non re/cordante. Eandemq; par eſt fuiſſe cauſam deprauandæ ueritatis, quæ rerum ſo/let eſſe cæterarum. Nullus eſt enim rumor ac fama, quin fiat, quanto magis ſpargi tur, & ab autore diſiungitur, fabuloſior. Idemq; caſus antiquiſſimam ſapientiam, doctrinamq;, tanquam rapidus torrens euertit, atque ſermonem et dialecton, quæ cùm una eſſet, & apud priſcos, uelut in fonte ſuo, eſſet puriſſima, eaq; tota poſte/ritas uteretur, facta omnium ab inuicem in omnes terras deductione, ſermonem quidem eundem omnes ſecũ detulerunt, ſed non longo temporum interuallo ita fe cere diuerſum, ut plurimũ à primo, natiuoq; illo differret. Multum tamen habuit ſimilitudinis cum primo, ut facile riui de quo fonte profluxerint, agnoſcas. Hinc ſermo Chaldeorum, Aſſyriorum, Arabum, Aethiopum, totiusq; ferme orientis, ſic appropinquat Hebraico, ut adulterina germanis, corrupta ſynceris reſpondent. Perinde igitur, ut ſermo, eſt diſſipata & contaminata ſapientia, & tempora ſub quibus omnia ſeneſcunt, tum cætera quæ mortalitatem comitantur, fuerunt eis exi tio. Apparent tamen quædam ueteris ſapientiæ ueſtigia, ut tametſi nominibus fal/ſis, corruptisq; circumtegitur, porrigere certè aliquã ſolertibus de ſe coniecturam poſſit. Vt igitur omnes ab uno principe Deo, ab uno generis autore, qui Deum, & Angelos eius inuiſibili forma uidit, & cum eis familiariter aliquando uixit, progeniti ſunt, ſic communem quandam de Deo, rebusq; diuinis ſapientiam opor tet fuiſſe. Alterum fuit ſcientiæ primordium non à ſucceſſione, & reuelatione na/tum, ſed contemplatione rerum, ſanisq; iudicijs exceptum, primò quidem incer/tius & obſcurius, eaſdem tamen habens cauſas. Nam Deus naturæ pater & re/pertor, ſicut ex eo commerito & reuelatione maieſtatem, diuinitatemq; ſuam ho/mini declarauit: ſic item cum ordine et decore, et numeris, omniumq; pulcherrima rum rerum formis mundum compleuit, oblata etiam ignaris diuinitatis ſuæ uaria, certaq; occaſione, ſeipſum oſtendit. Veri quidem eſt ſimile, maiorũ illorum et per/fectiorem longe et clariorẽ fuiſſe, iſta quæ poſtea ex contemplatione nata eſt Phi/loſopia. Sed nouiſſimis ſeculis, omnis & illa & hæc, clariore exorta luce (ueluti oriente ſole, ſolent ſtellæ obſcurari) abſconſa, uel hebetata eſt, ut quaſi radij fuerint eius, & uenturum ſolem præcedens aurora. Sic autem tres Philoſophiæ fuiſſe dice mus ætates, priorem quaſi iuuentam uegetam, robuſtam, quæ cùm ad ſenectutem peruenisſet, cæperit philoſophorum tempore, ſed ſui longe diſſimilis, renaſci, ac reparari, nouiſſime non renaſci ſolùm, ſed maior, luculentiorq; quàm unquã fuiſ/ſet, oriri, lucemq;, quantam poſſent capere mentes, ubiq; diffundere. Eodem uide/licet, quò proles humana labentes, quæ principio quidem beata fuit, futura immor talis ſi ſteriſſet, tum in omne malum peſtemq; delapſæ, poſt reſtitutæ creuit multis gradibus prior dignitas. Omnem igitur quæ ſemper in hominibus fuit, ſapientiam, non rationibus his ſolum perſuademur, eandẽ apud omnes fuiſſe, ſed multis qui/

dem illis ac maximis exemplis, cùm sparsa per omnes gentes ueritatis eius uestigia intuemur, quàm libris suis Moses olim, quasi procul è remotissima specula inspiciendam ostendit: postea luce clarissima eadem refulgens, omnium oculos, animosq; compleuit. Dignissimũ autem est ostendere, idem semper omnes gentes credidisse, quod nunc credunt, retinentq; omnes: idq; duabus rationibus: tũ iudicio, rationeq; docente, ac ueritate ad sui confessionẽ omnes attrahente: tum ex uetustissima Theologia, quæ à primis hominibus perueniens, qui Armeni, Chaldæiq; fuerunt, perpetuis successionibus descendit ad cæteros barbaros, ab his ad Græcos, ut Plato quoq; testatur. Insignes autem ante omnes in scrutanda, persequendaq; omni doctrina, fuerunt Græci: è quibus qui se Philosophandi causa ad exteras nationes contulissent, multas ab eis diuitias auexerunt, sed minimã ut par est, earum partem, quæ literis earũ cælarentur. Apparet et peruerse quædã eos intellexisse, siue errore suo, siue iam etiã apud eos, à quibus ea traderentur, ueritate ueterem dignitatẽ non retinente. Nam & nomina immutarunt Græci: quædam quidem non adeo multũ, alia tantopere, ut ueræ, antiquæq; appellationis nullũ remanserit uestigium. Græcos igitur ac Romanos, qui à barbaris & genus duxere quondã, et corũ sapientia longo pòst tempore ad eos defluxit, multa latuerũt, quæ uel tunc, uel multis retro seculis apud eos haberentur. Eodẽ enim progressu, quanquã non eodẽ tempore, et genus humanũ, et sapientia est propagata. Fuit enim generis humani primordium in Armenia, Mesopotamia, Chaldæa, Assyria, ibiq; ante diluuiũ duntaxat homines uixerũt: Post diluuiũ, hæ ipsæ primũ terræ, quas ante diluuiũ tenuerant, habitatæ sunt, Assyriæq; gentis, & Medæ, Arameniæ, nepotes Noê conditores fuerunt: ab his diffusi paulatim sunt in omnes terras et distributi coloni, quod quodã temporis spacio factũ necesse est. Sapientia quoq; præter eam quam secũ detulissent ueteres coloni, à Chaldæis peruenit ad Hebræos, excipio quæ scripsit Moses, ab Hebræis ad Aegyptios, ab his ad Græcos, à Græcis ad Romanos. Siquidem Abrahã Chaldæus fuit, in cuius domo ueterẽ Theologiã, patriasq; traditiones par est remansisse, quarũ ille hæres fuerit: Nam & temporũ exactissima supputatio, & Hebræorũ literæ assentiũtur, uitam Noë usq; in tempora Abrahæ peruenisse: uixit enim Noë post diluuiũ trecentis quinquaginta annis, Abrahã ducentesimo nonagesimotertio natus est: quocirca quinquaginta, & eo amplius, annos cum illo uixit. Optimi enim cum optimis uiuere gaudent. Ecce autẽ tota series ut hominũ, sic sapientiæ inter se deinceps implicata usq; ad Mosen. Princeps humani generis creari se uidit à Deo, suis cum oculis aspexit, pulchritudinẽ mundi nascẽtis ac nati uidit, nomina bestijs fecit, cæteraq; percepit, quorũ in eo fuisse certissimã scientiã, multiplex & irrefragabilis ratio demonstrat. Nepotes eius, qui diu cũ annoso patre uixerant, uidit Noẽ: & ut credere fas est, formosum parẽtis corpus, formosiorẽ animã referentes audiuit. Et quæ diuiniora sunt, audiuit eos Theologiã diuini parentis recensentes, ut in Paradiso creatus, ut moratus, ut pulsus fuisset. Quæ cœlum ac terræ, animalia, ratione

tione creata: quid primũ, quid poſtremũ conditũ: quam arbores illæ, altera uitæ, altera ſciendi boni & mali, uim haberet. Omnẽ enim magni genitoris illius, ac magnæ genitricis ſermonem, Theologiam fuiſſe credendũ eſt, ut perpetui de rebus ante caſum ſuis, de ortu, habitu, formis angelorum & dæmonũ loquerentur: quid enim poſſumus aliud ſuſpicari? Hæc omnia Noë, filioſq; eius retinentes, uidit & audiuit Abraham: Is filio & nepoti narrauit: à Iacob, in omne genus defluxerũt. Præter hãc autem gentis Hebraicæ ſeriem, plures alias fuiſſe credendum, per quas patri progreſſu & pietas, & rerum antiquarum ſcientia ierit. Nobiliorem quidem ac ſynceriorem hanc Hebræorum. Nec uerò ſolus Noë ante diluuium multos annos cum patribus illis diuinis uixit, nec ſolus eos audiuit: nec ſolus item Abraham pius fuit, & antiquas res memoratu dignas à Noë & à filio eius, Shem audiuit, & ſe miniſtrum eius fuiſſe quindecim annos, ſi traditionibus Hebræorum credimus, cõfeſſus eſt: unde enim pietas, & ſapientia Iob, nulla in re cedens ſapientiæ, pietatiq; Hebræorum, manauit? An cenſes & hunc, cùm ſit uetuſtiſſimus, uidelicet Abrahæ tempeſtate, ipſum Noë non uidiſſe, loquentemq; non audiſſe? cùm non multum inter ſe diſtarent, ille in Armenia, is in terra Hus, quæ eſt pars Arabiæ deſertæ, adiacens Meſopotamiæ, ſiue Armeniæ minori. Quid Sibyllæ, præſertim Sambethe, quæ etiam in his ipſis locis, id eſt Perſide, uel Chaldæa nata, fertur de genere Noë fuiſſe, cuius extabant uigintiquatuor libri, ubi plurima de Chriſto, plurima item de origine ſuæ gentis, de creatione ſcripſit? Sola igitur ex tam multis Hebræorum familia, ut præſtantior, numeratur: et ſola ad texendam, continuandamq; hiſtoriam neceſſaria. À Barbaris igitur & genus & ſapientia peruenit ad Græcos, nõ tam eo tempore, quo philoſophari gens illa cœpit: ſed multis antè ſeculis. quod ut non ſit ſcriptum, poſſit tamen ex coniecturis rationeq; innoteſcere. Quandoquidem ante Homerum & Heſiodum multos floruiſſe præſtantes uiros ſit neceſſe, à quibus ipſi et carminum rationem, numerumq; ſyllabarum, cum modulatu, & tot, tamq; mirabiles res didicerint. Neq; uerò fas eſt, primum Homerum autorẽ poëſis fuiſſe, quem tametſi Orpheus, Muſæus, Linus, antecеßiſſe dicantur, plures tamen extiterunt, qui poſſent Theologi certè, ſi non abſoluti poëtæ uocari. Vnde enim illam Homeri grandiloquentiam, tot cultus, cerimonias, ſacrificia, in quibus manifeſtam inuenies cum ſacris literis concordiam, manaſſe putes? Fuerunt ad ſcribendum ueteres tardi, & ſegnes, ſiue quia literarũ uſus nõ eſſet ubiq; receptus, ſiue quòd conſuetudo ſcribendi, & per literas ad poſteritatem res mandandi, nondum eſſet uſitata. Deinde omnia ſert ſecum inuidioſa uetuſtas, magnaq; facta ſunt omnibus ſeculis ueterum monimentorum naufragia. Non eſt opus exemplis, quot cum imperio Romano nobiliſſimi ſcriptores interciderunt, quot deſiderantur è Græcis, quorum nomina uix audiuimus. Eadem ergo hæc tempeſtas antiquiſſima ſecula depopulata, abſtulit rerum præteritarum memoriam. Nullaq; eſt lingua, quæ non bonorum autorum deploret interitum. Vt mittam apud Hebræos multa, quæ ſolent ab eis pro-

ferri, ubi sunt libri Natam prophetæ, & Achiæ Salonitæ, & uisio Addo uidentis, qui citantur in libris Paralipomenon? Vbi tot libri Mercurij Trismegisti, uetustissimi hominis, quem Iamblichus ad centum & decem millia bibliorũ, id est chartarũ è papyro de rebus diuinis, et naturalibus conscripsisse memorat? cuius est quicquid de mundi creatione, de rebus diuinis in Platone admiramur. Equidem sic statuo, ut innumerabiles è lingua Latina & Græca scriptores ad posteritatem non peruenerunt, sic plurima uetustiorum seculorum, quæ de creatione rerum, de rebus à regibus gestis nos docerent, monimenta interijsse. Seruata tamen est pars melior, sicut multis minoribus multis scriptoribus cadentibus, incolume semper fuit Euangelium. Hinc igitur nihil habent Græci quod ante Homerum, atque Hesiodum citare possint: nam Musæus ferè nihil scripsit: Orpheus, cuius extant hymni, alius uidetur à uetere illo. quanquam prisci illius à Græcis multa citentur: & certè aliquem do cuisse Hesiodum necesse est, ante omnia chaos fuisse, postea terras apparuisse. Soli igitur Homerus et Hesiodus, aut scribere cœperunt, aut istorum, uti nobiliorũ tantum, ex multis ad posteros monumenta peruenerunt. Et ut de chao ea dixit Hesiodus ab antiquis audita, sic alia per populos solita uagari, aut penes sapientiores solita recondi sentire debemus plura longe, ac meliora. Igitur apud Græcos & Romanos, tribus modis periclitata est sapientia: Primùm linguæ diuersitas, locorumq; distantia fecit, ut Græcos multa effugerent, quæ apud exteras nationes, Græcis antiquiores, & cum cœlo & terra penè satas, haberentur. Tum quæ secum ueteres filij ac nepotes Noë, Iauan, Cittin, Rodanim, à quibus Græca natio est condita, Iones, Cyprij, Rodij, detulissent, primo illo seculo, cùm propter inopiã rerũ uitæ necessariarum, artiumq; nondum repertarum imperitiam, alia sequerentur, nec literis uacare possent, facilis fuit obliuio. Postremo quòd ea quæ apud priscos Græcos illos circumferebantur, tametsi à nõnullis meliore ingenio uiris perscripta fuissent, multis tamen casibus intercepta perierunt, ut peruenire omnia ad posteros non potuerint. Multæ tamen reliquiæ remanserunt, multaq; ex tot, tantisq; diuitijs naufragia iactari per undas uidimus, quæ nos impulerunt, ut qua possemus ope, ea colligeremus: quanquam & hoc peius habet Romanos quàm Græcos, quòd eorum omnia attingere monumenta non potuerunt: Vt qui genere posteriores sunt, sapientia quoque sint inferiores. Huius operis autem duplex erit ratio, ut quoniã ostensum est, unam necessario fuisse semper sapientiam, siue successione proditam, siue coniecturis & iudicijs exceptam, utranque reuocare & conferre cum uera. propterea conformationes, aut de perenni Philosophia sunt appellatæ. Nam cùm una sit religio cœlestis, constans eximia pietate & doctrina, eandem fuisse ex quo genus hominum cœpit esse, aut indicante natura, aut reuelatione succurrente, obscuriorem quidem quondam & penes paucos, postea radiantissimam, totoq; in mundo flagrantem, qui uoluerit, intelliget. Hæc uestigia, has reliquias sapientiæ nos uidentes, credidimus maioris cuiusdã priscis seculis, postea maximæ lucis fuisse quasi radios: sicq; in unam omnia spectare ueritatem.

De tribus

De tribus modis, quibus cognita eſt Sapientia, ſed poſteriore præſtantiſsimo. Cap. II.

IGitur ut à Sapientia inchoemus, ſuperiorem rationem ſtrictiùs repetentes, dicimus, Sapientiam, ſiue Veritatem uenientem ad homines, uel offerentem ſe de cœlo, tribus gradibus eſſe progreſſam. In primis hominibus uberiorem, largam, & tradente Deo perfectam: poſteà creſcentibus annis diſſipatam, diſiectam, euerſam, magnisq; temporum atque hominum iniurijs affectam, ad poſteros tanquam fabulam & ſomnium, uilem laceramq; peruenisſe. Ex his eſt ortus mundi, Deus autor, principia, chaos, aqua, animalia, Mens opifex, diluuium, gigantes, turris rerum diuinarum, certior cum rebus humanis affinitas, notißima priſcis ſeculis, poſteris aut penitus ignorata, aut ita obſcura & incerta, ut tantum non pro fabulis habita fuerint. Exorti Philoſophi partim eam uti fabuloſam reiecerunt, partim ſuis monimentis, ut acceperant, obſcurā, & contaminatā tradiderūt: Repulſæ, quam ſuis: ſe reperiſſe iudicijs perſuaderent, prætulerunt. Sic ueritas pro fabulis, obſcura uel falſa pro ueris & certis haberi cœperunt. Tres igitur Philoſophiæ partes, & genera contigit eſſe: Primum fuit illud totum, quod ab origine mundi, quaſi per manus, & famam ſuccedente fama, in multas gentes ſe diffudit, quod niſi uiolatum poſtea fuiſſet, magna rebus humanis ea lux extitiſſet. Alterum genus à Philoſophis, naturas cauſasq; rerum ſpeculantibus habuit ortum, quod à primo quidem plurimū receßit, iudicijs humanis ſæpenumero labentibus, & quam quærunt ueritatē, non inuenientibus. Tertia demum Philoſophia illuxit, omnes claritate ſui, prioris tenebras depellens, nō uno ſe loco continens, ſed radijs replens uniuerſa. Hæc errores Philoſophiæ, et plagas ac uulnera, quæ temporibus fuerant illata, prioris illius ſanauit: mediæ præpoſtera iudicia retexit. Ab omnibus expetita, omniū hominū iudicio, uel ipſorū Philoſophorū, mundo neceſſaria, ſola digna Sapientiæ nomine: ut in omni lingua et doctrina fraudes, et fabulæ multæ: ſic ſolùm hîc dulcis & optata requies animorum, per incertas hominum coniecturas ante uagantium. Hæc, quæ fuit uera ſcientia rerum humanarum, ſemper aliqua luce refulſit in mundo, ſemper eundem mundi principem, eundem ortū, eandem animorum immortalitatem, eaſdem culparum pœnas & eadem præmia, peccatorum eandem expiationem, atq; poſtea demonſtrans, quod erit ex ipſis teſtimonijs inter ſe collatis perſpicuum. Igitur quoniam diximus probabile eſſe, quandam fuiſſe ab orbe condito Sapientiæ traditionem, principium habentem à Deo, qui primo homini magnitudinem, diuinitatem, arcanaq; ſublimia ſua reuelarit, & is in Deo filium ac genitorem eſſe didicerit: hinc claret fuiſſe profectum, quòd omnes ferè gentes aliqua monumenta de Patre ac Filio, & Spiritu, de Angelis bonis & malis, de creatione eorum, & mundi, recondita ſuis literis habuerint. Quæ ſunt erroribus abſterſis in ſuū loco reſtituenda. Multa item quæ conſona ueritati, ratione duce repererunt homines, demonſtranda. Nec nouas res auribus apportabo, ſed longè uetuſtiſsimas: ut appareat neceſſariò unam totius humani generis eſſe religionem.

Quòd

Quod Patris ac Filij diuinitas & poteſtas fuerit apud antiquos celebris. Cap. III.

NIhil habet altius ac maius myſterium Theologia, & ante quod aliud arcanum antecedat, quàm Patris ac Filij diuinitatem, ac notionẽ. Idq; eſt in omni rerum diuinarum ſcientia primum myſterium, quod quidem propter magnitudinem, ac neceſsitatem nullis unquam ſæculis fuit obſcurum. Quoniam autem non omnibus ſed omnino paucis, in omni ſeculo ſpeculationes, et cognoſcẽdæ ueritatis gratia eſt conceſſa, & ueritas quæ libris committitur, perinde caſibus patet humanis, ut cæteræ res, labefactariq; eam & intercidere ob hanc cauſam contingit, debemus hîc paucorum eſſe contenti teſtimonijs, & ex his deduci in cõſiderationem cæterorũ. Ac pro omni ſeculo & ætate, pauca in unaquaque probatione teſtimonia ſuffici-ent: cùm clarum ſit, non apud multitudinem, ſed longè paucißimos, ueritatem qua-ſi à cæteris non receptam, ſed ſpretam potius diuerti, ac morari. Quoniamq; uetu-ſtißimorum ſeculorum neq; extant, neq; extare à caſibus ſeruata monimenta po-tuerunt, hoc iudicio nos eſſe conuenit, ut credamus ad ſubſecuta ſecula, priorum ſeculorum ſcientiam, quaſi hæreditatem deuolutam, et à maioribus accepiſſe, quæ cunq; de magnis rebus locuti ſunt poſteriores, donec ad primum uſq; hominem to-ta ſucceßio redigatur. Quæ res prudentißimo cuiq; uidebitur neceſſaria: idq; etiam Plotinus teſtatus eſt. Reliquias autem quaſdam ueritatis, etiam Ariſtotele confiten-te, poſteritas à uetuſtate deſcendentes accepit, quas à uaſto quodam corpore, quaſi lacera membra ueniſſe credendum eſt. Vtemur ergo, quorum per tempora licebit uti teſtimonijs. Sed de ſucceßione doctrinæ, ubicunq; opus erit, diſſeretur. Primi igi-tur omnium ſunt Chaldæi, proxime quos & Paradiſus fuit: & primi homines, qui ad partem orientalem paradiſi dicuntur habitaſſe, hanc potißimum regionem te-nuerunt. Illud ſaltem eſt certum, hîc poſt diluuium primos homines habitaſſe. Iure ergo antiquißimos ſe iactabant, ſed quod ſæpe fit, inſolentius mendaciſsimum ſuis annis cumulum addentes. Primi igitur omnium ſunt Chaldæi, ab his Hebræi, Aegy-ptij, Phœnices, nouißimi Græci, pòſt Romani ſunt nati. omnes autem hos è quibus quidam clariores extiterunt, conſtat tum per illam à primo homine deſcendentem Theologiam, tum toto mundo reſonantibus oraculis, notum habuiſſe, Deũ immen-ſam, immutabilemq; naturam, alteram ab æterno Mentem genuiſſe, eiſdem eam e-tiam nominibus, quibus extrema poſtea maiorq; Theologia, uocantes, nũc Filium Dei, nunc Vocem Dei, nunc Verbũ, nunc Mentem, Sapientiamq;: eamq; omnium fuiſſe rerum creatricem aſſeruerunt. In quorum dictis recitandis, et recenſentis & interpretis utar officio. Hoc omne antiquißima Chaldæorum, tum Aegyptiorum, demum Theologia Græcorum cognouit. Principes Chaldaicæ Theologiæ fuerunt, quos patria lingua Magos, quaſi ſapientes, ſiue Philoſophos & Sacerdotes appel-labant. Anteſignanus ac princeps Aegyptiæ Theologiæ extra controuerſiam fuit. Mercurius Triſmegiſtus. Græcam Theologiam ex antiquis rexit ac celebrauit, quorum nomen peruenerit ad poſteros, præcipue Orpheus, deinceps Homerus et

Heſiodus

Heſiodus, quos Theologos dixerunt: è Philoſophis Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Empedocles, Parmenides, & Plato. Nouiſſimi, ſed ſuperioribus nonnihil diſpares, Ariſtoteles, & Theophraſtus. Superiorum igitur pari & uoce & conſenſu dictum, ac traditum poſteris fuit, & literis mandatum, Vnum eſſe rerum fontem, alterius Mentis, creatricis mundi genitorem. Ipſum quidem genitorem genuiſſe quandam Mentem ab æterno, Mentem mundum aliquando creaſſe, ſeorſumq; ſingula pro omni natione Sapientũ aderunt teſtimonia. Certum eſt enim teſtimonium ſapientum eſſe pro tota natione, ut quod meliores doctioresq; teſtẽtur, id ſit placitũ ac ſenſus totius gentis. Referunt enim omnes ad peritiores. Magi Perſarũ, & Chaldæorum (nam priores ſunt Perſis Chaldæi, & regno & ortu, eoq; doctrina potius erat Chaldæorum) Sapientes ac Sacerdotes, ut ſuperius monſtratum eſt, eius nationis fuerunt, qui res regum geſtas ſcriberent, ſecretiores quaſdam ſcientias ſoli cognitas habentes. Hos conſtat non ſolum res diuinas plurimum tenuiſſe, ſed etiam dæmonũ naturas, & euocationes adeò cognouiſſe, ut mira portenta eos euocatos cogerent in conſpectu edere. Hinc Balaham horũ è numero Magorum, ſua tempeſtate celeberrimus, creditus eſt poſſe ueneficijs & incantationibus obeſſe populo Hebræorum, aſcitus à rege Arabum ob hanc cauſam. Habitabat autem is, ut teſtatur Moſes, ſuper fluuium filiorum Amon, id eſt, Euphraten. quo fit perſpicuũ, eum fuiſſe Aramæum, ſiue Chaldæũ, unum nempe ex his Magis. Hæc fuit cauſa ut Magica uel ars, uel uanitas ac ludibrium, his in locis, antiquis illis temporibus eſſet potentiſſima, quòd maxima à primis hominibus, horum locorum habitatoribus tradita eſſet cognitio rerum diuinarum, naturalium, ipſorumq; dæmonum, quorum ruinam, & priorem, poſterioremq; naturã par eſt antiquis illis notiorem fuiſſe. Euanuiſſe autem ſeculorum uetuſtate & hanc, & omnem aliam maiorem cognitionẽ. Hinc Sibylla Erythrea, quæ fertur Chadæa fuiſſe, filia Beroſi Chaldæi, tum & Sambethe, clara & aperta, peneq; innumerabilia, cum de omnibus diuinis rebus, tum uero de ſummi Dei filio edidit oracula, ut quorum ſimilia ac longè plura in arcanis ſuæ gentis, ſapientumq; myſterijs latitarẽt. Dupliciq; ſunt Theologiæ Chaldaicæ de filio Dei, & ab æterno genita Mente, teſtimonia, Magorum & Sibyllarum, literis Græcorum fideliſſimè comprenſa: ut non ſolum in ſuo fonte uideri poſſint, ſed etiam à grauiſſimis & priſcis ſcriptoribus prolata. In dictis igitur Magorum, à Zoroaſtre deſcendentium (& ſi, quod fieri ſolet, ad ſuperſtitiones, uaniſſimumq; dæmonum, & elementorum cultum nonnunquam deflexerint) hæc ad alia habẽtur: πατὴρ δ' ἐτέλεσε πᾶντα, καὶ νῷ πᾶσι δέδωκε δόντι πρώτῳ κλῆσις ἔσται πᾶν γένος ἀνθρώπων. Hoc eſt: Omnia perfecit Pater, ac Menti tradidit ſecundæ, quam uocat primam omne hominum genus. Sic ait Theologia Magorum. Declarauit autem nouiſſima Theologia, creatorem omniũ quæ cernuntur, & quæ fugiunt oculorum obtutum, eſſe Patrem, creantẽ hæc per mediam illam intelligentiam ac Mentem: quæ ſecunda quidem eſt, ſi Patrem reſpicias: prima, ſi res uiſibiles

& inuisibiles creatas, quarum hæc ipsa Mens fuit principium. Eoq; eam dicit uocari ab omnibus hominibus primam, id est, principium, fontemq; omnium rerum. Quantum subest hic mysterium? siquidem, ut ait Numenius, & postea uidebimus, non erat Pater hominibus notus, cum solùm cognoscentibus, qui mundū creasset. At is Filius est, inquit, Mensq; secunda, quam homines nesciebant habere Patrem, eoq; dicebant eam esse primam. Siquidem ille ipse qui mundum creauit, qui ferebatur super aquas, molem extendens desuper cœlestem, qui hominem ad imaginem suam finxit, ad præmium immortalitatis uocauit, transgressum è Paradiso eiecit, erat ille idem qui postea redemit mundum, quem quondam creasset, pietate, iustitia, cultuq; Dei repleuit. Hunc ergo solum homines cognoscentes, Primum appellabant, alterum Genitorem, qui eum hoc genitoris gradu præcederet, minimè cognoscentes: ne Hebræi quidem, nisi sapientiores. Solùm ergo hunc filium Dei notum habent Hebræi, et cæci nesciunt, se blasphemare pòst hominum redemptorem, qui prius legem Mosi in monte tulisset. Atque illud celeberrimum ac sanctißimum nomen Iehouah, semper ferè est filij Dei. Is unus cognoscebatur, primus ab omnibus habebatur: totaq; est his Magorum uerbis comprensa maxima, primaq; Theologia: comprenditur enim diuinitas ac præcessio, qua pater ac genitor præcedit genitum. Quippe quem & priorem Mentem uocarit, & quasi dominum ac principem dedisse secūdæ menti, res creatas dixerit. Apparet generatio, uocat enim eum Patrem: comprenditur etiam creatio rerum per Patrem, tanquam Dictatorem supremum, per Filium tanquam missum, ac destinatum ad rerum creationem. Tum dicit, Patrem ei tradidisse res creatas: id est, eadem qua creasset autoritate regendas Postremo Filium ostendit esse & uocari primam omniū mentium. Totus ergo mundus cognoscebat, prædicabat, adorabat Filium Dei: & qui se nouißimis seculis uisibiliter omnibus declarauit, erat ille ipse, quem olim obscurè cuncti uenerabantur. Iouem, Creatorem regentemq; omnia Potestatem uocantes: Philosophis, religionibus, seculis omnibus notum, ut melius declarabitur. Qui ne qua superesset amoris ineffabilis expreßio, ut hominem faceret Deum, fecit ipse seipsum hominem. Fuit autem horum Magorum Theologia apud ueteres magno in pretio. atq; etiam Aristoteles in libris de prima Philosophia eorum meminit.

Eorum quæ prolata sunt comprobatio, ex Theologia Græcorum & Hebræorum. Cap. IIII.

VErißimum autem esse, Magos hæc de Patre ac Genitore Deo, & omnium rerū creatrice Intelligentia cognouisse, credidisse, prædicasse, eo maximè fit perspicuū, quòd posteriores, qui sunt apud Græcos philosophati, duces, atq; autores sequentes Chaldæos, et Aegyptios, ad quos sese discendi causa Græci recipiebant, principia rerū eodem atq; illi ordine collocaucrunt, Bonū primo in loco, deinceps Mentem constituentes. Siquidem ijdem ipsi Chaldæi, Genitorem Deum non solùm Patrem, sed etiam Bonum, ut apparet eodem loco, appellant: quod & Plato, et cæteri

teri omnes usurparunt. Mentẽ quoq; Græcè νοῦν, secũdo loco statuerunt. Mentẽ dico illam ab æterno à Patre primogenitã, et unigenitam, rerumq; principiũ ab eo constitutã. Anaxagoras igitur ex antiquioribus idẽ imitatus, pronunciauit omnium rerum principiũ νοῦν, id est, Mentem. quam ne credas eum aliam, atq; Chaldæorũ illam, dixisse, apparet eo uel maximè, quòd hanc ipsam & sapientissimã censuit, et eam uocauit, teste Aristotele, ἀμιγῆ & ἀπαθῆ, sine complexu, sine alterius rei commistione: quod propriũ ac solum Dei est. Eidem Menti omnia dabat Anaxagoras, atq; Moses apud Hebræos, Mercurius apud Aegyptios, prædicans eã aggressam Chaos modificasse, digerendoq; res creasse, et cum immota, quiescentiaq; cuncta essent, motũ & ordinẽ dedisse. Nec Aristoteles amicè ac beneuole mentẽ eius interpretatus est, eum statuisse æternũ Chaos, creationẽ Mentis antecessisse, ut à Chaos ad creationem tempus infinitum intercesserit. Non est credendũ, Anaxagoram, cuius sententias antiquã Theologiã spirantes inuenias, id sensisse: Nec si antecessisse Chaos dicat, eò æternitatẽ confusionis illius asseruit: siquidẽ et Moses et Hesiodus prædicant antea uacuam terrã inuisibilemq; fuisse, deinceps terrã, cœlum, lucẽ apparuisse: quos nemo putabit tamen interiecisse tempus æternũ ab illis exordijs, ad res creatas. Didicit ergo Anaxagoras hanc à ueteribus creationẽ. Siquidẽ et Euripides, quem ferunt discipulum eius fuisse, cum præceptore, ut postea demonstrabitur, consentit. Tum non mundum solùm didicit creatum, sed rationem quoq; creandi: ut Mens informe & immobile Chaos formauerit, motumq; dederit. πάντων χρημάτων κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν & διακρῖναι. Omnibus quondã quiescentibus, motũ Mentẽ dedisse, ab inuicẽq; separasse, ait Aristoteles dixisse Anaxagorã. Eadem hæc canit & Moses de Deo, asserens prius tenebras fuisse, et aquam cum terra commistã: Deum autẽ lucem, tenebris dissectis, intulisse, aquasq; à terra separasse. Quis autẽ is fuerit, disce ab Anaxagora, uidelicet νοῦς, Mens, Intelligentia, Sapientia, Spiritus. Quæ sit hæc Mens, consule Chaldæos, et Mercuriũ, qui præcipuo nomine uocant filiũ Dei, creatorẽq; mundi, νοῦν Mentẽ, Intelligentiã. Cui præferebant τὸ ἀγαθὸν, ipsum Bonum, Bonitatẽ ipsam: et hæc, declarantes rerum principia. Platonici quoq; quorũ libri sunt uetustissimis oraculis ac sententijs Magorũ, & Aegyptiorũ referti, eodem ordine, Bonũ postea Mentẽ ponunt: Illam uidelicet Mentẽ, quam primã ab omnibus mortalibus haberi dixit Chaldæus. Aristoteles igitur audiens priscos Menti rerum principatũ, creationẽq; attribuisse, alacri uoce pronunciauit eã esse τῶν φαινομένων θειότατον, omnium, quæ possint cogitari, diuinissimũ: subscribens uidelicet ueteri Theologiæ, Mentem principiũ uocanti. Huius Mentis diuinitatẽ alibi differens, eius infinitam uoluptatẽ asseruit in intelligendo seipsam, & in amore diuinitatis suæ. Nesciebat enim eam habere Patrem. uerissima tamen dixit. Nam Mens intelligendo Patrem, intelligit etiam seipsam. Aeternam, syncerã, incorruptamq; uoluptatẽ hanc ei dat Aristoteles, quòd seipsam (nihil enim habet seipsa maius) contẽplatur, et agnoscit.

Quam

Quam quidem uocem cœlesti, non humano instinctu uidetur protulisse. Sed audi & Platonem: qui cùm audisset, ab Anaxagora datam Menti rerum creationem, eo se maximè dixit acquieuisse, cæterorum quorumcunque repudians sententiam. Nullamq; censet rei cuiusq; reddi posse probabilem rationem, nisi mentem ad omnia accersas: qua rerum principe constituta, nihil non pulchrè positum & inuentũ possis affirmare. Nam si summa Sapientia, Intelligentia, Mensq; fecit, utiq; meliora, lectiora fecit. Si Mens creauit, certè creata sunt ea, quibus non possint meliora fieri. optimè igitur omnia. Et quod Moses etiam simile quid, Valde bona: in Phædone igitur, ὡς ἄρα νοῦς ἐστὶ ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, ταύτην δὲ αἰτίαν ἤσθησε, καὶ ἔδοξέ μοι τρόπον τινὰ εὖ ἐχειν τὸ τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον: Audiens inquit ex libro Anaxagoræ, Mentem esse mundi ædificatricem, omniumq; rerum causam, hac sum mirificè lætatus: & nescio qua ratione uidebatur mihi optime habere, Mentem esse omnium causam, dare intelligentiæ omnium rerum principatum. Hæc illi asserebant, non tam Anaxagoræ sententiæ subscribentes, ut quæ mirificè placeret, quàm apud Chaldæos & Aegyptios reperta confirmantes, dictisq; ea suis inserentes. Siquidem & Macrobius Platonicorum de principijs sententiam proponẽs, duo hæc prima principia constituit, τὸ ἀγαθὸν, τὸν νοῦν, Bonitatem, Intelligentiam. Quorum primum est nomen Patris, alterum Filij. Filius enim dixit de Patre, Nemo bonus, nisi solus Deus. De se autem, Ego principium, qui & loquor uobis. His constat Magorum superius oraculum, illius antiquæ gentis uerum esse testimonium: nullamq; hîc esse debere suspicionem mendacij, ut à posterioribus sint conficta. Superest autem ueteris Theologiæ Hebræorum testimonium, quod mecum reputans, soleo uehementr demirari. Ex illo enim Chaldaicæ Theologiæ testimonio, probatur antiquã Græcorũ Theologiã sensisse, per Filiũ Dei, mundũ fuisse creatũ. Nam Chaldæus Filium Dei uocat Mentẽ: Græcus aũt fatetur Mentẽ creatricẽ, ornatricemq; rerum: Hebraica autem Theologia, quẽ Chaldæus & Græcus Mentẽ, Aegyptius λόγον, uerbũ, rationẽ, ipsa uocans Spiritũ & Intelligentiã, eandẽ etiã mundi declarat creatricem: Quemq; Anaxagoras uocans Mentẽ, dicit Chaos ordinasse, eundẽ Hebræus uocãs Spiritũ, super aquas & Chaos ait operatũ. Ea aũt erat operatio, quòd mundũ, id est, cœlũ, omniũ rerũ aliarum condebæt principiũ. Eadem quoq; est apud omnes nominũ ratio. Intelligentia dicitur à Chaldæo & Græco, ab Aegyptio (ut ostendam) Ratio: quæ si conferas, idem sunt atq; Spiritus: Spiritus enim est Sapientia, est Intelligẽtia: huic datur ab omnibus rerũ creatio. Ostendo etiã alia ratione Hebræos cũ Græcis esse concordes in hoc Principio. Siquidẽ nomen istud νῦν, Nun, est Hebraicũ. Accidit aũt sæpenumero, ut nomina, quæ à linguis ad linguas transferuntur, uel numeris syllabarum augeantur, uel diminuãtur, uel aliquæ literæ peruertantur: ueluti quod erat Hebraicè Rapa, id est, mederi, Græci qui & nasci & loqui ab Hebræorum maioribus habuerunt, addita una syllaba dixerunt therapeno. Eodem exemplo, sed

ex aduer-

ex aduerſo, quod erat Hebraicè Banun, Intelligere, Sapere, fecerunt Græci Nun, Mentem, Intelligentiam. Hoc declarato, claret Theologiam Hebraicam fateri mundum creatum per eandem rem, atq; Theologia Græcorum. Vates Hebræus canēs opera diuina ait, Qui fecit cœlos intellectu: Hebraicè Thebuna, in quo prima ſylla ba iuxta idioma Hebraicum, eſt adiectitia: eſtq; ea uox, unde deduxit ſermo Græcus ſuam νῦν, Nun: confitetur Vates Hebræus, Deum creaſſe cœlos per Nun, per Intelligentiam, per Mentem. Apparet enim tam ex ſignificatione, quàm ſono, eandem hic eſſe rem, quam Græcus Theologus celebrauit, Principiumq; rerum dixit, atq; eam, quā confeſſa eſt Theologia Hebraica. Ac Cœlos præcipuè nominauit Hebræus, ueluti rem in omni illa creatione præcipuam. Sic liquet Chaldæos, Græcos, Hebræos cognouiſſe, prædicaſſe Filium Dei, eumq; omnium rerum principium laudaſſe. Quod repetens his rationibus probatur: Theologia Chaldaica, Patrem & Mentem ſecundam, creatricem confitetur. Hanc Mentem collaudant, ſuſpiciunt, uenerantur Anaxagoras, Plato, Ariſtoteles, cuncta Platonicorum familia. omnes igitur hi celebrarūt progeniem Dei, licet ignari. Nituntur enim illa Chaldaica ſententia cuncti. Quoniam autem eadem loquitur Theologia Hebraica ac Chaldaica, & Græca: hæ autem loquuntur & prædicant Filium Dei: neceſſario Filium Dei loquitur etiam Hebraica Theologia. Ecce quæ ſecreto, & quaſi uelata facie illa ſecula loquebantur, nouiſſima clara & illuſtri uoce prædicauerunt, cognouerunt, adorant, uenerantur.

De eadem Mente, Progenie, Sapientiaq; diuina, ex Platone, regina, moderatrice omnium rerum, omnium maiorum conſenſu. Et quod Ariſtoteles eam laudarit, ſuſpexerit, quid de ea loquuti eſſent, admiratus fuerit. Caput V.

MVlta quoq; ſunt admiratione digna, de Mente apud Platonem altiſſimæ Theologiæ noſtræ myſteria. Hanc enim Mentem, quam ſecundum Principium, ac poſt ſummum Bonum cæteri ſtatuerunt, non in Phædone ſolum, ſed alijs multis locis, miris extulit laudibus Plato, dans ei principatum, inuentionem omniū rerum, imperium cœli & terræ, uocans eam creatricem, imperatricem, reginam, ſapientiam: nihilq; non inuenies de ea apud Platonem, quod in ſacris literis habeatur. Ex omni autem apud eum deſcriptione, ſicut item ex alijs Theologis, claret hanc eſſe prolem Dei æternam, omnipotentem ſapientiam Patris ſui. In Cratylo, Εἶναι δὲ τὸ δίκαιον ὃ λέγει ἀναξαγόρας νῦν ἔφη εἶναι. αὐτοκράτορα γάρ ὄντα αὐτὸν τῇ ὀρθῇ μεμιγμένον πάντα φησὶν αὐτὸν κοσμεῖν τὰ πράγματα διὰ παντὸς ἰόντα: Eſſe, inquit, Iuſtitiam, quam Anaxgoras Mentem dixit, aſſerit Cratylus: quæ quum ſit imperatrix, & regina ac princeps, nullíq; commiſta, eam tradit omnia creare, per omnia commeantem. Sic Plato. Audis Mentem illam, quam Chaldæus memorabat, nunc imperatricem, cunctarum rerum creatricem, ipſum ius, ipſam iuſtitiam: quod etiam Laërtius perhibet ſenſiſſe Platonem, τὴν δικαιοσύνην θεοῦ νόμον ὑπειλάμβανεν: Iuſtitiam Dei legem ſuſpicatum eſſe Platonem. Et quod Marcus noſter apertius, Orta autem ſimul eſt, inquit, cum Mente

diuina,

diuina quamobrem lex uera, atq; princeps apta ad iubendum, & ad uetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Quid de Mente diuina poterat diuinius loqui Plato? ut iuſtitia, moderamen, temperantia cunctorum ſit, ut diſpoſitor, ornator, creator, præſens ubiq; tanquam lex, tanquam ſempiternus ordo, cuncta ordinans, quia data eſt ei poteſtas omnis in cœlo & in terra, ipſiusq; erit iudicare omnem carnẽ, ipſe Deus iuſtus noſter. Eodem libro Socrates rogat Hermogenem, τί δ' ἐκ τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν, ὁ πιστεύεις αἰτίαν εἶναι τῷ ψυχὴν εἶναι τὴν διακοσμοῦσαν καὶ ἔχουσαν, Quid, inqt non ne credis Anaxagoræ, Mentẽ et Animã eſſe quæ naturã omniũ rerũ exornet, et cõtineat? Hic Plato rurſum Mentẽ ornantẽ omnia, ſuſtinentẽ, ut uides, fatetur, inuẽtricẽ omnis ordinis, omnis naturæ, quæ ordo eſt, et æquitas, moderatricẽ, ordines rerũ certos, certosq; ſitus, Mentis opus eſſe, quæ Chaos digeſſit, formas deprõpſit, ordinẽ, & temperamentũ ubiq; adhibuit. Et, ut Ariſtoteles perhibuit, cõfeſſus eſt eã Anaxagoras, οὐδενὶ μεμιγμένον, nulli rei admiſtã, nempe nõ corporeã, ſed purè diuinã, ab omni corporis cõtagio abſolutã. Nihil aliud de creatore illo mundi, ſacræ literæ loquuntur. Hæc apud eos eſt αὐτοκράτωρ, Dominatrix, Regina omnipotens. Eſt διὰ πάντων ἰὼν, per omnia intenta, præſens ubiq;, totã naturã aptans, ſuſtinens, mouẽs cœlũ, terris perpetuos ordines adhibẽs. In Philebo aũt lõgè maiora: πάντες συμφωνοῦσιν οἱ σοφοὶ ἑαυτοὺς οὕτω σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν, ἀρχὴν τὴν γῆς, καὶ ἴσως εὖ λέγουσι: Conſentiunt omnes, inquit, ſapientes, ſeipſos in eo iactãtes, quòd Mens ſit regina nobis cœli et terræ. & fortè rectè loquuntur. Nihil Plato magnificẽtius, altæq; Theologiæ noſtræ uenerabilius loqui potuit. Is eſt apud eum Rex cœli, et terræ, qui apud diuũ Paulũ Rex ſeculorum immortalis, inuiſibilis. In eo Plato fatetur ſapientes omnes conſentire, hunc eſſe regẽ cœli et terræ. Qui ſunt igitur hi ſapientes? non uidelicet Anaxagoras ſolus, ſed & Chaldæi, ut apparuit, Mercurius Triſmegiſtus, Orpheus, pluresq; alij, quos legerat Plato. ſed ante omnes fuit Moſes, qui hũc, quẽ ſua lingua Græci Intelligentiã, ſiue Mentẽ appellarẽt, uocauit ipſe ſua, Spiritũ, qui ferebatur ſuper aquas, id eſt cœlum moliebatur, ornatũq; cœleſtẽ, q propriè dicitur κόσμος, ſtatuebat. Ideo Mens dicitur διακοσμῆσα, exornãs. Audi igitur et ſuſpice quæ Plato loquitur de cõſenſu ſapientũ, et perpende qui ſint iſti ſapientes, quos ait in eo gloriari, ceu rẽ magnã diuinãq; loquantur. Nã & Ariſtotelẽ cernes pòſt eandem Mentẽ mundi fateri principẽ. Proſequitur in Philebo Plato: Num, inquit, ὦ Protarche uniuerſa, et hoc quod uocamus uniuerſitatem, gubernare dicemus uim quandam irrationabilem ac temerariam, an cõtrà, καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν ἔλεγον, νοῦν καὶ φρόνησίν τινα θαυμασίαν συντάττοντες κυβερνᾶν: quẽ admodũ hi, qui nos anteceſſerũt, locuti ſunt, Mentẽ et Sapientiã quandã admirabilẽ ea componentẽ, regere ac moderari? Ad hæc reſpondet Protarchus, ne ſanctũ quidẽ uideri, quod prius poſitũ fuiſſet: τὸ δὲ νοῦν παντὸς διακοσμεῖν αὐτὰ φῶναι, καὶ ὅλως τὸν κόσμον καὶ ἥλιόν, καὶ σελήνης, καὶ ἄστρων, καὶ περιφορᾶς ἄξιον, καὶ ὀκ ἄλλως, ἐγὼ γ' ἂν

ωστε

ποτε περὶ αὐτῶν εἴποι μι οὐδὲν δοξάσαιμι, Mentem aũt asserere cuncta disposuisse, aspectũ mundi, solẽ, lunã, astra, omnemq; cœli conuersionẽ: id uerò dignissimũ esse, nec secus unquam ego, ait, de his statuerim. Cernis hîc, quid maiores tradidissent, cernis antiquã Theologiã de Mente, quæ nõ solùm creauit, aptauerit, ut Anaxagoras dixit, sed ordinet, componat, regat ad omne tẽpus omnia. Huic ordinẽ cœlestẽ creatũ adiudicat, solis, lunæ, stellarũ. Id enim etiã prodidit Iob & Moses, hanc ipsam mentẽ, & Spiritũ ornasse cœlos, lucẽ creasse, lunã, sidera accẽdisse, & ut facerent diẽ ac noctẽ, lucerentq; super terrã, in conuersiones & reuolutiones possuisse. Attẽdeq; hæc maiores asseruisse, uidelicet Chaldæos, Aegyptios, antiquissimos Græcorũ, Orpheũ, Hesiodũ et Pythagorã, Timæũ, pluresq; alios, quos ipse legit Plato. quo fit clara diuinitas priscæ Philosophiæ. Prosequens Plato, Scimus, inquit, in uniuerso infinitũ quiddã, & aliquẽ terminũ esse, quibus præsit causa κοσμοῦσάτε & συντάττουσα ἐνιαυτούς τε, & ὅρας, καὶ μῆνας, σοφία καὶ νοῦς λεγομένη δικαιότατα ἄν. exornans, & coordinas annos, et tẽpestates, & menses, quæ Sapientia & Mens uocetur iustissimè. O sacrosancta, cœloq; missa mysteria. Sentis illã Sapientiã, quã perhibẽt etiã Hebræi fuisse mundi creatricẽ, quãq; asserunt esse, de qua Salomon scribat, Dominus sapientia fundauit terrã, stabiliuit cœlos prudentia. Et de qua Salomon idẽ, similiter prorsus atq; Plato. τί σοφίας πλουσιώτερον τῆς τὰ πάντα ἐργαζομένης τὶς αὐτῆς τῶν ὄντων μᾶλλον ἐστὶ τεχνίτης, ὁ ποιήσας τὰ πάντα σὺ λόγῳ σου & σοφίᾳ σου κατασκευάσας τὸν ἄνθρωπον: quid sapientia opulentius, quæ operatur omnia, quis rerũ magis artifex ipsa? qui creasti omnia uerbo, siue ratione tua, et sapientia tua hominẽ molitus es? Hæc illa quoq; est Sapientia, quæ apud Cabalistas Theologos Hebræorum, est secundo loco, post coronam altissimi, obtinens secundum gradum diuinitatis, cui dant omnium rerum principatum. Sed audi hæc eadem narrantem asserentemq; Platonem. Teste enim Laërtio, qui scribit duo mundi creati principia statuisse Platonem, Materiam, ac Deũ, ὃν & νῦν προσαγορεύει & αἴτιον, quem & Mentem appellat, & Autorem siue Causam. Plato Creatorem, Imperatoremq; mundi declarat, consalutatẽq; ipsam Mentem, quam eandem & Deum, & Causam uocet. Clarũit igitur quæ sit Mens, nempe diuina progenies, id est, Filia Dei, ut Chaldæus loquebatur, quæ in nostra Theologia similiter atq; apud Platonem nuncupatur Sapientia quis item sit iste αἴτιος, cui dat mundi autoritatem (teste Laërtio) Plato, disce ex secunda epistola Platonis, in qua uidebis hunc αἴτιον, & Causam mundi, habere Patrem. Imperat enim tribus amicis ut in amicitia adiurent dominũ ac principem & causam omniũ rerũ, & causæ patrem. Si causa igitur ipsi Platoni est Mens, teste Laërtio, Causa autem habet Patrem, Mens ergo Patrẽ habet. De qua re postea. Est igitur apud Platonem Mens, Sapientia, Causa filius Dei, quia hæc causa habet patrem, ut mirabiliter asseratur illud oraculum Chaldaicum. Hanc item Mentem, quæ fuit causa mundi,

agnouit,

agnouit, exoſculatusq; eſt multis in locis, honorificeq; de ea ſenſit Ariſtoteles: è quibus eſt admirabile teſtimonium primo de Philoſophia libro. quærens enim de principijs rerum, quæ apud maiores ſuos reperiſſet, cumq; multos offendiſſet, quos in aſſignandis principijs non approbaret, nouiſſimè dixit, νοῦν δέ τις ἐν πᾶσιν ἔφη καθάπερ ἐν τοῖς ζῴοις καὶ ἐν τῇ φύσει τὴν αἰτίαν καὶ τοῦ κόσμου καὶ πάσης τῆς τάξεως ἁπάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρ' ἐκεῖνα λέγοντας τοὺς πρότερον οἱ μὲν οὕτως ὑπολαμβάνοντες, ἅμα τῷ καλῶς τὴν αἰτίαν, ἀρχὴν εἶναι τῶν ὄντων ἔθεσαν, καὶ τὴν τοιαύτην ὅθεν ἡ κίνησις ὑπῆρχεν τοῖς οὖσιν. quod eſt, Mentem quidam qui dixit quemadmodum in animalibus, omniq; natura, ſic Cauſam fuiſſe mundi, totiusq; ordinis, is certè uiſus eſt reſipuiſſe præ ijs, qui prius temerariè loquerentur. Itaque huiuſmodi qui ſunt hoc arbitrati, non ſolùm bene & congruè hanc cauſam, principium rerum ſtatuerunt, ſed etiam talem Cauſam attulerunt, unde motus extiterit, uel exiſtat rebus. In his Ariſtoteles, tametſi obſcurè loquatur, ſentit ea, quæ prior Plato docuerat, Mentem ſicut inueniſſet rerum ordines omnes, quantamq; oculis aſpicimus pulchritudinem, ſic dare rebus moderamen in præſens, uinculum eſſe quibus uniuerſa ſuſtineantur, legem rerum cunctarum, mundi nauclerum: utq; ſit rerum moderator, & ſapientiſſimus in omne tempus artifex, ſic fuiſſe in primordio rerum: ut animalia, ut naturam, nunc regat, agatq; in lucem, ſic huiuſcemodi quondam ordines ſua ſapientia reperiſſe. Qui talia locuti eſſent, collaudat Ariſtoteles, aſſerit fuiſſe ſapientes, euigilaſſe inter errores cæterorum cæteris dormientibus. Φησὶ γὰρ οὖν καὶ ἀναξαγόρας, ὃς ἀπὸ μιᾶς τινὸς καθ' ὑπόστασιν τῶν ἄλλων, τὸν νοῦν πρῶτον αἴτιον τῶν γινομένων ἰδεῖν: Mentem primum uidiſſe fuiſſe cauſam rerum Anaxagoram, inquit Proclus ex ipſo Ariſtotele, optimam rerum Cauſam, à qua principium fuerit omnibus, reperiſſe: Veram originem, unde moueri cœperint cœlum, & aſtra, totusq; inde mundus, deprehendiſſe. Ô quanta uerbis his ſubeſt diuinitas. Neceſſariò enim Ariſtoteles, qui de Mente mundi inuentrice, talia prædicat de ea Mente, quam Chaldæus antea inuulgauerat, & quam Plato, quod & ipſe Ariſtoteles, uocat Cauſam, & uocans dat ei patrem in epiſtola, ſicut & Chaldæus in oraculis. Hanc ipſam in libris poſt res naturales uocat Diuiniſſimam, eam ſeipſam contemplari dicens. In Moralibus quærens de eius contemplatione, uocat Deum. Sic ex Platone, Chaldæo, Ariſtotele, Mens eſt Deus, eſt Proles Dei, eſt Regina mundi.

Mentem ex Macrobio eſſe Filiam ſummi Boni, ſummum Bonum ipſum ſupremum Genitorem Cap. VI.

VT autem hæc eſſe ueriſſima conſtet, Mentemq; ſecundam eſſe ab ipſo Patre, ut Chaldæus dicebat, Filiam autem ac Progeniem diuinam, ut Plato in epiſtola (οὐ quam cauſam Chaldæus uocauit eum Patrem) audienda ſunt, admirandaq;, quæ locutus eſt, ut paulò antè dixi, noſter Macrobius, decerpta ex ipſis Platoni-

ci.

eis. Proferamq; totum locum in Somnio Scipionis: Cæterum, inquit, cùm ad ſummum, & principē omniū Deū, qui apud Græcos τὸ ἀγαθὸν πρῶτον ἁπάντων nuncupatur, tractatus ſe audet attollere, uel ad Mentem, quam Græci νοῦν appellant, originales rerum ſpecies, quæ ἰδέαι ſunt, continentem, ex ſummo natam & profectam Deo: cùm de his, inquam, loquuntur, ſummo Deo & Mente, nihil fabuloſum penitus attingunt. ſed ſi quid de his aſſignare conantur, quæ non ſermonem tantùmodo, ſed cogitationē quoq; humanā ſuperant, ad ſimilitudines & exempla confugiunt. Sic Plato cùm περὶ ἀγαθοῦ loqui eſſet animatus, dicere quid ſit nō eſt auſus, hoc ſolum de eo ſciens, quod ſciri quale ſit, ab homine non poſſit. Solum uerò ei ſimilimum de uiſibilibus Solem reperit, & per eius ſimilitudinem, uiam ſermoni ſuo attollendi ſe ad comprehenſibilia patefecit. Ideo & cùm nullum ei ſimulachrum cum Dijs alijs conſtitueret, finxit antiquitas, quia ſummus Deus, natáque ex eo Mens, ſicut ultra animam, ita ſupra naturam ſunt: quò nihil eſt de fabulis peruenire. Ecce audiſti & uidiſti apud Macrobium, non Chriſtianum, duo diuiniſſima ac maxima: ipſum ſummum Bonum, principatum omnium rerum, ut clarebit etiā apud Platonem, Mentem ex eo natam, & profectā, natam inquam à ſummo Deo, qui dicitur à Philoſophis ipſum Bonum, ipſa Bonitas per excellentiā: de quo Mens ipſa, filius eius, perhibuit in hoc mūdo, Nemo bonus niſi ſolus Deus: illa ſcilicet fontali, præcipua, ſupereminentiq; bonitate. Vidiſti quoq; Mentem continere ſpecies rerum: quo deſignatur creatio, deſignatur (quod uidebis etiam Philonem perhibentem) creator mundi, inuentor cunctarum rerum, quæ in ſuis originibus continerentur. Vt enim ipſe Philon dicit, ſi quis nudius & expeditius uelit loqui, nil aliud dicat Mundum archetypum ſiue originarium, quàm ipſum Verbū, Creatorem mundi. Videbis etiam Mercurium Triſmegiſtum, dantem uerbo Dei, ſpecies, aut ideas, originesq; rerum. Hac igitur attributione ſpecierum, perſpicuum ſit, deſignari Sapientiam creandi, & inueniendi è nihilo, ut ſuperius omnes prædicauerunt. Deſignatur hanc Mentem eſſe mundi creatricem, adornatricem rerum, formarum matrem uaſtam, inæſtimabilem ſapientiam. Ecce Plato uocauit eam, ob eandem cauſam, αἴτιον, Autorem: apud quem teſte Laërtio, idem eſt Mens, & Autor, id eſt, Autor mundi, Conditor, per quem omnia facta ſunt. De quo prorſus ſimilia, noſtræ Theologiæ princeps diuus Paulus, ut utranque Philoſophiam conferam: ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα. εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε: Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt omnia cœleſtia & terreſtria, uiſibilia et inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt

ſiſtunt. Hæc diuiniſsima tuba Theologiæ noſtræ. Confer igitur omnia, & gratias age æternæ menti, cuius tanta clementia fuit, ut ſeſe mundo ſemper declarauerit, & ne gentibus quidem ſe abſconderit. Quẽ diuus Paulus uocat Deum inuiſibilem, Macrobius ex Philoſophis ſummum Bonum, Primatum omniũ rerũ, Principẽ rerum cunctarum, eum per excellentiã appellans Deum, ut magnus Theologus noſter. Quem Macrobius Mentẽ, ſiue Intelligentiã, aut Sapientiã natam ex ſummo Deo, quæ contineat ſpecies, Paulus Imaginem Dei, quoniam Filius eſt imago Patris, Primogenitum omnis creaturæ, id eſt, aut genitum ante omnia creata, aut principalem inter omnia, ad cuius magnitudinem cætera nihil attingant: ſupra omnia creata. Quẽ ſuperare cogitationẽ & ſermonẽ dixit Macrobius, & quòd ſcire nõ poſſet, & incomprenſibilẽ, & quòd ſit ſupra naturã, hũc Paulus & inuiſibilẽ, nempe Patrẽ ipſum, tũ et Primogenitũ, id eſt, antecedentẽ omnes creaturas Mẽtẽ. Et cui ſpecies tribuere, ſiue ideas, oriġines q; rerum dixit antiquitatem Macrobius, hunc Paulus prædicauit fuiſſe, per quem uiſibilia & inuiſibilia ſint creata, ſiue Dij ipſi cœleſtes, quorum nec nomina norunt, nec naturas homines, ſiue homines, omniaq; terreſtria: & quòd ipſe ſit ante omnia, id eſt ſupra naturam, ut Macrobius: & quod per ipſum omnia ſubſiſtant. Veritas igitur clara, aperta, cognita etiã gentibus. Retulit item Macrobius, cùm de maximis hiſce rebus ſermonem & cogitationem ſuperantibus, Philoſophi loqui inſtituerint, amandare eos, proculq; iubere faceſſere fabulas: uti autem fabulis, cùm uel de anima, uel aëreis, aut æthereis poteſtatibus, uel cæteris Dijs loquantur. Dixit etiam nullam eſſe cæteris Dijs (nempe quos diuus Paulus citauit ſuperius) ſimilitudinem cum ipſo ſummo Bono & Mente: quia ſunt ante omnia, ſupra omnia. Vidimus etiam teſtari Macrobium, hanc omnem, quam narrauimus Sapientiam, ſtupendamq; Theologiam, antiquitatem cognitam habuiſſe. Ergo quod Chaldæus, à Zoroaſtre, ſapientibusq; Perſarum: Sic undique ueris coniecturis, relucet iſtam quam nunc totus colit mundus, Sapientiam omnibus ſeculis & gentibus irradiaſſe, ſed occultiorem quàm nunc, poſteaquam Mens ipſa, bonitate ſua, Patrisq; ſui, qui eſt ſummum Bonum, elementia impellente, deſcendit de cœlo, hominisq; ueſtita figura ſolidaq; natura, uerſata nobiſcum, locutaq; eſt ſuam propria uoce Sapientiam.

Ex eiſdem Chaldæorum oraculis de Mente, diuina Progenie, cuius imago ſit animus humanus, & ex Philone. Cap. VII.

CVr admiraris autem Græcos & Latinos, Mentis æternæ diuinitatem prædicaſſe rerum cunctarum rationem, inuentionem, ordinemq; illi dediſſe, Patrem ei eſſe perſpexiſſe, aſſeruiſſe, cùm ſit hæc omnis Sapientia uetuſtiſsima, ab antiquiſsimis gentibus prodita, ad quas diſcendi cauſa Græci adeuntes ex eorum uberrimis fontibus riuulos in Græciam deduxerunt? Ecce igitur eadem Chaldaica Theologia, ut habetur in ſententijs Zoroaſtræorum, tradit hanc ipſam diuinam, æternamq; Mentẽ, creaſſe ad imaginem ſuã iuxta Moſen σύμβολα πατρικὸς ὅσ ἕπε-

ρεταῖς

ρι ταῖς ψυχαῖς: Signa, uel indicia paterna Mens inseruit animis. Hoc oraculo declaratur à paterna Mente, id est, ab ea quæ Patris est Mens, Patris Sapientia & Intellectus, inustum animis nostris symbolũ suæ diuinitatis: quemadmodum tot locis fatetur Philon Iudæus, asserens ipsum, Verbum esse archetypum, exemplarq; animi nostri: nos simulachrum eius, sicut ipse sit imago patris sui. Haud aliter oraculum, appellans symbolum, quod Philon simulachrum, imaginem, & quod Moses imaginem & similitudinem, Hebraicè Zalmenu, Demutenu. Eadẽ hæc sensit et exposuit Psellus Philosophus Christianus declarãs supradictũ locũ, ὥσπερ ἡ μωϊκὴ βίβλος κατ' εἰκόνα θεοῦ πλάττει τὸν ἄνθρωπον, ὅτω δὴ καὶ χαλδαῖος τὸν ποιητὴν τὴ πατέρα τοῦ κόσμου φησὶν σύμβολα γεγλαφαπεῖραι ταῖς ψυχαῖς τῆ ἑαυτοῦ ἰδιότητος. τὴ γὰρ ἀπὸ τῶν πατρικῶν σπερμάτων οὐκ αἰ ψυχαὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπερκείμθναι πᾶσαι τάξεις ἐβλάστησαν. καὶ ἀλλὰ μὲν τὰ ἐν αὐτοῖς ἀσωμάτοις ὑπάρξεσι σωθήματα ἀσωμάτως ὄντα τὴ γνωσιλόγος· ἄλλα δ' ἐν τοῖς κόσμοις σωθήματα τὴ συμβολὰ δόξαν αἰ ἄρρητοι τοῦ θεοῦ ἰδιότητες αἰ τὴν ἀρετῶν ὑπερκείμθναι. Sicut, inquit, Mosaicus ad imaginem Dei fingit hominem, sic plane Chaldæus Creatorem ac Patrem mundi dicit symbola inseruisse animis, proprietatis suæ: siquidẽ à paternis seminibus, nõ animæ solũ, sed et superni omnes ordines pullularunt. Atq; alia quidẽ signa, quæ sunt in ipsis incorporeis substantijs, incorporaliter et unificè existũt: alia uerò in mundo signa et symbola, sunt secretæ Dei proprietates, quæ et uirtutes supereminent. Hæc Psellus. Apud quẽ aspicis à seminibus paternis, id est, Creatoris mundi, quem Patrem dixit superius, natos esse non animos modò nostros sed supernos omnes ordines. Id diuus Paulus antè est confessus, Imaginem illam progeniémque diuinam, creasse thronos, potestates, dominationes, uirtutes. propterea potes Symbola sentire origines ipsas rerum, ac primordia. Hîc etiam Psellum constat eodem loqui modo atque Solomonem de creatione hominis, quòd inseruerit Deus symbola, uel similitudinem proprietatis suæ: Solomon autem, ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισεν τὸν ἄνθρωπον καὶ εἰκόνα τῆ ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν: Quoniam Deus condidit hominem, & imaginem suæ proprietatis fecit eum. Psellus etiã usus est uerbo, quo Empedocles, Ab uno, id ueritate, ἐβλάστησε, pullularunt omnia, homines, bestiæ, pisces, uolucres, arbores. Denique δολιχαίωνες θεοί, Dij longæui. Sicut Paulus, throni, dominationes, potestates: Psellus aũt ordines superni. Idem refert hæc symbola in æternis, intelligibilibus substantijs, esse incorporaliter, ac diuina quadam, supereminentiq; ratione, & per unitatem, aut aggregationẽ simplicẽ. Eadẽ in hoc mundo esse secretas Dei uirtutes, creationem scilicet innuit supernam, ac inferiorẽ, uisibilẽ, & inuisibilẽ. Claret ergo, sicut & superius, à Mente, id est, Sapientia Patris, nata esse uisibilia, et inuisibilia, mirabiliter secũ consentiente cõgruenteq; Theologia, radios undequaq; iactant suos:

Ecce omnis lingua confitetur dominum. Similia cernentur apud Philonem de Verbo diuino atq; de Mente apud Chaldæum, de quo dicit, ἀόρατος καὶ σπερματικὸς τεχνικὸς θεῖος λόγος: Inuisibile, seminale, artifex diuinum Verbum. Sunt ergo semina rerum apud Philonem in Verbo diuino, sicut apud Chaldæum de Mente qua seminauerit sua symbola in animis. Idem Philon explicabit hanc Chaldaicam Thelogiam: ὡς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν οἰκείωται θείῳ λόγῳ καὶ μακαρίας φύσεως ἔκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γέγονος: Omnis homo secundum rationem habet cum Verbo diuino societatem, factus naturæ beatæ simulachrum, aut abscisio, aut radius. Quibus uerbis Philon explicat illa symbola à Chaldæo proposita, sunt enim numero multo symbola: quod tribus nominibus Philon declarauit, Imago uel simulachrum, Abscisio, aut Eradiatio, Moses diceret Afflatus. Ac numerus multus apud Chaldæum, et pro singulari symbolum. Eruntq; omnia eadem, & illa tria apud Philonem, & symbolum apud Chaldæũ, & apud Solomonẽ proprietas, apud Mosem imago, similitudo, apud Marcũ Tullium delibatio, haustus: cùm ait animos nostros haustos & delibatos ex diuinitate: & in Tusculanis, eodem prorsus modo atq; Chaldæus, ut sit mirum: Humanus, inquit, animus decerptus ex mente diuina: Mentem diuinam faciens animi nostri originem, ut Chaldæus nobilis apud omnes, implens omnes, sed sapientũ præcipuè mentes claritate sua. Agnoscéq; hìc Mentem ut superius mundi Creatricẽ, sic nunc hominis: quod utrunq; proditum est à Mose. qui cætera quoq; apud eosdem Chaldæos, antiquissimamq; eorum Theologiam uiderit, tam magis obstupescet, quod mihi sæpe nnmero fateor accidisse. Alio præclaro, diuinoq; oracullo de eadem paterna Mente Magus ille, aut totus Magorum chorus sic loquutus: ἀλλ' οὐκ ἐσᾶ λέγειν, κείνης τὸ θέλον πατρικὸς νὸς μέλλῃς αὖ ἀζέλθῃ λάθης. καὶ ῥῆμα λαλήσῃ μνήμην ἐνθεμένη πατρικοῦ συνθήματος. Quæ sunt, Sed non admittit illius, nempe animæ, uoluntatem paternam Mens, donec discedat ab obliuione, uerbumq; loquatur, memoria paterni signi adhibita. Hoc illud, cuius etiam meminit Proclus. Estq; sensus regius, diuinaq; pronunciatio, nõ placere quicquã creatori nostro, quod anima conetur studeatq;, nisi prius dciecerit, repulerit, excusserit obliuionem, & in orationem, laudemq; eruperit, memoriamq; exercuerit, recordataq; semper fuerit quod ad imaginem Dei sit facta, quod paternum symbolũ acceperit. Hanc q; sententiam declarans Psellus, hæc loquitur ad uerbum: Non sustinet Mens paterna, cupiditates, impetusq; uoluntatis animæ, dum permanserit in obliuione eorum, quibus ditissimè locupletata fuit à πανάγαθου πατρὸς, patre omnium bonorum, & donec peruenerit ad recordationem sacrorum signorũ, quæ accepit ab eo, ediderit q; uocem gratificantem, gratias agentem, adhibita recordatione symbolorum patris, qui eam creauit. constat enim anima ex sacris rationibus & diuinis symbolis, quæ sunt ab intelligibilibus formis, symbola uero à diuinis & unitatibus: ac sunus imagines quidem intelligibilium substantiarum, simulachra uerò incogni-

τὸ incognitorum συνθημάτων ſignorum aut ordinum. Oportet autem & hoc noſſe, quòd omnis anima, ab omni anima ſecundum ſpeciem differt, & quòd quot ſunt animæ, tot ſpecies animarum. Hæc Pſellus. cæteraq; ſunt perſpicua. Quas autem intelligibiles ſubſtantias, ac diuinas unitates dixit, arbitror eum iuxta cæteros Platonicos & Dionyſium Areopagitum ſentire, Deos ſiue Angelos, quos uocant priores νοητοὺς, ſecundos νοερούς: prioresq; item Platonici uocant θείας ἑνάδας, putantes has eſſe ideas, ad quas uelut ſimplices unitates, omnia reuocentur. Quod an uerum ſit, poſtea diſquiretur. Horum imaginem eſſe docet animam noſtram. Similis eſt enim angelus & homo, uterque imago Dei. Cætera quoque quæ de anima Philoſophatur Pſellus, quoniam non ſunt huius loci, prætereo: tantùm oſtendo, nunc oraculum loqui de Mente Dei, uel Patris, quæ ſæpe Mens ipſa, cùm nobiſcum eſſet, eſt locuta, cohortans ad memoriam, & amorem Patris ſui, et quòd oporteat eum diligere, eius meminiſſe, collaudare. quale uates hortabatur animam ſuam, Benedic anima dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Oraculum nunc loquitur ad ipſam animam, ut ſit Patris ac Creatoris ſui memor, alioqui nihil fore gratum quicquid ſtuduerit. Hæc uerò eadem apud Mercurium Triſmegiſtum reperta, magis ſtuporem incutient, erumpereq; cogent in laudes ſanctiſſimæ, clementiſſimæ, ſempiternæ Mentis: quæ ſicut Chaldæis ſeipſam reuelauit, ſic ab Aegyptijs ſe non abſcondit.

De Mente, Prole diuina, ex Mercurio Triſmegiſto: Eademq; Creatrice animi humani, ſicut, ex Chaldæo Philone. Cap. VIII.

VT agnoſcas, omnia undequaque ad ueritatem prædicandam ſecula, gentes omnes facere concurſum, audienda ſunt quæ de Mente hac loquitur Mercurius Triſmegiſtus. Vbi dixerat, quòd cum Pater ſit Mens, genuit alterã Mentem opificem, ut declarabitur poſtea: hanc ipſam mentem opificem ſibi ipſi Mercurio, cui apparuerat, ſicut apparuit Adæ, Abraham, Moſi, multisq; alijs diuinis patribus, ſic inducit loquentem in Pimandro, qui liber eſt notiſſimus, neminiq; cordato dubium quin ſit Mercurij: παραγίνομαι ἐγὼ ὁ νοῦς τοῖς ὁσίοις καὶ ἀγαθοῖς καὶ καθαροῖς, καὶ ἐλεήμοσι τοῖς δυσεβοῦσι, καὶ ἡ παρουσία μου γίνεται βοήθεια, καὶ εὐθὺς τὰ πάντα γνωρίζει, καὶ τὸν πατέρα ἱλάσκονται ἀγαπητικῶς, καὶ εὐχαριστοῦσιν εὐλογοῦντες καὶ ὑμνοῦντες τεταγμένοι πρὸς αὐτὸν τῇ σοργῇ: Quæ ſunt, Accedo ego Mens ad ſanctos, et bonos, et puros, et miſericordes, et Pios, & præſentia mea eſt auxiliũ, et ſtatim omnia cognoſcunt, et Patrẽ inuocant propitiũ cum dilectione, et gratias agũt benedicentes et laudantes coniuncti cum ipſo in charitate. Hæc et alia multa, quæ longum eſſet referre, Mercurius. Habes Mentem de Patre, ac genitore loquentem, ad quem ait ſe adducere bonos & pios, ſe ducem eſſe ad Patrem, ac paternam charitatem. Nil aliud prorſus, quàm quod loquitur eadem Mens ſumpta humana figura apud Theologum noſtrum Ioannem: Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo,

hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Et, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Et, Hæc autem uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quẽ misisti Iesum Christum. Ecce apud utrunq; dilectio erga patrem, collaudatio, benedictio, ad quam inuitabat olim, pòst nostra imagine sumpta Mens ipsa, & de qua dixit Chaldæus, quòd non est ei grata ulla actio, quæ sine recordatione Dei fiat: & quòd ea polluta, & impura sit anima, cui nulla Dei sit memoria. Inuitamur ergo à tribus maximis Theologis, duobus antiquissimis, altero iuniore, ad cultum, charitatem, memoriamq; Dei. Apud secundum & tertium loquitur Mens ipsa: apud primum loquitur alius de ipsa. Apud omnes est nomen patris, & ipsa Mens loquitur de patre. Chaldæus eum uocat Mentem paternã. Nouissimè autem ubi multa apud Mercurium dixisset, respondit Mercurius, εὖ μοὶ πάντα, ὡς ἐβουλόμην ἐλί-ξαξας ὁ νοῦς: Bene me cuncta ut uolui, docuisti ô Mens. Nulla igitur superest dubitatio, & admiratio, unde Platonici, & ante Platonem multi alij, unde Anaxagoras, & quos Plato dixit, Mentẽ extulerint laudibus, celebrauerint, nominauerint. Omnes item ante Platonem Theologi, pòst ipse Plato & Aristoteles cum tota familia, creationem, ordinemq; rerum Menti dabant. Chaldæus autem proprius accedens, creatum hominem à Mente confessus est, ut antè monstratum est. Philo item hanc Mentem declarauit animi nostri creatricem. Similia igitur audies apud Mercurium, clara, aperta, exposita, luculenta, ut præ gaudio ne lachrymas quidem continere queam: ὁ δ' ἐ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ, καὶ φύσις, ἀπεκύησε γὰρ ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον ἑ ἠράσθη ὡς ἰδίῳ τόκῳ. Paulò pòst: ἐγὼ δὲ αὐξήσας αὐτὸς μαθοδιδάσκαλος ἐγενόμην τοῦ γένους, οὓς λόγους διδάσκω, πῶς καὶ τίνι τρόπῳ σωθήσονται, & ἔπεισα αὐτοῖς οὓς τῆς σοφίας λόγους, καὶ ἐτρόφησα ἐκ τοῦ ἀμβροσίου ὕδατος. Mens autem omnium pater, cùm sit uita & natura, peperit hominẽ sibi similem, quem dilexit tanquã propriam prolem. Ego, inquit, eadem Mens, excitatis eis dux sum generis, docens uerba quo modo, & qua ratione seruẽtur, & inserui eis rationes sapientiæ, & nutriui ex immortali aqua. Quanta similitudo eorũ, quæ nunc Mercurius, cum his, quæ paulò antè Chaldæus? Symbola dixit ille Mentem animis inseruisse, σύμβολα πατρικὸς νόος ἔσπειρεν ταῖς ψυχαῖς: Mercurius autẽ eodẽ uerbo, ἔσπειρα αὐτοῖς τοὺς τῆς σοφίας λόγους: Chaldæus, cæteriq; omnes creationẽ, rerumq; cunctarum dispositionem Menti attribuerunt. Haud secus Mercurius apertè clareq;, omnia Mosi similis: ἀὴρ δὲ πετεινὰ ἤνεγκε, καὶ τὸ ὕδωρ νηκτά. ἀπεχωρίσθη δ' ἐ ἀπ' ἀλλήλων ἥτε γῆ καὶ τὸ ὕδωρ, καθὼς ἠθέλησεν ὁ νοῦς. Aër, inquit, extulit uolucres, aqua natates. Factaq; est separatio ab inuicẽ terræ & aquæ, quemadmodum uoluit Mens. Quem ergo Moses dixit aridã ab aquis separasse, iubentẽ dicentemq;, ut congregarentur aquæ in unũ locũ, & arida appareret, & qui iussit aquas producere genus omne animantũ, ecce fuit Mens, rerũ creatrix: quod Anaxagoras

xagoras, Plato constanter asseruerunt: apud Mercurium enim cæterosq; barbaros hæc legerunt Græci. Ecce quàm diuinè conformat sese Philoni Mercurius, imò tota sibijpsi uetustas respondet. Duas Mentes inducit Philon, alterã supra nos, alterã nostram, quæ supra nos, nostrum dicit esse archetypum, nos ad similitudinẽ eius esse creatos. Idq; deducit ex libro Mosis, quam Mentem Mercurius, ipse λόγον, Verbum appellans, quod idem est, ut postea uidebimus.

De eadem Mente ex oraculis item Chaldaicis, ꝙ sit creatrix, ꝙ spectaculũ Deorũ. Cap. IX.

DE hac ipsa Mente extat apud Chaldæos mirabile mysteriũ, & oraculum, quod profertur à Proclo, licet ab eo non tam propriè explicatũ: πολὺ γὰρ μόνος ἐκ πατρὸς ἀλκῆς ἐσσάμενος νόον ἄνθρωπος ἔχει τὸ νοεῖν πατρικὸν ἦτορ ἵν' ἐλάσσῃ πάσας πηγὰς τε καὶ ἀρχὰς ἵν' τὸ νοεῖν, ἀέτε μηήμῃ ἀόνῳ προφαλιγγι. Quæ sunt, Solus decerpens ex uirtute paterna, Flos Mentis, posidet ipsum intelligere, paternamq; Mentẽ indere omnibus fontibus & principijs aut principatibus, & ipsum intelligere, seq; manere impigra conuersione. Hoc oraculum, licet obscurius, qui oraculorũ, mysteriorumq; mos est, sciendũ, Florem Mentis uocare principem, egregiã, eximiã, præcellentẽ Mentẽ. Quemadmodũ Græci & nostri, florem, & decus, eminentissimũ quemq; nuncupant, sic præcipua, eminentissima, reginaq; Mens, flos Mentis. Eadẽ hìc, & superius paterna Mens. Hæc ex uirtute paterna dicitur habere sapientiã, sensum, ipsum intelligere. Est enim sapientia patris sui. Philo perhibet repleuisse eã patrem ideis æternis, originibusq; rerũ, & gignere eum sapientissimã. Eandẽ hanc reginã paternamq; Mentẽ, ait, accepta paterna uirtute, in cæteros diffundere sapientiã, quos ipse uocat fontes et principatus, aut principia, nimirum diuinos ordines Angelorum, qui & in nostris literis Principatus appellantur, fontes quidem, quod sciam, nunquam: Nisi fontes dictos uelis quemadmodum ἀρχαὶ, principia, principatus, capita, non origines rerum, ut male creditur à nonnullis Platonicis, nisi quantum habuerint à Deo facultatis. Ab ipsa igitur paterna, reginaq; Mente dicit dari Angelis (quod sapientissimus Paulus testatus est, & Plato) ipsum intelligere, ipsum esse, & permanere, semperque flecti sese ad ipsum Deum, diuinam, sempiternamque eius uenustatem: Circunstant animi dextra, læuáque frequentes: Nec uidisse semel satis est, iuuat usque morari: Expleri nequeunt: Certatim properant illum sine fine tueri. Hoc appellat Chaldæus ἄσονον προφάλιγγα, impigram conuersionem, conuersionem uehementem, accensam, ardentem. Proinde dicuntur etiam Seraphim ardentes, amore flagrantes. Explicantúrque hoc oxaculo, quæ prædicauit sublimis Paulus, quòd per ipsum condita sunt omnia uisibilia, & inuisibilia, omne Deorum genus, Throni, dominationes, principatus, quos etiam Chaldæus appellat πυγὰς, ἀρχὰς. Mercurius asserit ab eo creata animalia, terram ab aqua, ut ipse optasset, seq; paratam, creatum hominem sui similem, insertas animo nostro sapientiæ rationes, uocari nos ab illo, adducique ad Patrem. Chaldæus autem & satorem mundi,

ſatorem animarum, & Angelorum, Deorumq; . Cæteri Aegyptij Solis, aut lucis creatorem: Theologia profectò per omnia ſecula luminoſiſsima: ut qui putet hanc mundi nunc, aliquando non fuiſſe religionem, ac ſapientiam, miretur q; Patris, ac Filij traditam terris uti nouam religionem, non ſit admiraturus, cognita diligenter, probeq; explorata uetuſtiſsima Theologia. In cuius apud omnes gentes mirabili, ſtupēdaq; concordia, nemo erit modò ſolers, modò non peruicacia, aduerſorumq; dogmatū dura perſuaſione irroboratus, qui non miretur, Deum æternū collaudet, fateatur, noſcatq; parentem beneficum, qui ſe totum nobis oſtenſurus, qui uarias prius apud homines ſui, obſcurasq; uiſiones feciſſet: uenit ipſe, uerſatusq; eſt aliquādiu nobiſcū, ut nos in æternū cū eo lætaremur. Eoq; in die iudicij nulla ſupererit excuſatio. Semper enim qualicunq; ratione cognitus eſt: uoluntasq; eius, ut recte uiuamus: poteſtas, quòd per eum creata ſint omnia, quòd ipſe fuerit origo noſtra, ſemper celebris ac nota fuit. De hac item Mente, audire operæpretium mirabile profundiſsimumq; myſterium, cuius omnis noſtra poſtea Theologia, quæ melius et aptius uetuſtam Theologiā declarauit, fuit explicatio. Adducitur hoc oraculum à Platonicis. Νοήσας γὰρ πατρικὸς νόος αὐτογενέθλος, πᾶσιν ἐνέσπειρεν δεσμὸν ἀθανάτοισι, καὶ ἔρωτος ὄφρα τὰ πάντα μένῃ χρόνον εἰς ἀπέραντον, ἐρῶντα. Cogitādo paterna Mens, quæ eſt per ſe generatrix, et intelligendo, omnibus inſeruit uinculū igne graue, amoris, ut cuncta permaneant tempus in immenſum, amantia. Hæc uerè diuina, cœlitusq; miſſa uox, primū nominat, ſibi conſtans, Mentē paternam, Mentē Patris, cui Pater eſt. Eū appellat per ſe Genitricē: quod ſcilicet cōcorditer omnis et indefeſſe clamat Philoſophia, Mentem rerū principiū fuiſſe, cuncta de nihilo, tantū ex originibus illis æternis, quarū ſimplex unitas eſt ipſamet, produxiſſe. proinde dicitur ab alijs αὐτόσοφος, per ſe ſapiēs: αὐτοτελὴς, per ſe perfecta: πρωτόγονος, primogenita, id eſt, tū ante omnia ab æterno generata, tum ipſa prima rerū generatrix, origo prima, Eandē dicit ſola cogitatione (quod dogma noſtrū, et Platonicorū eſt) produxiſſe, procreaſſe, inſeruiſſe rebus uinculū amoris, uinculū igneū, quo ſe cuncta amantia, inuicēq; adhærentia, in omne tēpus perdurarent. Hoc uinculū eſt primū in animantibus miſcendorū corporū mira libido, ut Philoſophus Græcus, & Latinus tradit: ex quo perennis exiſtit generatio, nullo unquā tempore amore deferbente, ſeſe in cunctis animantibus fœmina, marcq; appetentibus. Quod Ariſtoteles confitens à Deo repertum, profecto confitetur ab illo, quo Chaldæus, id eſt, Mente filia Dei, rerum inuentrice. Id enim ipſe dixit in Politicis: ἅμα ἡ θεία φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῷ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν ἄπειρον ἀδύνατον, ἀλλὰ κατὰ τοῦτο τὸ εἶδος. ὅτῳ προωκονόμηται οὕτω τοῦ θείου, ἑκατέρα ἡ φύσις τοῦτ' ἀνδρὸς, καὶ τὸ γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν, Quod eſt, Simul autē et natura replet hac circuitiōe, et reditu, ut ſit ſempiterna: quādo nō ſecundū numerū, ſed ſecundū ſpeciē tantū id fieri poterat. Sic puiſa fuit à Deo natura maris et fœminæ ad coniunctionē. Eadē hæc in li-

bris

bris de Generatione et interitu, Cùm cuncta, inquit, corruptibilia eſſent, quoniã plurimum ab eo, quod primum eſt, aberãt, τῷ λοιπομένῳ πρόπῳ σωτερπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς, φθορᾶς ποιήσας τὴν γένεσιν: reliquo, qui ſupererat, modo repleuit uniuerſum Deus, faciens generationem perennem. Hæc ille, ſcilicet ut generarent omnia mutuis amoribus, ſeſe inuicem ardenter amantia. Quod à Mente diuina factum Chaldæus prædicat, uocans id uinculum πυρίβριθῆ, igne graue, inflammatũ. Eoq; ut apud Philonem uidebis in libro de Mundo, Verbum Dei eſt δεσμὸς ἄῤῥηκτος, uinculum indiſſolubile totius mundi: quoniam non animantis ſolùm ſed etiam inanimis inſeruit amorem æternũ, quo ſeſe mutuo deperirent. Is amor tam mirabilis eſt in arboribus, & herbis, in elementis, aqua, igni, terra, aëre, quam in animalibus. Nec fuit aliud quod Moſes factum prodidit à Deo, Producat unumquodque iuxta genus ſuum. Idcirco & Theologus noſter, Manus tuæ fecerunt me: &, Sicut lac me coagulaſti. &, Antè & retrò formaſti me. cæteraq; multa. quoniam ille & formas aptas inuenit, et amorem addidit ambobus. Videsq; ut mirabiliter conſentiant qui religionem Chriſtianam pluſquam annorum duo pene milia antecceſſerint.

De eadem Mente, ex Mercurio, & Platonicis, omniq; eius diuinitate: & quod ſit mundi creatrix, & Idea mundi, ipſeq; mundus archethypus. Cap. X.

DVO quoq; extant alia diuina, & ſapientiſſimo cuiq; admiranda teſtimonia de Mente: alterum apud Mercurium Triſmegiſtum, alterum apud Platonicos. Primus Triſmegiſtus, eam illam Mentem Anaxagoræ et Platonis, quam teſte Ariſtotele dixit Anaxagoras ἀπαθῆ, impaßibilem, Plato ὁλενῖ μεμιγμένον, nulli rei admiſtam, docuit Græcos, ut nomina & proprietates eas et attribuerent, in eo qui inſcribitur Aſclepius: Τὸ οὖν ἀσώματόν τι ὄν; νοῦς ἢ λόγος ἢ ὅλου ἕως τοῦ ἐν περιέχων ἐλεύθερον σώματος, πάντως, ἁπλανὴς, ἀπαθὴς σώματος, ἢ αὐαφὴς: αὐτὸς ἢ σαυτῷ ἐστὶ, χωρητικὸς τῶν πάντων ἢ σωτὴρ ὢν τῶν ὄντων. ὃ ἀκτῖνες εἰσὶ τὸ ἀγαθὸν, ἡ ἀληθείας, τὸ ἀρχέτυπον φῶς, τὸ ἀρχέτυπον ψυχῆς. Quæ ſunt, Quid igitur eſt incorporeum? Mens, inquit, et Verbum, quæ ſeipſam ex uniuerſo ab omni corpore liberam ſuſtinet, & continet: Inerrabilis, impaßibilis à corpore, & intangibilis: ipſa ſeipſa ſtãs, capax omnium, ſeruatrixq; rerũ: cuius radij ſunt bonitas, ueritas, lux exẽplaris, exemplar animæ. Hæc Triſmegiſtus: quibus clariora, diuinioráq;, ne ſi angelus quidem loqueretur, enarraret. Is ut apparet fuit fons Græcæ Philoſophiæ, inde Theologiam hauſerunt, hinc aſciuere uulgatam celebremq; Mentem illam, rerum originem, & cauſam, cui dabant ſapientiam, inuentionemq; omnium rerum, eam perinde, ut merita eſſet deſcribentes, prædicantesq; inerrabilẽ, ut plena eſſet ſcientiæ, ſolertiæ, prudentiæ, cuius omnis inuentio, ut in Phædone dicit Socrates, nõ poterit eſſe, niſi bona, ſolertiſſima. Eſt enim, inquit Triſmegiſtus, infallibilis, non poteſt falli, & decipi. Deinde nullis corporeis adiumentis ſuſtinetur, nulla corporea ui uiuit, agitatq;

æuum, non indiget corpore, quod corruptibile est, sed ab omni corpore libera, & expedita, sustinetur seipsa, sua sapientia, incredibili potestate naturæ suæ. Neq; potest ullum à corporibus accipere detrimentū, ut quam corpora nequeant attingere. est enim intacta. Cumq; sit huiuscemodi natura, est capax omnium rerum, et conseruatrix omnium: In ea enim uiuunt, & subsistunt omnia: secretum, arcanumq; uinculum, & conseruatio est cunctarum rerum. Nec potest tuendis rebus fatigari: quoniam tam uasta est, non quidem corporea mole, et uastitate, sed sapientiæ et solertiæ, ut omnia capiat, ubiq; adsit. Ab hac, inquit, Mente, tanquam luce immensa, fulsere radij bonitatis & sapientiæ, ac ueritatis omnes. Hinc emicuit quicquid rerū ubiq; est, quicquid boni, quicquid ueri. Propterea fuit archetypa lux: ea nēpe lux, quæ tanquam regina, materq;, omnia creauit. Ab ea accensa sunt lumina cœlestia. Hoc uocatur à Philone Iudæo παναύγεια, dicas licet omniluminis, ingens omnis lucis regio, sedes, ipsamet origo lucis, à qua lux omnis corporea, & incorporea manauerit. Eoq; etiam archetypum animæ, ut superius omnes confitebantur. Ipsamet creauit hominem, ciq; fuit uelut archetypum, formans eum ad imaginem suam. Hanc ob causam autore Philone sunt duo λόγοι, duæ rationes, duæ Mentes: alera supra nos, exemplar rationis nostræ: altera nostra ipsa. Ibiq; aperte Philo confessus est, credo ab his libris Trismegisti imbutus, Verbum archetypum, creatorem uerbi nostri, id est, rationis nostræ, mentis, animæ. Descripsit igitur nobis Mentem Mercurius, eam ex profundissima sapientia appellans etiam λόγον, Verbum, cuius uocis plena est Theologia Philonis & Platonicorum, ut uidebis, descendens, oriensq; à priscis seculis, reuelata ab ipsomet Verbo, qui se Mercurio, multisq; alijs priscorum detexit. Constatq; hæc uerè priscum illum Mercurium locutum: quoniam sunt etiam à Platone, Platonicisq; omnibus usurpata, librisq; eorum celebria. Idem Mercurius in eo qui inscribitur ἱερὸς λόγος, loquens de creatione, exordiensq; quasi genesim, hæc ait: ἄρχὴ τῶν ὄντων ὁ θεὸς, καὶ ὁ νοῦς, καὶ φύσις καὶ ὕλη: Principium rerum Deus, & Mens, natura & materia. Ecce quod perhibet Laërtius Platonem dixisse, mundum creatum à Deo, appellassēq; Deum νοῦν καὶ αἴτιον, Mentem & causam, acceptum ex Trismegisto. Deus igitur & Mens idem sunt. Hæc fuit principium omnium, quod tot alij fatebantur superius. Hunc omnes una uoce hominis creatricem, Mentem, nunc mundi declarantes, consultantes. Duo igitur principia rerū ueteres statuerunt, alterum agens Mentem, Deumq;, alterū admittens, et patiens naturam, uel materiam. Priscorū Theologia, ut ubiq; uidisti. Platonici quoq; iuxta uetustā hanc Theologiā dicunt, τὸ πᾶν ἐκ νοῦ καὶ ἀνάγκης εἶναι, τοῦτο πείθοντος τοῦ ἀνάγκην, τοῦ δὲ ἀνάγκης πρὸς τὸν νοῦν ἐπιστροφήν, Vniuersum ex Mente, et necessitate esse, Mente persuadente, et cogente obedire necessitatē, necessitate autē obsequente et ad Mentem se conuertente, cāq; sequente. Hæc prior Plato in Timæo, in hunc modū loquens, paucis exceptis: Sed & quæ à necessitate, inquit, fuerunt, adhibere oportet. Mista enim

mundi

mũdi huius creatio ex neceſsitatis, ac Mentis conſtitutione fuit: ſed Mẽte imperante neceſsitati, ut ſibi parerent quæ fierent, haberentq; optimè. Sic igitur neceſsitate uicta, et coacta ab Intelligentia, et imperijs Dei, hoc omne conditũ eſt Obſeruandũ quoq;, perſpicaciterq; animaduertendũ quod refert Proclus, Theodorũ Platonicũ apud Porphyriũ inueniſſe opinionẽ, quaſi allatã ex Perſide: δύο νόας πρὸ αὐτῆ θέντες, τὸν μὲν ὅλων τὰς ἰδέας ἔχουσαν, τὸν δὲ τῶν μερικῶν: Duas mentes ante animã eos ſtatuiſſe, quarũ altera contineat ideas uniuerſorũ, altera particularium. Sunt enim hæc ea, quæ dixit apertius Philo eſſe δύο λόγους, duo uerba, duas rationes, alterã archetypã, alterã noſtrã. Dabant autẽ magnæ Menti, ut creatrici, ideas uniuerſales, quod Plato in Timæo et Mercurius in Pœmandro, et Timæus Locrenſis: minorẽ autem Mentẽ, quæ noſtra eſt, particularium rerum dicebant tenere ideas. Hæc Theologia uenerat à barbaris. Quanquã fieri poſſit, ut duas Mentes potius ſentirent eas, quas in primo oraculo demonſtrauimus. Omnia, inquit, perfecit pater, et tradidit Menti ſecundæ, quã uocant primã omne hominũ genus. Longè autẽ clarius, & uerbis plenioribus, aureaq; prorſus, et cœleſti oratione locutus eſt in ſermone tertio ad Aſclepiũ Mercurius de hac Mente: uidebis clarã Theologiæ Græcæ, et omniũ Platonicorum originem. Profertur etiam à Diuo Cyrillo: Οὐ γὰρ ἐφικτὸν ὄντι εἰς ἀμυήτους βιωτὰ μυστήρια πῆξαι χαρτῷ, ἀλλὰ τῷ νοὶ ἀκάσαντι. ᾧ μόνον ἦν φῶς νοερὸν πρὸς φωτὸς νοεροῦ. ᾧ ὄντι ἀεὶ νῦς φωτεινός. ᾧ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ ἓν τόδε ἑνότης, ἀεὶ ᾧ ἑαυτῷ ὤν, ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νοὶ καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα πορίζοντι. ἐκτὸς τούτου ὁ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐ δαίμων, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. πάντων γὰρ ὄντι κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ πηγὴ, καὶ ζωὴ, καὶ δυνάμεις, καὶ φῶς, καὶ νῦς, καὶ πνεῦμα, καὶ πάντα ᾧ αὐτῷ, καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐστιν. Quæ ſunt, Neq; enim fieri poteſt, ut eiuſmodi myſteria tradas apud profanos, necdũ initiatos. ſed animo audite, Vnũ ſolũ erat lumẽ mẽtale, ante lumen mẽtale: et eſt ſemper Mens illuminata, aut luminaris: & nihil aliud erat, q̃ iſtius unitas, ſemper in ſe ipſo exiſtẽs, ſemper ſua mente, et lumine, et ſpiritu omnia cõtinet. Poſt pauca addit Mercurius: Extra hũc, nõ Deus, nõ Angelus, nõ Dæmõ, nõ ſubſtantia, nulla alia. Omniũ enim eſt dominus, et Pater, et Deus, et fons, et uita, et poteſtas, et lumẽ, et Mens, et ſpiritus, & omnia in ipſo, et ſub ipſum ſunt. In his Triſmegiſti uerbis cernitur unde Plato myſteria ſua potarit. Vt autẽ Plato in Epiſtola de myſterijs ijſdẽ locuturus præfatus eſt, ſe per ænigma loqui uelle, ne uenirẽt ad manus imperitorũ quæ ſcribit, et non intellecta contemnerent: eadẽ præfatione uſus eſt Triſmegiſtus, & Orpheus ſimiliter. Dicam queis fas eſt, claudatur porta profanis. Primumq; apud Triſmegiſtum ſunt hæc nomina paterna, ut etiam apud reliquos omnes Theologos, Vnum lumen mentale, ante lumẽ mentale. Sicut igitur Chaldæus duas Mentes docuit, quarum ſuperior et prior genuiſſet ſecundam: ſic Mercurius duo lumina mentalia, duas Mentes luminoſas, Mentes luminis plenas. Prima eſt ipſa Vnitas. Iam enim ſæpe uidimus, & uidebimus, Vnum dici ipſum æternum genitorem. Hoc unum & lumen eſt, & non eſt lumen corporeum,

ſed

ſed lumen mentale, lux alterius generis, quàm quæ cernitur corporeis oculis. Eſt autem hoc mentale lumen ſupra, uel ante aliud lumen mentale. Duæ luces, altera prior, altera ſecunda, uel poſterior. Fuit ſemper hoc lumen, ſiue primum, ſiue ſecundũ. Et nihil aliud fuit utrunq; lumen quàm una coniunctio, una aſſociatio. Nec aliud fuit ab æterno, quàm luminis huius coniunctio, & unitas, ſummáq; unio. Ante omnia ſecula fuit ſemper in ſe ipſo. Creato autem mundo, continet omnia nõ manibus, ſed diuinitate mentis ſuæ, & ſpiritu, ſiue ſapientia ſua. Præter hunc primum, & ſecundum non fuit aliud ab æterno, nõ Deus ullus, aut Angelus, non qui ſecundum locum obtinens dæmones, non ſubſtantia. Quæ neq; fuerunt ab æterno, neq; dici poſſunt eſſe, quibus non ſit uerũ eſſe. Eſt Deus ipſe & hæc ſunt nomina eius. Item alijs locis de eadem locutus eſt Triſmegiſtus, in Pœmandro, ubi uiſionem qualem uidit in rubo Moſes expoſuiſſet, emiſſamq; uocem, cuiuſmodi item audiuit Moſes, & ut apud Moſem ille idem dixit, Ego ſum Deus patrum tuorum, ego ſum, qui ſum: ſic apud Triſmegiſtum, ſeipſum declarans dixit: Ἐγὼ μή φησίν εἰμι ποιμὴν πάντων ὁ παντοκράτωρ νοῦς. Paulò pòſt. Τὸ φῶς ἐκεῖνο ἔφη ἐγώ νοῦς ὁ σὸς θεὸς πρὸ φύσεως ὑγρᾶς ἦν ἐκ σκότους φανείσας. Ego, inquit, ſum Pœmander, id eſt, Paſtor humani generis. Id enim uidetur deſignare, Mens autoritatis. Illud lumen, inquit, ſum ego Mens. Deus Tuus, qui eram ante humentem naturam, quæ ex tenebris apparuit. Hæc grandia ſublimiáque effatur Triſmegiſtus myſteria. Primũ ẽum Mens, ſe Mentẽ autoritatis appellat. Autoritatem enim dixit patrem, qui primus eſt, & ante omnes, maior etiam ipſa Mente, quatenus genuit eam, dediq; ei poteſtatem: ſed non maior, quoniam æqualem ſibiq; coæternam genuit. Ipſe igitur eſt autoritas, primatus, principium, caput, primum eſſe, natura bonitatis. Huius eſt Mens, ut dixit Chaldæus, toties appellans eam πατρικὸν νόον, Mentem paternam: in noſtra Theologia, Sapientia Patris. Deum quoq; ſeipſam prædicat eadem Mens, ſicut apud Moſen. Etiam ſe ante humidã naturam gloriatur extitiſſe. Hic ſublime, mirabile myſterium Eſt enim humida natura, quod apud antiquos Chaos, à fuſione, humiditate, terra, aqua, commiſta, hyle, id eſt, literis inuerſis ἰλὺς, limus, humus. Eſt terra inanis & uacua, uel ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, inuiſibilis, & incompoſita. Ante hanc, quæ fuit rerum primordium, initium, embryon, ſemen, fundamentum, inchoatio totius mundi ex terra & aqua, gloriatur Mens ſe fuiſſe. Ergo hæc illa eſt, quam Solomon appellans Sapientiam, inducit eam loquentem, ſicut loquitur apud Triſmegiſtum: Dominus poſſedit me in initio uiarũ ſuarũ, antequã æthera firmaret ſurſum, & libraret fontes aquarũ, cæteraq; de creatione. Apud Solomonẽ prædicat ſe poſſeſſam à Domino: apud Triſmegiſtũ, prædicat ſe eſſe Mentẽ autoritatis: apud Chaldæũ, Mens patria: apud noſtros, Sapientia Patris. De quo igitur Moſes, cùm rerũ deſcriptionẽ inchoans dicit, In principio creauit Deus cœlũ & terram: &, Qui ferebatur ſuper aquas: &,

Qui

Qui præcepit luci, ut emergeret: innuit istam Mentem, quæ fuit antea quàm fieret cœlum, & terra, ante humidam materiam, & inchoamentum, primordiumq; totius mundi. Sic item in eo quem uocat ὑμνωδίαν, hymnum, cantum, gratiarum actionem, uersus erga creatorem suum loquitur: Σὺ ὁ πατὴρ, σὺ ὁ κύριος, σὺ ὁ νοῦς: Tu es pater, tu Dominus, tu Mens. Cuncti igitur Mentem nuncupantes, creationē sentiebant: partaq; omnia eius sapientia monstrabant. Eoq; est oraculū apud Platonicos ex antiqua Theologia, νῦ μὲν γὰρ μίμημα τὸ πᾶν: Hoc uniuersum, inquit, est Mentis imitatio. Est, inquit, uniuersum, à Mente depromptū, formatū à Mente, uelut opifice. Mirabile uerò argumentū et indicium, Mercurium, Aegyptiosq; de Mente Verboq; Dei conditore mundi, hæc mysteria prodidisse, ex Plutarcho, in eo, quem inscripsit de Iside, & Osiride, siue de Theologia Aegyptiorum. Ait enim in eorum arcanis fuisse fabulam (mos enim priscæ Theologiæ fuit, fabulis inuoluere ueritatē) ὅτι καθ' ἑαυτὸν ὁ θεὸς νῦς καὶ λόγος, ἐν τῷ ἀοράτῳ καὶ ἀφανεῖ βεβηκὼς εἰς γένεσιν ὑπὸ κινήσεως προῆλθεν, Quòd Mens et Verbum Dei, cùm esset per se in inuisibili, & in abdito, processit mota ad creationem, uel mouit se ad creandū. Agnoscis omnes ex uno fonte per omnē mundū sparsos ueritatis riuos? Si scire cupis, quis fecit eam, quæ dicitur Genesis, quam scripsit Moses (Deus autem fecit) qua continetur generatio cœli, & terræ, cœlestium, ac terrestrium, autoribus Aegyptijs, fuit Mens, fuit Verbum Dei, inuisibile, regnans in arcanis diuinitatis suæ. Manēbat in secreta, inscrutabili diuinitatis suæ caligine: &, quod ait magnus Theologus noster, Erat apud Deum coniunctissimus illi, in sinu eius. Processit ad creandum, ad generandum. Ergo is est, de quo Moses, In principio creauit Deus cœlum & terram. Hæc est Genesis facta testibus Aegyptijs, à Verbo, à Mente diuina. Quæ sicut Græcè dicta νοῦς, Mens, λόγος ratio: sic Hebraicè, spiritus, sapere ipsum, ipsa sapientia, uita. Ex his fontibus arbitror manant, quæ tam præclara Philo de Verbo Dei eodem & Mente canit, uocans eam similiter ἀόρατον θεοῦ λόγον, inuisibile Dei uerbum, opifex mundi: & ut ait Pindarus, ἀρίστοτέχναν, optimum artificem: Italicus autem poëta, magistrum æternum. Is est Verbum Dei, Mens, sapientia inuisibilis, arcana, abdita, postea quasi facta uisibilis, cuius mysteria supremo tempore, ipsa propius ad nos accedente, claruerunt. De hoc ipso Aegyptiæ Theologiæ princeps, quæ cæteri sacerdotes forte super his, quæ retulit Plutarchus, respiciebant, in Pœmandro locutus est: ὁ δὲ ἐκ νοὸς φανεὶς λόγος υἱὸς θεοῦ: Ex Mente uerò radians Verbum Filius Dei.

De Mente ex oraculo quoque Chaldæorum, & Porphyrio, et Proclo: & quod sit à Patre, quòd creatrix mundi: & quòd sit ea quæ dicitur ultramundana Mens. Cap. XI.

DEclaratur etiam à Philosophis Græcis, creditūrq; oraculū illud Chaldæorum, de Patre, & Filio fuisse locutum, quod primo loco prolatum est: è quibus est Psellus. Dicebat Chaldæus, Omnia perfecit Pater, & Menti, siue Intelligentiæ tradidit secundæ, quam uocat primam, omne humanum genus. Psellus autem Philosophus:

phus: τ῍ πᾶσαν κτῖσιν δημιουργήσας ὁ τ῍ τριάδος πρῶτος πατὴρ, πρὲ λοιπὸν ταύτῃ τῷ νῷ, ὃν τινα νῦν τὸ ξύμπαν γρύφ⊙ τ῍ ἀνθρώπων, ἀγνοοῦντες τ῍ παρ' ἡμῖν ὑπερχλὼ, θεὸν πρώτην καλοῦσι, πλὴν τὸ παρ' ἡμῖν δόγμα φαντίως ἔχει, ὡς αὐτὸς ὁ πρῶτος νοῦς, ὁ υἱὸς τ῍ μεγάλου πατρὸς τ῍ κτῖσιν πᾶσαν ἐδημιούργησεν. ὁ μὴ γὰρ πατὴρ λέγει πρὸς τῇ μωσαϊκῇ βίβλῳ πῶς τ῍ ἐμὸν, τ῍ ἰδίαν τ῍ πραγωγὴν τ῍ κτισμάτων, ὁ δ' υἱὸς αὐτὸς γὸς τ῍ ποιήματος γίνεται. Hoc eſt, Vniuerſam rerũ conditionẽ molitus primũ in trinitate Pater, tradidit Menti, quam Mentẽ, omne humanũ genus, ignorantes paternã excellentiã, Deũ primũ uocant. Verũ noſtrũ dogma in contrariũ habet: quoniam ipſa prima Mens, Filius magni Patris, omnẽ molitionem perfecit. Nam Pater in libro Moſaico, dictat Filio ideam productionis rerum: Filius autẽ ipſe per ſe operatur. Hæc Pſellus. Sed aduertat Pſellus hoc oraculũ nõ aduerſari dogmati noſtro, ſed undequaq; congruere, ſi recte quis intelligat & enodet. Confitemur enim ipſi Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, & Filium, per quem omnia facta ſunt. Hoc dogma Chaldaicũ ſentit, omnium autorem Patrem, primam fuiſſe, Filiũ autem ſecundum, iuſſum à Patre creare, aut qui uolente Patre, & qui eum omnipotentem genuiſſet, creauerit. Vtriuſq; creatio eſt, ſed Patris primum qui primus eſt. Idq; etiã eſt, quod prodidit Pſellus, Patrẽ dictare, proponere Filio ideã creationis, Filiũ autem operari. Primus ergo Pater fecit, in quo primo fuit idea et uoluntas, & fœcunditas creationis: Filius autem creauit, quia non fecit, niſi quod Pater uoluiſſet, fœcunditatem, totamq; in idea & fœcunditate paterna molitionem accepiſſet. Eſtq; creatio, prima mundi inuentio, quæ cùm in Patre primo fuiſſet placita, & cõcepta, decreta, & deſignata, etiam in Filio fuit, Patre donante: qui dedit ei poteſtatem in cœlo, & in terra, glorificauitq; Filium ſuum, gloria quam habuit, priuſquã mundus fieret. Hoc ſentit Chaldæus. Hæc ipſa item Mens eſt à Platonicis appellata ὁ ἐπέκεινα νοῦς, Mens ultramundana, ante omnia, & quod diuus, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. de qua Porphyrius in Propoſitionibus: περὶ τ῍ ἐπέκεινα νοῦ τ῍ μὲν νόησιν πολλὰ λέγονται, θεωρεῖται δὲ ἀνοησία μᾶλλον νοήσεως ὡς πρὸς τ῍ καθόλου λόγος. διὰ μὲν ἐγρηγορόσεως πολλὰ λέγεται, διὰ δὲ τ῍ καθεύδειν, ἡ γνῶσις ἢ ἡ κατάληψις. τῷ γὰρ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον γιγνώσκεται. ὅτι πᾶσα γνῶσις τ῍ γνωστὸν ὁμοίωσις: De Mente, inquit, ultramundana, aut ſuperna, ſecundũ intellectionem multa dicuntur. Cognoſcitur aũt & conſideratur ignorantia, quæ eſt omni cognitione melior. Sicut de dormiente. Nam per uigiliã multa dicuntur: per dormitionem uero fit notio & apprehenſio. Simili enĩ ſimile noſcitur: quia omnis notio, rei notæ eſt ſimilitudo. His innuit Porphyrius, quæ ſæpe noſter Dionyſius de negationibus in Theologia, Meliorem ſæpe ignorantiam in altiſſimis rebus quàm ſcientiam, negationẽ quàm affirmationem. Sacrum item ſilentium, quo colitur ineffabilis diuinitas. Tunc q; rectè Theologiam explicamus, cùm dicimus Deũ inſcrutabilem, inueſtigabilẽ, incomprehenſibilẽ, ineffabilẽ.

Hoc

Hoc à Porphyrio dicitur ἀνοησία, omni notione melior insciti a. Dixit itē Porphyrius per affirmationem multa de ea prædicari, ut quod sit omnipotens creator, opifex omniū. Sed esse rursum negationē (quæ si in animo sit, dicitur ἀνοησία) omni affirmatione meliorē. Pulcherrimum q; adhibet exemplum: Qui uigilant, de eo qui dormiat, multa disserere posse, multa super eo fabulari: sed notionē uerā dormitiōis & quid somnus tandē sit, quidue dormire, tunc fore perspicuū, si tu qui dormieris aliquando, didiceris, quid ipsum dormire sit: Sicq; melius sciri somnū p aliū somnū, quàm per uigiliā, quia simile simili perspiciatur. Sic de altissima & ultramundana Intelligentia, multa prædicari per notionē & scientiā, esse aūt insciti ā quandā somni similē, melius & dignius tacentē, tacendoq; intelligentē, quàm si loqueretur, & affirmaret. Quia supermundana Mens illa, mentes & sensus excedit omnes. His igitur Porphyrij documentis, declaratur æternæ Mentis, ac cæterarū discrimen. Sæpe enim & apud Mercuriū, & alios Philosophos, de mente nostra, & mente in cōmune fit sermo: sed separat ubiq; ipsa ratio, principē Mentem, genitricemq; aliarum, ab omni alia. Hæc princeps præcipuè dicitur, ὁ ἐπέκεινα νοῦς. De hac eundē Porphyriū siue Proclū par est locutum eodē libro, cùm ait: Omnis processus est ab eo, ad quem naturalis fit conuersio. Postea, quoniā à Mente, ut à principio, & origine cuncta nascuntur, infert: ἐκ δὴ τούτων φανερὸν ὅτι καὶ ὀρεκτὸν πᾶσι νοῦς, καὶ πρόσισι πάντα ἀπὸ νοῦ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος ἀπὸ νοῦ ἔχει, καὶ ἀΐδιος ἦ, καὶ διὸ ὁ πρόσιμι ἀπὸ νοῦ διότι ἀΐδιος. ὁ γὰρ ἀεὶ ὢν οὐκ ἐπέστραπται διόλου ἀεὶ τέτακται. ἀλλὰ καὶ πρόσιμι ἀεὶ, καὶ ἀΐδιος κατ' οὐσίαν, καὶ ἐπέστραπται ἀεὶ ἄλυτος καὶ τάξιν: Ex his, inquit, manifestū est, q ab omnibus desideratur Mens, et omnia procedūt à Mente, & omnis ornatus est à Mente, etiā si sit æternus. Neq; propterea non procedit à Mente, quoniā sit sempiternus. Neq; enim ob id non conuertitur, ac reflectitur, quoniam semper gubernetur, & ordinetur. Sed & procedit semper sempiternus, secundū substantiā: & conuertitur semper etiam indissolubilis secundū substantiā. Hæc ille sine dubio de Mente siue Sapientia ultramundana. Nec moror nunc, quæ de sempiternis ordinibus disputat: suis hæc locis perpendentur. Diuinæ quoq; naturā Mentis huius, ac potestatem explicuit, & assignauit Proclus in Theologia Platonica, ut secundo quoq; libro demonstrabitur: de qua sic loquitur: οἵδε αὖ καὶ τὰς τῶν ψυχῶν πολλὴν πρὸς ἄγουσι παρ' ἄλλης προσθυτέρας ἀρχῆς, καὶ νοῦν ἡγεμόνα τῶν ὅλων ὑποτίθενται, τέλος μὲν τὸ ἄριστον εἶναι φασὶ, τῷ πρὸς τὸν νοῦν δὲ ψυχῆς ἕνωσιν: Qui uero, inquit, multitudinē animarū producunt ab alio uetustiore principio, Mentemq; principē omniū decernūt, finem optimum esse dicunt, animæ cum Mente coniunctionē. Hæc Proclus, referens placita quorundam aliorum Platonicorum. Quibus nihil uenerabilius, nihil cœlestius. Mentem esse fontem, originem animarum, principiumq; maius, eamq; esse omnium principem, & imperatorem, ut est in epistola, & in Philebo. Eum autem esse finem optimum, ut uniatur copulenturq; anima cum principe Mente. Hæc enim

etiam

etiam nostra Theologia est, necesse est, ut sociemur, unumq; efficiamur cum illo, si beati uolumus esse. Pergit etiam Proclus, hæc ipsa melius de tribus principijs, quid Platonica sentiat Theologia, declarans: σωμάτων μὲν, ὥσπερ εἴρηται, καὶ ψυχῶν πατέρα τὸν νοῦν ἀναφαίνει καὶ αἴτιον, καὶ πάντα ἐκεῖνον καὶ ἐν, καὶ ἓν, καὶ φέρειν ὅλα τὰ ὄντα φησὶν ἐν διεξόδοις, καὶ αὐξήσεσι κόσμου. Corporum, inquit, quemadmodum dictum est, & animorum patrem & causam Mentem pronunciat Theologia Platonis: circaq; illã esse omnia, & operari, quæ uitam in processibus & explicationibus possideant. Sic ille. Aduerte igitur, quæ de Mente nunc sentire dicit Theologiam Platonicam Proclus. Innuit enim Epistolam ad Dionysium de tribus regibus, Mentemq; secundum esse ex illis imperatoribus, principijsq; tribus, circa quam omnia esse Plato fatetur. Sicq; est Filia summi Boni: quoniam summum Bonum est primus rex. & is primus rex & pater causæ, & principis in Epistola. Causa autem & princeps est Mens.

Quod Mens sit Deus opifex q; mundi: & quod ueteres Græciæ Philosophi id agnouerint: & de Ideis. Cap. XII.

QVòd Plato in Philebo dixit, non solum Anaxagoram, sed maiores fermè omnes, præcipuè prudentiores, dedisse Menti principatum, inuentionemq; rerũ, eamq; Deum, & causam declarasse, non modo tam multa superius testantur, sed etiam hi, quos autor est Plutarchus in Philosophia nobiles extitisse. Ac primum de Anaxagora. Is inquit corpora à principio constitisse: νοῦς δὲ θεοῦ αὐτὰ διεκόσμησεν, καὶ τὰς γενέσεις τῶν ὅλων ἐποίησε: Mentem autem diuinã hæc exornasse, omniumq; satus naturasq; fecisse. Quod ergo sensit Anaxagoras, à prior Thalete traditũ fuerat. Thales, inquit, sentit νοῦν τοῦ κόσμου θεόν: Mentem siue Intelligentiam Mundi, Deum. Pythagoras item hanc intelligentiam, seu Mentem diuinissimam agnouit, eodem autore, ut Deum quidem appellaret Monada, id est, Vnitatem: & τὸ ἀγαθὸν, ipsum Bonum, quæ sit natura unitatis. Quod à Mercurio prius proditum. Siquidem Trismegistus in eo qui inscribitur Crater (quod nomen, & rem imitatus est in Timæo Plato) dixit: ἡ μονὰς πάντων οὖσα ἀρχὴ ἐστὶ ῥίζα· καὶ ἀρχὴ οὖσα, αὐτὴ δ' ἀρχῆς οὐδεμιᾶς οὖσα μονὰς ὂν ἀρχὴ καὶ παντὸς ἀριθμοῦ ἐμποιεῖ, τοῦ μὲν γὰρ ἐμποιεχομένου καὶ πάντα ἀριθμὸν γεννᾶ, τοῦ μηδενὸς γινομένη ἑτέρου ἀριθμοῦ· Vnitas, inquit, omnium est principium, & radix. Cumq; sit principium (Nam sine principio nihil fit) omnem numerum continet, à nullo contenta: & omnem numerum gignit, à nullo alio numero genita. Hanc igitur, quam docuit Pythagoram Trismegistus Theologus Aegyptius, longeq; Græcis antiquior, Monada, siue Vnitatem, idem Pythagoras dicebat αὐτὸς ὁ νοῦς, quod sit ipsa Mens. Democritus etiam, qui plurimum aliàs delyrauit, νοῦν τὸν θεὸν: ἐμπυρωσθὲν τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν: Mentem ipsum Deum, igneam mundi animam dicens Democritus, igneam mundi animam Deum, habuit à Chaldæis, qui Deum priores ignem dixerant in sententijs Zoroastreorum:

ſtreorum: εἶσι πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα: Sunt ab igne uno omnia nata. Ignem inuiſibilem, noſtræ quoq; literæ Deum uocant. Ab eo ſic nata cuncta Chaldæi, ſic ut Democritus, quòd ſit anima mundi. Socratem & Platonem Plutarchus ait ſimiliter atq; Triſmegiſtum ſenſiſſe: τὸ ἓν τὸ μονοφυὲς, καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μονοειδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθὸν πάντα ἢ ταῦτα τῶν ὀνομάτων, εἰς τὸν νοῦν σπεύδῃ. νοῦς οὖν ὁ θεός. χωριστὸν εἶδος τοῦτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδὲν ἐν τῷ παθητῷ συμπεπλεγμένον: Ipſum Vnũ ſingularis naturæ, per ſe natum, ſingulare, ucrum bonum eſſe Deum: hæc q; nomina ſpectare ad ipſam Mentem. Mens igitur Deus, forma ſeparata: hoc eſt, nulla materia contamiata & concreta, nulli rei paßibili admiſta. Ecce quod Anaxagoras ſuperius, & quod de eo prodidit Ariſtoteles. Stoici quoque qui mundum & ſtellas Deos, ſicut Ariſtoteles & Plato, putarent, tamen τὸν ἀνωτάτω πάντων νοῦν ἐμαθέρι, Altißimum ac ſupremum omnium Deorum, ipſam dixere Mentem. Hinc apparet, quid ſenſerint, quicunq; aſtris aut mundo dederunt diuinitatem, non illam ſcilicet ineffabilem, ſupremam, principem, inuentricem omnium ſed diuinũ quiddam, factumq; ab ipſo Deo. Ideas quoq; Plutarchus perhibet Socratem & Platonem ſenſiſſe, ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ἐν ταῖς φαντασίαις τὸν θεὸν, τουτέστι τὸν νοῦν ὑφεστῶσας. In cogitationibus ſenſisq; Dei, hoc eſt, Mentis ſubſiſtentes. Sic Deus eſt Mens, creatrix mundi, cuius ideam in ſe cõtineret. Is locus & hæc declaratio Plutarchi admirabilis & obſeruanda, ut ſcias et quid de ideis ſenſerit Plato, & quo in loco habere deceat ideas. Sunt uidelicet, ſicut recte & ſapienter definiuit Dionyſius, προορίσματα καὶ θελήματα θεοῦ, prædefinitiones et uoluntates Dei. Idq; etiam perhibet Pſellus priores Chaldæos ſenſiße: cuius teſtimonio recognoſces ea quæ ſuperiores attulerant, Chaldæorũ eſſe, ſicut itẽ erãt Triſmegiſtiμίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσιν, καὶ ἓν αὐτὴν καὶ ἀγαθὸν ἀπὸ νμνοῦσι ἰδέας δὲ νομίζουσιν, νιῶν μὲν τὰς τοῦ πατρὸς ἐννοίας, νιῶν δὲ τοὺς καθόλου λόγους, φυσικοὺς καὶ ψυχικοὺς, καὶ νοητοὺς, νιῶν δὲ τὰς ἐξηρημένας τῶν ὄντων ὑπάρξεις. Vnum ait, principium omnium opinantur Chaldæi, ipſum Vnitatem & Bonum laudando uocantes. Ideas ſentiunt, modò patris cogitationes, modò rationes uniuerſales naturæ, mentis, animæ, modò ſeparatas à rebus ſubſiſtentias. Dico igitur ex ſententia Plutarchi, et Dionyſij, prioris quidem opinionem Platonis fuiſſe, Ideas eſſe primum illud Chaldæorum, patris, id eſt opificis mundani ſenſa & meditata: poſterioris, Ideas eſſe ipſas Dei uoluntates. Si addideris ſecundũ ſignificatũ, ut ſint rationes naturales & uniuerſales in natura et in mentibus & anima, rectũ erit, & idẽ fermè atq; primũ. Vltimas aũt ideas ſicut Plato & Ariſtoteles et Dionyſius reiecerũt, delectũ in Chaldaicis dogmatis habẽtes, ſic prorſus reijciendus cuiq;, perſpicuũ. Ergo pro errore & fabula cõmentoq; habendũ dogma quorundã Platonicorũ, τὰ νοητὰ, id eſt, ideas quPlato in mẽte opificis ſtatuit, eſſe quandã diuiniſſimam, primãq; Deorũ gentẽ, ceu primã Ange-

lorum Hierarchiam. Item unitates rerum, & Ideas ſeparatas, fontes & origines. Commentum non à ueritate modò, ſed etiam Platonis animo alienum, uel Plutarchi ad rationis claritatem teſtimonio accedente. Item ex Plutarcho obſeruari operæprecium eſt, & ſcitu digniſſimum, idem eſſe diuinam Mentem atque ipſas Ideas, quod Philo, & Plotinus docuerunt: Sapientiamq; eius eſſe Idearum cunctarum naturam ac ſubſtantiam: idemq; totam Idearum ſeriem, atq; ipſam immenſam Dei ſapientiam. Obſeruandum item hanc Mentem eò fuiſſe cunctis Philoſophis creatorem, quòd ei tribuerent Ideas rerum origines. Ex quibus claret eos ſenſiſſe, locutosq; eſſe, quæ à barbaris didiciſſent. Priores Barbari Chaldæi, Aegyptij & quos priore loco ſtatuere fas erat, Hebræi, hanc Mentem rerum creatricẽ prædicauerant, anteponentes ei quendam alium genitorem ſuum. Cuius rei pro Chaldæis teſtis eſt cum Sibyllis ſecta Zoroaſtreorum & Magorũ: pro Aegyptijs Triſmegiſtus: pro Hebræis ad alios multos, Philo: pro Græcis maxime Plato, omnisq; Platonicorum familia: prior autem Orpheus. Apud quos uno ore, patrem iſtius æternæ, omnipotentis, omniaq; creantis Mentis inuenies. Quod partim oſtendi, partim oſtendam.

Ex Proclo, & Porphyrio de Mente, & eam accedente Genitore. Cap. XIII.

DE hac item Mente, non ſolùm rerum opifice, ſed etiam ſecundo principio, habente ante ſe priorem, multa loquuntur alia concorditer Platonici, per manus inuicem tradentes Theologiam. Nam Proclus in præmonſtrato libro, ubi de Theologia Platonis, quæ traditur in Parmenide, multa dubitat, hæc dicit: ἀλλ' οἱ μὲν παλαιοὶ, καθ' ὅλ πλωτίνος φιλοσοφίας μετέχοντες τῷ νοερὰν φύσιν ὑπολαμβάνειν εἶναι λέγουσιν. ἀπὸ δὲ ταύτης ὑφίστασθαι τὰ ὄντως ἀρχὰς ὑφεστώσας, καὶ πάνθ' ὅσα διὰ ταύτης συμπεράσματα προτείνεται, τὴν τοῦ νοὸς μίαν καὶ παντελῆ δύναμιν συναρμόζειν ὑπολαμβάνουσι. Sed ueteres, inquit, et qui Plotini Philoſophia ſunt initiati, naturam intelligibilem in Parmenide dicũt ab uno ſuperſubſtantiali rerum principio ſubſiſtentem, & omnes, quæ per hãc præponuntur concluſiones, Mentis uni, atq; perfectiſſimæ poteſtati coniungere nituntur. Ecce Proclus teſtatur Philoſophiam Plotini id maxime ſtuduiſſe, ut oſtenderet naturam intelligibilem, & inuiſibiles ſubſtantias, Angelorumque choros ab uno ſubſtantiali procedere principio: Quod autem ſit principium tantum ac tale, paulo pòſt docet: Mens uidelicet, ad cuius ineffabilem poteſtatem, omnes, quæ ſunt in Parmenide Platonis, & de quibus tam multa cuncti diſſerunt, concluſiones, conentur reuocare: ut quicquid ibi locutus ſit Plato, pertineat ad Mentem, ordineſque intelligibiles, à ſuperſubſtantiali principio Mente naſcentes. Hocq; eſt quod in noſtra Theologia, per eum creata uiſibilia, & inuiſibilia, ſiue thronos, ſiue poteſtates, ſiue uirtutes, ſiue dominationes: Hæc à Platonicis dicitur νοερὰ φύσις, & dicitur nata à ſuperſubſtantiali principio, ab ineffabili, & omnipotenti

Mentis

Mentis autoritate. Perhibet idem Proclus, apud uetuſtiores Platonicos (ut eorum diuinitatem agnoſcas) Καὶ παρ' αὐτοῖς εἰώθει θρυλλεῖσθαι, τὸ μὲν πρῶτον ἑνὶ δεμένοις, τὸν δὲ νοῦν ἓν πολλά, τὴν δὲ ψυχὴν ἓν καὶ πολλά: Apud eos iactari ſolere, primatum omnium rerũ Vnitatem, ipſam autem Mentem unum multa: anima uerò Vnum & multa. Sunt igitur hæc nomina ſymbolica, & mathematica, quibus ſignificabant res diuiniores, Tria numina, & qui in Epiſtola ſunt tres reges, nominibus mathematicis deſignantes. Primus eſt unitas pater, qui eſt ante omnia, eoq; eſt Vnitas, & principium. Mens autem naſcens ab illo, eſt Vnum multa: Vnum quia retinet naturã paternam: Multa, quia facit ſecundũ numerum. Eſt enim ſecunda. Ab ea incipit numerus. Tertio loco eſt tertius rex, aut tertiò, uocatus Vnum & multa, addita copula, ut magis eum à primo diſtare, ſecundum numerum, deſignarent: Quia ſecundo loco. Copula quidem uerum non ſignificaret in eo, quia faceret tertium, aut numerum. Separatis autẽ duobus, unũ ab utraq; parte eſt. Tertius eſt unum, & multa: Quia tum procedit à primo, eoq; retinet naturã eius & nomen: tum tertio loco exiſtens eſt, et multa: quia ſi tria ſepares, ab altera parte remanet unitas, ab altera multitudo, nempe duo. Sed relinquãtur nomina nimiũ mathematica. Illud perſpicuũ eſt, ſecundo loco Mentẽ eos ſtatuiſſe, poſt patrẽ ſuũ, idq; uetuſtiores Platonicos tradidiſſe. Proclusq; adducit ex Porphyrio ἐν τῷ πατρὶ ἀρχῶν πραγματείᾳ, τὸν μὲν νοῦν εἶναι μὲν αἰώνιον ἐν πολλοῖς καὶ καλοῖς ἀποδείκνυσι λόγοις, ἔχειν δὲ ὅμως γὼ ἑαυτῷ καὶ πρὸ αἰωνίου τὸν νοῦν, τῷ γὰρ σωπᾶν. ἐκεῖνο μὲν ἦν ἐπέκεινα πάντος. τὸ δὲ αἰώνιον δ' ἑυτέραν ἔχειν, μᾶλλον δὲ τρίτην ἐκείνοις τάξιν, δεῖ γὰρ οἶμαι τὸ προαιωνίου τῇ αἰωνίᾳ τὸν αἰῶνα μέσον ἱδρῦσθαι: Porphirius, inquit, in libro quo agit de Patriarchis, id eſt, primis rerum autoribus, Mentem eſſe æternã, multis ac præclaris probat rationibus: habere tamen in ſe quod ſit Menti præternum (ut ſic uertamus uerbũ) Vnitati connectere. Illud quidẽ erat ultra omne æuũ: æternum autem ſecundum habere, imò uerò tertiũ ordinem ab illo. Oportet enim, ut reor, præterni, et æterni mediam ipſam collocare æternitatem. Tum addit Proclus (ſed de hoc, ſermo nobis ne ſit) τοσόνδε δ' ὅμως ἐκ τῶν εἰρημένων λάβωμεν, ὅτι καὶ ὁ νοῦς ἐχέτι κρεῖττον ἐν ἑαυτῷ τοῦ αἰωνίου: Tantum, inquit, ex dictis accipiamus, quod etiam Mens habet aliquid melius in ſe ipſa, quàm æternitatẽ. Ex his, etſi dicuntur obſcurè, & more Platonicorum, is tamen efficitur ſenſus, Mentem eſſe ſempiternam, habere autem quod eam accedat, nõ tempore, aut æternitate (nam æterna ſunt æqualia) ſed natura: ut cùm ſint duo æterna, ſed alterum alterius genitor, neceſſariò gignens uerè ſit æternum, et aliud magis, quàm alterum. Nam primus ipſe eſt ante omnem æternitatem, non tempore, ſed natura: æternus autem ipſe filius habet ſecundum locum, imò uerò, quoniam inter æternum & præternum, interiacet æuum, uel æternitas, neceſſariò tertio in loco eſt æternum. Sed ſcias iſta dici de ſumma Patris excellentia: quia cum Mentem æter-

nam genuerit, non poteſt eſſe prææternus ipſe, id eſt, ipſam æternitatem antecedēs. Et ipſe Porphyrius teſtatus eſt Mentem habere quid æternitate melius. Ergo ea dicuntur, ut oſtendatur id, quo genitor præcedit genitum, ut ipſe docuit, cum patrem ſuum maiorem ſe prædicabat, referebatq; illi accepta cuncta bona. Hoc Platonici explicare melius non ualentes, uſi ſunt nominibus Aeterni & prææterni, quorum primum eſt Mentis, ſecundum eius qui Mentem natura præcedit. Quorum cōformitatem, & ſummam naturæ coniunctionem declarantes, dicunt Aeternum ipſam nempe Mentem, habere quid æternitate melius, attingere ſcilicet ad naturam primi. Dicunt etiam ipſam Mentem habere in ſe Prææternum, id eſt naturam ante æuum, ante ſecula, quo copuletur cum Vnitate, quæ Pater ipſe eſt, primum eſſe, primatus, fons omnium rerum, unde numeri cuncti prodiere, ante omnia ipſe Filius. Totaq; tandem hæc Theologia eſt, quam nos quotidie celebramus, quòd Mens & proles Dei ſit patri ſuo coæterna.

Ex eodem Proclo de Genitore ſummo Bono, progenie diuina, Mente: item de tertio Anima ſeu ſpiritu: & de diuinitate ipſius Mentis. Cap. XIIII.

Diuinitus etiam eſt de ea locutus Proclus, declarans & Platonis Theologiam, et aliorum placita Platonicorum, cuius teſtimonio, & quantum Menti præcellat Vnitas ipſa, noſcitur, & quanta rurſum inter eam ipſamq; Vnitatem coniunctio intercedat: in eo ipſo libro de Platonica Theologia: ἡ οὐσία καὶ ὁ νοῦς ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ πρώτως ὑφεσᾶναι λέγεται, καὶ πρὸ τὸ ἀγαθὸν ὕπαρξιν ἔχειν, καὶ πληροῦσθαι τοῦ ἀληθείας φωτὸς ἐκεῖθεν προϊόντος, καὶ τῶν ἄλλων μετέχειν αὐτῆς μεθέξεως ἐκ τῆς γνώσεως τοῦ φωτὸς τούτου τυγχάνειν, ὃ μὴ αὐτὸν νοῦν καὶ τῆς οὐσίας ὄντα θειότερον. ὡς τοῦ ἀγαθοῦ πρώτως ἐξηρτημένον, Quæ ſunt, Subſtantia & Mens à bono & principaliter, et primo dicitur ſubſiſtere, & circa Bonum, exiſtentiam habere, & repleri lumine ueritatis illinc promanantis, & accipere participationem ſeu dependentiam ex coniunctione, & unione luminis, quod & ipſa Mente & ſubſtantia eſt diuinius, ut quod primo dependet à bono. Hac ille: quibus nihil profundius, grandius, ſublimius effari poteſt omnis Theologia. Eſt autem apud Platonicos altiſſimum dogma, idem eſſe, ſubſtantiam, ſiue Ens, atq; ipſam Mentem: idem quoq; Bonū & Vnitatē. Iure aūt Mens & ſubſtantia ſiue Ens ſunt idem: quippe & ipſa Mens apud ueteſtiſſimum Theologorum Moſen dixit, Ego ſum qui ſum, Græcè, ὁ ὤν: Philoſophis τὸ ὄν. & Dionyſius Ieſum uocant τὸ ὄν. Eſt autē Ieſus filius Dei, Mens ipſa. Ea eſt primū, excellentiſſimumq; Ens, primo principaliterq; naſcens à patre ſummo Bono, & Vnitate. Vt ergo ſubſtantia & Mens ſunt nomina ſecundi principij à patre procedentis: ſic ipſum Bonum, aut ſummum Bonum, atq; item Vnitas, ſunt nomina primi principij. Vnitas quidem, quòd ab eo naſcuntur omnia, uel ipſa Mens, caput, et fons omnium. Dicitur, inquit Proclus, & conſtantiſſima fama eſt inter omnes Theologos, ab ipſo ſummo Bono, primitus, primò, ante omnia ſubſiſtere Mentem,

& ab eo, & circa ipsum habere existentiam circa ipsum reuolui: quia nisi esset illud, ipsa non esset. Inde nascitur, dependet, sicut ipsa fatebatur in mundo. Inde repleri quoq; inquit lumine ueritatis manantis inde. Est enim diuina progenies, lumẽ æternũ, lumẽ de lumine, est sapiẽtia patris sui. Eoq; clamabat, Doctrina mea, nõ est mea, sed eius, qui misit me. & cùm diceret se glorificatũ à patre suo gloria æterna, antea quàm mũdus fieret. Hoc omne multis nominibus significant Platonici, dependentiæ, participationis, existentiæ ex illo, & circa illum, luminis ex illo. Ac quod ait, hoc lumen quod patris est, esse Mente diuinius, noris, eum sentire, patris præexcellentiam, & primum esse, fontalemq; lucis æternæ (quæ natiuitas ipsa est prolis suæ, imò proles ipsa) existentiam. Non potest enim aliter excellentia paterna designari. Sed audi mirabiliora, ut cœlos eis patefactos posis dicere, uidisseq; eos gloriam sempiterni Dei. Omnis enim hæc Theologia Procli, est superiorum, & ante eum Platonicorũ, ut stupeam nostrã radiantem apud eos miratus Theologiã. τὴν τοῦ νοητάξιν διὰ τελείαν ἀποφῆναι βουλόμενος τοῦ ἑνὸς ὑπερoχῆς. ἐπὶ τούτων καὶ ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς, εἰκὼν τοῦ πρώτου νοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο μόνον τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν τοῦ νοῦ μετουσίαν αὐτάρκειαν, τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν παρῇ· ἀλλὰ ὁ μὲν ἡμέτερος νοῦς, τοῦ ἀγαθοῦ διείργεται, καὶ δεῖται φύσεως, καὶ ἀφ' ἑτέρου τοῦτο λαβεῖν. ὁ δὲ θεῖος νοῦς, ἀεὶ τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει, καὶ σωλούμενος πρὸς αὐτὸν, καὶ ἀφ' αὑτοῦ θεὸς ὤν, ἀγαθοειδὴς μὲν ὢν κατὰ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ μετουσίαν, θεῖος δὲ ὡς τῆς πρώτης θεότητος ἐφιέμενος: Secundum, inquit, ordinem, post Vnitatis separatam excellentiam dicere Platonicã Theologiam habere Mentem. Si igitur & mens nostra est imago primæ Mentis, etiam secundum hoc tantum bonum, & nobis secundum Mentis participationem, sufficientia, & proprium bonum adsit. Sed mens nostra à bono disiuncta est, estq; indiga, eaq; etiã uoluptatis indiga ad humanam perfectionem. At diuina Mens semper bonum participat, & unita est cum ipso, et propter hoc diuina est. Similis quidem ipsi summo Bono, secundũ Boni participationem: diuina uerò, ceu quæ sit cum prima Dietate connexa. Hæc Proclus. Ecce secundus ordo locusq; Mentis post altißimã eminentißimamq; Vnitatis excellentiam, ac supereminẽtiam. En item mens nostra, imago diuinæ Mentis. Fecit enim nos ad imaginem, et similitudinem suam. Ecce nobis non aditus ad patrem, non Boni communicatio, nisi per Mentem primogenitam, nostra mente ab ipso summo Bono longè disiuncta. Ecce quoq; Mens diuina, Mens Dei, Mens paterna, ut Chaldæus dicebat, ἀγαθοειδὴς, similis summo Bono, gerens similitudinem, formamq; summi Boni patris sui. Propterea dicebat, Qui uidet me, uidet & Patrem meum. Ecce Deus ipse pater, ipsa prima Diuinitas. Denique ecce quod ait diuus Ioannes, Et uerbum erat apud Deũ. qui quidem sermo sonat, quod Proclus, σωλούμενος πρὸς αὐτὸ, Coniunctus erat cum ipso Bono. Ioannes, ἦν πρὸς τὸν θεὸν: Proclus, πρὸ αὐτὸ ἀγαθὸν. & Ioannes, Erat apud Deum: Proclus, Coniunctus, unitus cum ipso. Cùm Ioannes ait: Erat apud Deum, designat, con-

iunctus erat, cohærebat cũ Deo, erat à Deo inseparabilis, coæternus. Quẽ Ioannes uocat Deũ, Proclus ipsum Bonũ, etiã Deũ. Quod Ioannes itẽ λόγον, rationẽ, uerbum: Proclus νῦν, Mentẽ. Idem est autem Ratio & Mens. Ratio, sapientia summi Dei. Nota obsecro, inure menti, infige uerbũ illud συνήνωται, coniuncta est, unita, ut sic loquar, crumpens uerbũ Philosophis contra Arrianos & alios, q̃ disiungebant Mentẽ à summo Bono. Coniuncta est, ait, unita cũ summo Bono Mens. Hoc Proclus ex Platone, hoc omnes. Quòd si Proclus dicat excellentiã summi Boni etiã à Mente ἐξῃρημένην, separatã: scias eũ maiestatẽ illã, altißimãq; diuinitatis arcẽ eo, non disiunctionẽ innuere. Quòd si secus sentiat, ecce seipso refellitur, συνήνωται, unita, unifecta, copulata, cõnexa Mens cũ summo Bono: nec rectè explanaret Platonẽ. De mente quoq; considerandũ, q̃ex sententia cæterorũ Platonicorũ idem Proclus pronunciat: νοῦς δὲ ἐν αἰῶνι τὸ ζῆν ἔχων & τῇ οὐσίᾳ ἀεὶ ὢν ἐνεργείᾳ καὶ πάσαν ὁμοῦ τὴν νόησιν ἐν τῷ νῷ ἐσῶζεν πεφυκὼς, ἐνθεός ὅτι μᾶλλον τῷ πρὸ αὐτοῦ παντὸς αἰτίαν, διὰτοῦτο γὰρ ἔχει τὰς ἐνεργείας ὡς φησίν ὁ πλωτῖνος, ἵστησι μὲν ὡς νοῦς, τάττει δὲ ὡς μεθύων τῷ νέκταρι, καὶ ἐν ἄλλοις δὲ καὶ ὁ νοῦς ἔστι μὲν τῷ πρὸ ἑαυτοῦ ὡς θεὸς, ὥσπερ ἡ ψυχὴ τῇ ἑαυτῆς ὑπερ ψυχῇ ἀκρότης νοῦς, καὶ τὸ σῶμα τῇ πρὸ αὐτοῦ σώματος ὑπερμεγέθης ψυχή. πάντα δὲ ὧν ὥσπερ εἴπομεν αὐτάρκης ἐστὶν ὁ νοῦς μὲν καὶ ψυχῆς. καὶ ὁ μὲν νοῦς ἐνοφοῦς ἐστὶν, ἡ δὲ ψυχὴ νοφοῦς. καὶ ὁ μὲν θεὸς πρὸ τοῦ νῷ τῇ νοερᾷ φύσει πρώτως ἐπέχόμενος. ὁ δὲ νοῦς ἐνθέστατος ὡς πρὸ τοῦ ἄλλων ἐνθεάζων, ἡ δὲ ψυχὴ θεία καθ' ὅσον δεῖται τῆς νοερᾶς μεσότητος. Quæ sunt, Mens in æternitate habet uitã, & substantia operationẽq; intelligendi est ipsa æternitas, simulq; omnẽ intellectionẽ in præsenti habens defixã, Deifica est, id est, Deo similis, diuina propter causam uniuersi, quæ ante se est. Duas enim, ut Plotinus testis est, habet operationes: primas, ut Mens: secundas, ut nectare ebria. & in cæteris quidẽ est ut Mens: in eo aũt, quod ante ipsam, ut Deus: sicut anima super omnẽ animã sua excellentia est Mens: corpus aũt uirtute, quæ est ante corpus fit anima. Omnia igitur ut diximus pendent ab uno p̃ mentẽ quidẽ & animã. Et mens quidẽ uniformis est, anima uero mentiformis, ut sic loquar. Atq; Deus q̃ est ante mentẽ, naturæ mentali primũ superuehitur. Mens aũt est diuinißima, ut quæ ante omnia Deifica. Anima uerò diuina, quatenus indiget media mente. Hæc apud Proclũ, similia atq; superius admiranda mysteria, ut mirabile sit, quonã instinctu ad hæc peruenerint. Tria dicũtur esse apud eos principia, Deus aut bonũ uel unitas, mens, anima: tres imperatores, primus bonũ, secundus mens, tertius anima. Mens, inquit, est sempiterna, æterna sapientia, æternũ intelligere, sempiternũ sapere. Hæc fit aut gignitur Deus ab antecedente causa genitore suo, q̃ propriè & primò dicitur apud nos & illos Deus. Benedictus Deus et pater domini nostri Iesu Christi. Glorificauit Deus filiũ suũ. Deus misit filiũ suũ in similitudinẽ carnis peccati. Quẽ proposuit Deus propiciationẽ per fidẽ in sanguine ipsius. Nemo nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Innumeraq; exẽpla.

pla. Habet igitur mens ab antecedente cauſam eam diuinitatẽ æternamq; ſapientiã. Eſt quidem & ipſa Deus, ſed ab illo genitore ſuo. Quicquid autẽ eſt, æternitaliter eſt. Habet duas operationes: alteras ut Mens, ut rerum principiũ, ut intelligens, mo/derans, producens omnia quæ creauit, ut ſpectans poſt ſe: alteras, ut reſpiciens ſu/pra ſe genitorem ſuum, fruensq; ex eo æterna uoluptate, nectare diuino ebria, bea/ta ex amore, & dulci charitate, quem ſuſpicit, admiraturq; ſemper, patris ſui, ex quo deificatur, fit, eſtq; Deus, ſicut eſt, quia genita ab eo, ut Macrobius dicebat. Ani/ma uerò tertium principium eſt ut Mens, propter coniunctionem ſubſtantiæ, eoq; etiam Deus, quia & ipſa à primo per ſecundum, & à ſecundo. Corpora uerò, ut effectus trium principiorum. Omnia deniq; ſunt ab Vnitate. Nam Mens ab Vnita/te gignitur, inde uoluptas eſt, & diuinitas eius: eoq; diuiniſſima, quoniam ſola gigni/tur à Deo, & genita eſt Deus. Cætera participant diuinitatem. propterea non ſunt diuiniſſima. Nomen autem diuiniſſimi eſt apud Platonem & Ariſtotelem. Plato uo/cat uerbum Dei diuiniſſimum: Ariſtoteles mentem diuiniſſimam, ut uidebis. Anima autem etiam Deus, per utrunq;, maximè per ſecundum. Ac pater, ut ait Dionyſius, quoniam eſt pater luminum, irradiat in omnem naturam angelicam. Hæc illi dixe/re partim ex Platone, partim ex noſtra Theologia hauſta. Siquidem hæc ſunt ea, quæ Græci, Latiniq; definiere, Spiritum, id eſt, Animam, tertiumq; principium, eſſe æternaliter à primo & ſecundo. Primus dicitur à noſtris & ab illis pater: præcipuè uerò ab illis unitas & bonum. À noſtris item fons & principium totius Deitatis; Ipſam, inquam, dixere Animam ſeu Spiritum, eſſentiam ſuam, ſuumq; eſſe ſubſi/ſtens habere ex Patre ſimul & Filio, & ſimul ab utroq; æternaliter tanquam ab uno principio procedere. Filium cauſam eſſe animæ, Græci, principium Latini, ſi/cut & priorem. Omnia enim quæ Patris ſeu Boni ſint, dediſſe Patrem ipſum unige/nito Filio ſuo gignendo, præter eſſe Patrem. Et quod Anima uel Spiritus procedat ex Mente uel Filio, ipſam Mentem à patre æternaliter habuiſſe, à quo æternaliter ſit genita, Patremq; eſſe fontem & principium totius Deitatis. Ecce enim ipſi di/cunt omnia pendere ab uno, ſed per mediam Mentem & Animam. Quippe Pater quum ſit fons & principium totius Deitatis, primò efficit eſſe Deum Filium, & Animam, alterum gignendo, alterum producendo. Eſt enim Proclo teſte, etiã Ani/ma Deus, non fontaliter, ſicut primus propriè Deus, ſed ut ab illo producta. eo que uocat eam magis diuinam, quàm Deũ: & quod procedit à primo, uel datur per me/dium ſecundum. Gratias igitur agamus ſummo Deo, qui coëgit etiam ſuæ religionis imperitos, rapido mentis exceſſu abſtractos, pro ea loqui, eaq; perhibere de ipſa teſtimonia, quæ nemo ſit, qui non miretur, obſtupeſcat, lachrymas etiam qui pius eſt, præ gaudio profundat.

Mirabile teſtimonium Porphyrij de eadem Mente ab æterno genita. Cap. XV.

Eædem lachrymæ manabunt ei, eadem eũ gaudia arripient, qui leget ea, quæ ſcri/pſit Porphyrius. Quippe quæ Proclus, perinde ac ſi de cœlo cœleſtis Angelus eũ docuiſſet, nunc locutus eſt, & propoſuit, ſuperiores Platonici, & quidẽ diuinius

& augustius tradiderunt. Porphyrius igitur in quarto de historia Philosophi (quæ locum totum Cyrillus contra Iulianum Imperatorem, quem cæca dementia, & odium ueritatis non sinebat cernere ueru̇, nec quam contemneret religionem, illam esse, perspicere, quã secula philosophia; omnis arcana coluisset, quamq; ipse nescius insectaretur, profert) de summo bono ex opinione Platonis, stupenda miracula scripsit: Ἀρχὴ δὲ τούτου, πρόπορ τίνα ἀνθρώποις ἀνεπινόητον νῷ γνῶσιν, τὸ ὅλον καὶ καθ' ἑαυτὸν ὑφεστῶτα· ᾧ ᾗ ὅλη τὰ ὄντως ὄντα, καὶ ἡ πᾶσα οὐσία τῶν ὄντων, ὃ ὅλη καὶ πρώτως καλόν, καὶ αὐτόκαλον παρ' ἑαυτοῦ ἦν καλλονῆς ἔχον τὸ εἶδος, πῶλθε δὲ πρωαιώνιος ἀπ' αἰτίου τοῦ θεοῦ ὡρμημένος αὐτογόνως ὢν, καὶ αὐτοπάτωρ, οὐ γὰρ ἐκείνου κινηθέντος πρὸς γένεσιν τὴν τούτου. ἦ πρόοδος γεγόνει, ἀλλὰ τοῦ πρωελθόντος αὐτογόνως ἐκ θεοῦ. πρωελθόντος δὲ οὐκ ἀπ' ἀρχῆς τινὸς χρονικῆς. ὅπως γὰρ χρόνος ἦν, ἀλλὰ ὁ δὲ χρόνος γνωμένου πῶς αὐτὸν ὄντ' ἂν τι ὁ χρόνος. ἄχρονος γὰρ ἀεὶ καὶ μόνος αἰώνιος ὁ νῶς, ὥσπερ δὲ ὁ θεὸς ὁ πρῶτος, εἰ καὶ μόνος ἀεί, ἀλλ' ἀπ' αὐτοῦ γέγονται τὰ πάντα, ὧν μὴ οὐσῶν συμπαριθμεῖσθαι, μὴ δὲ τῇ αὐτῶν ἀξίαν συγκατατάττεσθαι δυνάσθαι τῇ ἐκείνου ὑπάρξει. ὅτω ὁ νῶς αἰώνιος μόνος, ὢν ἀχρόνως ὄντως ὢν τὰ γὰ χρόνῳ αὐτὸς χρόνῳ ὄντ' ἂν γὰ ταυτότητι μενόντ' ἂν ἑαυτοῦ ὄντως ἐόντος. Quæ sunt, Ab hoc autem summo bono ratione quadam hominibus incognita genitam Mentem tradit Plato, quæ prorsus per se ipsam existat: in qua uidelicet sint uerę res, & omnis rerũ substantia: quod & primò pulchrum, & per se pulchrum sit, habeatq; speciem pulchritudinis. Processit autem ante secula, uel æternitatem ab autore Deo promanãs, per se genita existens, & per se pater. Neq; enim illo mouente se ad generationem huius, processus fuit: sed isto progrediente per se generabiliter, uel ex sua generatione à Deo: & progrediente non à principio aliquo temporali: necdum enim tempus erat: sed neq; creato tempore, præ illa est aliquid tempus. Semper enim est carens tempore, & sola æterna Mens. Sicut autem Deus ille primus, unus, & singularis semper est, licet ab ipso facta fuerint omnia, eò quòd cum his connumerari, et in eodem loco, quem habet substantia sua, ea poni non possunt: sic & Mens sempiterna sola & sine tempore: & creatis his quæ sunt in tempore, ipsum tempus est, permanens in unitate suæ substantiæ. Hæc testatur Porphyrius sensisse Platonem ex antro diuinitatis missa oracula, mysteriaq; ineffabilia, ut admirando expleri nequeam quibus tandem diuinis (ut sic loquar) Aquilonibus portati in cœlum altissima sacramenta introspexerint: Nisi quòd iam Euangelio coruscante, melius ea quæ Plato, Trismegistus, Sibyllæ, Magi, tot per omnem mundum oracula loquuta fuerant, explicare poterant. Principio igitur ingressus uastum Theologiæ pelagus, refert ab hoc summo bono, quod esse sempiterni Genitoris nomen, sæpe iam claruit, nasci Mentem ineffabili, inexplicabili cunctis mortalibus modo. Vt & noster Va-

tes ſimiliter dixit, Generationem eius quis enarrabit? Cuius enim mens capiat unquã ineffabilẽ Mentis natiuitatẽ? ut miraculũ ſit, uel hoc ipſum eos agnouiſſe, quod naſcatur, quòd ſint duo Genitor & Genitus. Hoc primũ decus huius teſtimonij, quòd ineffabilem fateatur hanc natiuitatem. Secundum, quòd naſcens Mens per ſe ſubſiſtat, Deus ſcilicet & ipſa, omnipotens & ipſa. Tertium, quòd ſit omnium rerum domicilium, ſedes, & origo, fons, & principium, rerum uniuerſalis eſſentia, uerarum rerum regnum, & idearum, quæ ſunt eſſentiæ uerę, uaſta mater. Sic prima pulchritudo, & omnis pulchritudinis origo, pulchritudo primordialis, exemplar omnis pulchritudinis, mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipſe. Eoq; fuerunt omnia pulchra & bona, quæ fecit. Hanc pulchritudinem & ſpeciem, ideamq; uenuſtatis, tanquam principium & origo habet ipſe à ſe ipſo. Ad hæc, quod nata ſit ab ipſo Deo æternaliter, & ante ſecula, ante æuum per ſe genita, per ſe pater, quippe quæ nata, uelut ſui principium & ſibi pater eſt, quia genita à patre, ipſa gigni, & naſci uolens. Proinde etſi naſcatur à patre ſuo Deo, naſcitur tamen ineffabiliter, uolens ipſa naſci, quaſi natiuitatis ſuæ etiã ipſa principiũ, non ſe ipſam generando, ſed naſcendo coniunctim, æternaliterq; ab illo. Deſignatur enim ineffabilis quædam Genitoris, & Geniti coniunctio, genus naſcendi inauditum, incomprehenſibilisq; modus. Diuerſa, quàm noſtra naſcendi ratio, qui non ſumus antequam naſcamur, nec à nobis habemus quidquã, differentes ſubſtantia à genitoribus noſtris. Ibi quoniã ineffabilis & admirabilis, alteriusq; omnino generis natiuitas, et ut naſcatur, tamen eſt patri coæqualis, coæternus, dicitur naſci ipſe, uolens à patre generari, ut uolendo naſci, ineffabiliterq; exultando ex ea natiuitate, & inſeparabiliter à patre naſcendo, fermè ſit & ipſe ſibi genitor. Myſterium quidem altiſſimum, ualidiſſimaq; in eos uociferatio, qui detrahunt diuinitati Filij. Hîc non modo non detrahitur, ut nimium propemodũ tribuatur. Repetit deinde hanc generationẽ non eſſe ſempiternã, ante tempora, ante ſecula, cùm nullũ tempus eſſet: ut etiam tempus poſtea creatum nihil ſit præ ipſa Mente, ut quæ ſola ſit ſempiterna, & ante omnia tempora, nullum habens cum tempore conſortium, aut dependentiam. et ut pater ſit ſempiternus, & unus etiam creator omnium, & autor: quia cum nullis commiſcetur, & cenſetur omnibus retro longiſſimè remanentibus: ſic Mentem quoq; æternam eſſe ſolam omnium, quæ etiam ſit ipſum tempus, cùm res ſub tempore creauit, & ad ipſum tempus, mundi menſurã, uenit, ipſum tempus, quo menſurarentur omnia, conditura. Nihil dici, aut cogitari poterat altius, grandius, ſublimius, profundius. Ô Platonici igitur, qui neſciebatis huius admirandæ ſapientiæ religionem Chriſtianam patronam eſſe ueram, nec aliud hanc religionem eſſe, quàm cultum & notionem ſummi Boni, & æternæ Mentis, eorumq; inter ſe ſempiternæ coniunctionis ſcientiam, quæ nihil loquatur, clamet, uociferetur aliud: quæ reprehenſione tandem digni, qua cæcitate capti, qui eam inſectabamini, cuius uos admiranda, ſtupendaq; myſteria cum ſumma admiratione explicatis, & prin-

cipē ueſtrū Platonē putatis, & aſſeritis ea tenuiſſe, ſcripta reliquiſſe? Miſereri quo que oportet miſerrimos Hebræos, quibus ob inauditā cæcitatē, ob profundā animi caliginem, eadem dominatur calamitas: qui quæ iam inde ab exorto mundo per om nia ſecula innotuit ſapientia, quam gentes omnes cœlitus reuelatam coluerunt, tra diderunt, & ſuæ gentis doctiſſimi monimentis literarū mandauerunt, apud omnes ſuæ gentis eruditos ſub ſecretis myſterijs abſcondebatur, non uideant nunc adora ri, coli, agnoſci à toto terrarum orbe. Ideo nunquā deficiet hæc religio, & uera illa Sapientia, & antiquiſſima ſeculorum omnium, in arcanis abſtruſa Theologia.

Ex Plotino de eadem ipſa mente, & Genitore eius, & eius cum Patre conunctione: &, quod poſt Patrem ſit maxima omnium Mens. Cap. XVI.

PLotinus item inter Platonicos maximus, & ubiq; celeberrimus, mirabiliter om nia, quæ ſuperius ab antiquis tradebantur, approbauit, diſſeruitq; copioſius, ut hæc ueræ ſapientiæ myſteria perfectiſſimè uideatur tenuiſſe: ut inſtar miraculi ſit, to tus is hominū, ac ſæculorū concurſus, ac cōſenſus. Audiāt igitur Philoſophi pateſa ctū nouiſſimis ſeculis, quod antea fōret etiā notū, atq; animis multorū hominū com prehenſum, declaratū aūt poſtea, atq; ita diffuſum, ut quod anguſtis locis prius cō tineretur, in totū mundū euaſerit, nunceq; numē iſtud adoretur, omneſq; de eo phi loſophentur, de quo ſoli ſapientiſſimi quondā, & hi omnino pauci philoſopharen tur. Hæc eſt enim ſciētia Domini, qua repleta eſt omnis terra, quòd omnes nūc phi loſophantur, patrē & filiū cognoſcentes, adorantes, ſemper loquentes: quæ ſcien tia prius erat paucorum. Ac Plotinus, qui nec Chriſtianus fuit, nec fortaſſe norat Chriſtianos, ſi ſciſſet eos hanc adorare ſapientiam, quam maiores ſui tantopere coluiſſent, ac ueluti de profundiſſimis myſterijs de ea loquerentur, quorū ſcripta et ipſe ueneratus eſt, et approbauit, certè ipſe cum cæteris Platonicis religionē noſtrā, quam nōnulli eorū propter inſcitiā, uelut ſuperſtitionē cōtemnebant, adoraſſet, re tinuiſſet, ueraq; eſſe ſapientiā prædicaſſet. Plotinus igitur ad alia, hæc diuina, ſubli miaq; in libro de Tribus principalibus hypoſtaſibus loquitur, quæ poſtea imitati ſunt, et ſecuti Porphyrius, et Proclus, pluresq; alij Platonicorū: τί οὖν χρὴ περὶ τὸ τελειότατον λέγειν; μικρὸν ἀπ' αὐτοῦ, ἢ τὰ μέγιστα μετ' αὐτὸ; μεγιστον δὲ μετ' αὐτὸ νοῦς, & δεύτερον. & γὰρ ὁρᾷ ὁ νοῦς ἐκεῖνον, & δεῖται αὐτοῦ μόνου. ἐκεῖνος δὲ τούτου οὐδέν. καὶ τὸ γεννώμενον ἀποκρεῖττονος νοῦ, τοῦ εἶναι, & κρεῖττων ἀπείρων νοῦς, ὅτι τ' ἄλλα μετ' αὐτόν. Quæ ſunt, Quid igitur de perfectiſſimo dicere conuenit? Nihil ne ab ipſo, an maxima poſt ip ſum? Maximū aūt poſt ipſum Mens, & ſecundū. Etenim aſpicit Mens ipſum, & eius tantū indiget: ipſum aūt, Mens nihil prorſus. & quod à Mente maiore genera tur, Mentē eſſe: et omnibus maior eſt Mens: quia poſt eam ſunt cætera. Hæc intima Philoſophiæ myſteria proloquitur Plotinus, ut ſi Chriſtianus eſſet, apertius loqui nō potuerit. Principio patrē dicit eſſe perfectiſſimū, principiū ſcilicet, maximū emi nentiſſimū, excellentiſſimū, præcedēs etiā Mentē. Hoc enim eſt quod Filius dicebat toties, pater maior me eſt. Nō id quidē tantū propter corpus aſſumptū: ſed quia ille pater

le pater ſit principiũ, fons totius Deitatis: Filius autẽ genitus, naſcens, & proles. A maximo, ac perfectiſsimo Plotinus ait nihil generari præter Mentem: Maximã autẽ poſt perfectiſsimũ, ſiue patrẽ, eſſe Mentem, ſiue Filiũ: & quod ante omnia mirabiliſsimũ eſt, ait Mentem ſuſpicere, & intueri patrem, & indigere eo ſolo, patrem autem eo minime. Aperit enim abditiſsimũ myſterium, patrem ſcilicet gignere filium, tanquam ipſe ſit maior autoritas, quanta ſcilicet eſt inter genitum, ac genitorem. Quoniamq; pater genitor eſt, primáq; omniũ origo, nõ indigere, aut dependere à filio, Mente ſcilicet: contra filium indigere eius ſolùm, quòd ab eo diuinitatem, ſubſtantiáq; habeat, diſcatq; ab eo omnia. Nec aliud dicitur hic à Plotino, quàm quòd eadẽ Mens ſæpe locuta eſt apud nos mortales, docens ſe à patre miſſum, unicã ſe amantiſsimamq; eius eſſe prolem: nihil habere ſe, niſi quod pater ei dediſſet: quidquid haberet traditum ſibi à patre. Ecce Plotinus ait, filiũ intueri patrem, tanquam in eum, à quo tota ſua pendeat beatitudo, tãquam in bonum ſuum, felicitatẽ ſuam. & iure quidem. Nam ſi ab eo, qui maximus, qui perfectiſsimus eſt, habet tantam diuinitatem, tantam naturæ magnitudinem, ut potuerit mundum uiſibilem, & inuiſibilem creare, neceſſe eſt beatitudinem eſſe tantam, quanta beatũ maximum filium ſuum efficiat: id eſt, tantam eſſe beatitudinem, quanta eſt rerum ſuarũ magnitudo, quanta diuinitas, quanta poteſtas. Intuetur filius in patrem, ſinuq; paterno continetur, nec alia eſt beatitudo eius, quàm ex bonis, & cognitione paterna, maximarũ uoluptatum theſauro. Ideoq; optauit omnes ad hæc paterna bona ſublimare. Præter hæc autem addit Plotinus: προθεῖ δὲ πᾶσι τὸ γεννῆσαι, τὸ γεννώμενον καὶ τοῦτο ἀγαπᾶσθαι, καὶ μάλιστα ὅταν ὦσι μόνοι τὸ γεννῆσαι, καὶ τὸ γεννώμενον· ὅταν δὲ καὶ ἄριστον ἢ τὸ γεννῆσαν σύνεσιν αὐτῷ, ὡς τῇ ἑτερότητι μόνον κεχωρίσθαι. εἰκὸς δὲ λέγομεν εἶναι τὸν νοῦν. δεῖ γὰρ σαφέστερον λέγειν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ πλείστων τριττὰ τὰ πάντα: Deſiderat omne quod gignit, id quod gignitur, & hoc amat: maximè uerò, quum ſoli fuerint gignens, & genitum: quum autem optimum eſt quod gignit, neceſſariò eſt eum eo coniunctum quod gignitur, ut ſola alteritate ſeparentur. Dicimus autem imaginem eius eſſe Mentem. oportet enim loqui clarius. Eóque apud Platonem terna ſunt omnia. Sunt, inquit, penes omnium regem omnia, & penes ſecundum ſecunda, & penes tertium tertia. Dicit quoque cauſam habere patrem, cauſam quidem appellans Mentem ipſam. Opifex enim illi eſt Mens. Hunc autem dicit creare animam in cratere illo. Cùm igitur cauſa ſit ipſa Mens, patrem eius dicit Bonum, & quod ultra Mentem eſt, ultráq; ſubſtantiam. Multis autem locis appellat ipſum Ens, & Mentem, & Ideam: ut Plato cognouerit ex Bono quidem Mentem exiſtere, ex Mente Animam, & eſſe uerba iſta minime noua, neque nunc cœpta dici, ſed olim, licet obſcurè. Verba autem quæ nũc ſuper hac re habentur, eſſe quaſi earũ interpretatores, quæ atteſtentur dictis Platonis, eſſe ea uerba uetuſta. Talia dicens ad uerbũ Plotinus, innuit quicquid prædicatur nunc de patre,

& Filio

& Filio, de Mente, de Bono, à quo ueteres fluere, aut gigni Mentem dixere, priſca Theologia: Tum quòd Bonum ſit ultra ſubſtantiam, ultra omnia: in quo excellentiam ſummi, ac Genitoris Dei oportet agnoſcere. Neq; enim eſt excellentius, ac maius quicquam. Idem Bonum uocat Genitorem, Mentem genitam, eaq; fatetur eſſe coniunctiſſima, quia ſit optimum quod gignit, & quia Genitor, ac Genitum ſint ſoli. Ex quo uult effici, ut inter eos ſit indiſſolubilis coniunctio. Maximam enim eſſe coniunctionem ex maxima perfectione. Aduerte igitur diuinam, profundiſſimamq; apud Plotinũ Theologiam, de ſempiterna Filij generatione ex Patre, et cum eo cõiunctione, de beatitudine eiuſdem, ex intuitu in Patrem. Poſtremò ait eos ſola alteritate ſeparari. Rem inauditã, ac ſtupendã. Sola, inquit, alteritate, Bonũ, ac Mens ſeparãtur, Græcè ἑτερότητι, ſolis perſonis dicerent Chriſtiani. Alter enim eſt Pater, alter Filius, non aliud, uel alterũ. Tanta eſt enim inter duos illos perfectio, perfectaq; coniunctio, quanta deceat eorũ diuinitatẽ. Tum reſpice quæſo attentius, quid Plotinus tradat. Ait hæc myſteria, hos ipſos ſermones, ultramundana hæc ſacramenta, eſſe uetuſta: et nũc quæ dicantur, non eſſe noua, ſed his explicari à ueteribus tradita. Audi quæſo, referq; animum ad ea, quæ tum in præfatione, tum toto progreſſu locuti ſumus, quam nos habemus nunc Philoſophiam, fuiſſe etiam apud ueteres. Ipſum Plotinum audis confitentem totam hanc Philoſophiam à priſcis deſcendere. Quo teſtimonio probatur, confirmatur, quicquid Chaldæi, Mercurius Triſmegiſtus, Orpheus, Sibyllæ, cæteriq; omnes de Patris, ac Filij diuinitate tradidiſſent. Ipſi hoc teſtantur, non poſſunt à Chriſtianis poſt natum Chriſtum, eſſe conficta. Plura ſunt alia apud Plotinum miranda de Patre, & Filio teſtimonia. Quos appellat noſtra Theologia expreſſius, ac notius patrem & filium, illi Bonum, & Mentem, Generans, & Genitũ, Patris, ac Boni imaginem, ipſam Mentem, Bonum & Vltra ſubſtantiam, ipſum patrem. Quis hæc cognouiſſet, niſi Philoſophia cœleſtis illuxiſſet? Benedictus igitur primogenitus, unicus, ſummi Boni filius, per quem & creati ſumus, & redempti, & eouſq; amati, ut non cæluerit unquam profundiſſimam diuinitatem ſuam, cuius humanitatem, affabilitatem, clementiam, benignitatem, familiaritatem ſenſit in omni ætate omnis terra.

Ex eodem Plotino, quod Mens ſit poſt ſummum Bonum, quod per eam ad ſummum perueniatur, quod ſit locus, & Idea omnis pulchritudinis, quod creauerit mundum. Cap. XVII.

PLatonicorum item præcipuus Plotinus, cuius à cũctis prædicatur admirabile ingeniũ etſi floruit ante Porphyriũ, et Proclum, ut teſtimonia eius debuerint antecedere, tamen ordinem quendam de ea, quam dixere Mentem, Prolemq; ſummi Boni, nos ſequentes auidos reddit, ut ea proponamus. Varia uerò, & multiplex præter ſuperiora de duobus illis, Genitore, Proleq; ab æterno genita extat apud eum Theologia. È quibus in libro de Pulchro, hæc ex intimo quaſi Philoſophiæ antro profatur: γενέσθω δὴ πρῶτον θεοειδὴς πᾶς καὶ καλὸς ὥσπερ, εἰ μέλλοι θεᾶσθαι θεόν τε καὶ κάλλος. ἥξει γὰρ πρῶτον ἀναβαίνων ἐπὶ τὸν νοῦν, κἀκεῖ πάντα

κῆ πάντα ἐθέλεται καλὰ τὰ ὄντα, καὶ φύσει τὸ κάλλος ἔστιν ἔναι τὰς ἰδέας. πάντα γὰρ ταῦτα καλὰ ἔστις νοῦ γεννήμασι καὶ οὐσία. τὸ δὲ ἐπέκεινα τούτου, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ λέγομεν φύσιν, προβεβλημένον τὸ καλὸν πρὸ αὐτῆς ἔχουσαν, ὥστε ὁλοσχερεῖ μὲν λόγῳ, τὸ πρῶτον καλόν. διαιροῦσι δὲ τὰ νοητὰ, τὸ μὲν νοητὸν καλὸν ὄν, τῶν ὄντων φύσει τόπων, τὸ δὲ ἀγαθὸν τὸ ἐπέκεινα καὶ πηγὴν καὶ ἀρχὴν τοῦ καλοῦ, ἢ ἐν τῷ αὐτῷ τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν πρῶτον θέσεται, πλὴν ἐκεῖ τὸ καλόν. Quæ sunt. Sit igitur quisq; primum Deiformis, & pulcher quisq;, si Deũ, & ipsam pulchritudinem sit contemplaturus. Veniet enim primum ascendens ad Mentem, ibiq; omnes species pulcherrimas noscet, & dicet hanc pulchritudinem Ideas esse. Omnia enim hæc sunt pulchra genituris, & substantia Mentis. Vltra uerò & supra hanc, naturam Boni dicimus, quæ propositum sibi pulchrum habet. Quocirca per sectã rationẽ est prima pulchritudo. Diuidens autem intellectualia, quod quidẽ est intellectuale pulchrum, formarũ dicet locũ. Bonum autem quod est ultra fontem et principium pulchritudinis, uel in eodem Bonum & pulchrum primum statuet, uerùm ibi pulchrũ. Hucusq; ille. Quæ etsi abstrusa Plotinicisq; usitata ratione proferuntur, hunc tamen habent sensum: Vides primum sanctißima illa duo, altißimaq; numina, quorum primum in omni uetusta Philosophia uocatur Bonum, secundum Mens? Ac loquitur dẽ eo, qui cupiat uidere uerã pulchritudinem, oportere eũ primum fieri Deiformem, aßimilari Deo, quòd nunquã ad uerum uenustatis intuitũ sit admittendus, nisi diuinã sibi similitudinem assumat. Est autẽ similitudo, Platone ipso teste, sanctitas, iustitia. Hæc habeat necesse est, quem tenet ueræ pulchritudinis aspiciendæ ardor. Atq; is qui beatitudinem hanc affectat, ascendens animo ad fastigium rerum, primũ gradum faciet ad Mentem: hæc enim est post summum Bonũ. Et ipsa dicebat hominibus, se ducem esse, & portam ad summum Bonũ: & quòd nemo potest uidere Patrem, nisi filius adduxerit, ac reuelarit. In hac igitur Mẽte, quæ fuit mundi melioris origo, omniumq; rerũ, quæ suis originibus, et rationibus æternis (quas Ideas Philosophi dicunt) continebantur, principium, cernet omnem Idearum uenustißimam uarietatẽ. Habent enim, ut superius uidimus omnes fateri, Ideæ locũ, sedemq; in ipsa Mente. Mens, ac Verbum, ut ait Philo, est Idearũ locus. Progressus igitur ad Mentẽ, cernet hic omnes Ideas, earumq; uenustatẽ: quæ quoniam Mente continentur (Mens enim habet exemplar omnis pulchritudinis) iure omnia sunt pulchra, Mente creatrice, genitriceq;, & substantia, siue existentia rerum. Vbi autem mentem attigerit, superabit quoq; alius ad aliũ sublimiorem, qui dicitur Bonum, seu natura bonitatis, quæ & ipsa pulchritudinem eximiam, et eandem, atque Mens, sed principalius complectitur. Eoq; fit, ut qui uelit perfectè loqui, statuat primùm pulchritudinem, ipsum Genitorem, uidelicet pulchritudinem, omniaq; bona dantem secundo, necesse est. Quocirca dirimens singula, locum quidem Idearum, uel formarum dicet ipsum intellectuale pulchrum, id est, Mentem.

Summum

Summũ aũt, & ulterius Bonũ, fontem uocabit, & principiũ pulchri. Quoniã etiã Mens, quicquid habet pulchri, habet ab illo principio. Aut in eodem gradu ſtatuet Bonũ, & Pulchrũ, ut nõ aliud fontẽ dicat, aliud ipſum Pulchrũ, ſed unũ, & idem. Ibiq; primũ hæc ſtatuet. Oſtendit etiã Plotinus cũ ſuperioribus Philoſophis, et prædicat hãc Mentem mũdi principiũ, inuentorẽ, et cauſſam, ut hinc ſumma maieſtas, diuinitasq; Mentis eniteſcat. Multaq; ſcitu digna, uelutiq; ineffabilia myſteria prodit de ea: in libro de Prouidentia. Quæ mihi nõ modò proponenda ſunt, ſed etiã declaranda, & explicanda, ut ſi quid obſcuritatis habeãt, aperiãtur, ut ueritas nuda, claraq; remaneat. πλὴν πρόνοιαν ὀρθῶς ἂν καὶ ἀκολούθως λέγοι μὲν τῷ παντὶ εἶναι τὸ νῦν νῦν αὐτὸν εἶναι, νῦν νῦν πρὸ αὐτοῦ εἶναι, οὐχ ὡς χρόνῳ πρότερον ὄντα, ἀλλ' ὅτι πρὸ νῦ δὴ καὶ φύσει πρότερον ἐκεῖνον, νῦ ἄντικρυ τοῦτο αὖ χέτυπον οἷον νῦ παράδειγμα εἰκόνος τόδε ὄντος, εἰ σοὶ φαίνεται νῦν, τὸ ἢ πᾶν ἠρθῶσθαι, νῦ εἰς ἅπαν σε ἐλήλυθέναι πλὴν σμικρᾷ μοίρᾳ αὐτοῦ πεῤῥοῶσθαι δ' ἀκινδύνως ὅλα ἕκαστα οὕτως καλῶς ἔχειν. Quæ ſunt, Prouidentiã rectè, et cõſentaneè in Vniuerſo dixerimus, quod ipſum uniuerſum ſit ſecundũ mentem, et Mens ante ipſum, non quaſi tempore priorem, ſed quia à Mente eſt, et Mẽs ipſa natura prior, et cauſſa huius, uelut archetypũ et exẽplar huius, qui ſit imago. Si igitur ex Mente dicimus pendere uniuerſum, et in omnia uim eius pertinere, ſic conabimur oſtendere cũcta bene poſita. Hæc Plotinus, Mentem aſſerens à maioribus confeſſã cauſſam mũdi, cuius quaſi ſit (ut Plato tradidit in Timæo) exemplar: mundus aũt, uelut imago, factus ad eã uim & formã, quã Mens animo cõplectere tur, quæ quidẽ forma, et cõceptus mundanus, ut Philo dixit, erat Mens ipſa. Sicq; apparet Mens mũdi principiũ, et cauſſa. Apparet hãc eam eſſe, à quo ſuſtineatur uniuerſitas, per quã omnẽ pertinet Mentis diuinitas. Hãc ait Plotinus rationẽ eſſe prouidentiæ uerã: quoniã cuncta fecit, poſuit, conſtituit, ordinibusq; diſtinxit Mens et poteſtas eius, per omnia cõmeans: ut hac una pulcherrima cauſſa, poßis in omnem rationẽ prouidentiæ latißimè tẽdere, oſtendens bene unicuiq; rei eſſe conſultũ, quia Mens fuit, eſtq; ſemper moderatrix. Quod aũt Plotinus hoc loco Mentem antecedere mundũ non tempore, ſed ut cauſſam, et autorẽ, & à quo ſuſtineatur ſemper mundus, aſſerit, ut uideatur (quod Proclus affirmat) æternitatẽ mũdi credere: dico eũ, quod plurimis Philoſophorũ accidit, diuerſa ſenſiſſe, & quod ſæpe fit, à ueritate ab illo ſuo ſenſu, reuocatiũ. Nec longis ambagibus opus eſt: ipſe in ſeipſum ſtet teſtis. Eodem enim libro hæc proſequutus eſt. Quoniã igitur mũdus omnis eſt id, quod factũ eſt, hũc tu aſpiciens, audire hæc fatentẽ fortaſſe poßis: ὡς ἐμὲ πεποίηκε θεὸς κἀγὼ ἐκεῖθεν ἐγενόμην τέλος ἐν πᾶσιν ζῴοις καὶ ἱκανὸς ἐμαυτῷ καὶ αὐτάρκης, οὐδενὸς προσδεόμενος: Quòd me creauit Deus. Et ego inde exiſtiti, abſolutio omnũ animantiũ, ſufficiens contentuſq; meipſo, nullius indigens, quoniam in me ſunt omnia, & plantæ, et animalia, & omnis generabilium rerũ natura, & Dij multi, & Dæmonum populi. Neq; enim γῆ μὲν κενόσμηται, terra quidem

dem plantis omnibus, & animalibus omne genus est ornata, & ad mare usq; per/
uenit animæ potestas: aêr autem omnis, & æther, & cœlum omne est animæ ex/
pers. Nouissimè cõcludit: νῦς τοίνυν λούς τι ἑαυτὸν, εἰς ὕλην ἀτρεμὴς, καὶ
ἥσυχος τὰ πάντα εἰργάζετο. Mens igitur cũ dedisset aliquid ex seipsa, in ma/
teriã stabilis ipsa, et quieta, & immota, cũcta moliebatur. Quibus testimonijs, siue
ultro, sponteq; pronunciatis, siue quòd non admittit aliũ natura sermonem, et uult
nos ad hãc rationem loqui, claret eum locutum, qua ratione loquuntur omnes, qui
principiũ habuisse mundũ fatentur. Et quo uerbo Moses dixit, In principio ἐποίη
σε, fecit, creauit Deus cœlum, & terrã: eodem usus est Plotinus. Sic etiã, operaba
tur, aut operatus est. Sic, ornata est terra, pertinuit, extenditq; sese animæ potestas.
Sic, inde ego extiti, uel sum effectus: & quòd Mens sine labore, sine commotione
sui, sed quiescens, immittensq; uim suam in materiam, molita est. Quæ quidem ostẽ
dunt, ac præ se ferunt quoddã tempus, quo sunt omnia creata. Neq; enim, qui sem/
piternam dependentiam designaret, præteritis, sed præsentibus uerbis uteretur: aut
si interdum præteritis, certè non semper. Diceretq; nõ fecit Deus, operatus est, sed,
operatur, producit. Quid quòd idem definit Prouidentiam? πρόνοιαν τὴν κατὰ
λογισμὸν θεῖον, ὡς ἂν γένοιτο, τὸ ἧ τὸ πᾶν, καὶ ὡς ἄριστον κατὰ τὸ
δυνατὸν εἶναι. Prospectio quædam, & consideratio Dei, ut fieret hoc uniuersum,
& ut optimè, quoad fas esset, haberet. Non ne hæc eum prospexisse, cogitasse de
re facienda, demonstrant? Non ne est Theologia Mosaica, quòd Deus fecit bene
omnia, quæ fecit, & uidit bene facta? His etiam Plotini dictis constat eundem esse
Deum, atq; Mentem: eamq; rationem esse manifestæ Prouidentiæ, quòd sunt om/
nia facta diuinitus, sapientissimisq; Mentis, Intelligentiæq; consilijs constituta. Vt
sit hoc illud Mosis. Et uidit Deus lucem, quòd esset bona. Sicq; ad unam quamque
rem creatam. Postremo, Et ecce omnia erant ualde bona, uidelicet à Sapientia sum
ma, perfectaq; Intelligentia creata. Tum est illud apud eum pulcherrimum, quòd
Mens est alius, & primus mundus, à quo mundus iste habuit principium.

Quod creatio sit Mentis, Genitore iubente, ipsa operante, & de duobus
his ex eodem Plotino. Cap. XVIII.

AD intelligendum quod Plotinus dixit, Mentem quietam, sine motu, concitatio/
neq; sui, cuncta fecisse, est operæpretium animaduertere, quæ Eusebius, & Cy
rillus contra Iulianum Imperatorem referunt Numenium locutum, primũ Deum,
(sic enim locuti sunt Platonici, primum Deum, Patrem, secundum, ipsam eius Pro
geniem uocantes) quietum & immobilem esse, Secundo dedisse ipsum, actionem,
autoritatemque creandi, quod quidem est ineffabile mysterium. εἰσὶ δὲ οὗτοι
βίοι, ὁ μὲν πρώτος, ὁ δὲ δεύτερος θεός, ἁπλοῦν δὲ ὅτι ὁ μὲν πρῶτος θεὸς
ἑστὼς, ὁ δὲ δεύτερος ἐμπαλιν ὄχεῖ κινούμενος. ὁ μὲν οὖν πρῶτος
περὶ τὰ νοητὰ, ὁ ἧ δεύτερος πρὸς τὰ νοητὰ, καὶ αἰσθητά. Ἐμὲ μὲν θαυμάσας
δὲ πάλιν εἰ δοκῶ ἔφλω, πολὺ γὰρ ἔτι θαυμασώτερον ἀκούσῃ, αὐτὶ γὰρ

ὃ πρόοὐσης δεύτερος, κινήσεως, τῷ προοῦσαν πρῶτῳ ἵασιν ἐναι φημὶ κίνησιν σύμφυτον, ἀφ' ἧς ἥτε τάξις τοῦ πόσμου, ὁ μὲν ἀΐδιος ὁ σωτήριος ἀναχεῖται εἰς τὰ ὅλα. Sunt, inquit, hæ duæ uitæ, altera quidē primi Dei, altera secundi: uidelicet quòd primus quidē Deus erit stans, quiescens: Secundus uerò rursum erit qui se moueat. Itaq; primus est circa intelligibilia, seu spiritualia: Secundus circa intelligibilia, et sensibilia. Neq; uero mireris, quòd hoc dixerim: Multo enim mirabilius audies. Nā promotione, quæ præexistit in secundo præexistentē primo missionem esse dico, motionemq; coniunctā, à qua et ordo mundi, et sempiterna, salutarisq; stabilitas permanet in omnia. Hæc Numenius: quæ & posteà necessariò profrerentur. Hic ego stupesco, attonitus hæreo, nec capio, nec explicare queo, unde tanta Theologiæ profunditas horū mentes inundauerit. Hoc mysterium altissimum est nostræ Theologiæ sacramentum, Patrem qui primo est Deus, mittere filium ad agendum, illum esse angelum patris. Et apud Philonem est ὕπαρχος, magistratus Dei: ὑποφήτης, declarator, interpres, quo pater est ad omnia tanquam suarum uoluntatum executoris usus. Ideo sicut uenit in mundum missus à patre, sic creauerat mundum & hominem, Prophetis apparuit, legem Mosi dedit, legationibus paternis est functus: Sic dedit ei iudicium pater, & ipse iudicabit omnem carnem. Deniq; non primus Deus unquam, sed secundus (Dico autem primum, & secundum, unum eundemq; Deum) monstratur, prædicatur uenisse. Non admiraberis igitur hæc apud Plotinum. Hausta sunt è superioribus Platonicis, Philone, Numenio, cuius lectioni perpetuam dedit operam, centumq; libros scholiorum, autore Porphyrio, in eum scripsit. Is prior etiam hæc prodiderat: τὸν μὲν πρῶτον θεὸν ἀργὸν εἶναι συμπάντων, καὶ βασιλέα, τὸν δημιουργὸν δὲ θεὸν, ἡγεμονεῖν δὲ ὁρατοῦ εἴντα: Primum quidē Deum uacare ab omni opere, uti regem: opificem aūt Deum imperare, per cœlum euntem. Philo quoque in optima diuinitatis Idea, primum florentem, nefas putat, ut ad hominis molitionē descenderet, misisse nuncium, legatumq; unigenitam prolem suam, quæ uias doceret, q; patris, cuius est sapientia, secuta, non hominem modò produxerit, sed omnem mundum decoris formis, ordinibusq; instruxerit. Hāc quoq; fuisse præceptoris Platonis sententiam refert, uti à Platonicis relatū & proditum diuus Cyrillus: ὁ γοῦν πλάτων θεὸν μὲν τὸν ἀνωτάτω φησὶ τὸ ἀγαθὸν, ἐξ οὗ τὸν γεμὲν ἀναλάμψαι νοῦν, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν προσεχῆ τῷ κόσμῳ δημιουργὸν· ὄντος ἐν ἀκινησίᾳ τοῦ πρώτου καὶ τρίτην εἰσφέρει ψυχὴν, ἀφ' ἧς τὰ πάντα κινεῖσθαι φασὶ. Itaq; Plato, inquit, supremum quidem, altissimum quē Deum fatetur ipsum summum Bonum. Cæterum ex eo emicuisse Mentem, & hanc esse proximum mundi opificem, primo manente in quiete, & uacatione. Tertiam inducit animum, à qua cuncta cieri, agitariq; censet. Apparet igitur (ut loquar ipse) quodam admirabili, & cœlesti beneficio (Non enim humana consideratione eò peruenire potuerunt) eos audisse, legisseq; in uetustissimis oraculis

duos

duos Deos, in unam ſubſtantiam diuinitatemq; coniunctos: quorum primus admirandæ, ſuſpiciendæ, auguſtæ maieſtatis, mitteret ſecundum ab ſe genitum ab æterno, ad omnia. Et hæc eſt illa toties ab ipſa diuina Mente prædicata Theologia: Dominum ſuam non eſſe ſuam, ſed eius qui miſiſſet eum. & Quòd ſic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium ſuum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. & Sicut miſit me uiuens pater, & ego mitto uos. & Quòd pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Deniq; quòd eum ſemper prædicabat genitorem, maioremq; ſuum, præceptorem, mittentem: Illi cultos honores uti maiori ac patri deferebat. Nec alia propè fuit ab eo reuelata Theologia, quàm quòd à patre miſſus, rediturus ad eum, certo tempore circumacto, uenieſſet, faciens omnia, ſumpta humana figura: quæ pater non fecit, ſed uoluit & iuſſit filium, Deumque ſecundum facere, ſicut & opificem mundi eum miſerat. Eademq; ratione, ſecundus Deus, mundum & hominem creauit qua prædicatur: ueriſimumq; fuit in mundum eum uenisſe, ea exequentem, quæ primus non quidem fecit, ſed uoluit, iuſſitq; ut magnus genitor, facere ſecundum. Cuius eſt clariſima ratio, quòd è duobus, quorum alter Genitor, alter Genitus eſſet, Genitus debuit parere, & facere quod non decuiſſet facere priorem, præſente ſecundo. Cuius rei tota humana progenies fuit imago, ubi maieſtas & præcellentia genitorum (ſi parua licet componere magnis) ſuper genitis apparet. Atq; ubi iuſtitia regnat, iubentibus genitoribus parent pie, reuerenterq; nati. Id, ut dixi, fuit imago eius, quod ab æterno præceſſit in Deo. De qua re mirabile eſt & ſtupendum, Platonicos tam profundè philoſophari: & dicunt id ſenſiſſe Platonem, qui Chriſtum natum plus ducentis & quinquaginta annis anteceſſit. & Plotinus teſtatur hos ſermones non nouos eſſe, ſed uetuſtam quandam, neſcio quibus à locis manantem ad Græcos, Theologiam. Atque iterum tradit Plotinus, etiam diuo Cyrillo teſte: Τὸν δὲ αἴτιον τοῦ ὄντος πατέρα φησὶ τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἐπέκεινα νοῦ, καὶ οὐσίας, πολλαχοῦ δὲ τὸ ὂν καὶ τὸν νοῦν, τρίτον ἰδέαν λέγει. ὥστε πλάτωνα εἰσηγήσαι ἐκ μὲν τοῦ ἀγαθοῦ νοεῖν, ἐκ δὲ τοῦ νοῦ τρίτον ψυχὴν, καὶ εἶναι οὕτω λόγους τούτους, μὴ ἰδίους, μὴ δὲ νέους, ἀλλὰ παύτα μὲν εἰρῆσθαι μὴ ἀναπεπταμένως, οὓς δὲ νέους λόγους ἐξηγητὰς ἐκείνων γεγονότας, μαρτυρίοις πιστωσαμένους τὰς ὀξαλαύσας παλαιὰς εἶναι, οἷς αὐτὸ τὸ πλάτωνος γράμμασι. Cumq;, inquit, autorem & cauſam dicat ipſam Mentem Plato, eius quoq; patrem dicit ipſum Bonum, & id quod eſt ultra Mentem & ſubſtantiam. Multisq; in locis ipſum ens & ſubſtantiam ideam appellat. Quocirca Platonem nouiſſe, ex Bono quidem Mentem, ex Mente Animam exiſtere: & hos ſermones, non nunc natos, ac nouos eſſe, ſed cùm omnia ſuperioribus ſeculis obſcurè dicta eſſent, his uerbis eſſe declarata & uelut ab interpretibus explanata, has eſſe uetuſtas ſententias ipſius Platonis, libris eius pro teſtimonio nobis utentibus. Sic Plotinus. quibus non

est mirabilius quicquam, non ipsos tantum, qui Christianam religionem non colebant, sed etiam, uelut ineptam, ac superstitiosam, ad cuius profundissima sacramenta non attigerant, sed uulgi opinionem, contemptumq; sequentes, aspernabantur, confessos esse, sed longè antiquiores, hæc mysteria. De quo superius. sed nequeo mihi moderari, quin repetam, & inculcem, quæ mihi suauia iucundaq; sunt.

De eadem Mente ex Plotino mirabilis Theologia, ut à Patre generetur, omnibus bonis ditetur. Cap. XIX.

IDem in libro de Prouidentia & speculatione, multa disserit ueneratione, & cultu dignissima, sed explicanda, declarandaq; nobis. Mens, inquit, indiget ipso Bono, Bonum eius non indiget. Vnde fit compos ipsius Boni, efficiturq; ἀγαθοειδὴς, ipsi Bono similis, & perficitur à summo Bono, specie quidem, siue Idea, quæ est in ipsa Mente, quæ uenit ab ipso Bono, eam efficiente ἀγαθοειδῆ, Boniformem. Ac quasi cernitur in ipsa Mente uestigium summi Boni. Eiusmodi archetypum cogitare conuenit reputando, quod uerum est in eo, ex uestigio quod ad Mentem peruenit. Itaq; uestigiũ eius, quod est in ipsa Mente, dedit ipsi Menti aspicienti, ut in ipsa sit cupiditas, & semper cupiens semper assequatur. Illic aũt neq; cupiens est (quid enim cupiat?) neq; qui assequatur: neque enim cupiebat. Non igitur neq; Mens cupit: Nanque cupiditas est in ipsa, & intellectus ad speciem eius. Cùm igitur Mens sit pulchra, imò omnium pulcherrima in lumine puro, & claritate pura: καὶ παύτων καλλίστη γὰρ φωτὶ καθαρῷ, καὶ αὐτῇ καθαρᾷ, & τῷ τῶν ὅλων πόθι λαμβάνοντος φύσιν, ὃ καὶ ὁ καλὸς ὅδε κόσμος, σκία καὶ εἰκών, καὶ γὰ πᾶσα ἀγλαΐα κειμένη, ὅτι μηδὲν αὐτόπτον, καὶ σκοτεινόν, μὴ δὲ ἄμετρον γὰ αὐτῷ ζωῇ & ζωῇ μακαρίᾳ, θάμβος μὲν ἔχοι τὸν ἰδόντα, ἡ τόλμα, ἡ ὡς χρὴ αὐτὸν εἰς ὁ ὄντα, καὶ αὐτὸν γνωμθῆναι ἐνέ. Et cùm omnium naturam complectatur: cuius & iste pulcher mundus est umbra & imago, & in omni claritate ea refulgente, quoniam nihil incognitum, & obscurum, neq; immensuratum est in ipsa, uiuente uitam beatam: stupor quidem subiret aspicientem, & istum, & ut oportet, penetrantem, ibiq; unitum, factumq; unum & idem. Vt autem, inquit, qui suspexit cœlum, uideritq; claritatem astrorum, cogitat & quærit τὸν ποιητὴν, creatorem: sic oportet, & qui mundum intelligibilem contemplatus, & intuitus, admiratusq; est, eius opificem, qui eum constituerit, inquirere, aut ubi, uel qui, ὁ τοιοῦτον ὡραῖον γεννήσας νοῦν κόρον καλὸν, & παρ' αὐτοῦ γνόμενον κόρον, φανερῶς τοι, ὅτε νοῦς ἐκεῖνος ὅτε κόρος, ἀλλὰ ἡ πρὸ νοῦ καὶ κόρος, μετὰ γὰρ αὐτὸν νοῦς ἡ κόρος, ἀναθέντα ἡ κορέσθη, ἡ γενόμενα, ἀπλήσιον ἦ ὅτι, ἢ αὐχνοῦς, ἡ τὸ νοῆσαν δεῖν δεόμενον, πλήρωσιν ἢ ἀληθινὴν, ἡ νόησιν ἔχει, ὅτι πρῶτος ἔχει, τὸ ἢ πρὸ αὐτῶν ὅτε δεῖται, ὅτε ἔχει, ἢ ὃν ἂν τὸ ἀγαθὸν εἴη, Talem genuit filium & puerum pulchrum, & abipso genitum filium. Omnino autem neq; Mens ille, neq;

neq; coros, id est, filius, uel ubertas est, sed et ante Mentem & filium, uel satietatem. Post ipsum enim Mens & filius, aut satietas est, quem oportuit satiari, & intelligere. Quæ proxima quidem sunt ei, qui non indiget, neque habet opus intellige re. Plenitudinem autem uerã, & intellectionẽ habet, quia primò habet. Quod uerò antecedit hæc, neq; indiget, neq; habet: alioquin non esset summũ, uel ipsum Bonũ. In his Plotini uerbis est omnis hæc Theologia. Bonum, quoniã primò Deus, est Genitor, ac pater omnis substantiæ, bonorumq; suorum, Menti largitor, non indigere Mentis: contrà autem, quoniam sit proles, & genita, lumen de lumine ipsa Mens indigere ipsius boni: quippe quæ à patre suo generetur, nec posit non generari, nec lucens lucere aliunde posit, quàm ab illo. Dat Bonum omnia ipsi Menti, totam substantiam, uidelicet gignendo dat diuinitatem: Pater autem à Mente nihil accipit. Et quoniam cuncta, quæ pater, aut ipsum Bonũ posidet, habet etiam, inde fit, ut Mens sit ἀγαθοειδὴς, imago summi Boni, speculum diuinitatis, ut qui uideat Mentem adamusim, uideat ipsum patrem, ac Bonum. Peruenit autẽ à summo Bono, ad Mentem Idea, & uestigium, siue creati mundi, siue ipsa bonitatis species, totaq; substantia, & diuinitas: ac tanquam à primo Sole, Sol alter eluxit. Quo fit, ut si uideas hunc secundum, putes te uidisse primum Solem. Quoniamq; pater est pulcherrimus, pulchritudo, itẽ est et uenustas, à Mente cernitur, et consideratur, et desideratur, concupiscituráq; semper: nec Mens frustratur concupiscendo, sed simul cupit, simul assequitur. Nec quisquã est, siue angelus, siue quouis alio gaudeat nomine, qui fructum capiat tantum ex summo Bono, ut Mens. Est enim filius in sinu patris. Suspectus ergo & consideratio est Mentis ad primum: Primi nõ suspectus, sed amor. Nec bonũ habet, cùm sit eminentissimũ, quod aspiciat, ut maius, sicut Mens aspicit eum. Est autẽ Mens pulcherrima, in luce claritatis suæ, cõplectiturq; omnem rerũ naturam. Est omniũ principiũ, & fons, cuius est pulcher is mundus umbra, & imago, ut dictũ est à Platone Apparetq;, quod etiam tradit Philo, Plotinum, nunc mundum νοητὸν, de quo scribit in Timæo Plato, interpretari ipsam Mentem, ut nihil sit aliud mundus archetyptus ille, quàm ipsa Mens. Cùm inquam ipsa Mens sit in summa claritate, & pulchritudine. Erat enim, ut ait noster, quem Plotinus hoc loco sequutus uidetur, in eo lux uera, quæ illuminat, omnem mundum, & in eo tenebræ non sunt ullæ.) Tum cùm sit (ut idem etiam ait noster) in ipso uita beata, si quis & istum uideret coniunctus cum eo, idémque effectus, obstupesceret, attonitus hæreret, eueniretque ei, quod illis, qui dixerunt, uisa hac pulchritudine & claritate, Bonum est nos hîc esse. Vt autem, inquit, qui suspicit cœlum, attollitur in considerationem opificis: sic qui uiderit hanc Mentem, & mundum intelligibilem, necesse est inquirat, quis eum genuerit, quis & hunc filium genuerit, & satiauerit, impleueritq; sapientia, dederitque pelagus sapientiæ. Nam primus, ipsumque Bonum, sapientissimus est, nec indiget qui eum compleat uberate sapientiæ, & intelligentiæ. Est enim eminentissimus,

iureq; uocatur ἀνενδεὴς, non indigens. Habet autem Mens πλήρωσιν, plenitudinem, ueramq; sapientiam: quoniam prior ipsa habet, & fruitur. At uerò, quod Mentem antecedit, non quòd sine sapientia sit (nam Chaldæus, & Mercurius dixerunt utrunq; Mentem sine Intelligentiam, priorem q; Mentem genuisse secundam) sed quia à nemine accepit, dicitur non habere. Nam si acciperet ab ullo, non esset summum Bonum. Proxima autem, imò coniunctissima, est Mens, seu satietas cum summo Bono, ut superius monuit, cùm dixit, καὶ μᾶλλον ὅταν ὦσι μόνοι τὸ γεννῆσαν, καὶ τὸ γεγεννημένον: Et maximè cùm sunt unum Genitor & Genitum. Hæc est tota Theologia Plotini, eam non à maioribus modò, Platone, omnibusq; eius, & superioris ætatis Philosophis, deducentis, sed uidetur prorsum nostrum expressisse Ioannem. Nam quod ille dixit, Verbum fuisse in principio, id est, ab æterno apud Deum: est quod Plotinus inquit, Diligit Genitor Genitum, maximè cùm sunt unum utrunq;. Erat apud Deũ, uidelicet erat coniuncta, unita cum Deo, & cohærebat Mens inseparabiliter. Sic, Quòd sine ipso factum est nihil: est, quòd ipse plenitudinem habet, & scientiam omnium rerum, atq; exemplum à patre. Ecce item, uita illa beata, claritas, gloriaq; filij, quam habuit priusquam mundus fieret. Ecce stupor & extasis intuentium gloriam filij Dei, & summa uoluptas: circunstant animæ dextra læuaq; frequentes: Nec uidisse semel satis est, iuuat usq; morari. Deniq; ecce Genitor & Filius apud Plotinum, qui Christianus non fuit. Veritas igitur, quoniam est Solis claritate luculentior, nunquam latuit.

Summa eorum quæ diuinitus Plotinus de primo & secundo est locutus, de Bono, de Mente ab eo genita, Idearum plena, sapientissima origine mundi. Cap. XX.

SEd quoniam tanta est apud Plotinum tamq; ineffabilis Theologia, quem prosapientiam ut superstitionem insectabantur: quo quidem apparet eos Andabatarum more contra ueritatẽ depugnasse, quasi cæca uulnera offerentes ei, quã traditam à suis uenerarentur, adorarent, suspicerent, diuinos qui de ea loquerentur, prædicarent: proponenda sunt pauca ex his quæ scripsit ad alia pressius in libro de Tribus hypostasibus, inscribens eum, περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, De tribus principalibus hypostasibus, uel, tribus imperatricibus subsistentijs, illis scilicet tribus regibus de quibus egerat in epistola Plato. In eo libro asserit, Mentem à summo Bono generari, à Mente animam mundi, id est, Spiritum ipsum. Ac primum appellat supremum, Vnum dicens, ascendendum esse μεχρὶ τοῦ ἀκροτάτου, καὶ ἑνὸς καὶ πρώτου, Vsq; ad altissimum, & primum. Ab Anima dicit omnes animas natas, ut postea latius ostendemus. De ipsa uerò Mente loquens, in omnem mundum magnitudine, & pulchritudine, & ordine, motuq; perenni insignem hortatur respicias. Tum Deos in ipso perspicuos, alios obscuros dæmonas, animalia quoq; & plantas. Ad eius itẽ archetypũ, ueriorem q; mundũ ascendens, omnia ibi cernas intelligibilia, & in ipso sempiterna, ut in propria sapientia, & uita, expol

τα, exponens, ut reor, et usurpãs illud Ioannis, Quod factũ est, in ipso uita erat. Plotinus aũt ea fuisse ἐν οἰκείᾳ, συνέσι, & ζωῇ, in sapiẽtia sua domestica, et uita. Tũ prosequitur, & τόδε τὸν ὅλον ἀκήρατον νῦν προσάπτει & σοφίᾳ ἀμήχανον. Et horũ omniũ principẽ, ac præfectã Mentẽ, et incomprehensibilẽ sapientiã. uidelicet illius intelligibilis mũdi, et Idearũ. Quod idẽ sonat, atq; quod alibi sæpe locutus est, Esse mundũ intelligibilẽ, et Ideã mũdi, ipsam Mentẽ. Audisti sapientiã ineffabilẽ. Prosequitur hũc Deũ et Mentẽ esse magnũ, cui cùm contẽplator appropiauerit, ζητεῖ τις οὗ ὁ τοῦτον γεννήσας, ὁ ἁπλοῦς, καὶ ὁ πρὸ τοῦτο πλήθους, ὁ ἄλλος, καὶ τὸ εἷν, καὶ πολλὰ εἶναι τοῦτον ὁ νοῦν ἀρίθμὸν ποιῶν: Quærit quis hunc genuerit, respõdetq; simplex, et ante talẽ multitudinẽ, Autor et essendi, et ut magnus esset is, qui et numerũ faciat. Pater scilicet et principiũ Filij, ut nostri et Græci: simplicissimus ipsa Vnitas, et quòd cum eo Pater omnia genuerit, fœcunditatẽ scilicet omniũ formarũ, ac specierũ, et quòd omnia complectatur, cuncta continens, in amplexu suo, sapientiæq; pelago. Hanc esse priscorũ Theologiã, è quibus Parmenides tres illas hypostases exquisitius ab inuicẽ separauerit: Primũ appellantẽ, ipsam principalẽ Vnitatem: Secundũ Vnum multa, ut postea dicemus: Tertiũ, Vnum & multa. quorũ rationes libro secundo reddentur. sicq; consentire Parmenidẽ φύσει τρισὶν τοῖς τρισὶν, Tribus naturis (sic enim loqui consueuerant) Anaxagorã autem Mentẽ purã, et intemeratã statuentẽ, primatũ rerũ posuisse simplex, et separabile, ipsum Vnum: Heraclitũ quoq; ipsum Vnũ agnouisse sempiternũ, & intellectuale: Empedocli materiã fuisse quatuor elementa, amicitiã ipsum Vnũ, incorporeũ quidem, quoniã elementa corporea. Deniq; ueteres præcipuè, qui Pythagoræ, et Pherecydi succesissent, huic supremæ, simplicissimæq; naturæ, cum primis incubuisse, sed alios sensa sua scripta reliquisse, alios non scribendo, sed in communi sermone tradidisse, esse uidelicet ultra ipsum Ens, τὸ ἕν, ipsam Vnitatẽ, sequi deinceps τὸ ὄν, & νοῦς, id quod uocatur Ens, & Mens. Tertia iam animi natura. Ac quemadmodũ ea terna inueniantur in natura, sic arbitrandũ esse apud nos. In libro quoq; de Generatione, et ordine eorũ, quæ post Primũ, dicit ipsum Vnũ, uidelicet Patrẽ, genitorẽ esse τὸ ὄντος, ipsius Entis, nimirũ Mentis, hancq; esse primã generationẽ. Nã cùm sit perfectissimus ipse Genitor, qui neq; quærat, neq; habeat, neq; indigeat, uti superius monebat, summaq; eius ubertas genuerit alterũ Genitum quidẽ, in ipsum conuerti Genitorẽ, ac repleri, Genitumq; esse in eum respicientẽ: & νοῦς οὗτος, hunc q; esse Mentẽ. Hæc et id genus præclara multa eo & sequentibus libris. Plotinus docens ipsum Primũ esse sibi copiosissimũ, uberrimum suæ bonitatis fontẽ: etiam simplex, et primũ omnium, appellatũ τὸ ἐπέκεινα οὐσίας, ultra substantiã, scilicet ultra Mentẽ, quæ dicitur Substantia, et Ens: Quòd sit principiũ ingeniũ, & perfectissimũ omnium, prima uirtus, et potentissima, quam omnes aliæ uirtutes imitentur: & quòd ἀεὶ δὴ καὶ τιμιώτατον εἶναι τὸ γεννῶν τὰ ἑφεξῆς, ἀεὶ δὴ καὶ τιμιώτατον εἶναι τὸ γεννώμενον, καὶ δεύτερον ἐκεί-

νους τῶν ἄλλων ἄμεινόν ἐστιν, Oportet pretiosissimum esse quod gignit posterio/ra, oportet pretiosissimum esse genitum, et secundū ab illo, omnibus rebus melius, proles scilicet prima omnium, meliorq; ut Chaldæus dicebat: idem esse Mentem et ipsum Ens: & quod ait in libro de Bono, intelligibilia non esse extra Mentē. Hanc unam naturam nempe Mentem esse omnes res: Esse τὴν ἀλήθειαν, ueritatē, quem admodum ipse locutus est in mundo: Esse Deum magnum, eam naturam, καὶ θεὸς δεύτερος, et secundum Deum, proferentem, & ostendentē seipsum, antea quàm uideat illum: Esse regem, non rerum à se exterarum, sed iustissimo, naturaliq; im/perio, et uero regno. ὅτε δὴ ἀληθείας βασιλεύς, utpote rex ueritatis, Vt in no/stris literis extat, & Dominus uniuersi, secundum naturam, γεννήματος καὶ θείας τάγματος, prolis & diuini ordinis, Rex regū, & pater Deorū iustè appellatus. In libro aūt de Pulchritudine intelligibili, sapientiæ, inquit, magnitudinē, et potestatē quis perspiciat? quoniā secum habet, & fecit entia, seu res, & omnia consecuta sunt eum ea, & ipsa est, quæ sunt & fuerunt cū eo, et substantia illic est sapientia. Pluráq; alia diuinissima, in quibus etsi possunt esse (neq; enim est, cur absolutam in/uiolatāq; Theologiā, quemadmodū à nostris ab illis expectes) quæ limā nō respuā, eò tamē scopus intendit, ut omniū seculorū sapientia, quæ nouissimis diebus, ruptis omnibus claustris inundauit in orbem terrarum, eorum testimonijs appareat. Ecce enim Plotinus, maiores Græciæ Philosophos, ipsam Vnitatem, primū principium, altissimumq;, Diuinitatem fatetur sensisse, deinceps Mentem. Sic apparet Christia/nā religionē uetustissimā esse, reuelatam postea, exhibitamq; passim omnibus, uel pueris, & fœminis, quæ quondā apud solos Philosophos, nec perfectè intellecta, la/titaret. Præclara uerò sunt & illa, quæ in libro de Ideis, An sistendū sit, ubi Mens: an ad id, quod est ultra Mentē, sit procedendū. Mens, inquit, præfuit principio pri/mo, tanquā in uestibulis ipsius Boni, annuncians in ipso omnia, tanquā τύπος for/ma, aut imago illius, magis in multitudine, quàm ipsum quod manet in Vnitate. Cō siderandamq; Mentis huius naturam, quam ratio pronunciet esse τὸ ὄν ὄντος, & τὴν ἀληθῆ οὐσίαν, uerum Ens, & ueram Substantiam. Eandem esse χορηγὸν τῶν λόγων, quasi dixeris, fontem rationum, et quòd uerè intelligat ea, quæ sunt & intelligendo creet. Esse igitur eam τὰ ὄντα, ipsa entia. Hæcq; esse ante mun/dum, Ideas nempe, non figuras, aut imagines ab alijs rebus nascentes, sed ἀρχέτυ/πα, & πρῶτα, καὶ νοῦ οὐσία, Archetypa, et prima, & Mentis substantiam. Eoq; infert, νοῦς μὴ λανθάνων τὰ ὄντα, Mens igitur esto ea, quæ sunt. Eandem Mentem pronuntiat, non simul, ac aliquid cogitauerit, aut intellexerit, continuò creare, ne/que enim quum Deum cogitasset, factum est uidelicet aliquod astrum, neq; statim, ut motum cogitasset, creatus est. Quo declaratur, non omnem eius intellectionem, esse creationem, sed duntaxat quum uult. De eadem in libro de Generibus entis lo/quens, Aspice, inquit, in hac magna Mente & incomprehensibili, non πολυλαλῶ, multa loquente, & uerbis creante, sed πολυνῶ, multa intelligente, id est, sapi/entissima, quomodo omnia sunt ex ea. Estq; ἓν καὶ πολλά, Vnum & multa.

Hæcq;

Hæc ſi multa, inquit, ſunt uires admirandæ eius, non debiles illæ quidem, ſed puræ, maximæ, conglobatæ uirtutes, at uires ueræ. Neq; hæ uſq; ad certum modum procedentes, ἄπειρον τοίνυν, καὶ ἀπειρία καὶ τὸ μέγα, Infinitas igitur ipſa, & immenſitas, & magnitudo. Hæc magnitudo cùm pulchritudine ſubſtantiæ, quæ eſt in ipſa, & ſplendore, et lumine. Ex quibus Plotini uerbis, ipſo auro pretioſioribus, fit perſpicuũ, Mentẽ eſſe ipſam rerũ uniuerſalem, ſpiritualiter, formaliterq; ſubſtantiam: eſſe ſapientiã infinitam, eſſe omnia, ſed formaliter, uirtualiter, originaliter, diuino, & ineffabili modo. Eſſe imaginem, et ſpeculũ Bonitatis, ut eſt apud Sapientem, eſſe ueram ſubſtantiam. Res noſtras præ illa eſſe uti ſimulachrum, ſicut mens noſtra, eſt eius imago. Et quod maximè obſeruandum, figendumq; in pectore, colliges ex Plotino, Ideas nil aliud eſſe, niſi uires illius ſapientiæ infinitas, immenſas, admirandas, quibus in omnia tendit eius ineffabilis inuentio, et molitio, ut his uiribus omnia creata, & creanda contineantur. Ea cauſa eſt, quòd cùm multa ſint Hebræis nomina diuina, illud in creatione Moſes uſurpauit, quod deſignat fortitudinem, potentiam, Elohim. Illa igitur multa, quæ ſunt in eo, ſunt Ideæ. Ideæ autem ſunt uires eius ineffabiles, immenſæ, fontes fœcundiſſimi, formæ primæuæ, in unam diuinitatem conſentientes. Non enim, etſi multitudinis nomine nuncupantur, ſunt multæ: ſed multæ ſunt, & unum. Is eſt ueriſſimus, optimuſq; Idearum ſenſus, dignus qui recipiatur, & inter principia rerum primo loco habeatur. Quanquam non erunt duo principia Deus, & Idea, niſi quadam conſideratione.

Ex Theologia Chaldæorum apud Sibyllas, de Prole diuina, quod ſit Regina mundi uiſibilis, & inuiſibilis: & quod à Patre princeps conſtituta. Ex quibus eſt confirmatio & cõprobatio eorũ, quæ ſuperius Platonici dixerunt. Cap. XXI.

EX Chaldæorum Theologia ſunt etiam Erythreæ Sibyllæ teſtimonia, quæ Chaldæa fuit: filia, ut fama eſt, Beroſi Chaldæi, appellata fortaſſe Erythrea, non ab Erythris Ioniæ urbe, ſed à ſinu Perſico, & mari rubro, quod uſq; in Perſas & Indiam pertinens, Erythreum, ſiue rubrum uocatur. Potius autem ab Erithro rege, ut duces Alexandri teſtabantur: cuius ſepulchrum eo in littore ad ueteris regis memoriam conſpiceretur. Hæc præclara edidit oracula, ut & claritate, & numero carminum cæteras omnes tum Sibyllas, tum Prophetas anteceſſerit. Nullus enim prophetarũ tam clarè & apertè de Filio, & Genitore, de creatrice Mente, de rebus ab ea gerẽdis, humana natura, diuinitati cõiuncta, ſcripſit. Cuius quũ ad manus Romanorũ carmina perueniſſent (neq; uerò omnia peruenerunt, ſed uix minimæ pars) nõ intellecta, ut quæ ad res eorũ nõ pertinerent, ſæpe peruerſè interpretabantur. Eadẽ igitur ea, pluribus eius oraculis omiſsis, cecinit de Mẽte, atq; Magi: ut omnibus è locis fiat perſpicuũ, Mentẽ à Græcis uſurpatã, aſcitamq; ad rerũ creationem, non fuiſſe, niſi eundem, quem poſteriora ſecula confeſſa ſunt creatorem: cuius laus et gloria, et diuinitas, ac maieſtas ſemper celebris, ſemper nota terris fuit, ſed ut Dei, nõ ut filij Dei, niſi longè paucis. Oraculũ Magorũ dicebat patrẽ omnia pa traſſe, et Menti, quæ prima celebretur à mortalibus, tradidiſſe, ſcilicet patrẽ per ſuã

hanc prolem esse creatorem, tradentem ei totam potestatem autoritatemq; creãti, altero dante, altero recipiente. Sic & principium rerũ à genitore Mentẽ constitutam. Peculiareq; est eius oraculi testimonium, imperatorem mundi esse filium, esse Mentem: sed imperio accepto ab alio, nempe à genitore: ob quã causam eum dicebat omnia perfecisse. In eo igitur est filij diuinitas, ut tũ sit à patre genitus, tum omnium rerum creandarum ab eo quondam, postea conditarum, imperium acceperit. Hoc clamant nostræ literæ, docentes per hunc creatas esse res: hunc iudicẽ uiuorum, ac mortuorum à patre constitutum. De seq; ille ipse, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. omnia concordia, mirabilesq; omnium seculorũ consensus. Quod diuinũ Magorũ prædicabat oraculũ, quod Plato, Platonicíq; omnes, non ità fortasse cognitum ante Christum fuisset, donec præsentia eius fecit clarissimum. Sibyllam igitur Chaldæam eadem prædicantem, & totam hanc diuinitatem duobus carminibus exprimentem, audire iucundum est. Nam cùm de patre Deo, à quo principium carminis fuerat auspicata, plura dixisset, sicut Magi, adiungens ei ius ad filium maiestatem protulit,

Παντοτρόφου κτίσιν, ὅσις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο, ἡγητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε. Id est,

Diuorumq; ducem, & qui cuncta aleretq; crearetq;,
Instituit, dulcem qui uitam homini dedit omni.

Duo sunt in hoc carmine, quæ Christiani, id est, patefactæ & notæ Mentis adoratores cognoscentes, mira lætitia exiliant, omnibus gaudijs incessant. Clamat Sibylla patrem dulcem omnibus uitam dedisse. Oraculum Magorum, omnia patrem perficisse: Theologia Hebræorum, Qui fecit cœlos per intellectum: Theologia Christiana, patrem uocat creatorem cœli & terræ. Multa id genus Platonici. Prosequitur uates, Constituit eum παντότροφον κίσιν, creatorem, fouentem, sustinentemq; omnia, alentem cuncta. Eundem dicit à patre datum principem & imperatorem Deorum, quasiq; regem corporearum incorporearumq; rerum. Quod & Hebraica Theologia semper respiciens, uocat eundem dominũ exercituũ, quasi regem ac principẽ, ductoremq; Deorũ, quos angelos & deos appellat. Chaldæus igitur, Omnia perfecit pater, tradiditq; Menti secundæ, quam credunt dicuntq; primã omnes homines. Græca Theologia, autorẽ & creatorẽ, & omnis ordinis inuentorẽ, terram informẽ, formis decorantẽ, Mentem siue Intelligentiã prædicabãt. Hebræa Theologia, præter alia hunc uocat spiritum super chaos operantem: tum ait eadẽ, Qui fecit cœlos in intellectu. quod sonat, per intelligentiã. Nam apud Hebræos in, est per. Idemq; dicit Græcus atq; Hebræus. Idem apud Græcos νῶς, intelligẽtia, atq; Hebræum, spiritus super aquas, & intelligentia creans cœlos. Nouissima Theologia totum uulgata per orbẽ, quoties hæc prædicat? Considera & confer hoc oraculum cum magni Pauli dicto. Cui enim, inquit, angelorũ aliquando dixit, Filius meus es tu, sede à dextris meis? Sibylla uerò, Constituit eum pater ἡγητῆρα, principẽ, regem,

regem, ducem angelorum, id eſt, Deorum. Dij enim apud Hebræos & noſtros angeli uocantur: Vt illud, Minuiſti eum paulominus ab angelis: Hebraicè ab Elohim, id eſt, dijs. & illud, In conſpectu angelorum: in Hebræo, In conſpectu deorũ. Aſpice diuinitatem, maieſtatemq; filij à diuinitate genitoris non ſeparatam. Duos hi omnes fatentur, unum tamen oſtendunt. Vt niſi ſit in dictis eorũ altiſſimum myſterium, ſit neceſſario contradictio. Chaldæus omnia perfeciſſe patrem, ac filio, qui Mens prima ſit, dediſſe. Vates autem patrem, dulcem ſpiritum, dulcem animã omnibus infudiſſe. Poſt, omniũ creatorẽ, & alumnũ illum, ſecundum uocat. Duos ergo & unum. Nam utriq; dant rerũ creationẽ. Planè igitur omnẽ filij diuinitatem, autoritatẽ, ac facultatẽ uenire à patre tradiderunt. Quoniamq; utrunq; uocant uitarum datorẽ, eorũ apertè coniungunt diuinitatem, coniunctamq; uociferantur, & adeò coniunctam, ut omnia habuerint duo principia, ueluti unum, duos creatores, quos ob id coniunctiſſimos, uniſſimosq; aſſerunt, quia non poſſunt eſſe duo mundi creatores. Si enim dat cunctis dulcẽ ſpiritũ ipſe pater, iuxta Sibyllã: & ſi pater omnia perfecit iuxta Magos, quid reſtat menti ſecundæ? Atqui ijdem mentẽ declarant creatricẽ. Videbant igitur, aut auditã prædicabant coniunctiſſimã ſubſtantiã ſubſtãtiam & diuinitatẽ, confeſtiq; ſunt filiũ regẽ deorũ, creationis principẽ, ſed eius à patre genitã ſubſtantiã & autoritatẽ. Totaq; deducitur Theologia ex hoc oraculo. Magi nomẽ patris uſurpant, eo primã illã dictatricẽ, genitricemq; Mentẽ nuncupantes. Quæ ſi pater eſt eorũ teſtimonio, certè propter eũ quem genuit. Sic æterna generatio. Tum autoritatẽ quandã maiorẽ, gradumq; inter illos oſtendunt, dũ alter dicitur pater, dicitur primus, dicitur tradere creationẽ alteri, conſtituit eũ omnium creatorẽ. Iungunt aũt diuinitatẽ & ſubſtantiã, quia iungunt creatorẽ. Si enim eſſet ſeiuncta ſubſtantia, etiã autoritas & facultas: aliudq; fieret ab uno, aliud ab altero. Sed cùm rerũ creatio ſit opus eminentiſſimũ, ſi tantũ à patre id fit, quàm à filio, neceſſario ſunt una ſubſtantia, una autoritas, poteſtas una, unum imperiũ, una diuinitas. Quicquid enim fit ab uno, fit itẽ ab altero. Quod fieri nõ poſſet, niſi eſſet unũ. Sic erant in antiquiſſima Chaldæorũ Theologia pater & filius. Et lumen quod poſtea in immenſas excreuit flammas, tunc quaſi in crepuſculo ſcintillabat.

Fidele eſſe Magorum Sibyllarumq; teſtimonium: Cap. XXII.

SI quis autem eſſet, cui forſan incredibile uideretur hæc à Magis & Chaldæa Sibylla dicta & cognita fuiſſe: is ſi libros Platonicorum dictis ac Theologia iſtorum Magorum refertos legerit, conſideraritq; ea quæ ſuperius ex eis adduximus, certè non dubitabit. Tum ſolos Chaldæos & Hebræos Apollo teſtatus eſt fuiſſe ſapientes: μοῦνοι χαλδαίοῖσι σοφίην λάχομέν θ' ἅμα ἑβραίοι, Solis noſſe datum Chaldæis atq; Hebræis. Nec aliunde euenìſſe putes, ut hi potiſſimũ cognouerint ortũ iſtius magnæ Mentis diuinæq; prolis, creatricisq; intelligentiæ, q̃ ex antiqua eorum Theologia, quæ prædicabat apertè fore, ut filius ille Dei, omniũ rerũ creator, uenturus eſſet aliquandò in mundũ, oſtendendũq; ipſis Magis ſuper hac re ſignũ

de cœlo. Itaq; in eorum Theologia, quæ referta esset oraculis de filio Dei, & tempus aduentus declarabatur, & signũ quod locum indicaret ostendendum cœlitus. Propterea uigilantißimè obseruabant, totumq; ea fama Orientem repleuerant, ut Suetonius in Vespasiano & Tito testatur. Præceperatq; Sibylla, ut in cœlo signũ conspicati, ducem stellam sequerentur, regemq; magnũ adorarent. More autẽ gentis suæ adorarent. Nemo autẽ apud Persas salutabat regem, nisi muneribus allatis. Munera erant, quorum regio esset ferax. Itaq; & illi, quoniã auro propter uicinã Arabiã, & thure ac myrrha abundant Chaldæi & Persæ, his oblatis, regem illum deorum, creatorẽ mundi, filium Dei, primã Mentem adorauerunt. Sed testimoniũ, Theologiaq; Magorũ etiam nostris literis & Platonicorũ est clarißimũ. De quibus satis erat superiore loco dixisse: sed ideo repetere rationẽ super eorum Theologia placuit, quod de Sibylla, quæ & ipsa Chaldaicæ Theologiæ est uates, esset dicendum. Vera igitur esse ac fidelia testimonia istius uatis, clarißimũ est. Nam Romani gens scilicet nondum Christi religione imbuta, earum libros Romam deportatos in Capitolium collocarunt. Quorum inspiciendorũ potestas facta est postea Lactantio propter Constantini Imperatoris familiaritatẽ, ut quòd præceptor esset Crispi filij. Ea testimonia à doctißimo, eloquentißimoq; uiro fidelißimè referri, credendum est, propter summã eius probitatẽ & doctrinã, quam utranq; & libri eius locupletißimè testantur, & quòd filij imperatoris ascitus esset præceptor. Sed luculentißimũ est apud Marcum Tullium super hac re testimoniũ, primùm de ordine carminum istius uatis, tum eo ipso, quod his comprehenderetur. Attestabiturq; Tullius dictis & oraculis Sibyllæ, scribens de eo diuinationis genere, quod afflatu diuino fieret, quem illi insaniã appellant: uolensq; morem Academiæ secutus id destruere, plura dedit nobis indicia & argumenta super his carminibus. Primum testatur ea carmina fuisse contexta per ἀκροστιχίδα, id est, cùm deinceps ex primis cuiusq; uersus literis conneclitur, ac dissultat aliquid. Asseritq; idẽ in uersibus Sibyllinis ex primis literis cuiusq; uersus, omne carmen prætexi. Confer igitur hoc eloquentißimi uiri testimonium cum carmine Erythreæ Sibyllæ, quod cecinit de extremo iudicio rebusq; nouißimis, quod est nunc ferè notißimũ, & ab Augustino in libris de Ciuitate Dei refertur. Ibi uidebis ex primis literis cuiusq; uersus totius carminis, colligi Græcè, ἰησοῦς χριστὸς, σωτὴρ, θεοῦ υἱὸς, σταυρὸς: Iesus, Christus, Seruator, Dei filius, Crux. Sed audi, quid idem in dictis Sibyllarũ deprenderit. Quorũ, inquit, carminum interpres, nuper falsa quædam, hominum fama dicturus in Senatu putatur, eum, quem reuera regem habebamus, appellandum quoq; regem, si salui esse uellemus. Audite, inquã, quid Sibylla uaticinata Romanis esset: Eum, qui reuera, qui solidè eorum rex esset, appellandum quoq; adorandumq; uti regem, si uellent esse salui. Idq; Sibylla prædixerat futurum paulo post ea tempora, cùm Marcus Cicero hæc scriberet. Erat autẽ eius oraculi publica fama. Etenim ait, Hominum fama est, interpretem carminum Sibyllinorum, necessariò dicturum falsa in Senatu, uidelicet

de rege

de rege Romanorũ, quem appellaret regem, Romanos oporteret, si uellent esse sal ui. Hæc erat fama hominum, oraculumq; multis erat notum, falsum autem ab eis/dem putabatur, quia nunquam fore credebant, ut esset rex ullus Romanorum, quo rum res esset publica, à quo salui Romani fierent. Hæc autem scribebat Marcus post mortem Caij Cæsaris, paulo ante Triumuiratum. Hoc tempore scribens dice/bat, Quorum interpres nuper falsa quædam dicturus in Senatu putatur de rege Ro manorum. Obserua tempus. Dixit enim, Nuper dicturus putatur, indicans pro/ximum esse tempus, quum lectis carminibus Sibyllinis in Senatu, ab interprete o/stenderetur ex illis quidam Romanorum rex, quem appellare, & fateri regem Ro/manis necesse esset, si uellent esse salui, id est, à Seruatore redimi. Et quanquam e/rat certa temporum sublata definitio, id tamen tempus istius regis, Sibylla consti/tuerat, ut Romani, & ipse Tullius intelligere potuerint, sub ea tempora eum oriturum. Vnde enim hominum fama ex carminibus manasset, nuper ex his re/gem proferendum? Legebantur enim ea iuxta tempora, & Olympiadas, quas de/scribebat etiam Sibylla. Et forte talem Olympiadem Sibylla istius regis declarue/rat, ut non multò post tempus suum, Marcus, cæteriq; cognoscerent, hunc regem ex carminibus illis proferendum, ac monstrandum, non illum quidem multo post futurum, sed iam ferè præsentem. Itaque idem concludens, & detestans regem, quippe qui reipublicæ partes tueretur, ait, Cum Antistitibus agamus, ut quiduis po tius ex his libris, quàm regem proferant, quem Romæ posthac nec Dij, nec homi/nes esse patientur. Non intelligens uidelicet, quem regem Sibylla dixisset. Prædi/xerat autem regem, non per quem euertenda Respublica esset, quod Cæsar & Au gustus fecerunt, sub quibus crudelissimæ proscriptiones, & ciuium Romanorum miserabiles cædes extiterunt: sed per quem salus esset Romanis præstanda. Eo´que Seruator & Salus à Sibylla uocabatur: præstanda autem, si eum regem cognosce/rent & appellarent. Tale oraculum etiam Magi, quo ferè tempore Marcus hæc scribebat, cognoscentes, hunc ipsum regem, & appellarunt regem & adoraue/runt. Dixit autem Marcus, Nuper. Ab eo autem tempore, quo hæc scripsit, ad Chri stum natum, uiginti plus minus anni interfuerunt. Propterea dixit, Posthac. Præ/dixerat ergo Sibylla regem Romanorum, qui reges ipsi cæterorum essent, nõ mul/tò post ea tempora oriturum, post scilicet bella ciuilia, post pacatam Rempubli/cam, & pacem usquequaque partam, & omnes gentes à Romanis subactas. Ro/mæ fama increbuerat, quendam regem ex carminibus Sibyllinis esse monstran/dum. Cerneq; ut concordes fuerint, & Magi in agnoscendo eo, & Sibyllæ in præ/dicendo. Et forte idem oraculum eiusdem Sibyllæ erat apud Chaldæos. Babyloniam namque Sibyllam Erythream fuisse multi autores sunt. Vnaq; & prior Sambethe è decem Sibyllis, de Perside dicitur fuisse. Sed clarius, ut in suo finte habebatur a/pud Chaldæos. Propterea toto Oriente, sicut & Romæ, & in Iudæa, ut Iose/phus est autor, hæc fama de magno quodam rege uulgata fuerat. Non solùm au/

tem de

tem de rege plura fuerat uaticinata Sibylla: ſed etiam eaſdem circunſtantias adſcripſerat, quas & Eſaias. Reditura aurea ſecula, pacem ubique futuram. Quæ cùm Vergilius quoque in carminibus Sibyllinis legiſſet, eadem qua Tullius inſcitia aſcripſit homini, quæ de Deo canebantur. Sic & Tullius ſuſpicatus hominem fore hunc regem, in eum deſtomachatus eſt, & in carmina Sibyllina, quæ de eo uaticinarentur. Ex his igitur, & Theologia Magorum & oracula Sibyllæ ſunt probata, & fidelia, omniaq; mirabiliter conſentiunt. Ex Sibylla quoque ratio ſuccedentis ab antiquiſſimis patribus in poſteros doctrinæ maximè confirmatur. Vna enim Sibylla Chaldæa, uel de Perſide, innumerabilia de Chriſto & eius aduentu uaticinata dicitur, ex ſucceſſione Noë uocata, ut dixi, Sambethe. Vigintiquatuor libros fertur ſcripſiſſe. Suidas autor. Et Conſtantinus Imperator, cùm apud Vergilium carmina Sibyllina deprehendiſſet, obſtupuit, eoq; teſtimonio comprobauit, quæ de Chriſto Sibyllæ uaticinentur, à Chriſtianis non fuiſſe conficta. Atq; in hunc modum loquitur: Sibylla igitur Erythrea, quæ ſe ſexta ætate poſt diluuium fuiſſe dicit (hoc eſt, ſexcenteſimo anno) Sacerdos Apollinis erat, ferens diadema æquè, atque is Deus, quam ea coleret, & tripoda cuſtodiens, circa quem anguis erat obuolutus, reſpondebatq; ſciſcitantibus, huic cultui & dementiæ à parentibus addicta, in qua præter furores incompoſitos, nihil præterea uenerandum cerneres, iuxta ea quæ de Daphne feruntur. Ea igitur intra adyta ineptæ ſuperſtitionis ingreſſa aliquando, diuinoq; afflatu myſteria Chriſti, expreßione literarum ἀκροστοιχὶς λέγεται, quæ dicitur Acroſtichis expreſit. Productisq; carminibus illis, quæ ſuperius dixi, proſequitur Conſtantinus: Et hæc utpote uirgini diuinitus datum fuit uaticinari. Beatam ego cenſeo, quam Seruator ſuæ de nobis prouidentiæ uatem elegerit. Sed plerique fidem abrogant, Sibyllam quidem Erythream fatentes fuiſſe, hæc autem carmina ab aliquo è noſtris fuiſſe conficta, qui poëticæ non eſſet ignarus, adulterinaq; eſſe, inſcripta Sibyllæ, quòd utiles ad uitam ſententias contineant, à uoluptatibus ad modeſtiam euocantes. Sed in propatulo ueritas eſt, collectis diligenter temporibus, à noſtris hoc poëma poſt aduentum Chriſti, & morte non fuiſſe ſcriptum: falſoq; ei detrahi, quando tot annis antè editum eſt à Sibylla. In confeſſo enim eſt Ciceronem hoc poëma uidiſſe, & tranſtuliſſe in linguam Romanam, ſcriptisq; ſuis adnumeraſſe. Hunc autem ab Antonio occiſum, Auguſtum Antonio ſuperſtitem fuiſſe, qui ſex & quinquaginta annis imperauit. Huic ſucceßit Tiberius, cuius tempore Chriſti illuxit aduentus, id eſt, religionis eius fuit incrementum, πτερνίσαντος δ' ἡμᾶς διαδοχὴ συνέσει, nouaq; populi extitit ſucceßio. De qua eminentiſſimũ Latinorum uatum arbitror locutum: Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Hæc omnia Conſtantinus Imperator in oratione, de Religione Chriſtiana. Examinatq; totum carmen Vergilianum è ſexta Aegloga. Obſeruareq; operæpretium, quòd in ultimo carmine, quod per præpoſitionem de Chriſto contexuit Sibylla, nouiſſimè ſunt hi duo uerſus:

οὗτος

οὗτος ὁ νεῦ πτυχαφεὶς ἐν ἀκροστοιχίοις δι' ἡμῶν,
Σωτὴρ ἀθανάτου, βασιλεὺς ὁ παθὼν ἵνα χαίρωμεν. Id est,
Is nunc præscriptus per singula carmina noster,
Est Deus, est seruans Rex, passus pro crimine nostro.

De Verbo diuino, & quo modo sit Lumen de lumine, ex Mercurio. Cap. XXIII.

THeologia quoq; Aegyptiorum complura continet de æterna Mente, ipsoq; patre ingenito testimonia. Nam Mercurius non Mentem modò, iuxta uniuersam Platonicorum, priscorumq; Theologiam, progeniem illam diuinam nuncupat, sed etiam eo ipso nomine, quod celebre est, ac tritum in nostra Theologia, Verbo. Scripsitq; de eo antequam ipsum Verbum uenisset in mundum, stupenda: ut apud eum omnem ferè reperias religionem. Mirabiliter cum Chaldæis congruit, uerbis humanis explicans rem æternam, & incomprensibilem: ὁ δὲ νοῦς ὁ θεὸς ἀρρένοθηλυς ὤν, ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύησε λόγον ἕτερον νοῦν δημιουργόν: Hoc est, Intelligentia illa Deus, cùm maris ac fœminæ uim haberet, & uita, & lumen esset, genuit Verbum, alteram scilicet Mentem opificem. Hæc enunciat antiquissima Aegyptiorum Theologia. Ex multis autem uetustissimi Theologi dictis, pauca nunc cito, unde liceat de tota re dijudicare: Audis eum commemorare similiter, atq; Chaldæum, duas Mentes, quasi duas Christianorum personas. Et ut rudes doceret, quomodo potuerit pater generare, testatus est eum eadem ui præditũ ad gignendum, qua sunt mas, & fœmina separatim. Quod quidem uocibus humanis, remq; corpoream sonantibus abusus, dixit, ut erat ueteris Theologiæ mos. Neq; enim potest in sensus humanos cadere, ut Mens gignat Mentem, cùm in omnibus animantibus procreandis, utraq; uis sit necessaria. Æternæ autem generationi, & incomprehensibili, remotissimæq; ab oculis natiuitati, potius congruunt exempla nascentium, rerum inanimatarum, quæ, ut altera ex alteris nascuntur, in pleriſque tamen sola, & una res est generans. Nullum est autem aptius, clariusq; exemplum, quàm uitæ, & luminis. Contemplare igitur, & suspice altissimum mysterium, profundissimumq; sacramentum, quo omnia de æterna generatione declarantur. Atque in nouissima hac, redditaq; mundo cœlitus Theologia prædicat cœlestis Sapientia, quomodo à patre æterno, Filius æternus generetur, dicens, Lumen de lumine. Mercurius autem ait, patrem, quia lumen sit, genuisse, & peperisse Filium. Ergo talem generationem, & ortum nobis illius æternæ Mentis ostendunt, qualis est immensæ lucis ex immensa luce, purissimi luminis ex lumine purissimo, diuersissima nostra, atq; illius æternæ Mentis procreatione. Ac quoad ex uisibilibus exemplis licet res æternas capere cogitando, sola propemodum quadrat generatio lucis ex lumine, ad æternam illam intelligendam. Diuinus Apostolus, & is qui Sapientiam tantopere celebrauit, uocauit Filium Dei ἀπαύγασμα αἰωνίου φωτὸς, candorem, siue radium lucis æternæ. Sic Mercurius, ut uides, uolens explicare, quomodo pater generet, lumen dicit eum esse. Agnoscis ueterem Theologiam, non aliam fuisse atque

hanc

hanc nostrorum seculorũ. Semper enim est ueritas, nullo non tempore aliquo modo clarescens. Mercurius etiam eam causam cur gignat Mens Mentẽ, proponit, quòd Pater sit uita. In quo latet profundißimum mysterium. Simul enim lux est Pater, simul uita. Non enim est ista lux, quæ nostris oculis præfulget, sed lux uiuens, maxima lux, lux lucens, & uiuens, lux cum maxima uita, & aut uita luculentißima, aut uitacißima lux. Nostra lux, est lux tacens, & quasi mortua lux. At neque lumen uiuit, neque de lumine manans lux. At in illa luce est uita. Imò ipsa uita est amicta lumine, sicut uestimento. Quod igitur altißima lux, & lucidißima uita est Pater, hoc gignit alteram Mentem, uelut alteram lucem. Quoniamq; hæc generatio luci comparatur, indicatur etiam eam esse generantis & geniti connexionem, qualis inter lumen, & lucem. Nunquam autem lux à lumine, siue radius à luce separatur: se semper comitantia sunt. Vbique alterum gignit, alterum gignitur. Nec radius sine luce esse potest genitrice, uel genitore, & causa sua, neque lux sine radio: quia nunquam potest lux non generare lumen. Quam enim dabis lucem, non semper fundentem totum lumen? Hæc prædicauit antiqua Theologia. Verba clarent, & exempla. Tum Mercurius tribus nominibus uocat rem generatam, sicut suis item nominibus Patrem nuncupauerat. Patrem appellauerat Intelligentiã seu Mentem: quanquam hoc sit proprium Secundi, ut uidimus. Item Deum cum articulo, & emphasi, quòd principaliter conueniat in Patrem nomen diuinitatis, quitotius diuinitatis est autor. Tum uim gignendi, nomine fictitio, & humanæ consuetudinis expreßit: deinde Lumen, tum Vitam, eum esse dixit. Quæ etsi in Filium quoque conueniant, propria tamen sunt ipsius Genitoris. Nam & Filius est Deus. Sed cum hæc diuinitas generetur à Patre, ille principalius est Deus. Vita quoq; & Lumen est Filius, sed proprie Pater, ut pateat causa, & uita, & fons diuinitatis. Nomen autem Mentis propriè congruit Filio, utpote Sapientiæ. Quod autem totum mysterium complectitur, omnemq; uim, & potestatem filij exprimit, est nomen Verbi, et Opificis. Sunt apud Mercurium paternæ proprietates, est generatio prolis sempiterna. Postremò creatio mundi per eundem Filium. Nam cum eum appellat λόγον ἀημιεργὸν, id est, Verbum opifex, noris his nominibus significari auctoritatem creandi, atq; originem, quam omnis Theologia noua & uetus, summo consensu decernit Filio Dei. Si æternam igitur generationẽ aspicias, dicitur Filius, dicitur Proles: sin autoritatem, principiumq; creandi, quod accepit à Patre, uocatur Verbum, & Opifex. Dicitur Verbum siue locutio, quasi locutor, & interpres Dei, quasi Dei ad omnia internuncius, aut ratio, et forma, origo rerum creatarum. Hoc & potestas Dei, & autoritas, et missio, et sapientia: Omniaq; respiciunt creationem, rerumq; omnium administrationem à Patre traditam Filio. Hoc illud Verbum est, per quod cœli firmati sunt, & per quod cœlum stat in æternum. Sic enim canit Vates, In æternum Domine Verbo tuo stat cœlum. Mirabilis profectò omnium temporum omnis Theologiæ concordia. Quoniam igitur affirmat Vates Hebræus

bræus per Verbum Dei factos esse cœlos: Verbum autem Dei clamat Mercurius natum, ac generatum à Deo: claret Hebræum prædicasse per generatum à Deo, creatum esse cœlum. Et cùm hunc Psalmũ & ueteres olim Hebræi, & nunc quotidie canunt in synagogis, certè canunt per Filium Dei cœlos creatos. Sic est profectò, uelint, nolint, huc ueniunt. Magna enim uis est ueritatis, quasi quidam rapidus æstus, etiam resistentia ad se rapiens. Potest etiam Verbum Græcè λόγος, interpretari, autore Aristotele, rei cuiusq; ratio, & forma, & essentia. Filius autem Dei omnium rerum ratio est, & principium: Forma communis, et ratio, et principium: Forma formarum, omnium essentiarum, et formarum inuentio: Idearum regnum, ut Plotinus antè dixit: Forma uastissima comprehensas habens omniũ rerum perfectissimo modo rationes, & formas: ut ita ab ea reperiantur, sicut ab equo equus nasci potest, à leone leo, ab igni ignis, & sicut à particularibus rationibus omnia. Omnis res habet particularem λόγον, qua unumquodq; est quod est, alterumq; potest gignere simile sui. Vna est autem maxima, & omnipotentissima ratio, potens sola quicquid, & quantum particulares omnes, potens sic omnem producere rem, ac si forma particularis esset eius. Ab hac non minus potest homo creari, & ignis accendi, quàm ab homine, & igne: Eoq; est λόγος, & forma formarum. Prima ratio, qua filius Dei dicitur Verbum, scripturis, unde nata est hæc locutio, congruentior. Est enim Verbum Dei, quasi locutio eius, & sermo, missio, interpres, legatus. Et solet Hebraismus pro denominatis abuti denominationibus, ut Seruatorẽ appellant salutem, & redemptorem redemptionem. Hac ratione eum, qui loquitur pro Deo, Verbum Dei appellat, & locutionem dicunt quasi locutorẽ, & interpretem. Secunda magis apta philosophantibus, rerumq; ueritatem indagantibus, locutiones autem humanas in Deo non recipientibus.

De diuino Verbo, ex eodem Trismegisto, & de uirtute eius, quòd sit opifex mundi, & quòd nascatur à Patre. Cap. XXIIII.

PLura sunt inclyta, augusta nomina eius, quæ semper cognita, & adorata seculis omnibus fuit diuina progenies. È quibus duo cum primis, quorum in omni arcana Philosophia, sacrosancta semper est mentio. Ea sunt et Mens, et Verbum. In Theologia, quæ postea cunctis latebris apertis, incognita mysteria cunctis hominibus patefecit, Verbum est frequentius. Apud Philosophos utrunque tritum, sed Mens usitatior. Multa igitur præclara, suspiciendaq; tradita sunt ab eis, sicut de Mente, sic de Verbo. Est autem eadem utriusque nomenclaturæ ratio. Mens diuinam illam, sempiternamq; designat Sapientiam. Verbum Græcè λόγος, est ratio, notio, uis sentiendi. Potuit λόγος quoque uocata esse, ut dixi, perinde quasi forma, Idea. Primus igitur è quibus ad notionem nostram peruenire potuerunt Trismegistus, locupletissimus testis, & ingens præco fuit eius quod dicitur Verbum: quem secuta tota Græcorum Philosophorũ classis, quos et quæ Mercurius scripsit, & alia nobis incognita legisse, ueri simile fit, ceu priscorũ mysteriorũ interpretes, libenter

libenter enim grandia, paucisq; nota, referimus) sæpenumero ipsum illud Verbū suspexerunt, eximijsq; laudibus extulerunt. È multis igitur, ut audito principe, unde manarint ea, quæ apud posteriores admiramur, noscas, Trismegistus de Verbo hæc dixit: ὁ γὰρ λόγος αὐτὸς προελθὼν παντέλειός ὢν, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς, ὡς γονίμῳ φύσει, πεσὼν ὑδὶ γονίμῳ ὑδάτι, ἔγνωσε τὸν ὑδωρ ἐποίησε. Quod est, Verbum eius procedēs undequaq; perfectū, et fœcundū, et opifex, lapsum in naturā fœcundā, & fœcundas aquas, fecit eas prolificas. Hæc admiranda Mercurij Theologia. Primum procedens Verbum dixit, à suo nempe genitore: perfectum autem et fœcundū et opifex, quia fœcundissimus, creator ditissimus Sapientiæ, copiosissimus rerum thesaurus, infinitæ diuitiæ. Sine enim ipso, nihil factum est, quodcunq; factum est. Ipse origo, inuentio, generatio. Cùm quæsieris, unde facta sint omnia, hoc assignato Verbo, siste gradum, originem rerum ueram deprendisti. Nomen Opificis etiam Platonicæ Theologiæ est tritum. Is Opifex mundum creat Platoni. Apud Mosen, & Trismegistum est Spiritus super aquis, eas fœcundans, ex quibus omnia Verbi diuini uirtute progenita. prosequitur Mercurius: ἃ οὐδὲν πυραμὶς ὑποκειμένη φύσει, καὶ τῷ νοερῷ κόσμῳ, ἔχει γὰρ ἄρχοντα ὑποκείμενον τὸν δημιουργὸν λόγον τοῦ πάντων δεσπότου, ὃς μετ' ἐκεῖνον πρώτη δύναμις, ἀγήρατος, ἀπέραντος, ἐξ ἐκείνου προκόψασα, καὶ ἐπίκειται, καὶ ἄρχει, τῶν διὰ αὐτοῦ δημιουργηθέντων, ὅτι δὲ τέλειος πρόγονος, καὶ τελείῳ γονίμῳ, γνήσιος υἱός. Quibus nihil clarius, euidentius de Filio Dei. Latinèq; sunt: Pyramis subiacet naturæ, mundoq; intelligibili. Habet enim principem incumbentem, opifex Verbum eius, qui est omnium dominus. Qui post illum, est prima uirtus increata, infinita, ex illo promanans. Et incumbit, atq; imperat his, quæ ab ipso facta sunt. Est autē perfectissimi primogenitus, & perfectus, et fœcundus, legitimus filius. Vidisti mirabilem hominis antiquissimi Theologiam? Pyramidem uocat elementa rerum, naturæ quidem subiacentia, sed longè magis mundo intelligenti. Est autem mundus intelligens, siue mentalis, cum primis opifex Verbum, qui mens dicitur, imperator, & astans mundo. Hoc Verbum est eius, quo omnium dominus est, qui post ipsum uniuersalem dominū est prima uirtus, increata, infinita, ex illo procedens. Hæc regit omnia creata. Estq; primogenitus eius, qui uocatur παντέλειος, perfectissimus, absolutissimus. Huius perfectissimi ipse perfectus, & fœcundus ob res creatas, et legitimus filius. Ò diuinam Theologiam. coarguit autem uerè Mercurium uetustissimum illum hæc dixisse, non ab aliquo nostrorū, si quis forte addubitaret, confictā, tota Platonicorum Theologia, non hæc nomina modò, sed totam adamussim rem continens: præcipueq; uidebis totum hunc fermè locum usurpasse Philonem, apud quem est, Verbum primogenitum, legitimus filius: Verbum gubernare mundum, uinculum uniuersi esse. Probaturq; hæc antiqua esse Sapientia. Nihil dici potest di-

uinius,

ænius, quòd poſt patrem Verbum ſit prima uirtus, increata, infinita, manans ab illo, tenens imperium, & gubernacula mundi. Proſequitur Mercurius, loquens cum alio Aegyptio ſacerdote ex eo quærenti, quid hæc, quæ dixiſſet, ſignificarent. σὺ δὲ ὁ σύνπας, φύσις τοῦ νοερὸς αὐτοῦ λόγος, φύσις δὲ γονιμικὴ καὶ δημιουργική. τοῦτο ὥσπερ αὐτοῦ ἡ γόνιμος, ἡ φύσις, ἢ ἔθος, ἢ ὃ θέλης αὐτὸ καλεῖν. κάλει τοῦτο μόνον νοῶν ὅτι τέλειος δὲ ἐν τελείῳ, καὶ ἀπὸ τελείας τέλεια ἀγαθὰ ἐργάζεται, καὶ δημιουργεῖ καὶ ζωοποιεῖ, ἐπειδὴ ἔστιν τοιαύτης ἔχεσθαι φύσεως, καλῶς τοῦτο προσηγόρευται: Tu, inquit, nõ intellexiſti. Natura mẽtalis ipſius Verbi, natura eſt generatrix, et opifex. Hoc ueluti eius generatio, ſiue natura, ſiue mos, aut quidquid libet uocare, uoca: id unũſentiẽs, quòd perfectus ſit in perfecto, & à perfecto perfecta bona operatur, & molitur, etuiuificat. Quando igitur hæc maximè natura præditus eſt, iure id appellatũ eſt. Ecce, & nũc Triſmegiſtus, ſicut ſuperius, de generatione ſempiterna, diuinitate, ſubſtantia, poteſtate diuinæ prolis, de Genitore eius meminerat, ſic nunc explanat quare ſit appellatum Verbum prolificum, quã ue dignitate, & autoritate præcellat. Eſt, inquit, natura Verbi huius prolifica, generatrix, producens, creans omnia de nihilo, quia fœcundiſſima per ſe, plena formarum, & originum, nec indiget præeunte materia. Etenim materia, & forma omnium rerum ipſe eſt, quia talis eſt natura eius, ea uis, ut generationes, formaſq; genitales, & principia in ſe contineat omnium rerum. Sicut in ſemine animalium latent inuiſibiliter formæ ipſorum, nactæq; calorem, & tempus, aperiuntur, & clareſcunt: ſic inuiſibiliter, in illo Verbo latitant omnes formæ, & rerum principia. Nec opus eſt, ut dixi, alio præcedente principio, alia materia, et forma. Talis eſt natura eius, eoq; dicitur prolificus, fertilis, opulentiſſimus, ditiſſimus. Quemadmodum in palatio regio ſunt uariæ diuitiæ, in terra ſunt uariæ formæ, ut fertilis aqua parit tot monſtra, ſic (ſi parua licet componere magnis, & à corporeis aſcendere ad inuiſibilia) ea eſt urbs, et palatiũ omniũ, quæ cœlo, terris, mari, æthere ſunt, fieriq; poſſint formarum. Eo creat, molitur inuentor omnium bonorum. Eo perfectus eſt: nihil illius inuentionem, ac poteſtatẽ ſubterfugit. Hac Theologia nihil ineffabilius, nihil quod poſſit magis animos quietare noſtros, cùm nequeunt adduci, ut capiant, è nihilo facta omnia. Eſſet ſcilicet mirum, ſi Deus ſteriles eſſet, & infœcundus, nunc autem cùm ſit ars omnium formarum, non cadet niſi in imperitam mentẽ, et corporeis aſſuetam huiuſcemodi cogitatio. Hæc ego in priſca illa Philoſophia reperiens, admirando expleri nequeo, attonitus obſtupeſco, lætusq; gratias ago redemptori noſtro ſummo, qui diuinitatis ſuæ, paucis quondam reuelatæ, nouiſſimimè ueniens ipſe declarator, impleuit omnes terras notione ſua. Addit Mercurius ad Tat filium, quem ſuo nomine uocauit. Dicitur enim ab Aegyptijs Mercurius, autore Platone, Tohyth, uel Theuth, arbitror ego Tat. ὁ τοῦ δὲ μισργοῦ λόγος ὦ τέκνον, ἀδιάλος αὐτοκίνητος, αὐαυξὴς, ἀμείωτος ἀπαραβλητος, ἄφθαρτος μόνος ἀεὶ ἑαυτῷ ὅμοιος, ὅλῳ δὲ ἴσος καὶ ὁμαλὴς,

ἐνσαθῆς, εὐτάκτος, εἷς ὢν, ὁ μετὰ τὸν προεγνωσμένον θεόν. Verbũ Opifex eis, ô fili ſempiternum, per ſe mouens, inaugumentabile, indiminuibile, immutabile, incorruptibile, ſingulare, ſemper ſui ſimile, æquale, concors, ſtabile, bene inſtructum, Vnum exiſtens, eſt poſt Deum, qui prior intelligitur. In his quoque quanta poſsit de Verbo diuino, uocibus humanis efferri Theologia, quantum uires animi cogitando ualent, imò non animis uires, ſed quanta potuit cœlitus illabi in humana pectora ueritatis irradiatio, tanta paucis uerbis effuſa? Vbi igitur (ut hoc primum, ueritate dante, arripiam) ubi inquam dementiam illam ſuam potauere Arriani, & Valentiniani, quam uidentur è profanæ Theologiæ libris hauſiſſe, cùm Prolem, et Verbum Dei factum, ſolũ autẽ patrem Deum ſempiternũ pugnarent? Scilicet perinde malè in Philoſophia, & in qua gloriabantur, iactabantq; ſeſe, profana ſapientia cæcutiebant, ſicut in literis ſacris. Non ne uides Triſmegiſtum, Verbum ſempiternum prædicantem, eiq; eas conditiones, eas dotes dantem, eam uitam, eam ſubſtantiam, eum locum, quem ſola diuinitas admittat? Eſt ſempiternus, nempe Deo coæternus. Omnes motus, omnem uitam, omnem ſiue ad creandum impulſum, ſiue ad cogitandam, ſpeculandamq; diuinitatem ſuã habet à ſe ipſe. Ipſe motus ſui principiũ. Non mouetur, uel exterius ab obiectis rebus, ut ſenſus noſtri: aut habet uſquã cœlo, & terra, quod eum impellat: ſed ipſe ſibi motus, ſibi origo, fons uitæ ſuæ. Cumq; ſit æternus, cùm nihil ſit melius, cùm infinitus, hoc quoq; neceſſariò poſtulabit, ut non poſsit augeri, nulla fieri ad eam poſsit acceſsio. Quid enim acceſſerit, quod non poſsideat? quantumuis per uaſtum bonorum omniũ campum diuageris, quantumuis curioſus explores, an quid ſit uſquam, quod illic non offendas, certè nihil occurret, quod nõ exuberet in regnis illis. Illudq; in eo mirabile, et ſolitarium, ac ſingulare, quòd hæc bona minui, aut labefactari, felicitasq; tanta interpellari non poteſt, perinde ut augeri non poteſt. Eadem enim ratio minuendi, atque augendi. Cui poteſt detrahi, poteſt addi. Vbi tanta perfectio, ut aduentus rerũ exterarum, non habeat hoſpitium: quid dico exterarum, cùm ipſe ſit omniatne migrare quidè à ſedibus ſuis poſsit. Eſt enim immutabilis, incorruptibilis, ſingularis, præditus natura non modò rara, ſed ſingulari, ſemper eadem permanente, & ſui ſimilis ſemper, non quemadmodum nos, quorum animi & corpora aſsiduis ceu fluctibus huc illuc deportantur, & tanquam ſcena demutant facies: Eoq; eſt æqualis, planus, non modò hæc, modò illa mente, uarioq; ſenſu. Ipſe enim dixit, Ego Deus, & non mutor. Et is eſt poſt Deum gradu. Pater enim dicitur propriè Deus: Sed cùm et ipſe dotes omnes diuinitatis obtineat, eſt etiam ipſe Deus, ſed Deus ab illo. Inſermone autem, qui dicitur τέλειος, Filium Dei alloquens ait: Filius benedicti, ac bonæ uoluntatis, cuius nomen non poteſt humano ore nominari. Quem locum citat Auguſtinus ex ſuperioribus, quædam Cyrillus, uterque doctiſsimus, & ſanctiſsimus. Videmus in his ſapientiam, Theologiamq; Chriſtianam, æternam quidem apud Deum, ſemper autem in mundo aliquo ſplendore radiantem: declaratam affatim nouiſsimis ſeculis, ut

lis, ut omnes recognoscerent, quæ Genitor noster principio sensit, uidit, cognouit, gustauit: ut sciretur ab omnibus, suam diuinitatem manifestante Deo, quod penes paucos olim per oracula, successionesq; existeret. Sed de ipso Mercurio, Sibyllis, Zoroastre, Magisque quædam testimonia proponamus, ut sit eorum Theologia probatior.

De Mercurio Trismegisto, Theologiamq; eius esse ueram, id est, ab antiquissimo illo Mercurio perscriptam: de Magis, & Sibyllis. Cap. XXV.

POtest dubitari, hæc non quidem à Mercurio Trismegisto dicta, sed ficta à posterioribus fuisse. Sed nullis antiquis Theologis, ac Philosophis, non perspectissima diuini uiri huius doctrina fuit, ut eum propter inauditum ingenium, propter mirabilem, multiplicemq; omnium rerum scientiam Ter maximum uocarent. Græcorum loquendi mos est, ut summum quid ac perfectum dicturi, Ter istud ipsum esse dicant. Homerus τρισμακαρες, appellat ter beatos, undequaque beatissimos. Vndequaque nequissimum dicunt τρισκατάρατον, ter execrandum. Sic eum quem undequaque maximum, ac mirabilissimum perspicerent, Ter maximum appellarunt. Antiquorumq; Græcorum fuit appellatio, quòd ad Aegyptum profecti diuq;, cum sacerdotibus uersati, copiam magnitudinemq; ingenij tanti uiri cognoscerent. Quocirca, qui putant eum Ter maximum uocari propter tria munera, quòd sacerdos, quòd rex, quòd propheta esset, eaq; omnia maximè, nõ rectè, mea quidem sententia, suspicantur, nec norunt, aut nõ animaduerterunt uim sermonis Græci. Hunc Plato perspectũ habuit, totũq; hausit, & in suos libros fontes eius deduxit, ut quicquid diuinius, ac cœlestius in eo admiramur, nõ à Mose, uel Prophetis, sed à Mercurio potius sit profectum. Eum in Phædro scribit Deum apud Aegyptios habitum, cui sacrata esset auis Ibis: primum numeri, supputandi scientiæ, & item Geometriæ, & Astronomiæ, tesserarum, calculorum, itemq; literarum repertorem fuisse. In Philebo prosequitur, quo artificio elementa sermonis, ac literarum distinxerit, artemq; legendi confecerit. Hunc ipsum Philo Phœnix, autore Eusebio, scribit, Sanchuniatum, qui Theologiæ Phœnicum illustrator fuit, dixisse omnium mortalium, quos Sol aspiciat, sapientissimum, eumq; principem, ac ducem secutum se esse in repetendis uetustissimis rerum exordijs, totaq; Theologia describenda, translatis è lingua Aegyptia in linguam patriam quoscunque idem scripsisset libros: quos trãstulit, autrore Clemente, è lingua Phœnicum in Græcam Iosephus Iudeus. Idem uocat Mercurium Toautum, ab Aegyptijs ait appellatum Θωύθ, Thoyth, ab Alexandrensibus Thoth. Apud Platonẽ semper uocatur Θεῦθ, Teuth. Tullius de natura Deorum Thoyth. Eundẽ Platonici diuino cultu uenerantur. Hinc Iamblichus inchoãs opus suũ de mysterijs ait: θεὸς τῶν λόγων ἡγεμὼν ἑρμῆς πάλαι ἐπιστήσας καλῶς ἅπασι τοῖς ἐξ ἐνθουσιασμοῦ εἶναι κοινός: Deus loquẽdi princeps Mercurius omnibus olim sacerdotibus rectè uisus est. Huic omnia sua reperta, omnia ingenij monimenta priscos sacrare

solitos, idem est autor. Quasdã eius etiam antiquissimas columnas in Aegypto fuisse commemorat, quas uiderint, ac legerint Pythagoras, & Plato, unde se ad Philosophandum tradiderint. Plutarchus, Ἑρμὴν δὲ γραμματικῆς, & μουσικῆς εὑρετὴν νομίζοντες. Aegyptios ferre inuentorẽ grammatices & musices Mercurium. Huius testimonijs usi sunt Lactantius, et Augustinus, doctissimi uiri: quod non feciſſent, nisi probatam doctrinam eius habuissent. Apuleius item Platonicus dialogum eius diuinum Latinũ fecit. Versi fuerunt libri eius quidam in linguã Graecam ab his, qui in Aegyptum amore Philosophiæ proficiscebantur. Vt uersus est item Orus Appollo. Athenienſem quendam quindecim eius libros refert Cyrillus transtulisse, inscriptos Hermaicos. Ibiq; repetit primò de Mercurio, quæ scribit in Phædro Plato. Ad aliaq; de eo scribit: Τελεσὶς ὧν, καὶ τελέσεσι θεῶν πρόσεστιν ἀεὶ πεφρονικὼς εὐρίσκεται τὰ μώσεως, εἰ μὴ εἰς ἅπαν ὀρθῶς, καὶ ἀνεπιλήπτως. ἀλλ' οὖν ἐκμέρους, ὠφέληται γὰρ & αὐτὸς ἐκ τῶν μωσεϊκῶν. πεποίηται δὲ καὶ τοῦτο μνήμιον, ὁ συντεθηπὼς ἀθλιώτατα ἐκ ἰδίας γραφῆς τὰ ἐπίκλην ἑρμαϊκὰ. φέρεται καὶ δέκα βιβλία γράφει δὲ οὕτως ἐν τῷ πρώτῳ πρὸς αὐτὸ, εἰς κεκόμικε δέ τινα τῶν ἱερογραμματέων λεγόντα. ἆρα σχεῖ & τὸν ἡμέτερον ἑρμῆν ἀκούειν, τάντε ἄγυπτον εἰς λῆξιν, καὶ κλήρους ἅπασαν τεμεῖν χοίνωτὰς ἀρούρας καταμετρούντα. Cùm esset, inquit, sacrificus, templisq; Deorum assideret, uisus est semper Mosaica æmulatus, tametsi haud prorsus syncera, & circa culpam. At ex parte habuit, unde ex Mose proficeret. Huius quoque meminit is, qui separatim scripsit Athenis libros nuncupatos Hermaicos, id est, Mercuriales. De eo in in hũc modum inducens sacerdotem quendam loquentẽ: Non'ne nostrũ Hermẽ audisti, Aegyptũ in priuatas partes, & sortes distribuisse, funiculo metitũ agros? & quæ sequuntur. His constat uerè Mercuriũ illũ fuisse diuinũ, plenumq; doctrinæ, eximiæq; sapientiæ, & incomparabilis ingenij uirũ, ut nõ sit mirum superiora eũ scripsisse. Columnarũ quoq; eius, quæ in Aegypto multis mysterijs plenæ uiserentur, præter Iamblicum, etiam Proclus meminit: μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ προφῆται φησὶ τῶν αἰγυπτίων ἐν στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις, ταῦτα γεγράφθαι, Attestãtur his, inquit, prophetæ Aegyptiorũ, in columnis, quæ nũc usq; seruãtur, ea scripta esse. Rursumq; eodem libro: ἡ δὲ μνήμη διὰ ἱστορίας, αὐτὴ δὲ ἀπὸ τῶν στηλῶν, ἐν αἷς ἀνεγράφοντο τὰ παράδοξα, & τὰ θαύματος ἄξια, τῶν πραγμάτων, εἴτε ἐν πράξεσιν, εἴτε ἐν εὑρέσεσιν. Memoria, inquit, ex historia erat. Ea uerò ex columnis, in quibus admiranda egregiaq; siue inuenta, siue res gestæ descriptæ erant. Magorum quoq; & Zoroastris Pythagoram, Platonemq; secutos Theologiam (ut causa uera innotescat, unde de tribus regibus, de causa, & patre eius loqui potuerit Plato) Magicaq; illa eloquia uere ipsorum esse, quippe quorum sensa extent apud Platonem, qui magos fuerit imitatus, autor est eximius Platonicus Plethon, cognomento Gemisto, aduersus Scholarium.

rium: ἐφιλοσόφησε τε, οὐκ ἰδίαν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν τιμῶν, ἀλλὰ τὴν ἐκ Ζωροάστρου δι' ὧν πυθαγορείων εἰς ἑαυτὸν καταληλυθυῖαν. πυθαγόραν γὰρ τοῖς ἀπὸ Ζωροάστρου συγγεγονότα φῂ τῇ ἀσίᾳ μάγοις. ταύτην τὴν φιλοσοφίαν μεταλθεῖν, τόν τε Ζωροάστρου ἐπιστρατεῦσαι. ἄλλοι τε καὶ πλάταρχος πεντάκις χιλίοις τῶν τρωϊκῶν γεγονέναι ἔτεσι πρεσβύτερον. ἐγὼ δ', δὲ τοῦτο σοφόν, ἀλλ' οὖν παλαιότατος ἂν εἴη τῶν ὁπωσοῦν ὀνομαζομένων, σοφῶν τε καὶ νομοθετῶν, ἐδόκει δὲ καὶ οἱ τῶν αἰγυπτίων ἱερεῖς μάλιστα τὰ Ζωροάστρου τοῦτο δόγματα, καὶ εὐδοκιμοῦν, κατά γε δὴ τὰ δόγματα. ὡς δὲ ταύτην πλάτων μεθῆλθε τὴν φιλοσοφίαν, τὰ ἀπὸ Ζωροάστρου, ἔτι καὶ εἰς ἡμᾶς σωζόμενα λόγια δηλοῖ, σώζεσθαι ὄντα, ταῖς πλάτωνος πάντῃ, καὶ πάντως δόξαις. Et ad Bessarionẽ: ὁ γὰρ τάδε λέγει μάλιστα λόγια τὰ ἀπὸ Ζωροάστρου μάγων, οἷς καὶ πυθαγόρας καὶ πλάτων ἠκολούθησεν. Philosophatus est, inquit, Plato, nõ peculiari, priuatáq; sibi Philosopia reperta sed secutus Philosophiam, Zoroastris, quæ per Pythagoreos ad eum usq; peruenit. Nam Pythagoram hanc Philosophiam à Magis, qui à Zoroastre descenderent, in Asia didicisse. Zoroastrem autem bellum Troianum quinque annorum millia anteceßisse præter cæteros, Plutarchus testis. Quod sicut forte incredibile uideatur, certè antiquißimus est omnium, qui uel in philosophia, uel legibus latis celebres sunt. Huius Zoroastris dogmata, sacerdotes Aegyptiorum suscepерunt, magnamq; sibi ex his gloriam quæsierunt. Quod autem Plato hanc Philosophiam exercuerit, indicant Magica eloquia, quæ à Zoroastre descendũt, & usq; in nostra tẽpora seruantur, consona prorsus & congruentia opinionibus Platonis. Neq; uerò hæc habentur in oraculis, siue eloquijs Magicis, quæ Pythagoras & Plato secuti sunt. Hoc Plethonis magni in Philosophia Platonis uiri testimonio, fit perspicuũ, ea oracula, siue eloquia, quæ superius ubiq; adhibita sunt, ipsorũ uerè fuisse Magorum quorũ decreata per omnẽ Pythagoreorũ, Platonisq; Philosophiã interno scantur. Nam et Psellus Philosophus eadẽ testatur, atq; Plethon, Pythagorã, Platonemq; Magica illa dogmata ex parte suscepisse. Hæc origo, hæc illa concordia, quòd oracula magico, de duabus mẽtibus, loquente, Plato quoq; de Causa principe, et Genitore eius scripsit. Vidit id in arcanis dogmatis Mercurij, ac Magorũ. Iamblichus quoq; in libro de Mysterijs ueneratur, sequitur, ut priscã, ueridicamq; theologiã Assyriorũ. De Sibyllis item, & Trismegisto Hermias Platonicus super Phædro Platonis, ut clareat magnos, priscosq; uiros fidẽ habuisse carminibus Sibyllarũ, Magicis eloquijs, et Trismegisto, sic loquitur: (Non fuit aũt Christianus) περὶ δὲ τῶν σιβύλλης οὕτως ἐσὶ θαύμασα τὰ λεγόμενα, ὥσε δόξαι μύθους εἶναι, πολλαὶ μέν τοι σίβυλλαι γεγόνασι, πᾶσαι τοῦ ἐλόμεναι βίον. πᾶσαι δὲ μία τίνα ἴσως αἰτίαν ἔλοντο σίβυλλαι προσαγορεύεσθαι, ὥσπερ καὶ ὁ βρισεύς ἑρμῆς λέγεται πολλάκις ἑαυτὸν ἀναμῖξαι τῇ αἰγύπτῳ ἑαυτὸν ἀναμῖξαι, καὶ βίβλους πεπλῆσθαι ἑρμῆς. καὶ βεῖς

ὑόρφεῖς πρὸ βραχὺ γενέσθαι, ἴσως ἄν, μὴ αὐτὰι μὴ τίνα κοινωνίαν, μὴ αὐτὰ μνησιν εἴλοντο πάντας τὰς προσηγορίας, ἐπεὶ αὐτὴν ἡ σίβυλλα ἠέρυθραῖα πρὸ ἧς νεῶ λέγει ἐριφύλη ἐκαλεῖτο δὲ ἀρχῆς, λέγεσι δ' αὐτὴν ἐν βυς προελθόσαν προσφέρειν δὲ ὀνόματος ἑκάσην μὴ ἐμμένειν φθέγγεσθαι, μὴ εἰς βραχὺν χρόνον τέλος εἶδος ἀνθρώπου λαβεῖν. De Sibilla uerò, inquit, adeò mira sunt, quæ feruntur, ut penè pro fabulis habeatur. Sed tamē multæ Sibyllæ fuerūt, eodē genere uitæ omnes, omnesq; forsan rationabili de causa Sibyllas à semetipsis appellatas: sicuti fertur Trismegistus, sæpe in Aegypto uersatus suimet mētionem fecisse, tertioq; Hermetē appellatū. Tres quoq; apud Thraces Orphei extitisse dicūtur. Fortasse igitur & hæ ob aliquā inter eas communicationē, ac commemorationē, has appellationes delegerūt. Quandoquidē hæc ipsa Sibylla Erythræa, de qua nunc loquitur Plato, à principio Erophile uocabatur. Ferūt aūt eā cōtinuo, ut edita esset, appellasse unūquenq; proprio nomine, uersusq; numerosos eloeuiā, breuiq; in perfectā hominis speciē euasisse. Hæc ille. Claret igitur doctissimos uiros, et Sibyllas credidisse, & carminibus earū fidē habuisse. De Trismegisto quoq;, & Chaldæis eadē est apud eruditissimos fides. His dictis Hermiæ, & de Sibylla testimonijs, mirū in modū congruūt ea quæ scribit Plutarchus in eo, quē, Cur desierit Pythia metrice respōdere, inscripsit. Ac primū de ea refert: σίβυλλα δὲ μαινομένῳ σόματι, καθ' ἡράκλειτον, ἀγέλαστα, & ἀκαλλώπιστα, & ἀμύριστα φθεγγομένη, χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν θεόν. Sibylla uerò, inquit, ore furēti iuxta Heraclitū loquēs incōpta, inordinata, irridēda, uoce sua, super mille annorū millia Deo afflante. Hic Plutarchus, quū redderet causā cur oraculū Apollinis desierit respōdere ut quondā carmine, primū ait moris priscæ tēpestate fuisse, ut nō oracula, sed etiā historia, Philosopiaq; modulatè scriberētur, afferēs exemplū ex Orpheo, Hesiodo, Parmenide, Empedocle, Xenophane, Pherecyde, Thalete, q quæ scripserint modulatè scripserit: sic Sibyllā plura oracula, uersibus edidisse, milia seculorū futurorū uoce sua complexā. Verè multos uoce sua superauit annos, ut quæ nō media solū tēpora, casus, calamitates, bellaq; multa, sed etiā q̄ suprema dictura essent, cecinerit. De bellis prædictis, alijsq; calamitatibus, idē Plutarchus testis. Quòd si, inquit, fabulosa putas, quæ de Sibyllarū uaticinijs prædicātur: ἀλλὰ ταῖς τε μαντείαις ἐπιμαχέσιν ὄσιν πολλαὶ μὲν ἀνασάσεις & μετοικεσμοὶ πόλεων ἐλληνίδων. πολλαὶ δὲ βαρβαρικῶν στρατῶν ἐπιφάνεια, & ἀναιρέσεις ἡγεμονικῶν, ταυτὶ δὲ τὰ πρὸς φατὰ, & νέα πάθη περὶ τε κύμην, & δι' ἀσιαγχίαν ἀχθύμενα πάλαι, & ἀδόμενα διὰ τῆ σίβυλλῶν ὁ χρόνος ὥσπερ ὁ φίλων ἀπέδωκε ἐκρήξεις πυρὸς ὀρεία, & ζέσεις θαλασσίας. At uaticinijs, inquit, attestātur urbiū Græcarū plurimæ euersiones, aut migratiōes: plurimi barbarorū exercituū aduentus, cædesq; clarorū uirorū. Sed enī nouas istas recentesq; calamitates circa Cumā, & Puteolos, prædictas, decantatasq; carminibus Sibyllarū, non ne tempus uelut debitor, reddidit? Sciſtiones montani ignis, maritimasq; ebullitiones scopulorū, flāmarumq; à uentis incendia, interitus tot, tantarūq;

urbium,

urbiũ, ut qui interdiu superuenirent, tota regione cõfusa, quo in loco urbes hæ fuis-
sent habitatæ, scire nõ possent. Hæc Plutarchus, addens sine diuininitate hæc prædi
ci nõ potuisse. Easdẽ Sibyllas bella Romanorũ contra Carthaginienses, & quòd in
omnes gentes arma illaturi essent, testatur quingẽtos annos antè prædixisse: ἀλλ᾽
ἡ τοῦξις ἐμφαίνει τ᾽ πρόγνωσιν, ὃ τὸ ξωμαίοις πρὸ ἑκατὸν ὁμῶ τοι πενθ᾽
κοσίων προειπεῖν τὸν χρόνον ἐν ᾧ ἅπαντα τὰ ἔθνη πολεμήσοιεν ἅμα,
Sed, inquit, tum seculorũ ordo declarat, eas hæc prospexisse, tũ prædixerunt quin-
gentorũ annorũ tempus, in quo Romani contra omnes nationes essent præliaturi.
Idem Plutarchus, quemadmodũ Hermias, testatur Sibyllã Erythræã uocatã Hero-
philẽ. ἡροφίλην δὲ τ᾽ ἐρυθραίαν μαντικὴν γενομένην σίβυλλαν ὠρος-
γόρευσαν. Herophilẽ aũt Erythræam uatẽ, quæ Sibylla fuit, appellarunt: De pri-
ma quoq; Sibylla refert: ἐνθάδ᾽ ἡ γὰρ ἔσημεν ἥ τ᾽ πρώτην πέτραν. & quæ sequun
tur. Postquam sedimus in petra, quæ in foro, super qua fertur prima Sibylla, sedisse,
ab Helicone descendens, à Musis educata. Quidã uerò ferunta eam in Meleona ue-
nisse, filiam lamiæ, ex Neptuno natæ. Serapion quidẽ meminit carminũ, in quibus
se ipsam laudauit, quòd ne mortua quidem sua sorte uaticinandi, aut ne mortua qui-
dẽ uaticinari desisset. Sic Plutarchus. Iustinus aũt Martyr, & Philosophus, inuitat
gentes, ut credant Sibyllæ: πείσθητε δ᾽ ὡς ἔφην τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα
παλαιᾷ σιβύλλῃ ἃς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμ
βαίνει. Credite, inqt, ut dixi, uetustißimæ lõgeq; antiquißimæ Sibyllæ, cuius libros to
to terrarũ orbe seruari cõtigit. Lactãtius quoq; in libro de Ira Dei, plurimos, et ma
ximos autores Græcorũ ait de Sibyllis scripsisse. Dicit etiam, Cumeæ quidẽ uolumi
na, quibus Romanorũ fata conscripta sunt in arcanis habentur: cæterarũ tamẽ ferẽ
omnium libelli quo minus in usu sint omnibus, non uetantur. Sic Lactantius. Vides
quanta sit omnium doctißimorũ, super Sibyllis & carminibus earum, concordia.

De Verbo diuino, ex Philone Iudæo, cuius dictis probetur uerè priscũ illũ Mercurĩ de ipso
Verbo superiora scripsisse. Multiplexq; de eo apud Philonem Theologia, quod sit creator
Mundi, & origo, quod Filius Dei, quod hominis archetypum. Cap. XXVI.

SED de uerbo diuino superiora sensisse, prodidisse uetustißimum illum Mer-
curium, omnis admiranda Platonicorum, Hebræorumq; Theologia clamat.
Neq; est alium reperire eorum mysteriorum fontem, quæ Platonicorum libris con-
tinentur, quàm uetustam Aegyptiorum, Hebræorumq; Theologiam. Ex Hebræis
Theologis Philo, quem Platoni coæquat Græcũ prouerbium, qui & Aegyptiam,
& Græcam, præcipuè Platonicam cum Mosaica temperauit Philosophiam, mira,
& uelut oraculĩ, de Verbo diuino canit, & eadem prorsus, atq; Trismegistus, no-
sterq; Ioãnes. Sæpe quidẽ sum arbitratus ex eadẽ Hebræorũ secretiore Theologia,
tot, tamq; clara Philonẽ de Verbo diuino locutũ atq; Ioannẽ eundem etiã Hebræũ:
ut præterquam quòd potarit Ioannes de Christi pectore Theologiam, scripserit eti-
am, quæ penes arcanarũ rerum scriptores Hebræos prius haberentur: qualia mul
ta sublimia mysteria, melius postea ab Apostolis explicata, apud ueteres Hebræos

licet deprehendere. Quod igitur Ioannes Apoſtolus, Hebræus, dixit, In principio erat λόγος, Verbũ, & Verbum erat apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, idq; dixit, ut doceret Verbum rerum fuiſſe creatorem, eumq; ante mundũ extitiſſe, ut per quem creatus ſit mundus: eiuſdem generis multa per omnes libros ſuos eloquitur Philo, non Chriſtianus, ſed Iudæus: in libro de Allegoria legum: Βιβλίον δέ εἰρηκε τοῦ τοῦ θεοῦ λόγου, ᾧ συμβεβηκεν ἐγγράφεσθαι & ἐγχαράττεσθαι τὰς τῶν ὅλων συστάσεις. Librum, inquit, uocat Moſes allegoricè, uerbum Dei, in quo deſcriptæ & impreſſæ ſunt uniuerſarum rerum exiſtentiæ. Hoc teſtimonio eandem declarat Philo Theologiam atq; Ioannes, & Platonici ſuperius de Mente. Vt enim ille dixit, Omnia per ipſum facta ſunt: ſic is in uerbo Dei, quod creatorem ſemper appellat, tanquam libro perhibet exiſtere rationes & eſſentias omnũ rerum, tanquam forma maxima, omnium rerum creandarum capaciſſima, origine uaſta, Mente infinita, latiſſima maieſtate, rerum creandarum copioſiſſima poteſtate, fœta rebus omnibus ratione. In libro quoq; de his quæ poſt ſex dies, hæc ſcribit, τὸ δὲ γεννητικώτατον ἐστὶν ὁ θεὸς, καὶ δεύτερος ὁ θεοῦ λόγος: Generandi potentiſſima maximeq; genitalis res, eſt Deus, & ſecundus, uerbũ Dei. Hæc quoq; eſt Theologia Ioannis, Omnia per ipſum facta ſunt. Quia maximè genitale, & fœcundiſſimum eſt uerbum Dei, ſecundus, ut ſuperius Platonici dicebant, poſt Deum. Theologia quoq; noſtra dicit, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, de filio per quem omnia facta ſunt. Tale quid Philo appellans filium, ſecundum: quia ſunt à patre per filium cuncta, quo coniunctio demonſtratur diuinitatis. Vterq; enim creat, uterq; eſt genitaliſſimus. Secundumq; dicit uerbum, id eſt, gradu, non natura, aut diuinitate poſt patrem. Vterq; eſt Deus, quia creat uterq; mundum. Non poſſunt autem eſſe duo mundi creatores, & non poſſunt eſſe duo Dij, quia Deus eſt ſumma natura. Summum autem niſi unum eſſe non poteſt. In libro autem, quòd inſomnia ſint à Deo, δεύτερον δὲ τρόπον ὁ θεῖος λόγος, τόπος ὅν, ὃν ἐκπεπλήρωκεν ὅλων, οἷς ὅλων ἀσωμάτοις δυνάμεσιν αὐτὸς ὁ θεὸς. Secundum alium modum, diuinum uerbum, locus eſt, quem repleuit totum per omnia incorporeis poteſtatibus ipſe Deus. Hoc item teſtimonio explicat Theologiã, quæ eſt apud Ioannem de uerbo diuino, Philo: quæ appellatio ob creationem mundi, non natiuitatem ſpiritualem, ut nonnullis poſtea uiſum, ab antiquis Philoſophis eſt indita. Idemq; dicit de hoc uerbo, quod Ioãnes, Omnia per ipſum facta ſunt: Philo, eum repleuiſſe Deum incorporeis uirtutibus, id eſt, ideis æternis, prolificis uirtutibus, rationibus ſempiternis, quarũ copiam habuit à patre ſuo Deo, teſte etiã Plotino de Mente: Vtq; Ioannes dicens, Erat apud Deum, appellans Deum peculiariter ipſum patrem: ſic Philo, Deum repleuiſſe uerbum uirtutibus incorporeis, nimirum à patre creandi mundi poteſtatem uerbum accepiſſe, genitum miſſumq; ab eo ad creandum mundum. Dico autem miſſum, humano more loquens, declarans q; rem diuinam nomine corporeo. Hunc appellat locum idearum incorporearũ, quaſi uaſtam Mentem, ampliſſimum idearum, & originum, rationum, formarumq; re-

gnum,

gnum, fertilißimum, feraciſſimumq; rerum creandarum mundum, infinitam originem. Totum autem ait à Deo repletum, quaſi undequaque prolificum genitum. Hæcq; omnis Theologia ſpectat ad creationem mundi, cuius principium fatentur omnes uerbum Dei, maximum formatorem, latißimam ſapientiam, habentem uirtutes omnes, quibus tanquam originibus ſuis, omnes res produceret. In eodem quoque de duobus primis: ὧν τὸ μὲν ἕτερον, θεῖον δὴ λόγον· τὸ δὲ ἕτερον ὁ πρὸ τοῦ λόγου θεός. ὁ δὴ ξενωγηθεὶς ἐπὶ τὸ σοφίας εἰς τὸν πρότερον ἀφικνεῖται τόπον εὐφράμενος ἧς ἀρεσκείας ἀπεφαλεῖν, καὶ τέλος τὸν θείου λόγου, ᾧ ὦ γηθόμενος οὐ φθάνει πρὸς τὸν ἡγεμόνα τὸ εἶναι θεόν, ἐλθεῖν, ἀλλ' αὖ τὸν ὁρᾶ μακρόθεν: Quorum alterum quidem eſt diuinũ uerbum: alterum autem Deus, ante uerbum. Is uerò, id eſt, Intellectus, homoq; ipſe, ductus à Sapientia in primum peruenit locum, inuento lubentiæ capite & fine, uerbo diuino. In quo poſitus, non attingit ut perueniat, ut ſit Deus, ſed ipſum procul aſpicit. Hoc quoq; loco Philo & uerbum diuinum & Deum, qui ſit ante uerbum commemorat, appellans Deum ipſum patrem, ſicut Ioannes, Verbum erat apud Deum. Deinde dicit, Verbum diuinum, eſſe principium, & finem uoluptatis, felicitatis, finem contemplãdi, amorem, & deſideriũ, gaudiumq; ut canunt noſtræ literæ. Hoc omne Græce dicitur ἀρέσκεια. Per hoc ipſum uerbum, ait homines Deum procul aſpicere, Ducem ad perueniendum ad Deum, eſſe uerbum eius: ſicut ille in mundo ſe oſtium uocabat, quo perueniatur ad patrem. prituſq; ait per ſapientiam attingi ad filium: inde uideri Deum procul. Eſtq; profundißima Theologia, quam puto Philonem in antiquorum ſuorũ monumentis reperiſſe: celebrem item apud Chaldæos Aegyptioſq;. Eodem libro ſcribit: τὸ μὲν παράδειγμα ὁ πανηγερέστατος αὐτοῦ λόγος. Exemplar, inquit, erat pleniſſimum uerbum eius. Sic & iſto loco denotat originem mundi Philo eſſe filium Dei. Exemplar autem propter res creatas: pleniſſimum, propter fœcunditatem, infinitam que rerum creandarum poteſtatem, formam rerum infinitam, genitricem omnium rerum Sapientiam. Eodem libro, ſub quibus ſignificatis ſit Sol, κατὰ τὸ τρίτον συμαινόμενον ἥλιον καλεῖ τὸν θεῖον λόγον, τὸν τοῦ κατ' οὐρανοῦ περιπολοῦντα: Secundum tertium ſignificatum Solem uocat diuinũ uerbum eius, qui per cœlũ circumambulat. Quid admirabilius dicere Philo poterat de uerbo Dei? appellari eũ Solẽ, q de ſe dicebat, Ego ſum lux mundi. et eccleſia canit, Ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Hæc nuncupatio ad magnã uerbi diuinitatẽ, uniuerſalemq; & incorporeũ nitorẽ, inuiſibilemq; oculis humanis claritatẽ reſpicit: quæ claritas nõ poſſit, quàm Solis nomine uerius deſignari. Eodẽ ſignificatu Ioannes dixit de cœleſti ciuitate. Et ciuitas nõ eget ſole neq; luna ut luceant in ea. Nam gloria Dei illuminat eã, & lucerna eius eſt agnus, & nõ egent lumine lucernæ, neq; lumine Solis: quoniã Deus illuminat illos. Sic & idẽ Ioannes, Erat lux uera, quæ illuminat omnẽ mundũ. Inambulantem uũt per cœlũ dicit, aut ipſum patrem, cuius maieſtas ſit in cœlo, totũ implens intrà

& extrà mundum, aut certè Solem ipſum eius, qui per omnem inambulet cœlum. Quod Plato de Ioue, Pſalmus quoque, Qui aſcendit cœlum cœli ad Orientem, Quod Hebraicè, Qui equitat Araboth, orbes cœleſtes, aut cœlum ſupremũ. Eodem quoque libro: Δύο γὰρ ὡς ἔοικεν ἱερὰ θεοῦ, ἓν μὲν ὁ δὲ κόσμος ἐν ᾧ καὶ ἀρχιερεὺς ὁ πρωτόγονος αὐτοῦ θεῖος λόγος. ἕτερον δὲ λογικὴ ψυχή, ἧς ἱερεύς, ὁ πρὸς ἀλήθειαν εὐθρωπος: Duo ſunt, ut apparet, templa Dei. Vnum quidem mundus iſte, in quo & Pontifex primogenitus eius, diuinum Verbum. Alterum uerò, rationalis anima, cuius ſacerdos eſt, uerus homo. Quid apertius, diuinius, mirabilius? Pontificem templi, qui eſt totus mundus, eſſe diuinum uerbum, primogenitum? Mundum templum Dei. Huius templi, diuinũ ſummumq; ſacerdotem, primogenitum Dei, Verbum eius. Quia ſcilicet ille Rex eſt, et Dominus mundi, omnia regens, ac ſuſtinens, creator, altor. Pontificem quoque uocat eum Paulus, qui pro peccatis hoſtiam obtulerit, inter homines Deumq; ſequeſter, & mediator. Qua ratione Dionyſius item uocat eum τελέταρχον μυσάγωγον, initiationum, myſteriorumq; principem. Primusq; ipſe initiator, & ſacrator, qui ſuis myſterijs, præcipuè cognitione, & cultu patris ſui, nos initiauit. Hoc maximus ipſe in toto mundo ſacerdos egit, & agit. Triaq; ſunt hic diuina nomina filij Dei apud Philonem, Verbum diuinum, Summus ſacerdos, Primogenitus. Aliſſima Theologia Apoſtolorum. Quàm eſt etiam diuinum, quòd mundum uocat templum Dei, in quo colitur, adoratur, cognoſcitur, laudatur Deus inuiſibilis? Sic & animum eſſe templum Dei, noſtra Theologia eſt: Templum Dei, inquit Paulus, eſtis uos, Dei ædificatio. Philo quoque eodem libro loquens de hoc ipſo: τὴν τοῦ θεοῦ εἰκόνα, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον. Imaginem Dei, Angelum ipſius Verbum: Hic quoque tria ſunt nomina Filij Dei diuiniſſima, Theologiæ ueræ frequentia. Imago Dei id enim etiam eum Paulus, & Characterem, Angelus item eſt, ſicut in Eſaia, Magni conſilij Angelus. Eoq; etiam dicitur λόγος, ſermo Dei, locutio Dei, nuntius Dei, loquens & agens omnia pro Deo, tanquam ſequeſter inter nos & illum. In quibus eſt omnis Theologia. In libro quoq; de Agricultura: Hæc omnia, inquit, ποιμὴν & βασιλεὺς θεὸς ἄγει κατὰ δίκην, & νόμου, πρόσταγμα, τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἱερὰς ταύτης ἀγέλης, οἵα τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. Hoc eſt, Paſtor, & Rex Deus ducit rectè, & legitimè, præfecto lege recta Verbo ſuo, primogenito Filio, qui curam ſacri iſtius gregis, tanquã magni Regis quidam magiſtratus ſuſcipit. In his quoq; Philo apertè primogenitum Filium Verbum nominat, cum proſpicere gregi ſuo, omni mundo, præcipuè generi humano. Idem etiam Filius dixit, appellans homines ouile ſuum, ouesq; homines à patre ſibi creditas. Deniq; omnem generis humani adminiſtrationem, redemptionem, curam, traditam ſibi à Patre dicebat: ſeq; ab eo miſſum in hunc mundum, agentem quæ Pater ſuus imperaſſet. Eamq; ob cauſam uocat eum Philo ὕπαρχον magiſtratum, miniſ-

ſtrum,

ſtrum, ſubimperantem, ut ſic loquar, alterius imperio parentem: imperantem quidem, ſed ſub altero imperatore, et Patre qui mittat eum ad omnia. Eaq; eſt ratio appellationis λόγος, quod rectius uertitur, ſermo, locutio, quàm uerbum. Sonat enim id nomen locutorem, internuntium, non natiuitatem, ut reor, ſpiritualem. In libro quoque, Quòd diuinitas ſit immutabilis: χωρέυει γὰρ ἐν κύκλῳ λόγος ὁ θεῖος, ὃν οἱ παλαιοὶ τὴν αὐθρώπων ὀνομάζουσιν τύχην, εἶτα, ἀεὶ ῥέων καὶ πόλεις, καὶ ἔθνη, καὶ χώρας τῶν ἄλλων, ἄλλοις. καὶ πᾶσι τὰ πάντων ὠφελέμενος χρόνοις αὐτονόμοις ἀλλάττων. τὰ πᾶσι ἑκάστοις, Inambulat enim circum, Verbum, quod appellant plerique Fortunam. Deinde ſemper per urbes commeans, & gentes, ac regiones, quæ ſunt aliorum, alijs, & omnibus, res omnium diſtribuit, temporibus liberis, mutans quæ ſinguli habent. Hîc quoque Philo oſtendit Filium Dei, Verbum, eſſe rectorem, gubernatorem, moderatoremq; Vniuerſi, ſicut ſuperius, datam curam gregis à Patre, Filio dixit. Quæ quidē omnia indefeſſè conciunt ſacræ literæ. Eum dicit inuiſibiliter perambulare mundum. Eadem cauſa ſuperius uocabat eum hyparchum, magiſtratum. Eum ait omnia diſtribuere, uertere, uerſareq; regna, commutare diuitias, opes, quod totum eſt mundum moderantis. Portans omnia, inquit ille, uerbo uirtutis ſuæ. Et in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia. Idem in libro de Flammeo gladio: μετέλθωμεν σὺν ἀκριβείᾳ τὴν μέρος κατασκευῶν, ἵνα τὴν μεγίστην οἰκείαν, τὴν πόλιν, τόνδε τὸν κόσμον, εὑρήσεις γὰρ ἄκοπον μὲν αὐτὸν τὸν θεὸν, ὑφ' οὗ γέγονεν. ὕλην δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, ἐξ ὧν συνεκράθη. ὄργανον δὲ λόγον θεοῦ, δι' οὗ καὶ τεκτήνατο, τὴν δὲ κατασκευὴν ἀκριβῆ τὴν ἀγαθότητα τοῦ δημιουργοῦ, Digreſſus igitur à particularibus opificijs, aſpice maximā domum, aut urbē, hunc mundum. Inuenies enim eius cauſam Deum, à quo factus eſt: materiam, quatuor elementa, è quibus conſtitit: Organum autem Verbum Dei, per quod conſtructus eſt: conſtructionis autem cauſam, bonitatem opificis. Quanta hoc quoq; loco Theologia? Vrbem dicit, aut domū, totum mundum: eius opificem, et cauſam, Deum: materiam, quatuor elementa: Organū, id eſt, cauſam mediam, Verbū Dei. Quatuorq; nominat cauſas: efficientē, Deum ipſum: materialē, quatuor elementa: Organicam, ſiue motricem, ſeruientē primo: finalem, bonitatem, uel etiam efficientem. Noſtræ Theologiæ myſteria, prædicantis Deum creatorē cœli, et terræ, uti cauſam principalem. Filiū autem, per quem omnia facta ſunt, Græcè ſicut et Philo, δι' οὗ, Præpoſitio enim Græca δια, deſignat mediū. Et quod expreſsit Philo Organū, id eſt, motorem eum, qui ab alio mouebatur: mouebatur à Patre Filius ad creationem, eo uti artifice utebatur: eum imperauit creare, dederat poteſtatem creandi. Itaq; mundus à Patre, & Filio eſt creatus: à Patre, uti prima cauſa, uolente, dictante, iubente: à Filio, parente iuſſo, motoq; à Patre. Sicq; fuit creator unus, & quia creauit uterque, uterque Deus. Sed quoniam bonus, niſi unus, neceſſariò una diuinitas: quòd

ipſa

ipſa ratio declarat, Theologiaq; demonſtrat. Non enim tanquam à duobus diuerſis autoribus creatus eſt mũdus, ſed à duobus, uelut uno, à principali cauſa Deo, à cauſa mota ab ipſo Deo Filio. Neq; enim Filius creaſſet, ſi Pater noluiſſet, & ſi poteſtatem non dediſſet. Paruit igitur Patri, accepta ab eo æterna poteſtate. Quæ res exemplis humanis eſt clara: Ergo dicit Philo nunc, quod Ioannes, utens ſimili præpoſitione, Omnia per ipſum facta ſunt. Philo autem, διʼ οὗ κατεσκεύασαι. Eaq; eſt ratio cur appellauerit ipſum, Organũ. Vides igitur et hìc profundiſſimũ myſterium: quod etiam inuenies apud Platonem, Orpheum, Mercurium Triſmegiſtum: diuiniſſimeq; ſecum omnes conſentiunt, reuelatam nouiſſimis ſeculis radiantiſſimè Theologiã prædicantes: In libro quoq; in quo diſſerit, quòd apparuit Dominus Abrahæ, dicit, ὁ ὑποφήτης αὐτὸς λόγος, Internuncius, denunciator, interpres eius Verbum. Eadem eſt ratio, ut appelletur ὑποφήτης, interpres, atq; hyparchus, magiſtratus, & logos, id eſt, locutor, locutio, ſermo, & ſuperius Angelus. In ſecundo quoque Allegoriarũ legum, hæc ſcribit: σκιὰ δὲ θεοῦ, ὁ λόγος αὐτοῦ ἐστὶ, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος ἐκοσμοποίει. αὐτὴ δὲ ἡ σκία, ἣν ὥσπερ νῦν ἀπεικόνισμα, ἑτέρων ὄντων ἀρχέτυπον, ὥσπερ ὁ θεὸς παράδειγμα τῆς εἰκόνος, ἣν σκίαν νυνὶ κέκλημεν, ὅτως ἡ εἰκὼν. ἄλλο γίνεται παράδειγμα, ὡς καὶ φαμὲν ἐπὶ τῆς νομοθεσίας, ἐδήλωσεν ἐπὼν, ἣν ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ· ὡς τῆς μὲν εἰκόνος ἣν τοῦ θεοῦ ἀπεικονισθείσης, τῶν δὲ ἀνθρώπων ἣν τὴν εἰκόνα λαβόντων παράδειγμα τοῦς. Quæ ſunt, Vmbra Dei, eſt Verbum eius, quo tanquã organo uſus, creabat mundũ. Hæc autem umbra, et quaſi aſſimilatio, aliorum eſt exemplar. Sicut Deus exemplar imaginis, quam umbrã nunc uocauimus: ſic imago alteri ſit et exemplar. Sicut inchoans libros legis expreſsit Moſes, dicens, Et creauit Deus hominẽ ad imaginem Dei. quaſi ipſa quidem imago ſecundũ Deum ſimilitas ſit, homo autem ſecundum imaginẽ, quæ acceperit uim exemplaris. Hic quoq; Philo maxima fatur altiſſimaq; myſteria, eſſe Verbũ quaſi umbrã Dei (non poterat enim alio commodiore nomine uti) Sed ſeipſum quoq; declarat, hanc umbrã eſſe uelut aſſimilationẽ. Noſtræ quoq;, ut diximus, literæ, imaginẽ Dei, Filiũ uocant. Nã Paulus ad Coloſſæos: ὃς ἐστὶν εἰκὼν τοῦ θεοῦ, τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Et Solomon, Imago bonitatis eius. Hinc ipſe dicebat, Qui uidet me, uidet & Patrẽ meum. Iterũq; eũ Philo nominat Organũ, quo Deus ſit ad creationẽ uſus, innuens mediũ, ſequeſtrũ, autorẽ, quo Paulus eũ omnis cõditionis, et creationis primogenitũ dicit, id eſt, anteeuntẽ, præcedentẽ omnes res creatas. Quia (ut ibidẽ fatetur) in ipſo facta ſunt omnia, cœleſtia, terreſtria, uiſibilia, et inuiſibilia, Angeli, poteſtates, dominationes, throni, omnia per ipſum, et in ipſum facta, et ipſe eſt ante omnia, et omnia in ipſo conſiſtũt. Hæc Paulus. Nõ alia Philo, etiã Iudæus. De eo quoq; diuinã eminẽtiſſimãq; canit Theologiã: Sicut ipſe ſit imago Patris, ut Pater illi tanquã exemplar ſit: ſic ipſum eſſe exẽplar hominis. idq; ait à Moſe declaratũ, cũ de homine creato

ſcriberet,

ſcriberet, Ad imaginem Dei fecit illum. Quo Philo ſignificari putat, hominem fa-
ctum ad illum, qui eſt imago Dei. Is autem eſt Filius: ut in eo Moſis dicto, ſint duo
exemplaria, duæq; imagines: primũ cùm ait, Ad imaginem Dei: is autem eſt Filius:
Ergo Pater exemplar Filij: Cùm uerò ad ſimilitudinẽ iſtius imaginis ſit homo crea-
tus, erit Filius ipſi homini exemplar. Sicq; Filius reſpectu Patris ſui eſt imago, reſpe-
ctu hominis exemplar. Audiuitq; ex altiſſima ſapientia Philo, Filium creaſſe mun-
dum, tanquam organum Dei: creaſſe hominem, tanquam exemplar. Quanquã et
exemplar, et Idea mundi dicitur à Platonicis: ut quandocunq; Moſes loquatur de
mundo, uel homine à Deo creato, illum innuat Deum, qui eſt organum, & imago
Patris ſui: organum reſpectu creationis: imago reſpectu naturæ, quam Patri habet
coæqualem. Ideo neceſſe eſt ipſum quoque eſſe Deum: ſi Deum, æternum quoq;.
Sed ſicut in ſacris literis propriè Deus dicitur Pater ut ſæpe oſtendimus, quia prin-
cipaliter & genitor: ſic apud Philonẽ, Deus propriè Pater ipſe eſt. Et quoniã petit
teſtimoniũ Moſis ſuper hoc, Moſes autem dixit, Et creauit Deus hominẽ, ad imagi-
nem Dei creauit illum. hunc autem creatorẽ Philo, uult eſſe Filium, qui etiam mun-
dum, tanquã iuſſus à Patre, et ut organũ creauit. Claret etiam ipſum aſſertione Phi-
lonis eſſe Deum. Itaq; cùm dicit: In principio creauit Deus cœlũ, et terram: ſi Phi-
lonem Iudæũ audias, Patrem, et Filiũ creaſſe dicit: Patrẽ, ut Autorem primum: Fi-
lium, ut Sapientiã, & Organũ Patris. Ideò ueteres Hebræi, quod apud Moſen eſt,
In principio, interpretabantur, In Sapientia. Si conſulas autẽ ueteres illos, et ipſum
Philonẽ, Sapientia eſt ipſum Organũ, eſt primogenitus filius, Verbũ, plenus Idea-
rum Deus, archetypum hominis. Hanc eandem prædicabant Apoſtoli in toto orbe
Theologiã: cuius, ut arbitror, plenæ erant ſecretæ, et ſynceræ traditiones Hebræo-
rum. Hinc ipſe dicebat, Scrutamini ſcripturas, et inuenietis ibi de me. et, Incipiens à
Moſe, et Prophetis omnibus, interpretabatur eis in omnibus ſcripturis, quæ de ip-
ſo erant. Nec fieri poterat quin hanc de Patre, & Filio Sapientiam Philo ex aliqua
profunda, & oraculis reuelata Theologia hauſerit. Eodem quoq; libro: ὁ θεῖος λό-
γος ὑπερπέπτωκεν ὅλην, ὡς ἐφορᾶν ἔστιν ἱκανὸς: Dei Verbum acerri-
mi oculi eſt, ut conſpicere queat omnia. Hoc teſtimonio ſentit, quod ſuperius,
eſſe prouidentiam Filij Dei, quem dicebat totum inambulare mundum. In libro
quoq; Quis ſit hæres rerum diuinarum: ἀόρατος καὶ σπερματικὸς τεχνικὸς
θεῖος λόγος: Inuiſibile, ſeminale, opifex, diuinum Verbum. His quoq; nominibus
potentiam creandi, qua præditus ſit Filius, declarat, plenum artis, ſeminum, ratio-
num, formarũ, eum dicens. Eodem libro: ἔτι τοίνυν τὴν οὐράνιον τροφὴν ψυ-
χῆς, ἣν καλεῖ μάννα, διανέμει πᾶσι τοῖς χρησομένοις λόγος θεῖος ὀξὺ καὶ
περιφερόντικῶς διαφερόντως ἰσότητος. Quod eſt, Adhucigitur, cœleſtẽ eſcam
animi, quam uocat Manna, diſtribuit uniuerſis, qui utentur, Verbum diuinum, ex
æquo præcipuè proſpiciens æqualitati. Sentit Philo Sapientiam, quæ dicitur Man-
na, à Verbo, quem proſpectorem, prouidentemq; ſuperius uocauerat, donari. Colle-

ctis

ctis autem omnibus inuenies apud eum, Filium, aut Verbum, esse creatorem mundi, esse maximam mundi creandi Sapientiam, Idearum, id est, originum, seminum, formarum, fontem, ac regnum, hominis creatorem, mundi gubernatorem, moderatorem generis humani, mutantē, transferentemq; regna, dantem sapientiā. Quanquā hoc Manna, cuius nunc meminit, potest intelligi, beatitudo cœlestis, quæ donetur à Filio Dei. Eodem quoq; libro: Inuenies, inquit, δύο λόγους, ἕνα μὲν ἀρχέτυπον ὑπὲρ ἡμᾶς, ἕτερον δὲ μίμημα, τὸν καθ' ἡμᾶς ὑπάρχοντα. καλεῖ δὲ μωσῆς τὸν μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς εἰκόνα θεοῦ, τὸν δὲ καθ' ἡμᾶς ἢ εἰκόνος ἐκμαγεῖον. ἐποίησε γὰρ φησὶν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, οὐκ εἰκόνα, ἀλλὰ κατ' εἰκόνα. ὥστε τὸν καθ' ἕκαστον ἡμῶν, νοῦν, ὃς δὴ καὶ πρὸς ἀλήθειαν, κυρίως ἄνθρωπος ὄντα, πρότερον εἶναι τύπον, ἀρχὴ τῶν πεποιημένος, τὸν δὲ μέσον παράδειγμα μὲν τούτου, ἀπεικόνισμα δὲ ἐκείνου : Duo Verba esse, uel, Rationes: unam quidem exemplarem, supra nos, alteram imitationem, quæ nostra est. Vocat autem Moses, eam quidem quæ supra nos est, Imaginem Dei: quæ autem nostra, imaginis simulachrum. Fecit enim, inquit, Deus hominem, non imaginem, sed secundū imaginem. Quo fit ut singuli cuiusq; nostri mens, quæ scilicet uerè & propriè est homo, tertia sit expressio, ab eo, qui fecit. Medium autem exemplar quidem nostræ huius, assimilatio autem illius. Hæc Philo. Audisti igitur, duas siue Mentes, siue Rationes: alteram supra nos, archetypum, & exemplar ad nostram, ad quam nostra creata sit, sicut Moses declarauit, quem Philo etiam Iudæus sentit de Filio, de Verbo fuisse locutum: huncq; fuisse, qui creauit hominem ad similitudinem suam, quia fuit illi exemplar, qui se respiciens, hominem crearit. Vt quemadmodū Filius ipse est imago Patris, sic nos simus imago eius. Itaq; si Philonē audias, Moses de Filio, et Verbo Dei diuinè prædicauit, et scripsit: ut iure merito Græci uocent Dei filiū πρωτότυπον, prototypū, primū exemplū ad ipsum hominē creatū ab eo: ut ille fuerit uerus homo, ab eo alter homo, mens nostra ad similitudinē eius. Sanctissimū, eminentissimūq; nostræ Theologiæ mysteriū. Hinc ipsi Filio canimus, Qui mūdi in primordio Adā plasmasti hominē, cui tuæ imagini uultū dedisti similem. Itaq; Philone magno Theologo teste, qui mundū creauit, qui spiritū, mentemq; humanā afflauit, cæteraq; fecit, quæ tā multa in ueteri testamēto Deo adscribūtur, fiūt Verbū Dei, medius, interpres, nuncius, legatus summi Patris ad hominē. Sic gerēs uices prouidētiæ, sicut gessit creationis. Eodem quoq; libro: ὁ γὰρ θεῖος λόγος τὰ ἐν τῇ φύσει διεῖλε, & δίνυμε τὰ πάντα: Verbum Dei omnia, quæ natura continētur, diuisit, ac distribuit. Hic quoq; Philo repetit, Verbū fuisse creatorē, moderatorē, qui digessit, distinxit, distribuit omnia. Vt sit illa Anaxagoræ Mens, quæ Chaos digessit, inq; ordinem redegit. Refertur item hoc ad Prouidentiā. Eodem item libro: ἄτμητοι μὲν οὖν αἱ δύο φύσεις, ἥτε ἐν ἡμῖν τοῦ λογισμοῦ, & ὑπὲρ ἡμᾶς τοῦ θείου λόγου. Paulò pòst: νοῦς τε ὁ ἐν ἡμῖν, & ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς. Id est, Indiuisibiles igitur sunt duæ naturæ, ea quæ in nobis rationis, et

ea quæ ſupra nos diuini Verbi, Mens, quæ in nobis, et quæ ſupra nos. Ecce ſemper recitat eadem, clarioráq; reddit, commemorans, celebrans Verbum diuinum, appellans ipſum Mentem, quæ ſupra nos, ſuperius autem ad quam noſtra ſit formata. In diuiſibilis naturæ dicit utranq; eſſe, ſicut ſunt incorporeæ. Nam cùm noſtra cenſetur etiã Mens Angelorũ, quã et ipſe creauit, ut poſterius erit manifeſtũ. Eodẽ item libro ſcribit: πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὴ διάνοιαν οἰκείοσαι θείῳ λόγῳ μακαρίας φύσεως ἔκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γεγονὸς. Omnis homo, inquit, ſecundũ Mentem ſimilatur, communicatq; cũ Verbo diuino, factus beatæ naturæ expreſsio, aut abſciſsio, aut radius. Quid his altius, mirabiliusq; Ecce iterũ creatio animi noſtri, Verbum diuinũ, cum eo nos habere ſocietatẽ, affinitatẽ, communicationẽ, animũ noſtrũ illius beatæ naturæ aut ſimulachrũ eſſe, aut abſciſsionem quandã ex ea, aut radiationẽ. Nec enim explicare melius licet, quod traditur à Moſe, cùm inſufflauit Deus in hominem. Hunc afflatum, quem animum noſtrum uult à Deo manantem fuiſſe, uocat aut expreſsionem, ut cùm in cera reddimus imaginem ſigilli, ut talis homo fuerit ad Verbum diuinum, ipſum ſigillum, homo cera: aut radium, aut abſciſsionẽ, quibus rationibus immortalitas animi declaratur. Ac cùm Ariſtoteles et ipſe confiteatur animũ noſtrũ eſſe Deo συγγενέστατον, ſimillimũ, finitimum, eiuſdem generis, ecce quomodo debeat intelligi, ſcilicet diuino Verbo ſimile. Et cum dicit animũ uenire in corpus θύραθεν, exterius, à Filio Dei, à Verbo diuino, ab Archetypo noſtro, intelligendum eſt, ipſo Philone non Chriſtiano, ſed Iudæo, eminentiſsimóq; Platonico declarante. Item in libro, Quòd mulieres non decet indecorè agere: Ψυχὴ γὰρ ἀνθρώπου σημεῖον, ἧς μεθισαμένης, ἢ μετοικιζομένης τὰ ἀπολειφθεισόμενα πάντα μιαίνεται, σεσόμενα θείας εἰκόνος. ἐπεὶ ὁ θεοφιλὴς ἀνθρώπινος πρὸς ἀρχέτυπον ἰδέαν τὸν ἀνωτάτω λόγον τυπωθεὶς: Anima enim hominis ſigillum eſt, quæ diſcedente, & migrante, quæ remanebunt omnia fœdantur, priuata diuina imagine. Quoniam diuinæ ſimilis eſt mens humana, ad archetypum, id eſt, exemplarẽ Ideam, altiſsimum Verbum formata. Quid his item diuinius, excellentius, in omni Theologia profundius, de creatione animi noſtri, et quòd oporteat retinere imaginem, qua diſcedente, cuncta fœdentur, & polluãtur? Tota igitur hæc Theologia eſt apud Philonẽ, nec aliam apud ſcriptores ſacros reperias, ut mirabile ſit ab homine Iudæo, à Philoſopho, tam clara, tam minimè ambigua teſtimonia proferri, niſi uideremus Theologos omnium gentiũ eadem cognouiſſe, prædicaſſe, nouiſsimiſq; ſeculis inclaruiſſe quod olim fuiſſet celebre apud ſapientes omnium nationũ. Verbum igitur apud Philonem eſt Primogenitus, eſt Filius, eſt Organum Dei, eſt ſœcundiſsimus, & Idea Idearum, eſt mundus archetypus, eſt hominis item exemplar, & archetypum. Eſt imago Dei, eſt diſtributor, moderator, eſt is per quem uenitur ad Deum, eſt Sol, eſt Pontifex in templo Dei hoc mundo, eſt rector, moderator omnium, eſt magiſtratus Dei, eſt humanarum rerum, regnorumq; diſpenſator, eſt

proui-

prouidentißimus, oculatißimus, eſt Mens ſupra nos, ad quam noſtra eſt creata, eius ſimilis eſt homo. Quòd item iſte Logos ſit Deus, & æternus apud Philonem, non ſicut plerique dementißimi, naturæq; ignari ſuſpicati ſunt, non Deum, ſed Mentem quandam uelut angelum maximum, ut Valentiani, declarant tum omnia, quæ nunc protulimus, tum locus in libro de Mundo, cùm de creatione hominis loquitur. Nam cùm in his locis productis, Verbum diuinum dixerit fuiſſe archetypum, exemplarq; animi noſtri: in libro de Mundo ſcribit, cæteros, affinitatem eſſe hominis cum æthera dixiſſe. At magnum Moſen, nulli rei creatæ, ſpeciem animæ rationalis ſimilem tradidiſſe: ἀλλὰ αὐτὴν εἰκόνα τοῦ θείου λόγου, καὶ ἀπόγονον θεοῦ ἐκείνου εἰκόνα, δόκιμον εἶναι νομίσας, ἧς εἴωθε, καὶ τυπωθῆναι σφραγίδα θεοῦ, ἧς ὁ χαρακτὴρ ὄνομα ὁ ἀΐδιος λόγος, ἐνέπνευσε γὰρ φησὶν ὁ θεὸς εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, ὥστε ἀνάγκη πῶς τὸν ἐκπέμποντα τὸν λεχόμενον, ἀπεικονίζεσθαι, μᾶλλον καὶ τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα φασὶ θεοῦ γεγονέναι, ἢ μιμεῖσθαι κατ' εἰκόνα τινὸς τῶν γεγονότων. Sed eam dixit diuini Verbi, & inuiſibilis illius Dei imaginem, probabile arbitratus, etiam quod formatum ſuit, ſigillum eſſe Dei, cuius character eſt Verbum ſempiternum. Inſpirauit enim, inquit, Deus in faciem eius, ſpiraculum uitæ. Quocirca neceſſe eſt, eum qui accepit, eum, qui emiſit, aſſimilari. Ideo etiam hominem dicunt factum ad imaginem Dei, non ad imaginem alicuius rei creatæ. Ecce fatetur Philo ipſum Verbum ſempiternum, fatetur Deum, fatetur nos ad imaginem eius, fatetur Moſen de eo fuiſſe locutum.

Ex Platone, Filium habere Patrem: Verbum eſſe diuiniſsimum, Principem præſentium, & futurorum. Cap. XXVII.

PLato quoq;, cuius omnis Theologia fluxit à Triſmegiſto, cuius tredecim annos in Aegypto uerſatus omnem introſpexit ſapientiam, eaq; amplitudinem ſuam ditauit, expreßis, nullaq; ambage obuolutis uerbis confeſſus eſt in Epinomide, creaſſe mundum Verbum diuiniſsimũ. Mercurius ergo, & Philo λόγον, id eſt, Verbum, nõ ſolum Filium Dei dicebant eſſe, ſed etiam opificem. Verbumq; eſt opifex, propter mundanum opificium, in quo opificium cœli eſt præcipuum. Plato autem in Epinomide ſic ait, Quælibet ſtella propriũ curſum conficit, συνεκτελῶν κόσμου ὃν ἔταξε λόγος, ὁ πανάριστος θεότατος, ὃς ἄρα τὸν, Abſoluens, inquit, ac peragens eum ordinem, & decorem, quem, ut uideri poſſet fecit diuiniſsimum Verbũ. Audierat ergo Plato ex Mercurio, Mentem, Verbum opificem, condidiſſe mundũ. Quocirca in Phædone clamat, & affirmat Mentem omniũ creatricem, in Timæo uocat creatorem mundi opificem, in Epinomide Verbum diuiniſsimum cœleſtes ordines excogitaſſe. Hinc neceſſariò ſequitur, eadem ut ſentiant Ariſtoteles & Plato, Ariſtoteles uocat Mentem θειότατον diuiniſsimam in libris diuinæ Philoſophiæ: Plato uerbum dicit eſſe diuiniſsimum. Profectò non poſſunt eſſe duo diuiniſsima. Sunt igitur omnia nomina Filij Dei, quibus eadem res apud duos inclytos

Philoſo-

Philoſophos, totaámque priſcorum Theologiam ſignificatur. Quoniam igitur & nomina, & res apud Platonem reperiuntur, quæ ſuperius in Theologia Mercurij habebantur, perſpicua ratio eſt, ea quæ ſunt ex illo prolata illius eſſe euidentiſſimè, nec fuiſſe uel à Chriſtianis, uel aliquo alio commenta. Sed audi aliud luculentum teſtimonium ſuper & Theologia Mercurij, & ipſa ueritate, de patre inquam & filio apud Platonem, ac uide quantum ex Chriſtiana Theologia priſcis innotuerit, tum ex eo intellige, quæ de Magis, Sibyllis, Aegyptijſq; prolata ſunt, ſine contro/uerſia non eſſe adulterina, & commentitia. Filius non ſolùm à Chriſtianis, ſed his etiam omnibus, quorum uſi ſumus teſtimonijs, uocatur totius orbis, cœli, ac terræ princeps, ut Sibylla canebat. Princeps ait noſter, regum terræ, dominus dominan/tium. Vocatur etiam opifex & cauſa. Vbiq; enim nunc ſcimus celebrari, ac cõme/morari, quod omnium rerum cauſa ſit filius Dei. Idem etiam ualet opifex, ac cauſa: ut qui dicat opificium, neceſſario id deſignet, quod fit à cauſa. His ergo nominibus clariſſimè uſus eſt Plato pro ipſo filio. Tum eodẽ loco, ubi hoc dixerat, patrẽ iſtius cauſæ & principis commemorat, eamq; commemorationem myſticam, arcanam, ſacerrimamq; aſſerit. In epiſtola ad tres amicos, Hermiam, Eraſtum, Coriſcum, de amicitia & charitate loquutus, poſtea epiſtolam claudens hæc adiecit: Hanc epiſto lam uos tres ſimul oportet legere, ſin minus, duos certè in cõmune, idq; quoad eius fieri poſſit, creberrimè fœdere, & lege firma, ac ſancta, quæ iuſtitia eſt, adiuuan/tes omni animi contentione diſciplinam, quæ ſoror, & comes eſt ſtudiorum: καὶ τὸν τῶν πάντων θεῶν ἡγεμόνα, τ' τε ὄντων καὶ τ' μελλόντων, τ' τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπόμνυντες, ὃν ἂν ὄντως φιλοσο-φῶμεν, εἰσόμεθα πάντες σαφῶς ἐς δυνάμιν ἀνθρώπων δυνατὸν μάλιστα. Hoc eſt, Adiurantes etiam rerũ omniũ principẽ Deum, rerum inquã præſentium, ac futurarum, tum principis huius & cauſæ patrem. De quo ſi uerè fuerimus phi/loſophati, dilucidè ac clarè cognoſcemus, quantum poteſt concedi hominibus bea/tis. Hæc Plato de fontibus Mercurij, ut reor. Quæ mecum reputans, modo non la/chrymas profundo præ gaudio. Video enim generis humani Seruatorẽ ſemper co/gnitum, nunquam ſe ab aſpectu humano adeò ſubduxiſſe, ut eo ueniente, prorſus noua res diuinitas eius, & auguſtiſſima, quæ dicitur Trinitas, uideretur. Videtur e/nim ignaris admirabile, in Deo eſſe patrem ac filium, idq; præcipuè cæcutientibus diſplicet Hebræis, quorum ſunt animi ſemper ineptiſſimarum cogitationum pleni, nec ſinit eos unquam imperitia uidere ueritatem. Habes apud Platonem, philoſo/phiæ profanæ antiſtitem, hominem ante Chriſtum multos annos natum, nudam, atque apertam patris ac filij commemorationem. Filium dicit eſſe principem om/nium rerum præſentium ac futurarum. Quæ ſunt autem res futuræ, niſi futurum ſeculum? Siquidem & Paulus regem ſeculorum, & præſentis, ac futuri ſeculi principem eum appellat. Vtriuſque principem dicit eum Plato, cuius paulò pòſt nominat Patrem. Tum Plato uocat eundem cauſam, eam uidelicet quæ creauit om/

uia omnium cauſarum princeps, ac magiſtra Ideaq; per excellentiam uocatur. Cauſa, ut Pater per excellentiam uocatur ipſum Bonum. Eam Cauſam ſcilicet Plato innuit, quam in Epinomide uocat Verbum diuiniſſimum, ordinem cœleſtium rerum pertorem, in Phædone Mentem, in Timæo opificem. Hæc inquam in epiſtola uocatur ab eo Cauſa. Quod & Laërtius teſtatur, aſſerens Platonem duo creati mundi ſtatuiſſe principia, Deum, ac Materiam, οὗ ἓ νοῦν προσαγορεύει, ἓ αἴτιον, quem Deum, inquit, & Mentem appellat, & Cauſam. Cuncta igitur hæc ſunt nomina Filij Dei, Cauſa, Mens, Opifex, Verbum. Ô rem mirabiliſſimam. Vide etiam generationem iſtius Cauſæ. Nominat enim eius Patrem: uides creationem mundi per Filium, dum nominat Cauſam, nominat Regem, uel Principem rerum præſentium, & futurarum, quemadmodum uidelicet Sibylla Regem, ſeu ἡγητῆρα, Principem Deorum. Sunt autem Dij, res futuræ reſpectu noſtri. Nam Paulus, Omne, inquit, nomen, quod nominatur in hoc ſeculo et in futuro. Horum Sibylla Principem Filium dicebat à Patre conſtitutum. Similiter & Plato. Nomina quoq; ſunt ſimilia Sibylla ἡγητῆρα, Plato ἡγεμόνα. Tũ appellat Plato hanc ipſam Cauſam Deum. Ergo hæc omnia euidentiſſimè locutus eſt in Epiſtola Plato, Filium eſſe, et Patrem: Filiumq; eſſe Cauſam, eſſe Regem uiſibilium, & inuiſibilium, eſſe Deum. Quid ſupereſt in Theologia? Poſtremò, quod omnibus modis eſt mirandum, ſuſpiciendum, exoſculandum, & in quo nequeo ipſe lachrymis & gaudijs moderari meis, et admirando ſatiari, dicitur à Platone, de Patre eſſe uerè philoſophandum. Fore enim ut hæc ſcientia nos efficiat beatos. Certè diuine Plato magnũ quid innuebas: ideoq; cautè & abſconditè more Prophetarum es locutus. Quid enim uerè eſt de Patre philoſophari? Cur id de Patre potiſſimum? Nempe ea de cauſa, quoniam, ut ſuperius dicebamus, & ut oſtendemus in ſequentibus, ex ſententia Philonis, Numenij, & Plotini, non erat hominibus notus Pater, ſed Filius tantum, creator ſcilicet mundi. Sciebant omnes, & prædicabant mundum à Deo creatum. Solum ergo norant creatorem, Patrem non norant: Ergo bene admonet, oportere de Patre uerè philoſophari. Quid eſt uerè, Græcè ὄντως, id eſt, realiter, eſſentialiter? Digna ſcilicet de eo philoſophari, cogitare, ac loqui, quæ illius ſunt: & facere, quod faciebat Filius eius, qui reuelauit hanc de Patre ſuo Philoſophiam, omnia illi adſcribens, diuinitatem, eſſentiam, poteſtatemq; ſuam, dicens ſe eb eo miſſum, ab eo conſtitutum iudicem uiuorum ac mortuorum, omnia ſibi ab eo tradita, appellans eum Patrem ſuum, Deum ſuum, affirmans eum eſſe ſe maiorem, nunquam Patrem agnoſcendum, & ad conſpectum eius iucundiſſimum ueniendum, niſi filio reuelante, et perducente. Hæc inquam eſt Philoſophia de Patre reuelata à Filio, faciens homines beatos, imò beatiſſimos: reuelata inquam à Filio, non nouiſſimis ſeculis modò, ſed etiam, ut apparet, iam inde ab origine mundi. Filius eam reuelauit, redditurus hac cognitione nos beatos, & ad uoluptates paternas, paternum regnum addu-

cturus. Hic eſſe beatitudinem, prædicante Platone, quis erit tam tardus, ac ſaxeus,

quem

quem non hæc commoueant in admirationem, ſemper hodiernam ſapientiam, quæ nunc eſt ubiq; uulgatiſſima, fuiſſe prioribus ſeculis notam, prædicatã, licet paucis? Quod autẽ Plato in hac epiſtola de filio Dei ſit locutus, & quòd non mihi primo ueritas hæc affulſerit, ſunt doctiſſimi Græcorũ Theologi, ijdemq; maximi Philoſophi teſtes, Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſebius, Cyrillus, q̃ fatentur hac epiſtola de filio Dei ſcripſiſſe Platonẽ, idq; contra Philoſophos profanos diſſerentes, & eos ſcriptis ſuorum reuincẽtes. È quibus Origenes contra Celſum libro ſexto, ὁ δὲ πανταχοῦ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι μέλλος, καὶ πολλὰ τῶν τοῦ πλάτωνος παρατιθέμενος, ἐκὼν οἶμαι σιωπᾷ τὴν περὶ τοῦ θεοῦ λόγον, τὸν παρὰ πλάτωνι λεγόμενον ἐν τῇ πρὸς ἑρμείαν καὶ κορίσκον ἐπιστολῇ, οὕτω δὲ ἔχει ἡ τοῦ πλάτωνος λέξις: Celſus autẽ, qui ſe omnia ſcire profitetur, multaq; ex Platone profert teſtimonia, ultro, ut quidẽ ipſe arbitror, reticet, quæ de filio Dei loquitur Plato, in epiſtola ad Hermiã, & Coriſcum. Sic enim ſcribit ibi. Hæc Origines. Eadem Euſebius, & Cyrillus, & Clemens in Stromatis. Sed unus Origenes ſufficit. Nam Platonicos ipſos uidebimus in progreſſu ſimilia confitentes, hacq; epiſtola pro teſtimonio duarum hypoſtaſeon utentes. Hoc idem uidit & protulit Vgo ſenior, ualde bonus Theologus.

Ex Theologia Orphei de uerbo diuino, & quod ſit uox diuina, & quòd formator mundi. Cap. XXVIII.

PRincipem Græcæ Theologiæ diximus Orpheum. Nam nemo ferè ante hunc apud Græcos memoratur. Siquidẽ ante poëtas, quos appellat Theologos, & ante philoſophos floruit. Conſtatq; eum in Aegypto diu peregrinatum, ab Aegyptijs ſacerdotibus Theologiam didiciſſe. Hunc Ioannes Grammaticus in uita Homeri uocat σοφώτατον. Eius Iuſtinus Martyr, & Cyrillus egregiè meminerunt. In huius Theologia multa ueritatis antiquæ uiſuntur ueſtigia, quæ etſi ſunt quibuſdam fabulis à ſuperſtitioſis poſtea temerata, ſepoſita tamen, ac dirempta, & expurgata, ſuam recipient uenuſtatem. Nam cùm & ſuperſtitionibus falſis, & cultui dæmonum, omniq; idololatriæ deditus antea fuiſſet, & hymnos & odas dijs fictitijs ceciniſſet (ſi tamen eius ſunt hymni, non potius alterius Orphei ætate multo poſterioris) poſtea rerum uerarum ſcientia adiutus, cecinit antè actæ uitæ palinodiam, & in unum uerumq; Deum acie defixa, maieſtatem, diuinitatem que eius, quam apud Aegyptios didiciſſet, miris laudibus celebrauit. Hunc igitur, cum omnes uetuſtiſſimum confiteantur, quidamq; aſſeuerent eum diſcipulum Moſis fuiſſe, id eſt, Muſæi, è quibus eſt Polyhiſtor (quod ipſe non affirmo) ex illa Aegyptia ſapientia, aliáque per orbem ſparſa Theologia, multa ſcripſit uera, & his ſeculis admiranda. Altiſſimum que Dei uerbum ſequens celebrem famam, uocat uocem, per quam aſſerit patrem omnia creaſſe. Scripturusq; hæc altiſſima myſteria, ſic carmen inchoauit:

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶν, θύρας δὲ κλῄθετε βεβήλοις.

Dicam queis fas eſt, claudatur porta profanis.

Proponentur igitur quædam tantum carmina ad fidem, ut conſenſum omnium ſeculorum agnoſcas. Apparent enim eadem apud hunc de filio atq; Platonem, Mercurium, Chaldæos, cæteroſq; omnes. Ad filium:

Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τοῦτῳ προσέφθεγξε,
Ἰθυὺν κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀστρίτου, μῦνον δ' ὄψει κόσμοιο τυπωτῆ,
Ἀθάνατον, παλαιὸς δὲ λόγος πρὸ τοῦδε φαείνει,
Ὡς ὅτι αὐτοτελὴς, αὐτὸς δ' ὑπὸ πάντα τελεῖται,
Ἐν δὲ αὐτοῖς αὐτὸς πολυίσταται, οὐδέτερος αὐτῶν
Εἰσοράᾳ ψυχῶν θνητῶν, νόῳ δ' ἐσορᾶται.

Inq; Dei uerbum aſpiciens, huic ſemper adeſto,
Defigens animi altas luces, perge uiamq;
Rectam, factoremq; unum nate aſpice mundi
Immortalem, quem patrum fert fama priorum
Vnum, perfectumq; ſibi, tum perfici ab illo
Cætera, cumq; illis uerſari, non tamen ullis
Cerni animis hominum, ſed ſola mente uideri.

His carminibus non ſolùm declaratur noſtræ nouiſſimorum ſeculorum Theologiæ dignitas, quæ omni mundo illuxit, ſed confirmantur dicta Mercurij, Chaldæorum, Sibyllarũ, Anaxagoræ, Platonis: cũ quibus Orpheus, ipſiq; omnes inter ſe, diuino quodã inſtinctu conſentientes, filio Dei decernunt ſummã diuinitatem, rerum creationem, hunc adorandum, ſuſpiciendum prædicantes. Chaldæus rerum cunctarum dicebat patrem dediſſe filio autoritatem & creationem. Is appellatur ab Anaxagora, & Platonicis Mens. Confirmatur à Platone & Ariſtotele. Vocatur à Mercurio non ſolùm Mens, ſed etiam uerbum, genitum à patre. Ecce igitur & apud Orpheum hæc uniuerſa. Nuncupat enim eum uerbum diuinum: Verbum declarat autoritatem, rationemq; creandi: diuinum oſtendit eum alterius eſſe uerbum, eius ſcilicet qui propriè ac principaliter eſt Deus. Quem, & idem filius, Deum ſuum uocabat. Non eripitur tamen ab ullis diuinitas filij, ſed prædicatur, prouehitur, hortantur omnes, ut hunc agnoſcamus, ac ueneremur. Deinde Orpheus appellat eum ipſum κοσμοποιοτυπωτὴν, formatorem mundi. Ô conſenſum omnium mirabilẽ. Is enim eſt ſenſus uocis illorum priorum, qui filium dicebant Mentem: dicebant ſcilicet propter formas mundi, propter decorem ac uenuſtatem, propter ordines repertos. Sola ratio dare poteſt ornatum, ſola Mens, ſola intelligentia: maxima atq; ſapiẽtiſſima, omnipotensq; Mens, ſummos & uniuerſales ordines. Intelligentia igitur dicebatur ab illis propter creationẽ, propter Chaos, è quo Mens omnipotens, tanquã origine, rudiq; inchoamento, ordines omnes ſapientiſſimè expreſſit. Quem conſenſum

ſenſum Orpheus alio ſono notiore exhibens, appellat eum τυπωτὴν, Formatorem. Idem ergo eſt Mens, atque Formator. Cuius eſt enim formare, niſi Intelligentiæ, & Mentis? Hæc omnia audiens, & reſpiciens, ac celebrans Poëta noſter, commemorato Chao, hunc ipſum, quem Orpheus Formatorem, eadem prorſus ſcientia, mundi melioris Originem uocauit. Ille inquam formator, mundi melioris fuit Origo. Mundus melior, forma cœli, & terræ, omniumq; cœleſtium, ac terreſtrium. Et apud Platonem Verbum diuiniſſimum, apud Orpheum, Verbum diuinum, apud Mercurium Mens prima, generat Mentem, Verbum. Eſt apud Anaxagoram Mens digerens Chaos, & creans: confirmat lætaturq; ea Plato. Eſt apud eundem Cauſa, excellenterq; Cauſa. Apud Orpheum mundi Formator. Nihil ergo diſcrepat. Poſtea & hoc expreſsius carmen intonuit Orpheus:

Οὐρανὸν ὀρκίζω σε θεῦ μεγάλ᾽ σοφὸν ἔργον,
Αὐδλὼ ὀρκίζω σε πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτῳ.
Te cœlum obteſtor ſapiens opus omnipotentis,
Vocem te Patris adiuro, quam protulit ipſe,
Primum, conſilijs eius cùm conſtitit orbis.

Verbum, & Vox nomina Filij, eademq; utriuſq; ratio, Iuſſus eſt, & dictus, miſſuſq; ad creandum. Hîc quoq; patet Theologia nouiſſimorum ſeculorum, quæ confitetur creatorem omnium Patrem, ſed per Filium. Quibus uerbis is ſubeſt ſenſus, quem ſæpenumero declarauimus, Patrem eſſe tanquam iubentem, tanquam dictatorem, mittentemq; Filium ad creationẽ, cui non ſolùm autoritatẽ, ſed & naturam, ac diuinitatẽ ſuam dedit, id eſt, genuit. Vt autẽ ſcimus, et prædicamus non Patrem uenisſe ad redimendũ genus humanũ, feciſſe res humanas, functum mortalium muneribus, ſed Filiũ: ſic idem miſſus eſt ad creandũ, quem redemiſſet, propter quem cœlum, ac terras creaſſet: quemadmodũ dicebat ipſe, et ſcimus omnes, hanc redemptionẽ iuſſam à Patre, peractã à Filio: Res autem eorũ principaliter eſſe dicuntur, qui primi mouent, à quibus conſiliũ naſcitur rerum gerendarũ: qui autem faciunt, ſecundæ cauſæ ſunt. Sic creatio mundi, Patris eſt, tanquã principalis cauſæ. Itẽ redemptio dicitur ab eo facta, mittente Filium ſuum unigenitũ ad hoc ipſum. Hoc igitur mirabile eſt fuiſſe quoq; priſcis illis cognitum, rem ſcilicet obſcuriſſimã, quam mortales ſe ipſis agnoſcere non poſſunt. Verè enim ille dixit, Nemo nouit Patrem, niſi Filius, et cui uoluerit Filius reuelare. Cognoſcere quidẽ, cogitareq; poſſimus, aliquem fuiſſe creatorẽ mundi: ſed hunc habere Patrẽ, et eſſe diuinitatẽ Patrem, et Filiũ, non ſolùm non cognoſcimus, ſed propemodũ negamus, non capientes, non credẽtes, unquã fieri poſſe, ut apud Deum ſit qui generet, et qui generetur. Quod Hebræi uel maximè irridẽtes, hi potiſſimũ fuerunt, qui nõ nouerunt Patrẽ. Nam noſcunt, ac celebrant creatorẽ mundi, hunc in Synagogis uenerantur. uerũ is eſt Filius Dei, quẽ poſtea corpore, magnitudinẽ diuinitatis ſuæ abſcondentẽ, cruci affixerunt, factũ ſimilem noſtri tunc, ut nos ſimiles ſui poſtea efficeret. Ergo niſi Filius re-

uelasset, & nos simili in errore uersaremur. Ac certè credendũ est eundem ipsum antiquis seculis patrem suũ manifestasse, unde Chaldæus, Sibylla, Mercurius, Plato, Orpheus, hanc cognitionem hauserint, qui postea copiosissimè reuelauit, ostendens hanc esse felicitatẽ ueram, ut homines intelligerent patrem, cum filio. Superiores patrẽ cognouerunt: omnes enim patris meminerunt, credo, tam ex antiqua traditione, q̃ reuelatione cœlesti. Nam Platonẽ quæ scripsit de patre, à maioribus, uel Mercurio, uel Orpheo credendũ est accepisse: Mercurio quidẽ et Sibyllis, et Chaldæis, tũ ex oraculo cœlesti, tũ antiquissimis successionibus innotuisse. Siquidẽ is idẽ Orpheus meminit antiquæ famæ, ferẽtis perfectissimũ esse, nullius q̃; indigentẽ hũc mundi creatorẽ, omnia circumeuntẽ, regentẽ, sustinentẽq̃; qui sola mente, cogitatione q̃; purissima uideatur. Ergo à fama prisca hæc descendentia referebat, affirmabatq̃; Orpheus. Videmusq̃; hic nõ solũ ipsam Theologiã, sed claruũ etiã Orphei testimoniũ de ea à maioribus descendẽte. Fama igitur erat antiqua de eo, qui cùm esset ipse perfectissimus, ab eo perfecta omnia fuerint. Ea enim fuit causa, cur cætera ipse absoluerit, perfectissimeq̃; creauerit: quia perfectissimus ipse, & omni potestate, uiribusq̃; instructissimus. Triaq̃; sunt nomina Filij apud Orpheum, totã Theologiam continentia, θεῖος λόγος, τετρωτὴς, αὐτοτελὴς, Diuinũ Verbum, Formator mundi, per se, uel à se perfectus. Quibus & summa diuinitas eius, & mũdi creatio aperissimè designatur. Deinde Orpheus tria de eodem dicit ad profundã philosophiam spectantia. Primum, quòd idem per conditas à se res uersatur, regens scilicet, & gubernans eas, ut Philo declarabat: tum quòd eius per omnia conuersio, et assistentia est inuisibilis, quæ nostris oculis uideri nequeat: postremò quòd sola mente, sola ratione intelligatur. Nunc enim, etsi oculi corporei non cernunt, at mens eò peruenire debet. Plura enim animis cernimus, quàm oculis corporeis. Videre per animos partim ratio dicitur, partim fides. Hæc Orpheus, & alia complura, de diuinitate Filij. Sciendum q̃; nomen αὐτοτελὴς, esse idem atq̃; quod habetur apud Mosen, αὐτοὼν, per se existens, primus existens, & à nullo existens. Id enim est, quod indicauit Mosi, Ego sum, qui sum, quod Græce ὁ ὤν, Ille qui præstãter est. Articuloq̃; indicatur excellẽtia, polletq̃; idẽ αὐτὸς, atq̃; articulus ὁ. Pronomẽ indicat principiũ, originẽ: articulus excellentiam. Idem uerò est, & is qui per se existit, & qui habet hoc ipsum absolutissimè, præcipuè, primò. Porrò autem idẽ sunt αὐτοτελὴς αὐτοὼν, per se perfectus, per se existens. Idem enim sunt, perfectio, & ipsum esse. Quare qui à se existit, à seipso est perfectus, Quocirca idẽ dicit Orpheus, atq̃; Moses. Illũ quoq̃; euidẽtissimè sequitur. Appellat hoc nomẽ αὐτοτελὴς, Orpheus Filiũ Dei, ut clarum est. Cùm aũt idem sint, per se perfectus, atq̃; per se existens, efficitur, ut quem Moses uocauit per se existentem ὁ ὤν, sit is, quẽ Orpheus per se perfectum. Is autẽ est Filius Dei apud Orpheum. idem ergo apud Mosen, cùm ait, Ego sum, qui sum. Dionysius quoq̃; Areopagites Filium Dei uocat τὸ ὄν. Id quoq̃; sciendum est, nomen quatuor literarum apud Hebræos Iehouah, sonare hunc ipsum,

quem

quem Orpheus Græce dixit αὐτοτελῆ. Etenim illud nomen designat eũ, qui est: eáq; est omnis uetus Philosophia, ut uidebitur: ac prorsus quod ipsi Græciæ Philosophi τὸ ὄν, quod est, uocabant. Siquidè est uerbũ substãtiale, apud Hebræos, haiah, à quo fit nomen quatuor literarũ, sonatq; existentem. Quem sensum autem id habeat. Orpheus pulcherrimè Græcè significauit. Apud omnes igitur est celebris Filius Dei. Testatur aũt Iustinus Martyr idẽ & Philosophus, in Apologetico, Verbũ Dei cœli, & terræ creatorem Orpheũ cognouisse, sicut nos, inquit, prophetiæ sanctorum docuerunt: αἷς ἐμ μέρει ⸂καὶ⸃ ἀοτὸς ἐν τῇ αἰγύπτῳ προσχὼν, ἔγνω, ὅτι διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, πάσα ἐγίνετο φύσις: Quibus cum idem ex parte se tradidisset in Aegypto, cognouit quòd per Verbum Dei omnis extitit creatio.

Alia quædam ex Philone Iudæo, de Patre, & primogenito Filio, qui sit uerbũ eius, creator mundi, hominis archetypum, & quod Pater sit eminentissimus, Filius lex, & moderamen mundi, princeps Angelorum, coæternus Patri. Cap. XXIX.

QVæ hucusq; locutos maiores uidimus, ita se inuicem corroborant, facemq; præbent, & lucem, ut qui uelit aliquod eorum dimouere loco, totam necesse sit ei consecutionẽ rescindere. Certa enim sunt scripta Platonis, et Aristotelis, qui et sua, & maiorũ dicta confirmant. Sed arbitror neminem fore cui minus fidelia, & credibilia hæc uideantur, clarissima luce, omniumq; scriptorum indissolubili concordia se offerente. Referam igitur quædam alia ex eodem insigni Philosophò Philone Iudæo, ut totus inter se sit aptus narrationis ordo. Nam magnis semper uiris hæc admirationi fuere. Is igitur in opere, cuius inscriptio est, Quæstiones, et solutiones, in hunc modum quærit super illum scripturæ locum Gen. cap. 2. Ad imaginem Dei fecit illum: διὰ τι ὡς περὶ ἑτέρου θεοῦ φησὶν τὸ, ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ οὐχὶ τῆς ἑαυτοῦ; πανκάλως μὲν σοφῶς τοῦτο κεχρησμῴδηται, θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονίσθαι πρὸς τὸν ἀνωτάτω, μὴ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον θεὸν, ὡς ὄντα ἐκείνου λόγον, ἔδει γὰρ τὸ λογικὸν ἐν ἀνθρώπῳ ψυχῇ τύπον τινὰ θείου λόγου χαραχθῆναι, ἐπειδὴ ὁ πρὸς τὸν λόγου θεὸς κρείσσων ὄντως ἐστὶν, ἢ πᾶσα λογικὴ φύσις, ὃς δὲ ὑπὲρ τῶν πάντων ἐν τῇ βελτίσῃ καὶ πρώτῃ μερίδι τῆς αἱρέτου καθεστῶτι ἰδέᾳ οὐδὲν θνητὸν ἦν γενητὸν ἀξιόμοιωθῆναι. Quæ sunt, Quãobrẽ tanquã de altero Deo dicit, Ad imaginẽ Dei fecit hominẽ, nõ potius ad imaginem suiꝰ Præclarè, & sapienter id dixit oraculũ. Neq; enim fieri potuit, ut ulla res creata ad similitudinẽ altissimi, omniũq; patris effigiaretur. Ergo ad secũdũ Deũ, qui est Verbũ eius. Debuit enim forma rationalis in animo hominis, à Verbo diuino formari. Quandoquidẽ Deus, qui est ante Verbum, melior ac celsior est omni creatura rationali. Nam cùm in optima, ac separata sit Idea cõstitutus, nõ erat fas quicq; creatũ ei assimilari. Hæc Philo. Quibus nihil de Patris, ac Filij diuinitate clarius, apertius, nihil magis Theologicũ, profundius: ut à Christianis expectare meliora propemodum non liceat. Audite Hebræi gens ferrea, & tandem caligine graues oculos attollite: audite inquam doctissimum, ac disertissimũ gentis uestræ ex Genesi, ex uestris

inquam literis colligentẽ demonſtrantemq; patrem ac filiũ, quẽ iuxta Chriſtianorũ Theologiã, & ſuperiorũ omniũ, quos adduximus, uocat uerbũ: ad cuius imaginẽ, ut Chaldæus & Mercurius dixerant, aſſerit hominẽ creatũ. Tum ipſum uerbũ imaginẽ altiſſimi patris. Quid Paulus aliud? qui cùm ſit, inquit, imago, radius, et character ſubſtantiæ Dei. Audiant inquã Hebræi uirum maximũ, & inter eos nemini, uel Rabbenis illis, quos adorant, ſecundũ, teſtantẽ hominẽ à filio, & uerbo Dei creatũ: ut ueriſſimã rationẽ intelligant, cur ſit ab eodẽ redẽptus. Doceret enim eos Philo, nefas fuiſſe, ut pater ueniret in mundũ, ſicut nefas eſſe conuincit, ut ad patrẽ homo crearetur. Filiũ aũt eo munere perfunctũ, tanquã minorẽ, & quo pater tanquã miniſtro, & nuncio ſuo utatur, ſicut perhibet alibi idẽ Philo. Proh Deum immortalẽ, quis hæc homini reuelauit? quis ad hæc Theologiæ adyta eũ intromiſit? Qua naui ad pelagus iſtud penetrauit? An quia Platonicus erat, uideratq; copioſiſſimas quaſdam apud Mercuriũ, reliquoſq; antiquiſſimos Theologos diuitias, unde Platonis illa fuerant decerpta? Deinde eo tempore floruit quo iam per totum orbẽ coruſcabat Euangeliũ. Sunt aũt in his uerbis altiſſima, profundiſſima myſteria. Non poteſt altiorẽ Theologiã loqui os humanũ. Conſidera enim q̃ intimè cauſam introſpexit, cur per filiũ, uerbumq; diuinũ ſint omnia creata. Id enim obſtupeſco, quonã duce perceperit, filium ad creationẽ, adminiſtrationemq; rerum fuiſſe miſſum, & ut conſentiat cum Euangelio, dicente eodem filio de ſe ad patrem, Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Intellexerunt omnes patrem eſſe primam cauſam, alterius Sapientiæ genitricem, cauſam altiſſimam, à rebus creatis remotiſſimã, inter eam & res creatas filio intercedente: quam nefas ſit ipſam per ſe ad res ingredientem agere, ſeſeq; immiſcere, habentem medium per quem operetur. Nam quod de creatione dictum eſt à Philone, etiam de toto mundo eſt uerum: ut quemadmodum non debuit ad patrem homo creari, filijq; creatio eſt: ſic totius mundi creatio eiuſdem eſt. Qua propter altiſſimè, & ex profundiſſima Theologia idem Philo in libris de Agricultura, uerba diuina, aureis literis deſcribenda, ut ſuperius uiſum, effatus: ταῦτα δὲ πάντα ὁ ποιμὴν καὶ βασιλεὺς θεὸς ἄγει τῇ ἰδίκῃ, νόμῳ πρεσβυτάτῳ & ὀρθῷ, τῷ αὐτοῦ λόγῳ, & πρωτογόνῳ υἱῷ, ὡς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης τάξεως, οἵα τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος, διαδέξηται. Quæ ſunt, Hæc omnia ducit ac gubernat aptiſſimè paſtor & rex Deus, præfecto, tanquam lege recta, uerbo ſuo, & primogenito filio, qui hanc ordinis ſacri adminiſtrationem, tanquã ſummi regis magiſtratus ſuſtinet. Hæc item maxima myſteria religionis Chriſtianæ. Audire propemodum eſt ipſum Paulum. Magna quippe uis ueritatis, ſemperq; magnorum uirorũ ſententiæ ſunt inter ſe concordes. Audiſti filium Dei primogenitũ, audiſti uerbum, audiſti rectorẽ, legemq; mundi à patre conſtitutum. Illi rerum gubernandarũ prouinciã creditã, eum eſſe tanquam Dei magiſtratum, nunciũ, exequutorẽ uoluntatũ paternarũ. Mundũ quoq; audiſti regi à patre, primogenitum ſuum huic gubernaculo adhibẽte. Regitur ergo mundus à patre per

per filium ſuum, ſicut regnum à rege per magiſtratus. Pater atuē, qui filium ſuum amat unicè, & ſingulariter, imò omnipotenter, ſicut omnipotens eſt, non inuidet ſi lio ſuos honores: ſed ei dedit omne regnū uiſibile & inuiſibile, eumq; præfecit uniuerſis: Filiū inquā ſuas delitias, in quo amando, uiciſſimq; filius amando patrē, æterna uoluptate, gaudijsq; incomprehenſibilibus perfruuntur. Audiant deſperatiſſimi Hebræi, & cognoſcant ex ſuis literis, ex autore ſuo grauiſſimo, nunc toto terrarū orbe adorari, & coli eum, qui ſe unicum Dei filium, & uerbum, & miſſum, & nuncium prædicabat: Omnia patri tanquam genitori, ac maiori ſemper aſſcribens, domino, ac fonti ſuo, ſuæ origini, & cauſæ diuinitatis ſuæ. Nam quanquam omnia, quæ habet pater, filius item habet: tamen pater à nemine largita, à nemine accepta habet: Filius eadem, ſed à patre. Fons ille & largitor, & lux, primáq; cauſa: Filius radians ex illa luce, lux æterna ex æterna luce. Hæc dicuntur à Philone, genere Iudæo, profeſſione Platonico, id eſt, Platoni, Platonicisq; ſimili, nato ſub Tiberio, ſub Claudio philoſophante, Apoſtolorum tempore, ante Plotinū, Amelium, Porphyrium, Proclum, Damaſcium, æquali fermè Numenio, apud quos ſimilia inueniuntur. Is ſi nunc uideret gentis ſuæ cæcitatem ac pertinaciam, eam, credo, ut plerique ex illa gente probatiſſimi uiri, deſleret & coargueret. Extāt apud ſuperiores Theologos, quibus tota Theologia comprehenditur, hæc nomina filij, Verbum, Mens, Opifex, Cauſa: addidit ad hæc Philo, Primogenitus, Filius, Lux mūdi, Gubernator: Græce hæc omnia, λόγος, νοῦς, δημιουργὸς, αἴτιον, πρωτόγονος υἱὸς, ὕπαρχος. Quæ cùm apud ueteres ac nouos omnes philoſophos habeantur, Platonem, Ariſtotelem, Anaxagoram, Chaldæos, Sibyllas, Mercurium, Orpheum, omnē Platonicam gentem, apparet totam de filio, quæ nunc colitur ac celebratur, Theologiā cogniā, confeſſam, adoratā, prædicatam, antequā ipſe fieret homo. Perhibet item Philo, nihil eſſe quod mundū ſuſtineat, ne diſſoluatur, niſi uerbum Dei æternū: hoc eſſe omnium rerum uinculum firmiſiſimum, ac ſtabiliſimū: quod à medijs ad extrema, & ab extremis ad media pertinens, æternum, indefatigabilemq; regat naturæ curſum. Eum enim genitorem conſtituiſſe uinculum indiſſolubile uniuerſi. Iure igitur, inquit, neq; terra ab omni aqua alluetur unquā, quæ ſinu cōtinetur eius, neq; ab aëre extinguetur ignis, neq; ab igne inflammabitur aër, uerbo diuino omnia diuirmente, quaſiq; elementis in animis imperāte. Vt uniuerſum, ex diuerſis partibus, ſuauem efficiat harmoniam. Hæc in ſecundo de agricultura. Eadem item in libro de Mundo. Quo loco obſeruandum eſt perperam legi in impreſsis codicibus νόμος, pro λόγος. Nam liber ille multis in locis mendoſus eſt. Eandem præterea ſententiam repetit in libro de Agricultura, quo loco eſt λόγος. Eſt locuples teſtimonium eum locum eſſe deprauatū, quòd ibidem ſcribit: δεσμὸν γὰρ ἄῤῥηκτον ὁ τῶν ὅλων γενέτης ἐπέθηκε πατήρ: Vinculum enim uniuerſi indiſſolubile genitor eius pater fecit. Quod de lege non quadrat, ſed uerbo, quod à patre generatur. Rurſus in opere, quod inſcribit, Quòd malum ſoleat inſidiari bono, hæc ait: Decet, inquit,

eos qui cum ſcientia fœdus inierunt, affici deſiderio uidendi, τὸ ὄν. Id quod eſt. Quòd ſi non detur, ſaltem imaginem eius ſacerrimam, uerbum. Tum ſi quis nondum dignus habitus ſit, ut filius Dei appelletur, ſtudeat ſaltem aſſimilari primogenito eius uerbo, qui eſt ante omnes Angelos, Angelorum que tenet principatum, multisq; nominibus appellatur. Etenim uocatur Principium, & Id quod eſt (Nomen ſcilicet tetragammum, ut reor ſentire Philonem) & Verbum, & Homo ad imaginem, & Videns, & Iſraël. Eoq; prouectus ſum paulò antè, ut laudarem uirtutes eorum, qui dicunt, quòd omnes ſumus filij unius hominis. Etenim ſi nondum eò peruenimus, ut ſimus filij Dei, ſaltem æternæ ſimus imaginis eius. Dei enim imago eſt uerbum æternum. Audiui autem quendam ex amicis Moſis efferentem talle oraculum: Ecce homo, cui nomen eſt Oriens. Noua quidem nuncupatio, ſi uidelicet de eo dici putes, qui conſtet ex animo & corpore. Verum ſi de incorporeo illo, diuinam Ideam ferente, tum ucra fateberis, rectiſſimum ac ſignificantiſſimũ illi nomen inditum Oriens uel Ortus, ἀνατολή. Hunc enim æternum pater omnium genuit, quem alibi Primogenitum appellauit. Ipſe autem, qui genitus eſt, uias paternas imitans, & ad exemplaria eius originaria reſpiciẽs, ſpecies formauit. Quòd ſi quis uelit nudius atq; expeditius uti nominibus, nihil aliud dicat mundum intelligibilem, quàm uerbũ Dei iam mundũ creantis. Nam ſi homo, qui eſt pars mundi, ad imaginem eius factus eſt, multo magis totus mundus. Eſt ergo Deus, Verbum, Idea, Ideãrum archetypa, hoc eſt, originaria. Ac Moſes cùm dixit, In principio creauit Deus: non ut plerique arbitrantur temporis principium reſpexit: neque enim erat tempus ante mundum, ſed aut cum ipſo fuit, aut poſt ipſum. Quòd ſi principium temporis Moſes illic non reſpexit, neceſſe eſt dicere principium ſecundum numerum: ut In principio creauit, ſit perinde ac ſi dixiſſet, primum creauit cœlum. Primum igitur, inquit Philo, ipſe creator creauit cœlum incorporeum, & terram inuiſibilem, & Ideam aëriam, & uacuum. È quibus aliud quidem appellauit Tenebras, quandoquidem magnus eſt aër natura: hanc autem, id eſt, Ideam aëriam, Abyſſum: profundum enim eſt uacuum, & propè infinitum. Deinde aquæ incorporeæ ſubſtantia eſt & ſpiritus. Tum ſeptimi ſuper omnes luminis. Quod & ipſum erat incorporeum, & intellectuale Solis exemplar, omniaq; in cœlo aſtra luminoſa erat facturum. Priuilegium autem ſpiritus & lumen ſunt ſortiti. Spiritum enim dixit eſſe Dei, quia uitaliſſimus ſit ſpiritus: uitæ autẽ Deus autor. Porrò lumen, quia excellens pulchritudo, tanto intellectualis ipſa uiſibili clarior, & lucentior, quanto ſol tenebris, dies nocte, mentis iudiciũ, quæ eſt totius animæ principatus, oculis corporeis. Illud ergo inuiſibile, & intelligibile lumen uerbi diuini fuit imago generationẽ eius interpretantis. Et eſt ſupercœleſtis ſtella, fons uiſibilium ſtellarũ: quam non ab re appellaueris πανανγέαν, id eſt, cunctiluminem, uel luminoſitatem: à qua Sol, & luna, cæteriq; errones, & ſtellæ fixæ accendũtur, quatenus cuique potuit ex puriſſimo, ac ſyncero lumine largiri, ubi ſe uertere cœpit ſecundum lumen intelligibile ad uiſibilis

ſibilis mutationem, id eſt, fieri lumen uiſibile ex inuiſibili. Nihil eſt enim eorum quæ ſunt in ſenſu, purum. Igitur incorporeus mundus iam finem habuit ſtabilitus, ac firmatus in uerbo diuino. Hæc Philo, quæ nos fideliſſimè uertimus è Græco. Eadem & ab Euſebio proferuntur, ſed à nobis præteriri non debuerant, nec erubescendum nobis putauimus, in unũ corpus reuocare, quæ ſparſa locis multis eſſent. In his igitur mirabiliſimè prædicat, agnoſcit uerbum diuinum, ſcit quam uim habeat, ut meliora uix apud Theologos Chriſtianos reperias. Omnes ſunt præcones uerbi diuini, ueteres & noui: ſed hic apud Philonem, ſtupenda: eoq; magis miramur, quòd non facile attigimus, unde hæc proficiſcantur: an ab antiqua Theologia, an quòd florente noua, is quoque floruerit, quem ſcribunt cum beato Petro Romæ loquutum. Agnoſcit ergo uerbum diuinum, uocat primogenitum, creatorem, æmulum, uel imitatorem paternæ Sapientiæ. Siquidẽ & idem filius: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Vocat orientem, totamq; hanc Theologiam colligit, uel illuſtrat ex Moſe, & Prophetis, oſtendit per Filium omnia creata, Patris imaginem, exemplar autem & Ideam rerum creatarum, ut Pater ſit exemplar, & Idea originaria filij. Filius autem Idea & λόγος, id eſt, ratio rerum creatarum. Inter Patrem & res creatas maximum uerbum intercedat. Fontem autem omnium rerum, & omnis lucis eundem dicit, uias paternas imitantem. Namque & idem in Euangelio: Filius nihil facit, niſi quod uiderit patrem facientem. Nihil ſublimius poteſt memorari, non ualet ulterius cogitatio penetrare. Dictum eſt à Philone, quic quid apud mortales de diuinitate patris ac filij dici potuiſſet. Sola ſupereſt gratiarum actio, ut laudemus Ieſum Chriſtum, Deum noſtrum, Verbum Dei æternum, Sapientiam, Creatorem, qui ſuam oculis humanis ignotam ueritatem reuelauit, eamq; ita patefecit, ut poſſet cognoſci, & adorari. quem agnoſcentes, ſimul agnouimus fontem diuinitatis ſuæ patrem, cumq; cum ipſo ſapientia eius adorauimus.

Teſtimonium de Patre ac Filio ex Numenio Pythagoreo, & quod Pater ſit primus, Filius ſecundus: & quod Filius agat omnia, Pater iubeat: & quod Pater ſit ipſum Bonum. Cap. XXX.

NVmenius, ut dixi, inter Pythagoreos inſignis, cuius Porphyrio teſte ſtudioſe legebat Plotinus libros, quiq; apud Platonem philoſophiam Moſis credidit eſſe, dicens non aliud eſſe Platonem, niſi Moſen Attica lingua loquentem, is inquam, ſiue quod priſcorum ſententias teneret, præcipuè omnium quos produximus, ſiue quòd in Moſe, uel Platone, uel certè Philone aliquid eiuſmodi uidiſſet, ſiue quòd poſt Chriſtum natũ floruerit, multa dixit de patre, ac filio, duas eos cauſas, duosq; Deos appellans: primum ſcilicet ac ſecundum, ut Philo, ut Plotinus, ſed Deum patrem cauſam filij, Filium autem cauſam mundi aſſerens: eodem uidelicet ordine, atque ſuperiores omnes. Afferentur in mediũ aliquot uerba Græca, reliqua fideliſſimè Latina reddentur: ὁ θεὸς ὁ μὲν πρῶτος ἐφ' ἑαυτῷ ὢν ἁπλοῦς, διὰ τὸ ἑαυτῷ συγγενόμενον μὴ ποτε εἶναι διαίρετον. δεύτερον καὶ τρίτον

πρῶτος ὄσιν εἰς ἀὴ γὰρ ὅτε δ' ἡμιουργεῖν ὄσιν χρεὼν τὸ πρῶτον, ἀὴ τὸν δὲ μιουργοῦντ' ἢ πρὸ πατρὸς, καὶ ὑὸν χρὴ εἶν νομίζεσθαι πατέρα τὸν πρῶτον θεὸν: Deus Primus, inquit, in se ipso quidem existens, est simplex, propterea quòd semper secum est, nunquamq; est diuiduus: Secundus et Tertius, est unus. Etenim neque operari oportet Primum: & de opifice Patre, ac Filio oportet arbitrari, Patrem primum Deum. Quid sentiat Numenius, multis alijs locis indicat. Sic enim addit: Si igitur de Opifice quæsierimus, dicentes eum oportere priorem existentem, sic facere, habet præclarè. Isq; rationis aditus. Si autem de Opifice non sit sermo, sed de Primo quæratur, ea quæ dicta sunt consecro, & sancta statuo. Ac sint ea quasi arcana, & non pandenda. Transeo igitur, ad capiendam rationem, aliunde eam uenatus. Anteaquam tamen sermonem ingrediamur, confitendũ nobis est rem haud ambiguam: Primum scilicet Deum, ac Regem, uacare ab omni opere. Deum autem opificem, imperare per cœlũ euntem. Sunt autem hæ uitæ alia quidẽ primi, alia secundi Dei. Nam primus Deus erit sic. Secundus autem è conuerso mouetur. Primus inquam circa intelligibilia, Secundus circa intelligibilia, & sensibilia. Neq; uerò admireris ea, quæ dixi: multo enim audies mirabiliora. Nam pro motu, qui inest Secundo, dico quietem inesse primo, motum cognatum, propinquum, à quo & ordo mundi, & perseuerantia æterna, & salus in omnia refunditur. In sexto autem libro Numenius sic scribit, Quoniam autem sciebat Plato apud homines, solum Opificem esse notum, primam autem Mentem, quæ uocatur Pater, omnino ignorari, ob id eo modo est locutus, ac si quis diceret, Ô homines quem uos arbitramini Mentem, non est prima, sed altera est ante hanc prior, ac diuinior. Et rursum: Gubernator quidem in medio pelago uectus, super gubernacula stans celsa in puppi, temonesq; tenens, nauim flectit, ac regit: oculi autem eius, & mens uersus æthera, ad sublimia respiciunt. Idem Numenius in libro de Bono, Etenim, inquit, si opifex Deus, est generationis principium, bonum necesse est ex proportione esse principium essentiæ. Huius autem ex proportione imitator est Deus opifex. Substantia uerò respondet generatio, tanquam imago eius, & imitatio. Si igitur Mens secunda, est opifex generationis, bonum erit ipsius essentiæ opifex, per se bonum essentiæ innatum. Nam Secundus duplex existens per se facit & Ideam suam, et mundum, cùm sit Opifex. Primus igitur Deus est per se bonum: huius autem imitator Opifex bonus. Hæc omnia dicit Numenius, obscurius quidem propter res obscuras, & modum loquendi Philosophorum. Vidimus præclara multa, Patrem, ac Filium, primam et secundam Mentem, quo Chaldæorum dicta confirmantur, clarescunt: primam Mentem procreatricem, genitricemq; secundæ: secundã opificem, et creatricem mundi, imitantem primã. Vidimus Patrem appellari per se bonum, Filium autem Mentem mundi opificem, imitatoremq; Patris: Patrẽ uacare ab omni opere, Opificẽ, ac Regem per omnia tendere. In Euangelio Ioannis eadem Mens dicit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Platonem dicere, homines

homines credere hunc Opificem, Patrem autem ignorare. Crediderunt ſcilicet, & ſenſerunt homines, Platone teſte, Filium Dei, id eſt, Opificem mundi: Patem autem erat ignotus. Apparet igitur omnibus ſeculis noſtram uiguiſſe Theologiam. Siquidem Numenij teſtimonio perſpicitur ueriſſimum eſſe, antiquos ſcripſiſſe, & tradiſſe, quæ ſuperius admirati ſumus. Sunt enim eadem hæc, atq; illa. Ex his enim Numenij dictis panditur quoddam ſacramentum, quod in noſtra quoque Theologia ſæpiſſimè refertur, eum, qui apud Moſen ac Prophetas, creator cœli, ac terræ, ſator hominis, legis lator, generis humani gubernator, & rector memoratur, quiq; cum patribus olim loquebatur, apparebat, Angelos ad eos mittebat, fuiſſe Filium. Nam Pater, ait Plato, & Numenius, erat obſcurior. Fallebantq; mortales credentes mundi, & humani generis autorem eſſe primum illud, eminentiſſimumq; principium. Erat, inquiunt, is Filius, & Mens ſecunda, cui Pater contulit omnem diuinitatem. Eoq; uocat Verbum eius, id eſt, locutio, autoritas, miſſio, magiſtratus. Pater erat obſcurior, ac niſi Filius reuelaſſet, ſiue per oracula & prophetas, ſiue per ſucceſſionẽ, ſiue nouiſſimè præſentia ſua, nunquã eum mortales in animũ inducere potuiſſent. Pater, ut ſupremus eſt uacans. Filius operans. Hinc omnes animaduertent eandẽ eſſe Philonis, Numenij, Plotini, Theologiã, ut alter ab altero didicerit.

Ex Amelio, de Verbo diuino æterno, poſt homine facto: Et quòd Amelius teſtimonium Ioannis protulerit, Heraclitumq; etiam de Verbo fuiſſe locutum. Cap. XXXI.

Amelius nec ipſe inter Platonicos non illuſtris, omnium, quæ præceſſerunt, præcipuus, ac nobiliſſimus eſt teſtis. Ac ueritas harum rerum, quas hoc opere diſſerimus, eo eſt irrefragabilior, quòd per ſucceſſionem hominum, ac ſeculorum eſt roborata, ab omni ætate prædicata, confirmata. Nam præter id, quod ſuperius dixerant omnes, etiam cum teſtimonio Amelij, ſequitur teſtimonium Heraclii de Verbo Dei. Sic autem ait: καὶ οὗτος ἀεὶ ἦν ὁ λόγος, καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα, τὰ γινόμενα ἐγίνετο, ὡς ἂν καὶ ἁρμόσειεν, ὁ νηδύια ὧν ὁ Βάρβαρος ἀξιοῖ, ἐν τῇ ἀρχῆς τάξειτε, καὶ ἀταξία καθεικότα πρὸς θεὸν εἶν, καὶ θεὸν εἶν, διὸ πάντα ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ τὸ γινόμενον ζῶν, καὶ ζωὴ καὶ ὂν πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα φόλυσάμενον, φανταζεσθαι ἄνθρωπον, μετὰ τοῦ καὶ γυναῖκα τὰ πλεικυῖναι τ' φύσεως μεγαλεῖον, ἀμέλει καὶ φαλυθέντα, πάλιν ἀρχθεῖσθαι, καὶ θεὸν εἶν, οἷος ἦν πρὸ ὅ, εἰς τὸ σῶμα καὶ πλὴ σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῶναι, Atq; hoc certè, inquit Amelius, erat Verbũ, per quod ſemper exiſtẽs, ea quæ ſunt, facta fuerunt, ſicut Heraclitus cenſet: et per Iouẽ, quod Verbũ Barbarus ille exiſtimat in ordine, & confuſione principij ſtans, apud Deũ fuiſſe, et Deum fuiſſe, per quẽ in uniuerſum cũcta ſunt facta, in quo quod factũ ſit, fuerit uiuẽs, et uita, et Ens: tum in corpora lapſum, carnemq; indutum, hominem apparuiſſe, oſtendens etiam tunc naturæ ſuæ magnitudinem. Omninoq; reſolutũ, rurſum deificatum. Deumq; extitiſſe, qualis item fuiſſet, antea quàm in corpus, & carnem, et hominem deſcendiſſet.

diſſet. Hæc ait Amelius, uir à Chriſtiana quidem religione alienus, ſed qui principia Chriſtianæ ſapientiæ & nota habuit, & approbauit. Non ſolum in eo maiores ſuos Græcosq; Philoſophos ſecutus, ſed noſtros item, præcipuè Diuum Ioannem, quem Barbarum appellat, quòd eſſet Hæbræus. Cuius totum aſſerit Euangelium, quo de Verbi æternitate, et rerum creatione per ipſum, eiusq; in caneram deſcenſu philoſophatur. In carne ait eum magnitudinẽ diuinitatis ſuæ demonſtraſſe, nihilq; de ſua maieſtate amiſiſſe: creaſſe omnia in ordine, & confuſione: ordinem dicit ipſum mundum creatum: ἀταξίαν, id eſt, inordinationem, ipſum Chaos, quod ordinem anteceſſit, ut eſt apud Platonem. Aderat, inquit, Amelius, hoc Verbum quando ex inordinatione factus eſt ordo. Ipſe enim fuit cauſa, ipſe moderator. Erat in illo exordio: eratq; ſequeſter inter ordinẽ, & cõfuſionem: tuncq; etiã fuit cum Deo, eratq; etiam ipſe Deus. Hæc omnia reperta apud Barbarum Amelius miratur, laudat, probat, exclamans, & deierans per Iouem hoc illud eſſe Verbum, per quod omnia facta fuerint. Audite quæſo omnes: non enim leui de re eſt ſermo. Autore, & teſte Amelio, illud Verbum de quo Plato et ante eum Heraclitus locuti fuerant, eſt illud Verbum per quod omnia ſunt creata, & de quo ſcripſit in principio Euangelij ſui Ioannes, quem Barbarum Amelius uocat, id eſt non Græcum, ſed quaſi Aegyptium, Chaldæum, uel Hebræum. Quemadmodum Plato dicit philoſophiam à Barbaris uenisſe ad Græcos. Omnes enim, qui non eſſẽt Græci Barbaros uocare ſolebant. Videte concordiam totius ueteris, ac nouæ Philoſophiæ, non me, ſed ipſis Philoſophis ſequeſtris, & arbitris, aſſerentibus Verbum à Chaldæis, Mercurio, Orpheo, Heraclito, Platone celebratum, illud eſſe per quod ſint omnia creata, & quod poſtea carne aſſũpta homo uiſus fuerit: Nec imminuta in eo diuinitas eius fuerit, ſed mirabilis in eo apparuerit, & qualis, quantusq; quondam. Coniunguntur igitur dexteram, ſeſeq; exoſculantur, uetus, & noua Theologia, & ſeculorum interuallis diſiunctæ, redeũt, ipſis philoſophis autoribus, ad amplexũ, mutuoq; copulantur, & per manus philoſophorũ ducitur in ſacrariũ, domiciliumq; ſuum ueritas: cuius certum, uerumq; domicilium, eſt nouiſſimus is aduentus eius, ad quem omnia reſpõdent. Ô beata palàm tẽpora, quibus ueritas hæc, hæc Theologia manifeſtiſſima de cœlo refulſit, quam philoſophi uidebant, & non uidebant. Occurrebat oculis, ſed quia non erat, quantum poſtea luminoſa, totaq; lucis ſuæ flumine prorumpens, rurſum occulos eorum deluſos, in quadam caligine relinquebat. Eadem igitur eſt uetus, ac noua Theologia: nec aliũ adoramus Deũ autorẽ, principemq; generis humani, atq; illi. Siquidẽ & Plotinus affirmat ſermones hos, nunc de magnis his principijs habitos, de Verbo, de Imagine ſummi Boni, de prima Cauſa, de Opifice, non eſſe nouos, ſed longè antiquiſſimos: quæ nunc à nobis dicantur, eſſe quaſi interpretationes eorum. Veriſſima profecta dixit. Hæc enim nouiſſima Theologia, reſcidit uelum, omnia quæ laterent patefecit, omnem caliginem diſſulit. Quocirca quum ſint hæc non noſtra ſolùm prædicatione, & profeſſione manifeſta, ſed ipſorum quoq; Philo-

quoq; Philoſophorum teſtimonio probata, non uideo, quid Philoſophiam à Theologia diſiungat. Nam neque Ariſtotelem, quem ſuorum maiorum Theologiam admirantem ſæpe reperies, poſſumus ab iſtorum conſortio, ſi iudices æqui uoluerimus eſſe, ſeiungere. Quod iudicium uiris doctiſſimis relinquam. Declarabo ipſe ex parte, ubicunq; res & uſus poſtulabit. Conſtat, quàm fallantur, hallucinentur miſerrimi Hebræi: quos equidem ad hæc aſpicienda inuitarem, niſi ſcirem eos dare operam, ut perpetuò cum ratione inſaniant: & quibus imperitia, malitiáq; reddat incognitam, & ingratam omnem ueritatem.

FINIS LIBRI PRIMI.

AVGVSTINI STEVCHI EVGV-
BINI DE PERENNI PHILOSO-
PHIA, LIBER SECVNDVS.

De Theologia antiquorum teſtimonium Ariſtotelis, exemplarq; ex alijs, quàm ſit uenerandaac ſuſpicienda: Cap. I.



SCRIPTVRVS ſum hoc ſecundo libro de numinibus tribus, ſiue hypoſtaſibus, totáq; diuinitate, ſequens præteritarum demonſtrationum rationem. Quod antequã faciam, uiſum eſt prius Ariſtotelem audire loquentem ſuper Philoſophia maiorum, ut antecedentia & ſequentia confirmentur, & illuceſcant. Qui etſi uiderit, aut uidiſſe diſſimulauerit eos libros, quos Plato: uidelicet Mercurij, Sibyllarum (nam in Phædro meminit Sibyllæ Plato) Orphei quoq;, cæterorum quoque item quos Plato cognouit, & doctrinam eorum adeò eſt admiratus, ut fuerit ſecutus: dico Anaxagoræ, Heracliti, Pythagoræ, Empedoclis, & Parmenidis, cæterorumq;: eius tamen teſtimonio poſsit apparere, antiquos illos præclara multa mirabiliáq; dixiſſe, ut ſiue in numerum Theologorum, ſiue Philoſophorum aſſcribantur, plurima ab eis manauerint, quæ magnam quandam priorum ſeculorum ſapientiam teſtarentur. Ariſtoteles ergo de rerum principijs in libris de prima Philoſophia diſſerens, hæc ſcripſit: Traditum eſſe ſub fabularum inuoluero ab antiquiſsimis illis priſciſq; uiris poſteritati, hos ipſos, quos diximus, eſſe Deos, & naturam diuinam regere ac continere totam ipſam rerum naturam: cætera fabulis, ut probabilia eſſent, & legum obſeruandarum eauſa, ad utilitatem ab his fuiſſe obuoluta, qui finxerunt Deos ſimiles hominum, cæterorumq; quorundam animantiũ, multáq; id genus eis addiderint. De quibus ſi quis meliora ſeparet, id uidelicet quod tradiderunt, Deos eſſe primas principalesq; ſubſtãtias, diuinè loquutos eos arbitretur. Atq; ueriſimile eſſe, ſæpe unamquanq; artem, Philoſophiamq; perfectè repertam, rurſum extinctã & deletam. & has opiniones placitaq; eorum, uſq; ad hæc tempora tanquam reliquias peruenisſe. Patriam igitur opinionẽ de primis ſubſtantijs huc uſq; nobis clarã fuiſſe. Hæc Ariſtoteles in libris de prima philoſophia, de deſcendente uſq; ad ſua tempora maiorum ſapientia, ſed lacera, & cuius ueluti reliquiæ uſq; ad ſua ſecula permanarint. Vnamquamque item artem, & diſciplinam priſcis ſeculis floruiſſe, ſed extinctam temporum iniurijs, ad poſteros non peruenisſe, niſi laceram: magnum autem ac diuinum corpus eius apud maiores extitiſſe. Priſcos illos credidiſſe & aſſeruiſſe Deum, id eſt, τὸ θεῖον, ipſam diuinitatem, numenq;, naturam complexum omnem continere, idq; afflatu quodam diuino eos dixiſſe. Hæc affirmat Ariſtoteles, quem ſi poſſem orarem, ut ſecum ſua dicta perpenderet, diligen-

terq;

terq; consideraret, quæ de Deo maiores tradidissent. Quos si laudat, quòd crediderint omnem naturam Deum complexum sustinere, admiretur etiam necesse est, quæ tam mira, sublimia, profunda de eo prædicauerunt. Et si putat Aristoteles integram olim perfectamq; uiguisse philosophiam, cuius tantum reliquiæ ad posteros peruenerint, illum etiam atq; etiam rogatũ uelim, ut me colligentem has reliquias, & asserentem ex his, sicut & ipse, maiorem quandam diuinamq; sapientiam apud priscos floruisse, ne spernat, ne contemnat. Quod certe non faciat, nisi secum ipse dissideat. Admiror enim & affirmo iuxtà cum ipso, diuinã quandam perfectamq; penes antiquos philosophiam, idq; similiter atq; ipse per quasdam quasi coniecturas & reliquias ad nos usq; deuectas, incedens. Quòd si Aristoteles qua parte hæc maiorum philosophia Deum rectorem rerum fatebatur, laudat, & admiratur, admirabitur etiam quædã alia, quæ ipse aut uiderat, aut suspicatus fuerat. Nullus autẽ supereſt aduersarius, si Aristoteles quoq; maiores admiratur, commendat, quorum affirmat fabulis sapientiam obuolutam. Videat igitur atq; consideret, quid eum ueritas fateri coẽgerit. Nam cùm Deum, rerumq; principia quæreret, et ad summum iam ratio peruenisset, impegit tanquã in scopulum, quem tota fortasse philosophia uitare decreuerat, Theologiam antiquorum, nec habuit de Deo quid amplius diceret, quàm quod illi statuissent. Nihil enim aliud uidebat posse dici. Ergo si prima principia eadẽ atq; ueteres constituit, necessario sunt ei illa quoq; suscipienda, quæ de principijs totaq; philosophia disseruerunt, immortalitas animorũ, rerum creatio & prouidentia. Plurima præterea, quæ sunt ei quoq; asserenda, qui priorum philosophiam probandam, admirationeq; dignam intelligit & confitetur. In maioribus autem illis hæc minora continentur. Ecce sua uoce & mundi creationem cogitur, & alia, quæ in Theologia maiorum canebantur, Aristoteles asserere. Omnes enim superius rerum creationem sunt confessi: Eaq; est antiqua Theologia, tantoperè ab Aristotele commendata. Reddidit autem causam Ioannes Philoponus, cur cùm sit triplex philosophiæ genus, diuinum, mathematicum, physicum, postremum maxime secutus Aristoteles copiosè à superioribus tractata dimiserit, physicum autem in quo pauci ad id usq; tẽpus elaborassent, delegerit, in quo uires ingenij sui ostentaret. Quo fit perspicuum, non contempsisse maiorum Theologiam Aristotelem, quòd non eadem atq; ipse tractauerint, sed quoad licet diuinare, plurimi etiam fecisse. Deprensum quoque ab eruditissimis uiris & patefactum, eum pleraſque priscorũ sententias aut dissimulasse se intelligere, aut perperam interpretando depraua sse, nec eo sensu eas protulisse, quo fuissent ab autoribus pronunciatæ. Flectebat enim omnia, ad quam moliebatur primus philosophiam, cuius principia quum uelet inconcussa firmaq; ponere, in quibus præcipuè est æternitas cœli, pleraque ab antiquis deprompta, suis inuentis accommodauit. È quibus duo tantum exempla proponam. Nam cùm maiores appellassent cœlum æthera ab αἴθω, ardeo, quòd igneum corpus cœlum opinarentur: sic ad suum dogma, id est, æternitatem, detor-

ſit, ut ueteres hoc nomen cœlo indidiſſe dixerit, quia ſemper torqueatur, ab ἀεὶ θέειν. Rurſum cùm ijdem æuum et tempus aperte, ac manifeſto diſcrimine diremiſſent, æuum uitam æternam Dei dicentes, tempus particulam ſiue imaginem æternitatis, Ariſtoteles ita tempus cum æuo contaminauit, ut diceret æuum, eſſe ſpatium motus cœleſtis, ambiens tempus infinitum. Quamq; maiores ætatem Dei, ipſe cœli fecit ætatem, cùm illi neq; æuum cum motu cœli commemorauerint, neq; cum commemoratione æui tẽpus aſciuerint, ut ſuo loco eſt oſtenſum. Et ipſe Deo tribuit æuum ſempiternum in Metaphyſicis. Sed nos uniuerſam eius Philoſophiam euoluentes, multas diuinæ lucis ſcintillas deprendimus, è quibus probari poſſit, & hominibus non prorſus duris, ac feris, pertinacibusq; in decretis eius oſtendi, eandem philoſophiam eſſe eius, atque maiorum ſuorum, dico de rebus diuinis. Quem nunc ſepoſitum habeamus, reijcientes in aliud aptius tempus colloquium cum eo. Tantum proponam exemplum ex antiqua philoſophia, quid ſibi uelit hoc nomen, & quomodo ab illis inducatur, & quantum ei cuncti philoſophi detulerint. Nam quoties inuenies priſcæ ſapientiæ teſtimonijs philoſophos uti, ſublime eſt & diuinum myſterium, ut bonitatem integritatemq; doctrinæ apud uetuſtiores agnoſcas. Ariſtoteles in libro de Mundo, ſi modo Ariſtotelis eſt, licet Platonici, id eſt, Plutarchus, Proclus, Philoponus, teſtimonijs ex eo libro utantur, fuitq; etiam ſui temporis dubitatio, an eſſet Ariſtotelis, proferens quod prior Plato, quòd Deus ſit principium, medium, finis, ὁ μὲν θεὸς, ἅ σ τ ε ρ ὁ παλαιὸς λόγος: Deus, ait, ſicut antiqua fama eſt, principium, medium, finis eſt omnium. Ab antiqua philoſophia uides quid proditum eſſet. Philo autem Iudæus, παλαιὸς λόγος ὅτι τὸ θεῖον, ἀνθρώποις ἀκαζόμενον ἄλλοτε ἄλλοις περινοστεῖ τὰς πόλεις ἐν κύκλῳ, τάς τε εὐδυκίας, & παρανομίας ἐξετάζων. Vetuſta fama eſt, quòd diuinitas, ſub humana imagine, modò his, modò illis ſimilis, circumambulat urbes, bene et male facta examinans. Hoc quoq; quàm diuinum eſt? Idem in libro de Mundo, παλαιὸς λόγος, hominem plantam cœleſtem eſſe, non terreſtrem, quod Plato in Timæo. In tertio quoq; de Republica apud Platonem ſunt παλαιοὶ λόγοι, ueteres ſermones de cataclyſmis, quibus affirmatur, proditurq; poſteris cataclyſmum fuiſſe. In Phædone eſt in arcanis à maioribus proditum, quòd in quodam carcere ſumus omnes homines in hoc corpore, & hoc mundo. In decimo de Legibus, eſt uetuſtiſſima Theologia de Dijs, quòd prima fuit generatio cœli, cæterorumq; omnium. Apud nos, inquit, ſunt λόγοι λέγοντες περὶ θεῶν, οἱ μὲν παλαιότατοι ὡς γέγονεν ἡ πρώτη φύσις οὐρανῦ, τῶντε ἄλλων. In duodecimo eſt antiquiſſima relatio, qua oporteat credere, remanere animos poſt mortem: πιστεύοντε ταῖς ἀλλαις φυμαις χρεὼν περὶ τὰ τοιαῦτα, οὕτω πολλαῖσι & σφόδρα παλαιοῖς οὔσαις. Ecce Plato uult adhiberi fidem uenerandæ uetuſtati, conſtanter aſſerens, animos immortales: quod etiam Marcus Tullius de animorum immortalitate loquens in Tuſculanis: Autoribus, inquit, ad iſtam ſcientiam, quamuis obtineri, uti optimis poſſumus

poſſumus, quod in omnibus cauſis, & debet et ſolet ualere plurimum. Et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu, et diuina progenie, hoc melius ea fortaſſe quæ erant uera, cernebat. Itaq; unum illud erat inſcitum priſcis illis, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu uitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret. Vides quanti faciat uir grauiſſimus uterque, & apud ſuos uterq; eminentiſſimus, teſtimonium uetuſtatis, afferentes etiam cauſam, quòd erant principio mundi, & diuinæ progeniei, id eſt, ei, quem creauit aſtans & præſens ſuis manibus Deus, qui uerè fuit diuina progenies, à quo audire poterant omnia, propiores? Diuina progenies item eſt, cœli, terrarumq; ſatus à Deo proditus in lucem. Dij præterea; id eſt Angeli, cœlum, aſtra, quæ ſunt omnia, ut Plato poſtea fatebitur in Sophiſta, γεννήματα θεοῦ. Quodq; magis admiraberis, hanc ipſam cauſam fidei ueteribus habendæ, uetuſtatisq; colendæ, didicit, ut par eſt, à Platone Marcus. Similia enim locutus eſt in Phœbo Plato, οἱ παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες. Priſci, inquit, nobis fuere meliores, propius Dijs degentes. Quid diuinius Plato loqui poterat? Id enim noſtræ literæ demonſtrãt, priſcos illos longè optimos fuiſſe, iuſtitiam & pietatem maximè coluiſſe, fuiſſe ſimplices, integerrimisq; moribus. Eandemq; cauſam (quod miror, in quo præ gaudio exilio) audimus à philoſophis, de maiorum longè quàm minorum excellentiore probitate, atque à ſacris literis, quòd erant Dijs propiores. Noſtræ literæ teſtantur, crebro uiſibiles Angelos in habitu uirorum priſcis illis apparuiſſe, allocutos eos eſſe: plenaq; uetuſtas erat prophetarum uiſionibus Angelorum cùm ſe darent in conſpectu conſpicabiles: ob id proditum poſteritati, ut ſuperius Philo aſſeruit, à maioribus illis, Deos, id eſt, Angelos humanis aſſumptis figuris, circumire urbes, contemplantes humana facta. Quod fecerunt duo illi profecti Sodomam Angeli. Stabant enim in platea, ſceleratæ ciuitatis flagitia contemplantes, mox ea ſupplicio formidabili animaduerſuri. Plotinus autem ait: ἐσὶ γὰρ δὴ ὡς ὁ παλαιὸς λόγος, ἡ σωφροσύνη, καὶ ἡ ἀνδρεία, καὶ πᾶσα ἀρετὴ, καθαρσις, καὶ ἡ φρόνησις αὐτὴ: Eſt enim, ut priſca fama habet, temperantia, & fortitudo, omnisq; uirtus expiatio, et ſapientia ipſa. Fit igitur his rationibus clarum, colendũ eſſe ac uenerandũ quicquid proditũ fuit à uetuſtate, quæ ſciebat cœlum, et terram, homines, Deosq; à Deo creatos, gubernari, conſiderari ab eo cuncta. Quare etiam atq; etiam conſiderandum quod Ariſtoteles primo de Cœlo & mundo libro refert, priſcos homines cœlum pro habitaculo Dijs attribuiſſe: quippe quod ſolum ſit immortale & incorruptibile, τὸν δὲ οὐρανὸν, καὶ τὸ ἄνω τόπον, οἱ μὲν ἀρχαῖοι τοῖς θεοῖς ἀπένειμαν ὡς ὄντα μόνον ἀθάνατον. Conſiderandũ inquam diligentius. Nõ enim efficiur quod ipſe uult. Vult enim quoniã cœlum eſt immortale, et incorruptibile, maiorũ conſenſu, nullum habuiſſe principiũ: quòd omnia orta occidant: ſic in contrarium cuncta, quæ non occidant, nullum ortũ habuiſſe. Dico non ſequi, quod cupit. Verè enim maiores cœlũ Deo, Diuisq; ut locum diuinum, ſacroſanctũ tribuerunt:

Verum non hoc cœlum, istáq; uisibilia lumina, eorumq; orbes: sed quod eodem libro dixit idem, quod est extra uertiginem cœli, extra flammantia mœnia mundi. Hoc tribuitur à priscis, ut tu quoque testaris Aristoteles, habitandum Dijs immortalibus, nempe Deo & Angelis, non tribuitur orbis Solis, Lunæ. Illud quidem quod fertur habitaculum Deorum, si diuina claritas, si sempiternus Dei fulgor est, utique immortale est, incorruptibile regnum Dei, sine principio, sine fine. Sin corpus aliquod (prisci dixerunt totum cœlum creatum) uidebimus omnium ueterum consensu, cœlum temporis exordium habuisse: Platoq; sequens dogmata maiorum & Timæus Locrensis est confessus. Quare non ea gratia cœlum Dijs ueteres tribuerunt, quòd immortale cœlum cum Dijs esset: sed perhibuerunt, cœlum creatũ cum Dijs, quoscunq; eos interpreteris, siue præsides orbium cœlestiũ, siue quos alios à mouendi munere absolutos. Nihil igitur quod conabatur, efficitur. Et recidit in eum, planeq; dogmata eius destruit, quod eius libri eodem loco dixit: διὰ περιαλῶς ἔχει συμπείθειν ἑαυτὸν, τοὺς ἀρχαίους, καὶ μάλιστα τοὺς πατρίους ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγους. Quod est: Rectũ esse, sibi quẽlibet persuadere, priscam Theologiam aut sermones, maximè autem patrios nostros, ueros esse. Considera quò te ueritas traxit ô Aristoteles. Si debent, laudabileq; ducis, omnes sibi persuadere, à priscis tradita, præcipuè maioribus Græcis, uera esse: maiores & Barbari, & Græci uno ore fatentur mundum à Deo creatum. Cœlum si fit ulla præditum immortalitate, eam esse ut Plato dixit in Sophista, ἐπιστευασιν, fabricatam, repertam. Maiores ergo Græciæ mirabili consensu creationem mundi prodiderunt. Nam Empedocles unitatem asserit omnia creasse, Pythagoras retulit Vnitatem omnium rerum esse principium. Anaxagoras Menti tribuit cunctorum inuentionem. Architas hominem à Deo creatum, dixit, ut ostendam. Timæus Locrensis clarè, perspicuè, asserit à Deo mundum habuisse principium, quem secutus Plato, eisdemq; insistens uestigijs, tradidit, & scripsit similia. Omnium antiquissimi Orpheus & Hesiodus, maiore, & apertiore testimonio hæc perhibuerunt: Orpheus appellans Deum κόσμου τυπωτὴν, Formatorem mundi: Hesiodus teste ipso Aristotele in primo post res naturales, scripsit aliquod rerum fuisse principium. Omnes denique mundum, ut ipse in eisdem libris confirmat, creauerunt. Quare si pulchrum, si bonum est, si bene habet omnes sibi persuadere, quæ maiores, præcipuè Græci posteris prodidissent, esse uera, certè credendum est, quæ de Deo, de diuina prouidentia, de mundo creato narrauerunt, cuius causa est, quòd erant, ut Plato ait, Dijs propiores, eoq; meliores, ut Marcus Tullius, quòd minus aberant à progenie diuina, à satu cœli, & terræ, Angelorum, Dæmonum, hominum. Audiebant maiorum uoces de Deo, de rerum conditione unanimiter prædicantes. Videbant frequentes Deos inter homines. Noscuntur autem melius, quæ propius audiuntur, spectantur.

Quòd

Quod a Barbaris Græci didicerunt, & quod ingenus discipulos eorum se Græci fatentur, quod constat Barbarorum Theologiam priorem, ac meliorem esse, et quod a Græcis nihil debuit, uel potuit innouare super Theologia. Cap. II.

ILudquoque deducendum, aperiendumq; est, attenteq; considerandum, si Græci scientias, Theologiamq; à Barbaris, ut & ipsi fatentur, didicerunt, eandem fore eorũ necessariò Sapientiam Theologiamq;. Et si sunt Barbari Græcis antiquiores, & ab his natio Græca, sermonem, literas, ipsas genus, & esse, quod ostendam, deduxit, quibus Græci sint omnino iuniores, necessariò ueriorem esse Theologiam Barbarorum, quàm Græcorum: aut Theologiam Græcorum, si rectè cuncta perpendantur, Barbarorum illam esse, quam uetustissimi Græcæ gentis parentes, qui Barbari fuerunt: scilicet Iauan, à quo Ionia dicta, & Cittim, à quo, nomine deprauato, uocata Cypros, & Rodanim, à quo Rodos, in Græciam detulissent. Hos inquam ueri simile fit diluuio, diuinisq; hominibus propiores, Theologiam in eas regiones, in quas à patribus distribuerentur, importasse ortum mundi, scientiam unius omnipotentis Dei, cæterasq; res diuinas, quas partim conscripsere Barbari, partim ut notissimas non conscripsere, quòd in ore omnium uersabantur. In sequenti autem tempore, ipsi Græci ad Barbaros uti maiores suos, longeq; antiquiores se recipientes, in Græciam, eorum Theologiam sacraq; deportabant. Quo fit necessariò, ut debeat, sicut est, eadem esse Theologia Græcorum, atq; Barbarorũ. Vt si quid posteà nonnulli philosophi mentis errore, inscitiaq; peccauerint, secusq; statuerint, tum repudietur, tum ea pro uerioribus habeantur, quæ maiores siue Barbari, siue Græci tradidissent (quod Aristoteles etiam concedit) non quæ cæco iudicio, temerariaq; mentis hallucinatione quidam recenter inuexissent. Testantur autem non modò sacræ literæ Græcos à Barbaris natos, ut superius ostensum, sed ipsimet Græci, se iuniores Barbaris esse, & doctrinam, sermonemq; ab illis acceptum: Omniumq; est testimonium, Pythagoram in Aegyptum, Solonem, Eudoxum, Platonem accessisse, ut audirent eorum sacerdotes. Ostendi suo tempore eorũ ambulacra illic à sacerdotibus scribit Strabo: Symbola illa sua Pythagoras ab eis detulisse, & se Aegyptiorum more circuncidisse fertur. Fuisse eum in Iudæa, & in monte Carmelo habitasse, perhibet Iamblichus, in Aegypto quoque annos duos & uiginti eum peregrinatum, de quo Xantiphonem scripsisse prodidit Porphyrius, amplexum mores, institutaq; Aegyptiorum sacerdotũ, rogasseq; Polycratem tyrannum, ut ad Amasim regem Aegypti, amicum & hospitem scriberet, ut fieret disciplinæ eorum particeps. Venit, inquit, & ad Aegyptios Pythagoras, & Arabas, & Chaldæos, à quibus rationem insomniorum edidicit, uaticinioq; quod fit thure, primus usus est, & in Aegypto cum sacerdotibus est uersatus, sapientiamq; Aegyptiorum, et sermonem didicit. Sic Porphyrius. Tullius item noster, Cur, inquit, ipse Pythagoras & Aegyptum lustrauit, et Persarum Magos adiit, cur tantas regiones Barbarorum pedibus obiuit, tot maria transmisit? Proclus autem super Timæum, scribit Pythagoricum esse, sequi Orphicas genealogias.

Superius enim ab Orphica traditione, per Pythagorã, ad Græcos scientiam de diis peruenisse, ut ipse Pythagoras referat in sermone sacro. Dixit etiam ab Aegyptijs Orpheum didicisse: Omnis item, ait, Græcorum theologia, est Orphicæ initiationis alumna. Nam quũ primus Orpheus ab Aglaophemo res diuinas fuisset edoctus, deinceps ex Pythagoricis, & Orphicis literis excepit Plato, Orpheum nemo est, qui nesciat in Aegyptum uenisse, indeq; sacra, Theologiamq; asportasse. Qui de seipso in Argonautica.

Ἠλ' ὅσον αἰγυπτίων ἱερὸν λόγον, ἀζηλόχθου τε
Μέμφιν ὀν ἠγαθέην πελάσσας, ἱερᾶς τε πολῆας
Ἄπιδος ἃς περὶ νεῖλος ἀγάρροος ἐστεφάωται.

Aegyptiq; sacra omni sum regione uagatus.
Illustrem Memphim, sacrasq; acceßimus urbes
Apidis, has ingens Nili præterfluit amnis.

Homerum tota poësis eius testatur Aegyptias disciplinas, Theologiamq; coluisse, literas legendi, scribendiq; scientiam testatur Plato in Philebo & Phædro, ab homine Aegyptio repertã, quem illi nocent Theuth. Soloni dixit sacerdos Aegyptius Vos Græci pueri semper, non est apud uos senex quisquã, res antiquas ignoratis, nescientes diluuium, et conflagrationes, quæ melius Aegyptij norant à primogenitoribus suis audita, & locis his, quibus hæc acciderunt, propinquiores. Nam diluuium in Chaldæa, Messopotamiaq;, in qua regione tantũ homines tum degebant, inundauit. Incendiũ autem, cuius meminit etiam Strabo, Palestinæ urbes, quæ adiacent Aegypto, populatum est. Refertq; Proclus, Solonem apud Aegyptios in Saiis audisse sacerdotem nomine Patanit, in Heliopoli eum qui dicebatur Oclapi, in Sebemyto Ethymon, ut historiæ Aegyptiorum atteſtentur. Quæ prior Plutarchus. Testatur Plato Græcos à Barbaris didicisse in Epinomide sed ab eis accepta meliora feciſſe: λάβωμεν δὲ ὅπερ ἕλληνες βαρβάρων παρελάβομεν, κάλλιον δ' ἐπὶ τὸ εἰς τέλος ἀπεργάζονται. Venisseq; famam, & cultum Deorum, ad Græcos eodem libro. In Cratylo suspicatur multa nomina, maioremq; sermonis partem à Barbaris ad Græcos allatã, præcipuè ad eos qui sub Barbaris degerent, παρὰ τῶν βαρβάρων ἐλήφατε. Ibidem sapientissimè putat, prima nomina rebus à Dijs indita: ut Moses à Deo, cœlo, ac terræ, multisq; alijs primis rebus. Platoq; nescio quibus à Barbaris nomina rerum manasse, quodam instinctu diuino sentiens, linguam Hebraicam omnium linguarum, præcipuè Orientaliũ, matrem (Nã et cæteras linguas aspersas omnes inuenies uocibus Hebraicis) innuit: παρὰ βαρβάρων τινῶν αὐτὰ παρελήφαμεν. Ibi fatetur clarissimè Plato, Barbaros Græcis uetustiores: ἐκεῖ δὲ ἡμῶν ἀρχαιότεροι βάρβαροι. Vide igitur, & sapienter agnosce quid ex his sequatur, nempe ueritatem duntaxat apud Barbaros esse, ut Deo propiores, ut idem in Philebo: & noster Marcus, Esse uerior à ueteribus tradita. Omnibus autem Barbaris antiquiores sunt Hebræi, id est, Hebraica lingua,

ca lingua, qua usus est Adam, natiq; ab eo omnes, usque ad diluuium. Dissipatis autem omnibus, uetustissimus sermo corruptus est in Chaldaicum, Aramæum, Arabicum, aliosq; sermones Orientis. Quoniam igitur teste Platone, sunt antiquiores Græcis Barbari, efficitur ut sit uerius traditum à Barbaris, quod postea Græci dicerunt, discipuli semper Barbarorum. È Barbaris autem omnium consensu uetustissimus est Moses, ante quem neminem alium inuenies scriptorem, neque ad Græcos, neque Chaldæos, neque Phœnices, cæterosq; Barbaros: post quem floruit Mercurius Trismegystus in Aegypto. Credenda igitur sunt, Græcisq; præferenda tradita ab illis, utpote qui magis ea tenerent, Deo, diuinisq; hominibus propiores & meliores, ut Plato in Philebo. Adeoq; Moses omnium est antiquissimus, ut Iustinus, quoties apud Platonem, philosophosq; inuenies παλαιὸς λόγος, antiquam famam, eos de Mose suspicetur sensisse. Quoniam igitur ab omnibus Barbaris, constantissimè traditur creatio mundi (fuerunt enim mundo creato propriores, potuerunt q; uidisse & audisse, eos qui primos homines uidissent, eosq; de satu mundi, rerumq; cunctarum ortu differentes audissent) hæc erunt ueriora, quàm quæ postea rerum magnarum homines imperiti suspicati sunt. Tota enim Oriente fama uagabatur, mundum ab omnipotenti Deo creatum, cui sapientiores uetustiores que Græciæ, utpote minores, discipuli que subscripsere. De quibus postea. Nunc tantum uenerandæ uetustatis offeratur imago, & quæ ab ea tradantur, ad ueritatem reuocentur, & eorum testimonio mendacia iuniorum arguantur. Quippe & ipse Aristoteles putat testimonium uetustatis fidissimum. ὡς ἔοικε πιστέον εἶναι τοῖς ἐμπείροις καὶ προββυτέροις ἢ φρονίμοις τοῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ λόγοις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. δι' ἀὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ πείρας τὸ ὅμμα ὀρθῶσιν ἀρχάς. Quæ sunt, Quocirca attendenda, quæ periti, & uetustiores aut prudenter sine demonstratione proferũt, opinanturq;, non minus, quàm si demonstrationibus uterentur. Vident enim principia, quoniam acumen habent ex experientia. Si igitur putat Aristoteles uetustiorũ testimonia, eodẽ loco habenda, atq; ea quæ demonstrationibus comprobantur: certè quæ uetustissimi hominum Hebræi, Chaldæi, à longæuis, uiuacissimisq; progenitoribus audierunt, credenda, amplectendaq;, etiam sine demonstrationibus. Eademq; dixerat prior Plato, In senectam differendum iudiciũ de Dijs. Illud item magnopere considerandum, quod Plutarchus de priscis perhibet, solitos eos in assignatione causarum, nullam aliam nominare causam, nisi principalem, ac meliorem, dicentes quale semper est in sacris literis, ζεὺς ἀρχὴ, ζεὺς μέσα, ζεὺς δὲ ἐκ πάντα τέλονται, Principium, medium, ipse est Iupiter, à Ioue cuncta. οἱ σοφώτατοι παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ ποιηταὶ τῷ πρώτῳ μόνῳ τὴν τοῦ πρόσεχε εἶλον, τοῦτο δὲ κοινὸν ὑπολαμβάνοντες πᾶσι πράγμασι. Hos Plutarchus ait uehementer antiquos: Antiquissimi, inquit, omnia meliori causæ præteritis alijs necessarijs, et naturalibus assignabãt, cũ iuniores ab optima

& diuinæ cauſa declinantes, omnia in affectionibus corporis ſtatuerint. Vides priſcorum pietatem, religionem, ſapientiã: Hoc in ſacris literis eſt perpetuum, ut omnia alia cauſa præterita, unam diuinã illam perenniter memorent. Hinc apud Moſen quæ facta à ſecundis cauſis cæteri dicerent, in primam cuncta referuntur, Hinc Deus è terra producit arbores & herbas, ex aquis piſces, plantas paradiſum, uolare per æthera uolucres iubet. Idem cæteri Prophetæ. Idẽ igitur, teſte Plutarcho, uetuſtiſſimorum Theologorum poëtarumq; Græcorũ mos, eadem religio. Quare non potuit ſine impudentia, quicunque fuit, ſi quis fuit, à tanta maiorum religione deficere.

De tribus gradibus diuinis, ſiue Numine trino, uel tribus Regibus, ternaq; poteſtate: & de Spiritus ſancti apud antiquos commemoratione, ex Mercurio, Plotino, Pythagora: & quod procedat à Mente. Cap. III.

PRimum arcanumq; myſterium, in excelſa Diuinitate eſt, illic eſſe Genitorem, ac Genitum, principem quendam & fontem totius Diuinitatis, ſublimiſſimamq; cauſam, tum genitam ab ea Mentem, potentiſſimam rerum cæterarum creatricem. Noua res ignaris fortaſſe et abſurda, in Deo perinde atq; mortalibus animantibus, & omni re terreſtri, patrem & prolem eſſe. Verum diuinis ingenijs, et aliqua cœleſti luce irradiatis, nihil probatius, nihil rationabilius, omnium ſeculorũ et ſapientum pari uoce, atq; conſenſu proditum. Hebræos autem, & qui ad hæc cogitanda nequeunt animum inſtituere, debemus ita contemnere, ut quorũ feras mentes, neq; rationes neq; flãma multorũ inter ſe collatorum teſtiũ, ſplendorq; cõmoueat. Hoc igitur primũ maximumq; myſteriũ eſt, in quo tota ferè Theologia continetur. Nã cùm uerbum, & prolem Dei cognoſcimus, ſimul & creationem rerum cognoſcimus. Conſtituta creatione conſtituitur idem gubernator, qui creauit: Tunc et adoratio eius, qui creauit, & gubernat, in quo ſuper omnia principatus eius demonſtratur. Adoratio autem eſt primi. À quo ſi regimur: certè non in hac uita ſolũ, ſed etiam futura. Hæc omnia non ſolum neceſſaria, ac naturali conſecutione ueniunt ex illo primo, ſed ab his ipſis etiã traduntur poſteriora hæc, qui priora illa, obſcuriora tradiderũt. Deuenio igitur ad alia de tribus numinibus cõſideranda, uocoq; Platonem teſtem. Platonẽ inquam hæredẽ maiore ex parte priſcæ ſapientiæ, ad quem tanquam legitimum filium, aut cuius ex alijs multis ſuperſint monumenta, doctrina priorum eſt deuoluta. Iuerit inſtar multorũ de triplici imperio teſtis, quod nunc cœlitus reuelatum, totus mundus adorat. Nam quod eſt à Platone dictum, credendum eſt ab alijs ante eum, à quibus ipſe didiciſſet fuiſſe perſcriptum, ab his uidelicet, ut ipſe reor, quos ſuperius audiuimus. At quod apud eos non poſſumus, in Platone ueluti eorum legato legemus, & oſculabimur. De Spiritu diuino primum, poſtea tota Diuinitate. Platonis autẽ interpres erit Porphyrius, alijq; Platonici, quorum approbatione res confirmetur. Plato igitur in Epiſtola ad Dionyſiũ, qui eum de natura Dei percunctatus fuerat, reſpõdet, hæc quæ prorſus diuina ſint, eſſe per ænigmata declaranda, ut ſi quo caſu epiſtola ad aliquem peruenerit, legẽs non intelligat:

telligat. περὶ τῆς δὲ πρώτης φύσεως, φράσεσθαι δ' ἀσφαλὲς αἰνίγμασιν, ἵνα ἐάν τι ἡ ἐπιστολὴ πόντον ἢ γῆς ἐμπερόσῃ πάθῃ, ὃ ἀναγνὺς, μὴ γνῷ. ὥσπερ γὰρ ἔχει. περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' εἶναι. καὶ ἐκεῖνος ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἅπασι τοῖς καλοῖς. δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα: De natura primi, inquit, loquendum est tecum per ænigmata, ut si quid epistola ponto, uel terra perpessa fuerit, qui legerit, non intelligat. Sic habet res, circum omnium regem omnia sunt, & illius gratia existunt omnia, illeq; est causa omnium bonorum. Secundum autem circa secunda, et tertium circa tertia, &c. Igitur uerba Platonis, quem habeant sensum. Porphyrius explicans refert, quod producitur etiam à diuo Cyrillo aduersus Iulianum Imperatorem: ἀρχὴ τριῶν ὑποστάσεων τὴν θείαν προελθεῖν οὐσίαν. εἶναι δὲ τὸν μὲν αὐτάτω θεὸν, τὸ ἀγαθὸν, μετ' αὐτὸν δὲ καὶ δεύτερον, τὸν δημιουργὸν, τρίτην δὲ καὶ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν. ἀρχὴ γὰρ ψυχῆς, τὴν θεότητα προελθεῖν: Vsq; ad tres subsistentias, siue hypostases, seu personas progredi: id est, habere diuinam substantiã tres descensus, uel in triplicem numerũ se propagare. Esse enim supremum, altissimumq; Deum, ipsum per se bonum, post eum & secundum opificem, deinceps animam mundi, usq; enim ad animam procedere Deitatem. Diximus autem in ueteri Theologia, patrẽ appellatum summum Bonum, Filium mentem, & Opificem, Spiritum uidemus dici Animam mundi. Nam Anima & Spiritus idem sonant. Spiritus est Latinè quod Græcè anima, id est, ἄνεμος, uentus. Idem spiritus & uentus: uentus autem Græcè anemos. Et apud Latinos anima spirationem, uentumq; designat: Animas, & olentia Medi Ora fouent illo. Et, Quantum ignes, animæq; ualent. Quibus locis idem est anima atq; spiritus. Quem igitur scripturæ diuinæ Spiritum dicunt, ueteres Theologi dixere modò Animam mundi, modò etiam Spiritum. Nam & poëta loquens de anima mundi, quam apud Platonem uetustiores q; Theologos audierat, ait,

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens, agitat molem, & magno se corpore miscet.

Appellabant igitur Spiritum diuinum Animam mundi, ab ea cuncta nasci, ac uiuificari dicentes, similiter atq; Christiana postea sapientia. Quod ut intelligas, idem poëta, qui uetustam Theologiam sequebatur, sententiasq; ex Platone et superioribus decerptas carminibus suis inserebat, testis est. Conferamus poëtam profanum, atq; alterum poëtam sacrum, & alloquijs diuinis assuetum. Dauid, Emitte spiritum tuum, & creabuntur, et renouabis faciem terræ. Vergilius autem pro cæteris de eodem spiritu,

Vnde hominum, pecudumq; genus, uitæq; uolantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Dauid uerò per Spiritũ missum à Deo, cuncta uiuificari, cuncta nasci ac fieri. Eun-

dem Spiritum idem poëta, Deum alibi dixit, subscribens Platoni alijsq; Theologis:

-Deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum,
Quemq; sibi tenues nascentem arcessere uitas.

Si conferas igitur omnia, eundem hoc loco dixit Deum, quem superius spiritum, quemq; Dauid spiritum Dei, Plato cum multis, Animã mundi. Ideo uero Animam mundi, quòd ut & Dauid cecinit, & alter poëta, omnia ab eo nascantur, ac uiuificentur. Id beneficium spiritus esse diuini, tota uetustas confessa est, & sacræ literæ consentiunt. Ac Mercurius testimonium pro priscis illis ferret, quem uidebis adamussim uim istam diuinam, altricem, ac uiuificatricem cognouisse & descripsisse, idq; in media illa antiquitate, ac seculorum propemodum exordio. In sermone ad Asclepium hæc ait: spiritu agitatur, & uiuificatur omnis in mundo species. Deinde, Spiritus implet omnia. Ibidẽ, Mundus nutrit corpora, Spiritus animas. Ibidem, Spiritu ministrantur omnia & uegetantur in mundo, & quasi organum, uel machina, summi Dei uoluntati subiectus est. In sermone autem tertio absolutissimè de spiritu hæc dixit: οὐ μὴ πρόνοια τις ἦν τ. τῶν ὅλων κυρίου, ὥστε μετὸν λόγον τοῦτον ἀποκαλύψαι, δόλε ἡμᾶς νῦν ἔρως τοιοῦτος κατεῖχεν ἵνα περὶ τούτου ζητήσητε, νῦν δὲ τὰ λοιπὰ ἐν λόγοις ἀκούετε. τοῦτο δὲ πνεῦμά τος, ὃ πολλάκις προεῖπον, πάντα χωρίζει. τὰ πάντα γὰρ βασαίζων, κατ' ἀξίαν ξωοποιεῖ καὶ τρέφει, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας πηγῆς ἐξήρτηται ἐνέργειαν πνεύμασι καὶ ζώοις ἅπασιν ἀεὶ ὑπάρχον. Nisi inquit, prouidentia quædam esset Dominatoris omnium, ut hanc ego Theologiam reuelarem, neq; uos nunc tantus amor tenuisset, ut de eo quæreretis, nunc reliqua audite. Huius spiritus, de quo sæpenumero dixit, omnia indigent: omnia portat secundum dignitatem, omnia uiuificat, & nutrit: & à sancto fonte dependet, omnibus spiritibus, & uiuentibus semper est auxiliator. Hæc Mercurius: Quibus tota spiritus diuini natura, uis & proprietas exprimitur. Primum dicit eum à fonte sancto produci, Patre scilicet, ac Mente. Plotinus autem dicebat superius, à Mente produci Animam, quod est, à Filio spiritum. Nam Anima mundi est spiritus diuinus. Fontem sanctum Patrem cum Filio uocat Mercurius. Fontem propter exuberantem ex eo spiritum: Sanctum autem, quia spiritus sanctus à sancto manet necesse est. Deinde audisti hunc spiritum esse uita fœcundissimum, ab eo cuncta bona proficisci: Nec solùm proficisci bona, ac uiuificari, sed etiam portari, ac regi. Homines autem & uiuificari, & inflammari ad bona, optimã quamq; aspirationẽ ab eo existere. Hæc de spiritu sancto Mercurius, undequaq; ueræ Theologiæ consona. Apertè autem imitatus est, proposuitq; ea Plotinus in libro de Tribus imperatricibus subsistentijs, loquens de tertia subsistentia, quæ est eis Animatio mundi, nobis spiritus Dei, hæc ad uerbum: Illud primum, inquit, quisq; cogitet, ὡς αὐτὴ μὲν ζῶα ἐνοίησε πάντα, ἐμαυτὴν σασα

Θεοὶ αὐτοῖς ζωὴν, ἄτε γηβέφει, ἄτε θάλασσα, ἄτε γῆ ἀέρι, ἄτε γῆ οὐρανῷ ἄστρα θεῖα, αὐτὴ δὲ ἥλιον, αὐτὴ δὲ τὸν μέγαν τοῦτον οὐρανὸν, ἣ αὐτὴ ἐκόσμησεν, αὐτὴ δὲ τὴν τάξιν περιάγει. φύσις δὲ ἑτέρα ὧν κοσμεῖ, καὶ ὧν κινεῖ, καὶ ζῆν ποιεῖ. Quæ sunt, Quòd hæc quidem cuncta animalia creauit, inspirata eis uita, quæq; alit tellus, quæ mare, quæ uolant in aëre, quæ sunt in cœlo astra diuina. Hæc item Solem, hæc magnum hoc cœlum exornauit. Hæc ordine ducit, existens altera uis, & natura ab his quæ temperat, et mouet, & quæ uiuere facit. Sic Plotinus. Eodē libro docet ut hæc Anima magna, cœlū animarit: Ingressa, inquit, hæc Anima cœleste corpus, ἔσωκε τῷ ζωὴν, dedit uitam, dedit immortalitatē, excitauit ipsum prostratū, iacensq;. Quod circum rotatū motum sempiternum, ab Anima sapienter agente, animal beatum effectū est. Habuitq; decus cœlum, Anima inducta, ante Animā cadauer mortuum. Terra, & aqua, imò uerò tenebræ ipsius materiæ, & non existens, & quod execrantur Dij, ut inquit ille. Hæc Plotinus ad uerbum, in quibus tum perspicua tertiæ subsistentiæ est confessio, tum quam uim habeat, qua sit natura, declaratur. Illud fortasse ineorruptius & melius Trismegistus, quàm Plato, & Plotinus, quòd nusquam inseruit hanc diuinam Animam orbi cœlesti Trismegistus: Illud quoque melius à maioribus traditum, quòd ut rectè Platoni producit hanc Animam Mens opifex mundi, sic non rectè producit cum mole cœlesti. Præceptor enim Trismegistus, nascentem quidem ab opifice mundi, non quo tempore cœlum, corpus eius produxerit, sed cum duobus alijs, sempiternum tamen à Mente nascentem, & à fonte sancto Genitore: quod illi clarè non intelligentes, audientesq; eam esse uiuificationem uniuersi, cum uniuerso ab eodem opifice conditam putauerunt: præcipueq; cœli totius Animam Plato eam existimauit. Quæ dupliciter redarguuntur: priscorum autoritate, nil tale asserentium, ut appareat à Platone afflictum commentum: & ipsorummet uerbis, quibus hanc Animam definientes, tribuunt ei partes omnes, ac munera diuinitatis. Autor quoque Calcidius super Timæum, Platonem, poëtasq; spiritum sanctum nominasse. Animam mundi, & eum esse quem nostri uocant Spiritum sanctum. his uerbis: Plato, inquit, dicit esse Animam mundi, & Animam mundi uocat illum spiritum quo uegetatur, & regitur mundus. De quo poëta dicit: Principiò cœlum, ac terras. Vsq;, Spiritus intus alit. De eo etiam Apostolus ait, In quo uiuimus, mouemur, & sumus. Hæc ille. Vult igitur spiritum sanctum priscos agnouisse, uim, proprietatemq; eius descripsisse, ut uegetet, ut regat, ut animet mundum, & uult congruere nostrorum, atque philosophiæ profanæ super spiritus diuini natura, sententiam. Pythagoras autem, quem plures secuti sunt, quum audisset hunc Spiritum, ut alia pleraq; diuina ab Aegyptijs, censuit esse Animam, per omnem rerum naturam intentam, & commeantem, ex quo nostri animi carperentur. Hoc Marcus de natura Deorum. Interpretatus est autem ψυχὴν, id est, Animū, quem cæteri dicerēt animā. Itaq; & Animus mundi, et Anima et animatio potest et solet

appellari.

appellari. Spiritum autem ipsum diuinum idem Marcus & cognouit, et ũm, prout prietatem eius, quã in rebus habeat, audiuit, eamq;, suo nomine appellauit. Nam cùm de ordine, ac constantia mundi loqueretur, hanc sapientißimam uocem tulit: Hæc ita fieri omnibus concinentibus inter se mundi partibus, profecto nõ possent, nisi ea uno diuino & continuato spiritu continerentur. En Tullius dicit spiritum diuinũ diffusum per omnia, sine quo tantus ordo uitæ, quæ est in omni mundo, existere non potuerit. Quid amplius de spiritu prædicari, quid planius, & apertius poterat? Didicerat id reor ab antiquis. Qui nobis pro omnibus Romanis est testis, sicut pro Græcis omnibus Plato. Intellexit ergo quendam spiritum diuinum, diffusum, continuatumq; per omnia, uiuificatorẽ, uitarum datorem, & conseruatorem. Tanta est uis ueri. De hac ipsa Plotinus item sic locutus est. Qui locus etiã à Diuo Cyrillo profertur. γένοιτο δὲ ἂν φανερωτέρα, ἡ ἐνεργεστέρα αὐτὴ ἡ δύναμις, καὶ ἡ φύσις αὕτη ἐνθυμηθείη ὅπως πάθοι ἐχθ τοῖς αὐτῆς βέλεσι τὸν ὀρανόν. παντὶ μὲν γὰρ τῷ μεγέθη τόπῳ, ὅσος δὴ δ' ἐστὶν ἑαυτὴν καὶ πᾶν διάστημα, καὶ μέγα καὶ μικρὸν, ἐνύχεται ἄλλη μὲν ἄλλα κινδυνώδης. τὸ σώματος, καὶ τὸ μὲν ὠδί, τὸ δὲ ὠδὶ ὄντος καὶ τῶν μὲν ἐξ ἐναντίας, τῶν δ' ἄλλην ἀπάρτησιν ἀπ' ἀλλήλων ἐχόντων, ἀλλ' οὐχὶ ψυχὴ ὅτως γὰ δὲ μέρει ἑαυτῆς ἑκάστῳ κατακερμαθεῖσα μορίῳ ψυχῆς, ζῆν ποιεῖ. ἀλλὰ πάντα ζῇ τῇ ὅλῃ, καὶ πάρεσιν παντα χοῦ γεννήσαντι, πατρὶ ὁμοιουμένῃ, καὶ ἧ τὸ γᾶ, καὶ ἧ τὸ παῦτα. Fiat, inquit clarior, & euidentior hæc uis, ac natura, si quis cogitet quomodo suis contineat uoluntatibus. In omnem enim, quanta quanta sit, cœli magnitudinem se dedit. Et omne spacium uel ingens, uel exiguum, animauit, aliis alia corporibus motione concitatis, quorum uarius esset situs: quæ uel contra se incitentur, uel ab inuicem aliam habeant dependentiam. Sed ipsa anima secus, nec se ipsam ubique distribuens, uiuere facit, sed uiuunt omnia ipsa uniuersali. Atq; adest ubiq;, similis tum unitate, tum uniuersali illa assistentia Genitori, ac parenti suo. Hæc Plotinus. Quæ constat eadem esse, atq; ea, quæ noster Sapiens, Spiritus, inquit, Domini replet orbem terrarum. Sic: —Totamq; infusa per artus:

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Quæ si paulùm modò expolieris, nostra erunt liquidò. Item Plotinus eandẽ spiritus diuini uim uerbis his describit. λάμβανε τὸ θεῖον τοῦτο θειότερον τὸ ψυχῆς πρὸς τὸ ἀνω τετόνημα, μεθ' ὅ, ἧ ἀφ' ὅ ἡ ψυχὴ, κάπειτ' ἂν δῶμα, οἷον ἔδεξεν ὁ λόγος, εἰκὼν ὡς νᾶ, οἷον λόγον ἂν προφορᾶς λόγου, τοῦ ψυχῇ ὅτω καὶ αὐτὴ λόγος νοῦ, καὶ ἡ πᾶσα ἐνέργεια ἣν πεποίηται ζωὴν εἰς ἄλλου ὑπόστασιν. οἷον πυρὸς τὸ μὲν καὶ σωθῆναι λειμότητος, ἡ δὲ ἣν παρέχει: Accipe diuina hac re, diuiniorem Animæ ad superius uicinitatem, posteaquam & aqua, Anima, & si una res sit, ut ratio demonstrauit, imagquædam

quædam Mentis, ceu uerbum in prolatione uerbi, quod est in Anima: Sic & ipsa est uerbum Mentis, & omnis operatio, quam effundit uitam in alterius subsisten/tiam: ut ignis, alius quidē caliditas assistens, alia quam præbet. Ecce Plotinus osten/dit Animam hanc uniuersalem à Mente produci, eamq; unam atque eandem esse cum ipsa Mente: cuius sit quædam quasi imago, ut uerbum prolatum, nuntius, & imago mentis. Sic enim & Mens ipsa magna, effudit per afflatum exterius eam. Pulcherrimumq; est exemplum de calore, & eo, qui inest igni, & eo, qui funditur exterius. Haud aliter à Mente diuina, et à fonte sancto, procederet Animam, unam eandemq; rem, & substantiam, sola alteritate differentem. Suntq; hīc de productio ne Animæ, duo clara, aptaq; exempla: quòd producitur sicut uerbum ab animo: et sicut calor exterius se diffundens, à calore, qui est in igne, cui inseparabiliter exte/rior est coniunctus, quanquam est alter. Nam non existeret calor circumeffusus, si discederet calor in igne, siue ignis ipse. Sunt igitur, quanquam duo manifestò intelli guntur, tamen inseparabiles ab inuicē, alterq; manat, effunditurq; ab altero. Fons enim caloris exterioris, est calor in igne. Simile exemplum est de Sole & radijs, quibus nobis notis, ignota illa redduntur clariora. Cùm igitur hæc uis cognita, ac spectata philosophis fuerit (nam hæc item est, quam calcodeam ineptè quidam di/xere, intelligentiam scilicet uniuersi) apparet Spiritum sanctum æquè atq; Genito/rem, ac Mentem sub aliqua scientia fuisse. Hanc animam non rectè antiquorum sensa accipientes, dixerunt, è qua animi nostri tanquam scintillæ lucerent, post ui/tam in eandem redeuntes. Quod Poëta quoq; maiorum inuenta referens expressit:

Scilicet huc reddi, deinde, ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed uiua uolare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.

Quare non fuit posterorum inuentum de unica Anima, & redeuntibus ad eam animis nostris. Nec uero de Spiritu illo uniuersi, & Anima mundi ea sensérat an/tiqua Theologia, resolui in eam nostros animos. Additæ sunt hæ fabulæ à posterio/ribus poëtis. Dico igitur omnibus seculis tres hypostases, aut tria numina, seu tria principia sub aliqua scintilla micuisse. Nam apud Platonicos tria principia comme morantur ab antiqua Theologia descendentia, Bonum, Mens, Anima. Ea dicun/tur in nouissima Theologia, Pater, Verbū, Spiritus. Sed uicissim tum ueteris Theo/logiæ nomina personant in nouissima, tum nomina istius in illa.

Examinatur oraculum Platonis de tribus numinibus, aut hypostasibus, circa quas sint omnia: sed principaliter circa Primum, qui sit omnium finis. Cap. IIII.

IGitur Plato circa omnium regem omnia dicit existere, Secundum circa secun/da, et Tertium circa tertiū: illiusq; regis causa omnia extitisse, ipsum omniū bo/norū causam fuisse. Hæc quidem obscurius, id promittente autore, & se per æni/gmata loqui uelle pollicente. Quo constat eū maximis de rebus sermonē instituis/se. Idq; ipse statim cōfessus est, cùm ait de natura primi. Hæc igitur de natura eius,

quod

quod dicitur primum, à Platone disseruntur, & à Porphyrio Platonis interprete, ad treis hypostases applicantur, in quas se natura diuina diffundat quæ dicitur iure τὸ πρῶτον. Ac patrem & bonum prius nominauit, appellans omnium regem. Triaq; dixit de eo, ostendens eum triplicis causæ ad omnia habere rationem. Primum esse autorem omnium bonorum, quæ causa efficiens est. Tum circa ipsum ea consistere, quæ causa rectrix est & moderatrix. Tũ gratia eius omnia extisse. Paulus igitur loquens de patre, de quo Plato isto loco, sic inquit: Ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia. Quo tres causæ comprenduntur: Deus creator & imperator, rector quoq; rerum creatarum, demum finis omnium. Atque obserua idem esse apud Platonem, Circa omniũ regem sunt omnia, atq; Paulum, In quo omnia. Significatur enim apud utrunq; imperium & sustentatio rerum à Deo: sed sustentatrix non quidem qualis hominum imperantium & exterius regentium, sed maior interiorq; moderatio, quam facile ipse essentialem dixerim: Sustineri scilicet à Deo, non per exteriorem modò prouidentiam, sed quadam diuiniore ac secretiore ratione, qua cuncta existunt, existente Deo, collapsura & in nihilum abitura, non existente. Nihil enim esset, si ipse nõ esset, neq; decor, neq; deformitas, neq; Chaos, neq; ordo. Illa lux omnium rerum ac seculorum, illa uis, stabile, firmumq; uinculum Vniuersi, sicut docuit superius Philo: pater omnium, robur, gratia, lætitia, facunditas. Hoc apud Platonem præpositio Circa significat, apud Paulum clarius In. Idemq; Platoni, Circa omnium regem omnia, atq; Paulo, In quo omnia. Dixi clarius apud Paulum, quòd apud Platonem, Circa, designat exterius quiddam, paulò interiorem, naturalemq; complexum, quo cum Deo, tanquam origine & capite, coniuncta sunt uniuersa. Id ipsum illustri testimonio asseruit Aristoteles in libro de Mundo. Sic ad uerbũ: Vetus ait & patria fama est, Omnia ex Deo, & per Deum nobis extitisse. Nulla quidẽ natura ipsa sibi sufficit, illius salute destituta. Ideo quidam ex antiquis eò progressi sunt, ut dicerent, omnia esse plena Dei, qui ob oculos, ob aures, omnem deniq; sensum, se nobis offerat. Quæ quidem de potestate diuina iure merito prædicentur, de substantia non item. Planè enim seruatorem ac gubernatorem quarumlibet rerum esse Deum fatendum, non tamen uelut animal, laborem in eo sustinentem, sed quadam indefessa potestate, contingente etiam longissima. Sic Aristoteles. Apparetq; magna ingenia in similes sententias incurrisse, uelquod magis crediderim, Aristotelem exposuisse Platonem. Quo loco fatetur eximius philosophus, ueterem esse famam, omnia genita & conseruari à Deo, cui sententiæ ipse quoque subscribit. Præterea Plato, hunc regem omnium bonorum dicit causam. Animos quæso intende. Non enim quum dixit Deum causam τῶν καλῶν, bonorum, siue pulchrorum, aliquid excluſit quod non esset bonum, nec à Deo profectum, bona & omnia promiscuè commemorans. Nam qui dicit omnia, dicit etiã bona. Audi igitur Mosen ad singulam quamque rem creatam clamantem, Et uidit Deus quod esset bonũ. Hoc dicit de luce, de cœlo, aquis, terris, plantis, animalibus.

Demum ipso

Demumq; Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Agnoscis idem esse, Omnia, atq; Bona. Nam si omnia erant bona, palàm nomine omnis rei, omne bonum item designatur. Da enim quòd non cadat sub earum rerum numerũ, quas creauit Deus, bonasq; uidit & iudicauit. Quapropter Plato dixit omnium bonorũ causam, omnium regem, omnia bona, omnes res significans, quas omnes bonas Deus uidit & asseruit: Paulus autem ait, Ex quo omnia. Aristoteles Deũ omnium γενετῶρα, genitorem. Deinde Plato ait, Et ipsius causa sunt omnia: Paulus autem, Per quem omnia. Hæc causa finalis. Nemo autem fuit philosophorum qui non confiteretur, omnium rerum finem esse Deum. Quod hac ratione clarum fiet, res sensibiles sunt propter homines. Nam maria & terræ exercentur & coluntur ab hominibus solis, & his homines soli fruuntur. Cœlum quoq; duas habet res solis hominibus utiles, ac necessarias, lumen & calorem. Nam motus tertia res in cœlo, propter illa duo est adhibitus, omnibus terris, lucem caloremq; distribuens. Vniuersa igitur oculis subiecta, hominum uitæ, commodisq; deseruiunt. Ex quo necessariò finis earum est homo. Hominem autem aliquem habere finem, clarum est. Quiquo niam nisi Deus esse non potest, propter Deum erit homo & res humanæ: & propter omnium regem, uniuersa. Hæc quidem pronunciatio propriè in Deum patrẽ, de quo loquitur Plato, conuenit. Nam cùm dicat Plotinus filium intueri in patrem, indeq; beatum effici, certè ipsius prolis genitor finis est, ut quam nõ solum gignat, sed etiam felicitet. Nec possumus aliter decernere: totaq; posterior Theologia uociferatur omne bonum, felicitatemq; prolis esse patrem, à quo diuinitatem, id est, naturam suam, cum diuinitate omnem beatitudinem habet. Cùm autem finis, & bonum, & felicitas Mentis, sit genitor, multo magis erit cæterarum mentiũ, quarum creator fuit mens & inuentor. Vt liceat sic colligere, & causas cum causis sic connectere: Res sensibiles propter hominem, homo propter creatorem suum, Mentem opificem, Mens propter Genitorem, & ipsum primum. Rursum, cœlum propter res sensibiles, res sensibiles propter hominem. Totus igitur uisibilis, & sensibilis mundus sursum ac deorsum propter hominẽ. Hominem autem ita flecti ad aliquẽ, & id perinde quasi bonũ suũ desiderare, in quo cupiditates suas usquequaq; satiet, multis de causis est necessariũ. Nusquam enim est certa quies, semper ad absentem quandã suspiramus naturæ nostræ tranquillitatẽ. Quam ideo necesse est supra hominem, quòd nusquã tantum in rebus humanis bonum inuenitur, quod plenam illam, optatamq; requiem tribuat. Solus igitur Deus. Ille solus occurrentẽ sæpe, deficientemq; animũ ægritudinem potest tollere, & ejecto mœrore, eam tranquillitatẽ dulcedinemq; inducere, quæ cogitari potest, intelligi non potest, longe ab omnibus hisce gaudijs, quæ soliti sumus in hac uita percipere, remota magnitudine, & perpetuitate incõmemorabilis. Omnia igitur, causa eius extiterunt, ut ad beatã, indefinentemq; lætitiam ac bonũ perueniant. Et Mens ipsa in mundo prolocuta est, uenisse se, ut ad regna paterna, patriosque aspectus tanquam uerum finem homines

adduceret:

adduceret: Qui non solùm hominum omniumq; aliarum mentium est beatitudo, sed etiam Filij sui: quod & ipse demonstrauit, et philosophi obscurè cognouerunt. Ergo propter eum cuncta: Ipse finis Mentis unigeniti, Mens finis hominum & angelorum, homo finis mundi corporei: tenduntq; omnia in patrem, iure patrem & τὸ πρῶτον, ipsum primũ, ipsum caput: Siquidẽ etiam Mentis. Atq; ἕνεκα, propter, siue causa, nõ Dei, sed rerũ necessitatem respicit. Illius quoq; causa omnia exstiterunt, quia sceptris eius seruiunt uniuersa, & ab omnibus animatis, exanimisq; rebus prædicatur, collaudatur. Factaq; sunt omnia, ut fieret maiestas eius menifesta. Venire, ac flecti ad illum cuncta necesse est: omnes uelint, nolint, eum confitentur, necessitatis æstu. Longè in hominibus clarissimum. Nam res naturales eundem semper tenent cursum. Videbis igitur homines deuios & à pietate, ipsoq; Deo longius uagantes, tandem supplices, dementiamq; suam accusantes. Quod quidem faciunt & hi, quos arbitramur pertinaces, contemptoresq; decedere, qui multo forte miserabilius præteritos errores deplorãt. Sed ad Platonem reuertor. Propriè igitur hæc de patre, tanquam prima causa dicuntur, quòd rex omnium sit, quòd ab eo sint omnia creata, quòd sustineantur, quòd eius causa extiterint. In quibus est maxima, multiplexq; Theologia. Deinde Plato, Secundum circa secunda, Tertia circa tertia ait existere. Declarare igitur hæc, obscura quidem, nos oportet. Quo loco primum possumus suspicari, more suo cæterorumq; Græcorum locutum esse Platonem, cùm præpositiones, quæ debuissent nominibus præponi, postponunt. Quale est apud Homerum: φίλων ἀπὸ, καὶ πατρίδος αἴης: Et apud Romanos, Quã obrem, Quibus de causis. Sic apud Platonem, Circa omnium regem, omnia sunt: δεύτερον περὶ τὰ δεύτερα, τρίτον περὶ τὰ τρίτα. ut sit punctum δεύτερον περὶ, sensusq; habeat, circa Secundũ, secunda: circa Tertium, tertia. Quæ rationes disponendi crebræ sunt Platoni. Eritq; idem orationis tenor, ut quemadmodum dixerat, circa omnium Regem, sic circa Secundum, circa Tertium. Tres autem uir diuinus audierat aut apud Chaldæos, aut apud Aegyptios in summa diuinitate reges, qui numero, & effectu distinguerentur. Primus maxima causa, maximus rex, de quo in Epistola, qui uerè philosophentur, fore beatos, prædicat. Secundus, creator: Tertius altor & uiuificator. Nam cùm ait circa Secundum, secunda, intelligit nunus, uel numen quoddam secũdum: sic cùm circa Tertiũ, tertia, quoddam distinctum munus innuit. Ex eo autem quod dixerat de primo, intelligitur sensus sequentium. Declarauimus enim præpositionem Circum, designare uim sustinendi, ac regendi. Primus omnibus in rebus gradus est, ut sit autor & causa: tum eorum creatio: deinde uiuificatio, & sustentatio. Autor & causa prima pater, cui principaliter, & ut Platonici loquuntur, fontaliter asscribũtur omnia, quia genitor est Mentis opificis, creatricis, & quia prima est origo, prima dignitas, primũ esse. Secundum esse, uel secundum existens, est proles eius, à qua est secunda rerum existentia, secunda origo. Tertia est anima mundi, tertiam rerũ existentiam sustinens.

Tres

Tres igitur ſunt origines tanquam una, tres habentes ac ſuſtinentes rerum exiſtentias, tanquam unam. Primæ origini tria hæc ſimul attribuuntur, quòd ſit cauſa, regat, finis ſit. Eſt enim pater cauſa mentis, & ſpiritus. Itaque etiam uirtutis & potentiæ eorum. In patre tanquam prima cauſa omnis eſt uirtus ſecundi & tertij, id eſt, mentis & ſpiritus. In patre & rege omnium ſunt ea tria, in prole aũt & animæ ſic explicantur, quòd proles creat, ſpiritus uiuificat & regit. Sicq; circa ſecundum, ſecunda, id eſt, circa mentem & prolem creatricem, & ſecunda rerum origo, circa tertium ſunt tertia, id eſt, tertia origo, tertium eſſe. Voluit enim Plato, quod apud Mercurium didicerat, tres omnium rerum eſſe origines, à quibus tripliciter res dependerent: Fontaliter, & originaliter, & primo à patre, ſecundum creationem à filio, ſecundum uitam, ac uiuificationem à ſpiritu. Spiritus enim, ait proles Dei, eſt qui uiuificat. Pater eſt fons & primũ: filius creator, ſpiritus uiuificator. Quod quidem in ipſa redemptione apparuit: pater miſit, filius uenit, ſpiritus aluit, afflauit, uiuificauit. Primus autor tanti boni fuit pater, qui miſit & iuſſit. Secundus filius, qui egit & paruit. Tertius ſpiritus, qui afflauit. Sicq; circa omnium regem fuerunt ea principaliter ac fontaliter. Nam miſit ipſe filium redempturum, miſit ſpiritum afflaturum. Circa ſecundum fuerunt hæc ipſa, ſed ſecunda quadam ratione: tertia quadam, circa tertium. Hoc quod nos de redemptione uidimus, audierant illi de creatione, & Plato tradidit tanquam priſcum myſterium, nosq; expoſuimus Platonẽ: nec ſerè ſecus Plotinus & Porphyrius, cuius hæc pauca uerba ſunt: ὡς γὰρ πάντων μὲν περὶ τὸν πρῶτον ὄντων θεὸς, ἀλλ' ἤδη πρώτως ἢ περὶ τὸν παντων βασιλέα, δεύτερον δὲ περὶ τὸν ἀπ' ἐκείνου θεὸν, καὶ τρίτως περὶ τὸν ἀπὸ τούτου. Platonem ſic locutum, ut diceret omnia eſſe circa tres Deos, ſed principaliter circa regem omnium: ſecundo circa Deum, qui eſt uel naſcitur ex illo: tertio circa Deum, qui procedit ab iſto. En Porphyrius ſecundum à primo naſci, tertium à ſecundo docet ex Platone.

Quomodo animam ſeu ſpiritum ex illis duobus produci tradiderint. Cap. V.

PLotinus igitur pro tota Theologia Platonica, omnibusq; Platonicis, in quibus tenet principatum, erit interpres, & aſſentiens ei Porphyrius. Hinc quantum de noſtra Theologia ueteres cognouerint, intelliges. Tota eſt enim concatenata, mutuisq; nexibus implicata. Vt enim ſcribimus, quæ ſupra millenos annos hi prodiderunt: ſic iidem ſcribebant, & loquebantur multis retro annis tradita. Plato inquã, Anaxagoras, Parmenides ſecuti maiores illos, hos ſecuti recentiores. Plotinus igitur, ut eſt paulò antè demonſtratum, tres has rerum origines, triaq; numina aſſumens, & de eorum inter ſe ratione diſſerens, ſic perhibet. Bonum, id eſt, pater gignit mentem, mens gignit animam. Porphyrius autem exponens quaſi Platonem & Plotinum, dicit eſſe omnia, circa omnium regem: ſecundò, circa Deum ex illo: tertiò, circa Deum ex iſto. Tres ergo quaſi Deos, uel tria numina demonſtrant, quæ deinceps alterum ex altero naſcantur. À bono mens, à mente anima. Omniaq;

ſunt conformia cum Theologia uera, eo excepto (quod quidem exiguum eſt diſcri-
men) quòd Anima, id eſt, Spiritus, non à Mente ſolùm procedat, neq; is tanquam
certus generationis ordo debeat conſtitui. Sed enim certus ordo eſt ipſorum numi-
num, ut Anima ſit tertio loco, quia cauſa eſt poſt effectus: Anima autem ſiue Spiri-
tus producitur à ſuperioribus. Hunc ordinem crediderunt eſſe etiam in gignendo.
Sed etiam certè eſt: ſolum reticuerunt Bonum, à quo Spiritus produceretur. Nõ ne-
gatur autem, quod reticetur: ſicut non negat Euangelium Spiritum etiam à Filio
manare, quia Filius dicat, Spiritus qui à patre procedit. Ac ſi uelis munera, non ſub-
ſtantiam diuinorum numinum ſpeculari, hæret magis ad Prolem Spiritus, quàm ad
Supremum. Producitur enim à Bono, à Mente producitur & donatur, & effundi-
tur. Ob hanc cauſam in productione eius, Prolem tantum commemorarũt: nec par
eſt tamen Bonum eos excluſiſſe, præcipuè uetuſtiores. Nam Mercurius dixit à fon-
te ſancto Spiritum produci. Fontem autem patrem eſſe conſtat, Vt ergo ex Euan-
gelio colligimus modò Spiritum à patre procedere, modò à filio, non ſequimur au-
ter errores eorum, qui tantum ea probant teſtimonia, quæ Spiritum aſſerunt à pa-
tre produci: ſic ex diuerſis huius Theologiæ locis colligimus eum à Bono, et Mente
exiſtere. À Bono Mercurius, à Mente iuniores Platonici, Plotinus, Porphyrius. Bo-
numq; oſtenſum eſt, ipſum Genitorem appellari. Filius in Euangelio de patre ſuo,
Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Sed diligentius ad Plotinum inſiſte. Si enim dicebat ſo-
la alteritate Bonum ac Mentem ſeparari, ut ne ſit ſeiuncta ſubſtantia, efficitur eun-
dem produci à Bono, atq; Mente. À ſubſtantia enim diuina producitur. Eadem au-
tem, Plotino teſte, eſt ſubſtantia Genitoris, ac Geniti, ut eos à ueritate aut nihil, aut
non multum decidiſſe clarum ſit. Non ſeparaſſe autem eos ſubſtantiam horum triũ
ſæpe probatum. Adeò uerò non eſt is error apud eos, ut in contrarium potius deſe-
xerint. Nam coniunctionem ſubſtantiæ eorum quidam etiam inter cæteras diuinas
ſubſtantias eſſe uoluerunt, ut altera cum altera eſſet connexa, Deus cum Deo, uel
angelus cum angelo. Quod quidem in ſubſtantijs, excepta diuina, fieri non poteſt:
Nuſquam eſt tanta coniunctio, nunquam, excepto Deo, æternitas. De quo poſtea.
Nominant autem treis Deos, alteritatem tantum, non numerum ſubſtantiarum in-
uentes. Difficile enim eſt habere in promptu locutiones et nomina, quibus coniun-
ctio ſubſtantiæ, atq; diſiunctio numerorum deſignetur. Nam nomen perſonæ non
fuit apud eos, prorſus hac in re apud antiquos inuiſitatum. Ad uitandum autem er-
rores, caſtigatius poſteriores locuti ſunt. Agnoſcimus igitur totam Theologiam, nõ
ſolumq; dependentiam, creationemq; rerum ex Deo, ſed etiam et gradum illorum
triũ, et ortum, ac productionem, & quid muneris, ac numinis exiſtat in unoquoq;
Credo diuinis oraculis, non uiribus humanis, priſcis cognita.

Quod Aegiptij ter acclamabant, trinam Deitatem deſignantes. & quod diuinam ſapientiam, omnia eſſe apud eos inſcriptio demonſtrabat. Cap. VI.

CONſiderandum quoq;, quod traditur à Damaſcio Platonico haud ignobili, qui de Aegyptijs

de Aegyptijs perhibet: πρώτην ἀρχὴν σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν, σκότος ἄγνωστον, τρὶς τοῦτο ἐπιφημίζοντες. Quæ ſunt: Primum principum appellant tenebras, ſuper omnem cognitionem, tenebras incognitas, Ter iſtud acclamantes. His intelligimus claruiſſe priſcis ſeculis magnam de tribus illis lucem. Omnium enim rerum principium ter acclamantes, appellantesq; tenebras, omnem humanam cognitionem ſupereminentes, triplicem Deitatem deſignabant. Hinc etiam Dionyſius ex ſanctis, ac diuinis fontibus caliginem hãc uocat, Qui poſuit tenebras latibulum ſuum. Et de eodem diuinus Orpheus,

Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, πυκὶ γὰρ νέφος ἐστερῆκται.

Illum non uideo: eſt etenim caligine ſeptus.

Sic Aegyptij ſanctiſſimam Trinitatem, primumq; omnium rerum principium, tenebras ignotas dixere, nulla potes humana cogitatione contingi, ſub altiſſima diuinitatis ſuæ caligine latitantem diuinitatem, pelagus altiſſimum, quod intueri, penetrareq; ſummas ad uſque ſedes, nulla ne Deorum quidem ualeat cogitatio. Terq; iſtud acclamabant, tria illa principia innuentes, Bonum, Mentem, Animam, ſeu Spiritum, Platonicis, multisq; alijs philoſophis notiſſima. Triplex apud illos acclamatio, ſicut angeli clamarunt ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Item illud conſiderandum, quod Plutarchus in Aegypto in templo Mineruæ, quæ eſt diuina ſapientia, filia ſummi Dei, fuiſſe hanc inſcriptionem dicit, ἐγὼ εἰμὶ πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν: Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod futurum eſt: uelum meum nemo mortalium hactenus reuelauit. Hæc inſcriptio. Scito igitur & attende, quòd hæc inſcriptio erat ea, quæ eſt apud Moſen, Ego ſum qui ſum. Quod Hebraicè dicitur, Ero qui ero, Græcè, ὁ ὤν, ille qui eſt. Scitoq; hoc eſſe nomen tetragrammũ, quod apud Hebræos eſt nomẽ à uerbo ſubſtantiuo à uocc futura יהיה Ihieh, id eſt, erit uocatur יהוה tantum una litera Iod, mutata in Vau, quod fit apud eos uſitatiſſimè. Hoc nomen etiam eſt, quod uocatur à philoſophis τὸ ὄν, quod eſt ipſum eſſe. Vt igitur dixit ipſe apud Moſen, Ego ſum qui ſum: & apud philoſophos & Hebræos, Ille qui eſt, uel, Illud quod eſt: ſic illa inſcriptione teſtabatur ſe eſſe, quod fuit, eſt, erit, omnia uidelicet, quæ continentur nomine, Ille qui eſt. Quoniam apud Deũ, ut inquit Plato, neq; præteritum eſt, neq; futurum, ſed ſola æterna præſentia. Præterea ut dicitur in ſacris literis, Hoc nomen meum nõ indicaui eis: ſic ait inſcriptio, Velum meum nemo reuelauit. Nouimus item appellaſſe ſe Ille qui eſt: quia deſignet æternitatem, deſignet creatorem, & per ſe exiſtentem illum qui ſemper fuit, etiam anteaquam res crearentur: illud item qui non ſit ab alio: deinde illum qui maximè ſit, ens item uniuerſale, magis quàm totus mundus, & uniuerſum. Et ut apud Ioannem, Quod factum eſt in ipſo uita erat. aut, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. ſic iſta inſcriptione, oſtendit ſe eſſe omnia, eſſe ſe cauſam uniuerſalem omnium rerũ, ſine ſe nihil eſſe poſſe,

nihil fuiſſe, & eſſe, futurumq; eſſe ſine ſe, qui ſit omnia, ens maximum, ens uniuerſale. Vt autem nouimus nomen illud, Qui eſt, eſſe Filij Dei, qui crearit, qui ſit cauſa uniuerſalis, ens uniuerſum: ſic inſcriptio iſtũ ipſum donotabat. Sed Græci fallebantur, inuenientes templum illud in Aegypto diuinæ Sapientiæ, filiæ Dei dicatum. putabant hanc eſſe Mineruam. Quod uerum erit, ſi ſordes fabularum abſterſeris, detraxerisq; uile pallium, quod ex parte fecit Proclus, dicens hanc Mineruam eſſe, Δημιουργικὴν τὶς ἢ θεὸς, Opificẽ Deam. Siquidem et idem Plutarchus perhibet: Rex inquit, quicunq; apud eos eligebatur, ſtatim fiebat ἐκ τῶν ἱερέων, & μετὰ χεῖρα φιλοσοφίας ἐπιπεπυμμένης τὰ πολλὰ, μύθοις καὶ λόγοις, ὡς μυθικὰς ἐμφάσεις καὶ ἀληθείας & διαφάσεις ἔχοντα. ὥσπερ ἀμέλει καὶ παραδιδόασι αὐτοὶ, πρῶτ ἱερεῦσι τὰς σοφίγγας ἐπιεικῶς ἑαυτὲς εἰς ἀνιμακτώδη σοφίαν, καὶ θεολογίας αὐτῶν ἐχούσας: Ex ſacerdotibus, erat q; particeps philoſophiæ, quæ magna ex parte, fabulis, narratiõibusq;, quæ obſcuras ueritatis declarationes haberent, abſcõdebatur. Quod ipſi apertè præ ſe ferebant, ponentes pro templis Sphingas, innuentes adumbratam ſapientiã eorũ Theologiã habere. Hæc cùm teſtetur Plutarchus, non mirum eſt, ſi ter acclamantes tenebras, trinitatem, aut tria numina deſignabant. Et diuinam Sapientiam, à Deo natam de ſe loqui obſcurè, ſeq; uelatam eſſe fatentem introducebãt. Nec item tantam apud eos Theologiam fuiſſe mirabere, ex his quæ leges apud Mercurium, Orpheum, qui dicit ab Aegyptijs, Platonem, itemq; Chaldæos, apud quos omnes erant duo, Genitor, & Proles, ut tria ſemper ſunt apud cæteros. Sed peculiaris ſermo de duobus, ſicut item in noſtra Theologia. In eo porrò quod Plutarchus protulit oraculo, Proclus addit hoc quod deeſt apud Plutarchum. Vbi dixiſſet, Velum meum reuelauit nemo ſequitur, οὗ ἔτεκον καρπὸν, ἅλιος ἐγένετο, Quem ego fructum pepe/ri, fuit Sol. Prædicat igitur ſe Solis creatricem. Mirabile myſterium. Hoc enim eſt quod Moſes, Dixit Deus, fiat lux. Et, Creauit Deus duo luminaria magna. Et quod Plato in Republ. Sol filius ſummi Boni. Et quod Homerus in hymno de Sole, υἱὸς τέκος, Proles Iouis. Et eadem ſapientia apud Solomonem idem mirabiliter gloriatur: Ego feci ut oriretur lumen in cœlis. Et, Ante Solem permanet nomen eius. Ô miſeri mortales, cur Solem adorabatis, non, ut nunc totus mundus, eum qui Solem peperiſſet? Nominauitq; præcipuè Solem oraculum, quòd ſit in omni creatione præcipuus, admirabile Dei opus, præpoſitum etiam à Moſe ante omnes res creatas: Et de quo Propheta, qui cœlum contemplatus, admiratusq; inuentorem, tot cæteris omiſſis, prædicauit: In Sole poſuit tabernaculum ſuũ. Quod ſecus, In cœlo poſuit Solem, proſequiturq; ortum, & occaſum, lucem, calorem per omnem mundum intentum. Hũc ergo in oracul o gloriabatur Sapientia ſe feciſſe. quo nomine debuerat adorari, coli, à cunctis gentibus, non ipſum opus. Verè igitur illa Sapientia, erat Filia Dei, cui concorditer à cunctis datur creatio, uocata ſummi Boni Filia.

ni Filia. Non erat illa fabulosa Minerua, quæ quum homo fuerit, Solem creare non potuit. Habes ergo ternam illam apud Aegyptios acclamationem non iniuria trinitatem, tria numina, tres reges designasse, ut quæ de prole tam mira, certáque tradiderit. Ac uerè oracultum illud apud Aegyptios fuisse declarat Mercurius Trismegistus, qui similiter de Deo locutus est, in quòd Deus inuisibilis, sit uisibilis ex operibus: σὺ γὰρ πάντα εἶ, καὶ ἄλλο οὐδέν ἐστιν ὃ μὴ σύ ἐστιν, σὺ πᾶν τὸ γενόμενον, σὺ τὸ μὴ γενόμενον: Tu enim omnia res, & nihil aliud est, quod tu non sis. Tu es omne quod fuit, & quod non fuit. Hæc illæ de Deo, cum Deo loquens, quod Deus de se ipso in templo. Designat autem illud Ioannis, Sine ipso factum est nihil.

De tribus Regibus, siue tribus Intelligentijs, tripliciq; Diuinitate, ex Numenio, Aemilio, Plotino, Theodoro, Iamblicho, Procio, Cap. VII.

CONsideranda quoque, quæ cæteri Platonici, tum dicta Platonis, tum Orphicam & Aegyptiam Theologiam sequentes, & ut solent aliquo in abdito apud priscos loco reperta proponentes ut ænigmata, prodiderunt. Proclus igitur hæc ait super Timæum: Νουμήνιος τρεῖς ἀνυμνήσας θεούς, πατέρα μὲν καλεῖ τὸν πρῶτον, ποιητὴν δὲ τὸν δεύτερον, πόιημα δὲ τὸν τρίτον, ὥστε ὁ κατ' αὐτὸν δημιουργὸς διττός, ὅτε πρῶτός καὶ ὁ δεύτερος θεός, Numenius celebrat, & laudat tres Deos. primumq; uocat Patrem, secundum Creatorem, ipsum opificium, id est, Animam mundi, tertium. Quocirca Opifex secundum illum est geminus, & primus scilicet, & secundus Deus. Hæc Numenius à Proclo recitata. Vides apud Numenium, duos creatores, duos Deos. Eo enim modo tunc loquebantur. Vides primum patrem, secundum Opificem, uel Creatorem, quod nomen, ut sæpius claruit, proprium est diuinæ prolis. En quod nostra canit Theologia, confitens patrem creatorẽ cœli & terræ, confitens item filium creatorẽ, ut per quem omnia facta sunt. Nec te turbet quòd tertio loco diuinitatis, dicat Proclus ponere Numenium ipsum opus. Non enim ita nominat tertium, ut æquale prioribus duobus, sed ut factum, & opus quoddam diuinum: sicut & Plato in Timæo, statuens Mundum aut Animam esse Deum, creatum à Deo, id est, rem diuinam, opus Dei. Solum autem geminum Creatorem fatetur, solis duobus asscribit creationem, de quibus ut in primo libro uisum, tam præclara scripsit Numenius. Vera quidem diuinitas est duorum opificum, & duorum non distinctorum, sed ut ipsi quoque docent, unius operis mundani, duo creatores uelut unus, quia opus unum. De duobus autem numinibus, & de duobus quibus rerum creationem attribuunt philosophi, nunc ego loquor. Excludoq; tertium illud à uera diuinitate. Quanquam sit mihi uerisimile tertio loco, non id quod Proclus dixit posuisse Numenium, sed quod Pythagoras, Plato, Plotinus, Aemilius, ut postea docebitur. Plato enim, ut superius audisti, tres nominauit. Duos autem qui crearent, ut idem Proclus perhibet, Plotinus adhibuit: διττὸν μὲν ὑποτίθεται τὸν δημιουργὸν, τὸν μὲν ἐν τῷ νοητῷ,

νοητῶ, τὸν δὲ ἡγεμονοῦν τὸ παντὸς: Duplicem quidem proponit Opificem Plotinus, alterum in intellectuali, alterum imperantem uniuerso. Hæc dicta Plotini eò spectant, patrem esse, primum intellectualem dantem sapientiam, & Ideas Proli suæ, quas appellant Platonici, νοητὰ: eum esse summum, eminentißimumq; in mundo, qui dicitur νοητός: Prolem autem, ut omnes superius uidimus confitentes, esse reginam uniuersi, creatricemq; Mentem. Amelius autem melius & clarius explicuit tres illos. De quo idem Proclus: ἀμέλιος δὲ τριττὸν ποιεῖ δημιουργόν, καὶ νῦς τρεῖς, βασιλέας τρεῖς, τὸν ὄντα, τὸν ἔχοντα, τὸν ὁρῶντα. διαφέρουσι δὲ ἄλλοι, διότι ὁ μὲν πρῶτος νῦς ὄντως ὄν, ὁ δὲ δεύτερος ὄν μὲν τὸ ἐν αὐτῷ νοητόν. ἔχει δὲ πῶς αὐτό, καὶ μετέχει πάντως, καὶ δι' αὐτὸ δεύτερος. ὁ δὲ τρίτος ὄν μὲν τὸ ἐν αὐτῷ, καὶ ὄντος νοητόν. πῶς γὰρ νῦς ἄλλῳ συζυγῶντι νοητῷ ὁ αὐτός. ἔχει δὲ τὸ ἐν ἄλλῳ δευτέρῳ, ὃ ῥᾷ τὸ πρῶτον. ὅσον γὰρ πλείων ἡ ἀπόστασις, τοσοῦτον τὸ ἔχον ἀμυδρότερον. Quæ sunt, Amelius, inquit, triplicem facit Opificem, & Mentes tres, & Reges tres, qui est, eum qui habet, eum qui aspicit. Differunt autem hi: quoniam prima Mens uerè est: Secunda est quidem intellectuale, quod est in ipso: habet autem ante se, & participat omnino ipsum: & propter hoc, est secunda: Tertia uerò, est quidem & ipsa, quod in eo intellectuale. Omnis enim mens consociato intellectuali eadem est. Habet autem quod est in secundo, & uidet primum. Quanto enim fit minor discessus, tanto id quod habet est obscurius. Hæc ubi recitasset, Proclus addit, τοῦτος δὴ τοὺς τρεῖς νόας, καὶ δημιουργοὺς ὑποστήσεται, καὶ τοὺς παρὰ πλάτωνι τρεῖς βασιλέας, καὶ τοὺς παρ' ὀρφεῖ τρεῖς. Videlicet: Has igitur tres Mentes & Opifices statuit Amelius, & qui sunt apud Platonem tres Reges. & qui apud Orpheum tres, Phanes, Vranos, Cronos. Hæc Proclus. Ex his fit clarißimum etiam Platonem, & Orpheum antiquißimum, de tribus numinibus locutos incorruptius quidem, diuinius, & cœlestius Platonem, nominantem tres illos, tres Reges, uelut unum. Sunt ergo tres Reges apud Platonem, teste Proclo, non Christiano, imò Christianis inimico, sunt tres Mentes, tres Intelligentiæ, tres Reges uelut unus. Vt nostræ literæ canunt, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: Non tamen tres Dij, sed unus est Deus: sic dicere posßis ex Platone, Rex est Pater, Rex est Filius, Rex Spiritus sanctus. Nõ tamen tres Reges, sed unus Rex. Quoniamq; mens est una hypostasis, aut persona, crediderim rectè sic prædicari, Mens est Pater, Mens Filius, Mens Spiritus sanctus. Nõ rectè aũt, si dicas, Non tamẽ tres Mentes, sed una est Mens. Quia Mẽs est hypostasis. Sed sit quod uerius, ac melius Theologis uidebitur. Quis autẽ reuelauit Platoni, qui Mẽtis æternæ aduentum in mundum, plus trecentis annis anteceßit, tres illos Reges, circa quos omnia esse prædicauit? quis item Orpheo, licet, ut moris, eius poëticis nominibus tria illa nomina descripserit? Sed sit obscurius quod ab Orpheo positum est: uerò, luculentiß

lucidenta, clarescentia, quæ Plato de tribus Regibus, Plotinus, Numenius, Amelius de duobus Opificibus. Nam tertius semper fuit obscurior, etiam apud nostrates. Hoc miraculum, tres omnium rerum Imperatores Platonem nominasse, cæteros autem Philosophos, duos Opifices, ut est in nostra cœlesti Theologia. Hoc indicio est, semper in prisca Theologia, apud Chaldæos, Phœnices, Aegyptios, gentes uetustissimas, quæ nunc penitus apparuit, abditam fuisse sapientiam, sed non cognitam, adulteratam nominibus & sensibus donec præco cœlestis ipse, uisibilem, qui esset antè inuisibilis, se reddens, eam efficeret rutilantem, docereté; omnes, oportere adorare Deum, in spiritu & ueritate. De quibus tribus, Deo, Veritate, spiritu, notionem priora secula, ab initio generis humani descendentem, tenuerunt. Nam sicut Amelius secutus est Platonem, sic necessariò Plato didicit ab antecessoribus, credo ego, Aegyptijs & Chaldæis, quemadmodum item in Epistola nominat Cautam mundi, & Patrem eius, certè ab aliquo oraculo, ab aliqua uetusta Theologia, quale canebat Aegyptia, tria numina, ea tenebras appellans, & ut tam multa Mercurius, Chaldæusq; decantauit. Verissimum est item legisse Platonicos multa, quæ peruenire ad nostra secula non potuerunt, ex quibus illi libris suis quædam largiti sunt. Sed reuertor, declaroq; Amelium Patrem, primamq; Mentem dicit existentem, secundam habentem, tertiam uidentem. Quorum ratio est, quòd primo ac principaliter, fontaliterq;, est ipse Pater, qui dicitur etiam τὸ πρῶτον, Primatus, Principatus, Primum esse, à quo reliqua duo. Secundus dicitur habere, quia participat priorem, nascitur à priore, est filius eius, habet ab illo bona sua, diuinitatem, sapientiam, autoritatem, idq; ipse prædicabat in mundo, eoq; est secundus, participansq;, quod dixit de eo Ioannes, eum esse & fuisse semper apud Deum. Tertius autem, inquit, habet quidem quod in Secundo est, respicit autem Primum. Hoc nos clarius diceremus, manare à duobus, quia Primum uelut fontem suum aspicit: habet autem quod in Secundo est. Fluit enim ab ipso: habet ab ipso, & à præcedente, quod est: & datur, mittitur, fluitq; ab ipso Secundo. Aspectus in Primum est, ut in fontem suum, habere quod in Secundo: est item accipere, quod ipse sit, à Secundo. Dat enim ei Secundus, quod est. Quòd si hæc ad creationem, Ideasq; referas, & ut tres rerum imperatores, triaq; principia uelut unum, eadem est sententia. Primus uerè, principaliter, fontaliter est. Secundus, est Idea quæ in se est, quæ dicitur ab eis τὸ νοητὸν. Ob id autem est Idea, quia nihil est in Deo alienum à Deo. Et quia Mens, aut Intelligentia est idem cum re intellecta: sic etiã Tertius, quia et ipse Mens est, est ipsum intellectuale siue intelligibilitas, ut sic dixerim. Id scilicet quod est in Secundo, et quia Mentes sunt intelligendo operantur. Quia uerò sunt unus Deus, quod intelligitur, & intelligendo creatur à Secundo, intelligitur item, fitq; à Tertio, si uelis ista ad creationem referre, cuius principalem causam assignant Platonici uelut originem, Ideam in mente opificis, quæ ab eis nuncupatur τὸ νοητὸν. Hæc Idea, inquit Amelius, est in Secundo, est item in Tertio: sed Secundus, &

Tertius eſt item cum iſta Idea. Sunt enim uelut duo opifices mundi, uterque mundi origo, utriq; ineſt Idea mundi, & uterq; eſt ipſa Idea. Non eſt diuinitas eorum diſiuncta, quia uterq; eſt eiuſdem rei ſummus opifex, uterq; principium. Pater autem & primus eſt, quem & ſecundus participat, & tertius aſpicit, eoq; primus à duobus participatur. Quæ quidem noſtra Theologia clarius loqueretur. Sed nobis ſatis eſt oſtendere, cœleſti nunc reuelatam teſtimonio ueritatem, ſemper in aliqua luce apparuiſſe: religionem hanc, quam colit mundus, antiquiſſimam illam omnium ſeculorum eſſe: uerum ut nunc radiantiſſimam, omnibusq; perſpectiſſimam, ſic tũc obſcuriorem, inter abdita myſteria latitantem, uix paucis introſpectam, nec ab illis etiam forte intellectam, donec apparuit tota. Ecce tot autores, tot teſtes, de duobus Opificibus, de tribus quibus eanitur nobis æterna gloria, teſtes inquam, quibus cum aut incognita prorſus noſtra religio, aut uix cognita eſſet, loquebantur tamen eadem apud maiores Theologos reperta. Nam quod Plato de tribus Imperatoribus ſcripſit, extabat etiam apud priores Pythagoreos. Nec tibi referam hoc loco, quod ſuperſtitioſi quidam è noſtris, ex libris Ariſtotelis, qui teſtetur Pythagoreos uſos numero ternario in ſacris, quo deſignabant principium, medium, finem in cunctis rebus: ſed quod euidentiſſimè monuit Proclus à Iamblicho traditum: τρεῖς εἶναι θεοὺς τούτους καὶ παρὰ τοῖς πυθαγορείοις ὑμνουμένους: Celebrari, laudari tres iſtos Deos apud Pythagoreos. Videlicet quod nos, perpetuò, & indefeſſe, noctesq; diesq;, nunquam ſanctiſſimas uoces has interpollantes, ut ſit gloria Patri, Filio, Spiritui ſancto, qui fuerit ſemper, & ſicut fuit, ſic ſit, futurusq; ſit in æternũ. Eadem extant apud Numenium Pythagoreum. Mirificè quoq; conſenſere cæteri Platonici, uenerantes, adorantesq; cum cæteris tres hos Imperatores, & Reges, tresq; Deos, ut unum. Nam Theodorus Platonicus inſignis, ſecutus Amelium, hac Proclo teſte ad uerbum poſt Iamblichum inquit: τρεῖς μὲν ἀμελίῳ συνεπόμενον ἐᾶν φησὶ δημιουργούς. τάττει δὲ αὐτοὺς, οὐκ ἄνευς μετὰ τὸ ἕν, ἀλλ' ἐπέκεινα τῶν νοητῶν τε καὶ νοερῶν θεῶν. ἀποκαλεῖ δὲ τὸν μὲν οὐσιώδη νοῦν, τὸν δὲ νοερὸν οὐσίαν, τὸν δὲ ψυχῶν, καὶ τὸν μὲν ἀδιαίρετον, τὸν δὲ εἰς ὅλα διηρημένον, τὸν δὲ εἰς τὰ καθ' ἕκαστα διαίρεσιν ποιημένου. Nimirum, Tres, inquit, ſecutus Amelium, dicit eſſe Opifices Theodorus. Nec eos ordinat mox unũ, ſed ante Deos intellectos, & intelligentes. Aliumq; uocat Mentẽ ſubſtantialẽ, aliũ ſubſtantiã mentalẽ, tertiũ Fontem animarũ. Ac primũ indiuiduũ, ſecundũ per omnia diſtributũ, tertiũ facientẽ per ſingula diſtributionẽ. Hæc Theodorus, ſecutus Ameliũ, Amelius ſecutus Platonẽ, Plato ueteres Aegyptios, hi maiores, primosq; homines, & oracula cœleſtia, ubiq; reſonantia. Conſidera obſecro ordinẽ, quem dat his Theodorus. Non enim locat eos poſt unitatẽ, quæ tribuitur ab eis tũ ſummo bono, tũ ideis, ſed locat ante deos intellectos & intelligentes. Noris, ut ſuo loco uidebitur, apud Platonicos, & noſtros, eſſe duo genera Deorũ, ſiue Angelorũ: priores dicuntur νοητοὶ, intellecti: poſteriores

νοεροὶ,

νοεροί, Intelligentes. Dionysius dictos priores intellectos, quia intelliguntur ab his qui dicuntur νοεροί: quo & illi intellecti, ut superiores, & hi intelligentes uocantur: irradiare enim maiores in inferiores intelligentiã sapientiamq;. Hos in illos respicere, uelut intelligẽtes, & cognoscentes. Nonnulli Platonici ingessere noua, Intellectos, & Priores, Ideas sentientes, quæ ab inferioribus intelliguntur. Sed ordo, et sensus syncerus prior. Tres igitur illos Opifices, id est, Trinitatem statuebat Theodorus ante omnes ordines Angelorum, prioremq; uocabat Mentem substantialem, id est, cuius substantia sit Mens, sit primum sapere, primum nosse, prior sapientia, cuius substantia non sit aliud quàm Mens, Mens plena substantiæ, quo designatur primatus totius esse, omniumq; mentium. Secundum uocabat substantiam mentalem, hoc est, eam mentem & sapientiam, quæ hoc ipsum habuerit à primo, & quæ primò Mens sit, sed ab eo qui primò mens: idcirco etiam primò substantiæ quia mens substantialis primò. Tertium uocabat Fontem animorum, quo nihil diuinius & profundius. Quippe & nostra Theologia uocat eum Creatorem spirituum, ut paulò ante uidisti: & hæc est Anima mundi uiuificatrix, mater animarum. Nónne etiam nostri eum appellant Fontem uiuum? rogamusq; ut per eum sciamus patrem, primũ scilicet illum? Priorem autem Indiuiduum dicit, quia Filio datur creatio, datur executio rerum paternarum, iste facit omnia, & per omnia cõmeat creator, princeps, iussus à patre. Nam indiuidius, designat eum non fungi his officijs, filium autem fungi, esse eum, ut Philo perhibet, patris sui ὑπάρχου, subditum, magistratum, subministrum, facientem omnia pro eo, ius eius, ac potestatem. Hæc igitur Platonici eo spiritu, ex ea Theologia locuti sunt, quæ peruenit ad eos à seculis prioribus, inuentaq; est apud Chaldæos, & Aegyptios, Sibyllas, & in oraculis. Quos libros si sic nobis uidere datum fuisset, sicut quædam frusta, propemodumq; naufragia uidimus, certè mysteria penitus nostra uideremus. Sentiremus toto in mundo beneficio diuino prius obscurè reuelatã hanc religionẽ, ac philosophiã nouissimorum seculorũ: donec ueniens princeps eius, in cuius morte uelũ templi scissum est, remotis tenebris totã aperiret. Quo factũ ut eo ueniente repleta sit omnis terra, ut prædixerant oracula, sciẽtia Domini. Hæc aũt quæ producta sunt, etsi nõ rectè Proclus interpretetur in Timæo, uidebis tamen paulò pòst hominẽ resipiscentem. Neq; ego contendo, quanta postea Trinitatis refulsit notio, eos tenuisse, sed eum audisse, ex parte uidisse. In Theologia Platonicorũ, ea potissimũ sequenda, quæ maiores tradidissent. Nã Proclus fermè posterior omnibus floruit. Sed enim etiã nostri senserũt, prodideruntq; mirabili, propemodumq; diuino sensu: uerũ manabat ab Aegyptijs, & Chaldæis, Platonẽ de tribus numinibus, præcipuè duobus prioribus locutum, è quibus præter Cyrillũ, & Eusebiũ est Constantinus Imperator in oratione de religione Christiana, in qua mirificis laudibus collaudato Platone, subdit, τῶ θεῶ μὴ θεὸν ἀφηγήσατο τὸν πατέρα τῶν ὅλων, καλῶς ποιῶν. ὑπέταξε δὲ τούτῳ καὶ δεύτερον. καὶ δύο οὐσίας ἔφη καὶ ἀριθμῷ διεῖλεν. μίας οὔσης φύ-

φοτέρων τελειότητος, ἢ τε οὐσίας τὸ μὲν τρὸς θεὸν τὴν ὕπαρξιν ἐχούσης ἐκ τοῦ πρώτου. αὐτὸς γὰρ ὄντως ὁ δημιουργὸς καὶ διοικητὴς τῶν ὅλων. Primum, inquit, Deum docuit rectè supra substantiam collocans. Huic etiã subiecit secundum: duasq; substantias numero partitus est, una existente utriusq; perfectione, & substantia secundi Dei existentiam habente ex primo. Ipse enim est opifex, & gubernator omnium. Hæc quidem ille, docens Platonem duos quidem Deos, ut est in epistolis, nominasse, sed unam utriq; perfectionem attribuisse, habente Secundo ex primo ipsum esse, ipsum existere. Duas autem substantias cum numero fuisse partitũ, est duas hypostases, duos numero gradus in diuinitate statuisse. Sic enim eo seculo & religione loquebantur. Aßignans autem unam ambobus perfectionẽ Plato, certè substantiam, diuinitatemq; eorũ unam aßignabat. Vna enim est diuinitas, una perfectio, unum cunctarum rerum fastigium. Sic unum amborum culmen, una maiestas, utiq; & diuinitas una, quæ est suprema perfectio.

De tribus principijs, ex Proclo, Platonis Theologia contentis, quæ dicuntur Bonum, Mens, Anima: alijsq; nominibus appellantur. Et quòd hæc tria principia, non substantia tria sunt, sed alia ratione. Cap. VIII.

NEc uerò nostri solum, sed ipsimet Platonici clarißimè confitentur tres illos Reges, triáq; numina rerum, decreuisse, declarasse Platonem, idq; esse supremum Theologiæ eius cacumen, in quo sita sit eminentißima Trinitas, ad quod sapientißimum quemq; oporteat aspirare. Considerent igitur omnes, suspiciantq; ueritatem omnipotentem, quæ sæpe uelut ignis in angustijs clausa, impatiensq; tenebrarum uiolenter erumpit. Nulla est reliqua controuersia, quando tot testes aspicis, paribus testimonijs asserentes, concorditerq; acclamantes triplici imperio, ternæ, aut tripli ci uel trinæ diuinitati, ac maiestati. Proclus ille, qui super Timæum, cæterorum Platonicorum de tribus regibus sententiam proposuerat, in libro de Theologia Platonica, in quo latè de dogmatis Platonicis disserit, similia atque priores, Numenius, Porphyrius, et Plotinus, Amelius, confitetur sensisse Platonẽ, cuius sermo etsi prolixior est, allectus tamen declarandæ ueritatis amore, totum proponam, & edisserã: σωμάτων μὲν ὥσπερ εἴρηται καὶ ψυχῶν πατέρα τὸν νοῦν ἀποφαίνει, καὶ αἴτιον, καὶ πρὸ ἐκείνου ταῦτα καὶ εἶναι, καὶ ἐνεργεῖν ὅλα τῶν ζωῶν ἐν διεξόδοις, καὶ ἀνελίξεσι μέμηται. πρόεισι δ' ἀπ' ἄλλων ἀρχῶν, τὸ νοῦν παντελῶς ὑπερκοσμίων, καὶ ἀσωματωτέραν, καὶ ἀρρητον ἀφ' ἧς ταῦτα, καὶ πάντα ἔχατα τῶν ὄντων, λέγεις τὴν ὑπόστασιν ἔχειν ἀναγκαῖον. ψυχῆς μὲν γὰρ, οὐ ταῦτα μετέχειν ἀναγκαίως ἐφυκεν. ἀλλ' ὅλα ζωὴν ἔχει προαιωνίαν, ἢ ἀμυδροτέραν ἐν αὐτοῖς. οὐ δὲ νῶ ταῦτα, καὶ τὸ ὄντως ἀπολαύειν δυνατὸν, ἀλλ' ὅλα κατ' εἶδος ὑφίσταται· δεῖ δὲ αὖ τὴν ἀρχὴν τῶν ταύτων ὑπὸ ταύτων μετέχεσθαι τῶν ὄντων, ἐπεὶ μηδενὸς ἀποστάσεως, ταύτων αὐτία τῶν ὅπως οὖν ὑφε-

σᾶναι

σθαι τῶν λεγομένων οὖσα. ταύτην δὲ πρωτίστην τῶν ὅλων, καὶ νοῦ πρεσβυτέραν ἀρχὴν ὡς ἀβάτοις ἀποκηρυττομένην, ὡθεῖσα αὐδυρουῖα, & τρεῖς ταύτας αἰτίας, καὶ μονάδας ἐπέκεινα σωμάτων ἀναφαίνει, ψυχὴν λέγω, & νοῦν τὸν πρωτίστου. καὶ τὴν ὑπὲρ νοῦν γνῶσιν, πλάγειν μὲν ἐκ τούτων ὡς μονάδων τοῦ οἰκείου ἀριθμοῦ, τὴν μὲν γνοεράν, τὸν δὲ νοερὸν, τὸν δὲ ψυχικόν. πᾶσα γὰρ μονὰς ἡγεῖται πλήθους ἐν αὐτῇ συνεχοῦς. σωμάτων δὲ ὥσπερ τὰ σώματα ταῖς ψυχαῖς, ὅτω δή τε καὶ ψυχὰς μὲν τοῖς νοεροῖς εἶδεσι, ταῦτα δὲ ταῖς φάσι τ' ὄντων. πάντα ἢ εἰς μίαν ἀρχὴν ὧν πρέφει τ' ἀμέθεκτον φάσλα, καὶ μεχρὶ τούτης ἀναβαμοῦσα, πέρας οἴεται τὸ ἀκρότατον ἔχειν θεῖ τ' ὅλων θεωρίας, καὶ ταύτην τὴν περὶ θεῶν ἀλήθειαν, καὶ περὶ τὰς φάσλας τῶν ὄντων. Quæ sunt Latinè: Corporum quidem, quemadmodum dictum est, & animarum patrem, Mentem pronunciat, & causam, & circa eam cuncta esse, & operari quæcunque uitam in processibus, & explicationibus possederunt. Progreditur autem ad aliud principium, à Mente penitus absolutum, magisq; incorporeũ & ineffabile, à quo omnia etiam extrema rerum dicas habere substantiam, necesse est. Animam enim non omnia participare necessariò nata sunt, sed quæcunque uitam habuere purioꝛem aut obscuriorem in seipsis. Neque Mente omnia frui, & ea quæ uerè est, fas est, sed quæcunq; secundum speciem subsistunt. Oportet principiũ omnium ab omnibus rebus participari: siquidem à nullo deficit ea, quæ est causa rerum, quæ quomodocunq; subsistant. Hoc igitur primo ac supremo cunctarum rerum, etiam ipsa Mente antiquiore principio, quod in abditis, & inaccessis esset absconditum, cum Platonis Theologia reperisset, et tres has causas, & unitates, ultra corpora demonstrasset, dico Animam & Mentem supremam, & supra Mentem Vnitatem, procedere quidem ex his uti unitatibus, aut singularitatibus proprios numeros, alterum quidem uniformem, alterum mentalem, tertium animalem, docuit. Omnis enim singularitas antecedit multitudinem sibi coëlementalem. Coniungit autem sicut corpora animis, sic sanè animas quidem mentalibus speciebus, aut formis, hæc autem unitatibus rerum. Omnia uerò in unam uertuntur incommunicabilem Vnitatem: & usque ad hanc progressa Theologia Platonis, finem putat supremum se tenere totius rerum speculationis, & hanc de Dijs ueritatem, & circa unitates rerum. Hæc & alia multa Proclus, asserens hanc esse Platonicam Theologiam. Totus autem is sermo est declaratio eius, quod in illa inclyta ad Dionysium Epistola, quæ est secunda, locutus est Plato, Circa omniũ Regem esse omnia, & illius causa omnia, & illum esse causam omniũ bonarũ rerum, Secundũ autem circa secunda, Tertium circa tertia. Vel, ut superius fuit expositum, circa Secundum secunda, circa Tertium tertia. Tria hæc principia, & tres causas asserit Proclus in Theologia Platonica celebrari, primumq; ac supremum appellari Vnitatẽ abditam, arcanam, maximam,

maximam, Secundum Mentem, Tertium Animam: Mentemq; esse causam, animarum, & corporum omnium. Huc usque rectè ac diuinè explicat Theologiam Platonicam Proclus. Atq; ait, ut stupore digna res sit, Platonem omnes quidem animas & corpora à Mente suprema & prima producere, quam, ut testatur etiam Laërtius, Causam appellet. sed rursum altius eum ascendisse, & ad aliud principium, arcanum ineffabile peruenisse, à quo procedant omnia, etiam extremarum. Sed Proclus dicens, hoc altißimum, & ineffabile principium, quod est ante Mentem, Platonem dixisse πάντελῶς ἐξῃρημένον τοῦ νοῦ, penitus et undequaq; à Mente absolutum, separatum, extractũ: sciat nihil tale dixisse Platonicam Theologiam: quod & ratione, & Platonis autoritate probabo. Ratione quidẽ, quoniam Platonem producere ab altißima, primaq; Mente dicit animas omnes, & corpora, circaq; eam asserere, uersari, quæ quomodocunq; uitam participent. altius autem illud, & ineffabile principium, quod antecedit Mentem, dicit item omniũ rerum, etiam extremarum asseruisse esse causam. Ergo quorũ Mens est causa, eorundem quoq; ineffabile principiũ. Quæro igitur quid causæ sit, quòd eorundẽ utrunq; est causa, ut quot fiant ab uno, totidem ab altero. Non ne quia una autoritas, una potestas? Si enim Mens creat Platoni corpora & animas, omnemq; uitam: ineffabile uero principium omnium est causa, etiam minimarum rerũ: profectò & Mens quoq; potentißima est, & facit omnia quæ principium ineffabile. Ergo una est autoritas utriusq;. Neque enim bis potest mundus creari, ut partim creetur ab ineffabili principio, rursum accedat Mens, quæ & ipsa creet. Sed unam necesse est esse autoritatem, unam uoluntatem, par consilium, quod simul conspirans crearit mundum. Neque potest ulla alia reddi ratio, si fit idem ab utroq;, quin sit eadem uoluntas, & autoritas. Quod utiq; non esset, si ineffabile principium esset à Mente undequaq; separatum. Neq; enim uoluntas conspiraret, longè lateq; his à se distantibus. Adde quòd si Mens est Deus omnipotẽs, ut apparet, creat enim omnia, qd̃ est Diuinitatis: ineffabile quoq; principiũ est Deus: uterq; necessariò est Deus, & æternus uterq;, omnipotens, & sapientißimus uterq;. Hæ rationes sunt naturales, & ueræ. Verba autem Platonis, apertè Proclo contradicentia sunt in sexta Epistola, ubi Plato cõmemorat principem & causam omnium præsentium & futurarum rerum, & deinde patrẽ istius principis, & causæ. Princeps & Causa, omniũ Platonicorũ consensu, & ut tam multis exemplis probatũ est superius, est Mens illa secundũ principiũ. Ergo si Mens habet patrẽ (pater aũt est is, quem ineffabilẽ Vnitatẽ, & summũ Bonũ dixere, quod Macrobius testabatur, addens ueterẽ philosophiã dixisse Mentẽ esse filiam summi Boni) efficitur ut eiusdem naturæ sint pater & proles. Nã qui nascitur ab homine est homo, qui à leone, est leo: sic qui nascitur à Deo, et ineffabili Bono etiã ipse est Deus, est ineffabilis, est Bonũ summum. Igitur Plato tria decreuit principia, ut Proclus inquit, tres causas, tres reges: modus aũt, quo sint principia, quẽ posuit Proclus, forsan nõ est Platonicus omnino: ut à primo uniformes, à secũdo mentales,

do mentales, à Tertio animales ordines existãt: quia primus Vnitas, secundus Mẽs, tertius anima. Dico ex Platone, omnes æqualiter esse eorumdem causam. Tres causæ tanquam una, quod ipse quoq; suis probat uerbis. Quod quidem fieri à summo bono pronunciat, quorum uel ipsum esse principium, etiam à mente, etiam ab anima fieri fatetur. A mente & causa factus est totus mũdus, corpora & animæ. Summum autem bonũ cunctorum est principiũ, etiam minimorũ. Mens creat animas: ab anima quæ tertiũ est principiũ, animarũ nascitur ordo. In mũdo nihil est præter hæc ipsa, nec aliud est mundus, quàm hæc ipsa: ergo quicquid fit ab uno, fit ab altero. quoniamq; non conuenit eiusdem rei duos uel tres asciscere creatores, naturali deductione efficitur, ut trium principiorum & causarũ sit una eademq; potestas, autoritas, consiliũ, imperiũ. Et ordo ille Procli, ut à primo sint uniformes, à secundo νοεροὶ, intelligentes, à tertio animæ. Vniformes autem, ut reor, uocat primam angelorum hierarchiam, quam illi conficiunt ex ideis, eóq; uocant eas Vniformes, id est, similes ineffabili Vnitati. Secundos sentit, secundum ordinem angelorum, qui creentur à mente. Tertius est ordo animarum, qui ab anima prima serantur, creentur. Is inquam ordo non est Platonicus, etsi ex parte uerus. Et ratio clamat ex dictis eorũ, ordinem non esse ita præfixum, ut hoc fiat à mente, hoc ab ineffabili unitate, illud ab anima: quippe quot fiunt ab uno, totidem fiunt ab altero: totaq; creatio à cunctis uetustißimis Theologis uisibilium & inuisibilium, asscribitur menti. Hoc etiam Proclus fatetur, in primis uerbis animarum & corporum, totius scilicet sensibilis mundi assignabat menti creationem. In ultimis dicit à mente procedere νοεροὺς, nimirum cunctos ordines angelorum. Sic etiam diuus Paulus, ut sæpe uidemus, docuit hunc esse primogenitum, principium omnis creaturæ, per ipsum extitisse uisibilia & inuisibilia, siue thronos, siue potestates, siue dominationes, siue uirtutes. Hæ sunt angelicæ gentes, tota cœlestis Respublica creata à mente, summa sapientia, & intellectu, omnium intelligentiarum creatrice, ipsa prima sapientia arce & fastigio intelligentiæ. Quocirca nullus supereſt angelorum ordo, & eorum, qui dicuntur νοεροὶ, quin creentur à Mente. Sed aperiam huius sermonis apud Platonicos causam, cur ab ineffabili unitate producant primas unitates, primam Hierarchiam. Ea uidelicet est, quoniam conficiunt ex Ideis hanc Hierarchiam. Ideas autem ferunt à summo bono habere principium, eas que dari menti creatrici. Sed norint posteriores Platonici, nihil tale dixisse Platonem, qui rectà & expeditè principatum, autoritatemq; cunctarum rerum assignat menti in Timæo: in Epistola uocat principem præsentium & futurorum: rursum in secunda Epistola, tres omnium rerum declarat, adorat, consalutat imperatores. Verus autem istorum regum imperatorumq; ordo, iuxta Platonem, & ueritatem, & ut ipsi Platonici sponte sua fatentur, est, quòd omnes sunt reges, & principes uisibilium, & inuisibilium, omnium tres causæ, tria principia, tres fontes, sed ut unus, ut una diuinitas, unus consensus. Gradus autem est inter eos, quod primus est, ineffabile bonum, unitas

eminentißima,

eminentißima, cui Filius etiam in hoc mundo omnes honores acceptos refere/bat, eumq; uocabat Patrem, et Glorificatorẽ ſuum: ab illo data ſibi omnia: nihil ha/bere ſe, quod non accepiſſet ab eo: ſe eſſe lumen ex illo lumine: omnia quidem ha/bere ſe, ſed ab eo, non eum à ſe. Attulit pulcherrimum, quoad licet ex mortalibus noſſe immortalia, Athenagoras exemplum, in oratione ad duos Imperatores, pa/trem & filium. Pater erat Antoninus Pius, erat ei filius Auguſtus, genitus ab eo & declaratus Auguſtus, Imperatorq; totius orbis. Omnis terra, gentes omnes ue/nerabantur utrunque, ut unum Imperatorem. Quicquid iubebat filius, factum erat: quicquid item pater, fiebat extemplò: procedebat filius, uenerabantur, ado/rabant omnes, idq; cupido, & uolente patre: ſimiliter procedebat Imperator ue/rus, omnes uenerabantur, etiam filius. Filius uenerabatur patrem, non pater filium, ſed tanta charitate filium diligebat pater, ut ille ſuæ delitiæ eſſent, ſua uoluptas & gaudium, ut dederit ei quicquid ipſe eſſet. Genuerat eum, tum Imperatorem de/clarauerat, totius orbis poteſtatem tradiderat, omnes illi parere iubebat: quicquid honoris impenderetur filio, ſibi collatum prædicabat, præ ſe ferebat: nihil erat re/liquum, quod filio non tradidiſſet. Eſt igitur, ut docui, & ut declarem Platonem, & Platonicos, gradus in illis, quod principatus, & ſummum, eſt ipſum Bonum, ipſa ineffabilis Vnitas, principium, fonsq; omnium, etiam Mentis, tum Mens ab illo ge/nerata, tum anima. Propterea ſunt omnia circa tres Reges, ſed principaliter circa Primum, ſecundò circa Secundum, tertiò circa Tertium. Hunc ordinem uerum ui/derunt propemodum, oſtenderuntq; Platonici, quoniam à Primo gignunt omnia, etiam ipſam Mentẽ, à Secundo quoq; præcipuè uitas, animas, corpora. Nam etiam apud nos maximè datur Filio cunctarum uiſibilium & inuiſibilium rerum crea/tio, raroq; audimus creatorem mundi ſpiritum ſanctum, etſi audimus Deum. Hunc igitur Tertium quaſi faciunt (quod noſtra tantopere uociferatur Theologia) fon/tem animarum. Eſt enim Anima illa, ſpiritus ſanctus, ut apparet & ut docuimus ubique. Spiritum autem nos uiuificatorem, creatorem, ſatoremq; animarum dici/mus: Tu Paracletus diceris, donum Dei altiſſimi, fons uiuus, ignis, charitas, & ſpi/ritalis unctio. Ecce igitur, quanto miraculo, quo ſtupore digna res ſit. ante Chriſti aduentum, antequam Mens maxima ueniſſet in mundum, audiebantur, noſcebantur illa tria principia, triplex illa maieſtas, trina Diuinitas. Quin etiam gradus in/ter eos habuere notos, primum altiſſimum, uenerabiliſſimum, ἄῤῥητον, ineffabi/lem, & quòd in ἀβάτοις, inacceſſis, in caligine habitaret, dicentes. Eoq; non erat hominibus notus, ut dixit Chaldæus, & Plotinus, & diuus Ioannes, Deum nemo uidit unquam. credebantq; ut credit cæca ſemper, & infelix ſemper Hebræorum natio, Creatorem eſſe primum illum, non habentem ante ſe quenquam. Ecce diui/no munere, & ut uerè ille inquit, allata de cœlo philoſophia, ſapientiores audie/runt Mentem creatricem, eſſe ſecundam ab illo primo, genitum ab eo, ab æterno, genitum Deum, & ipſum omnipotentem. Triaq; principia uelut nunc, quo tem/

pore

pore claruit arcana illa, paucisq; olim nota Sapientia, norant ſapientes. & Plato non fuit prior huius Sapientiæ repertor, ſed eam didicit ab Aegyptijs, à Chaldæis, ab oraculis, quæ & hæc, & alia innumera cecinerunt. Ò cæcas igitur mentes Hebræorum, ſuper quibus nemo cordatus lachrymas continere poſſit unquã. Hæc enim Mens eſt, quæ creat mundum apud Moſen loquitur cum Adam, uiſibilem ſe reddit Abrahæ, apparet Moſi in rubo, dat ei leges, cæteraq; exequitur apud Prophetas. Idcirco uocatur à Philone etiam Iudæo ὑπηρέτης, miniſter, nuntius, legatus, ut uocat Lactantius. Mittebatur enim ab illa ineffabili, & arcana Vnitate, à ſummo Bono Patre ſuo, qui habitat ἐν ἀβάτοις, in abditis, inacceſsis, arcanis, & quem ait Philo non decuiſſe uenire ad homines. Is autem erat, eſtq;, ut Paulus uocat, μεσίτης, mediator, internuntius inter nos et ineffabile principium. Ô ſanctiſſima, diuiniſſima, prima Mens, generis humani creatrix & redemptrix, quæ fuit clementia, bonitasq; tua, ut uenires in mundum, ut nos efficeres Deos, facta ipſa homo, & quæ te ſemper mundo declarasti, ea miſerata peccata noſtra, reuoces nos ad te, efficiasq; ut te in tua claritate ac diuinitate uideamus.

Quòd Proclus teſtatur Platonem de tribus Regibus in Epiſtola ſenſiſſe: & de nominibus, quibus deſcribitur ineffabile Principium, nempe Deus Pater. Cap. IX.

TEſtatur item eodẽ libro Proclus explicans Theologiam Platonicã, dogmataq; Platonis proponens, eum in Epiſtola de tribus Regibus, ſiue Imperatoribus fuiſſe locutum, ἐν δὲ βουλῇ κατὰ τρίτην τάξιν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς τίθεις, παρ' ὅσων δυνατὸν εἰς τὸν περὶ τὸ θεῖον ὠκεάνιον ἀναπέμπεσθαι, καὶ γὰρ περὶ τῶν τριῶν βασιλέων ἐν ταύταις εἴρηται: Iuxta tertiũ ordinem, ſi uelis, etiam Epiſtolas, ex quibus fas eſt ad ſcientiã Diuinitatis aſcendere, adhibe. Etenim de tribus Regibus, in his locutus eſt. Ecce Proclus cõſentit cũ cæteris Platonicis, Plotino, Porphyrio, Theodoro, Amelio, ſuper trina maieſtate, ac Diuinitate, ſuper tribus omnium rerum imperatoribus, de quibus aſſerit ſenſiſſe Platonẽ: Platonem autem eo ipſo libro fatetur à Pythagoricis, Pythagoram ab Aglaophemo, & Orpheo didiciſſe. ἅπασα γὰρ ἡ παρ' ἕλλησι θεολογία, ἡ ὀρφικῆς ἐστὶ μυσαγωγίας ἔκγονος, πρῶτα μὲν πυθαγόρου, παρ' ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος, δεύτερος δὲ πλάτων ὑποδεχόμενος ἐκ τῶν πυθαγορείων καὶ τῶν ὀρφικῶν γραμμάτων. Omnis enim, inquit Græcorum Theologia, nata eſt ab Orphei myſterijs. Primo enim Pythagora ab Aglaophemo ſacra Deorum edocto, ſecundus Plato ſecutus eſt, hauriens hæc è libris Pythagoreorum, & Orphei. Non primus igitur de tribus Regibus eſt locutus Plato, ſed priores Aegyptij, Orpheus, Pythagoras. Idemq; Proclus è ſententia Platonicorum, omniumq; ante eum Philoſophorum ex Parmenide Paltonis & omni alia philoſophia eius, elicit duo ſummi Patris genitoriſq; Dei peculiaria nomina, ab omnibus ſeculis, à Chaldæis, Aegyptijs celebrata, nouiſſimè Græcorum ſermonibus trita. Sunt autem Vnitas, Bonum, de quibus ipſe:

ἀγαθὸς

διττὸς ὁ τρόπος τῆς τοῦ ἑνὸς γνωρίσεως, διττὰς ὀνόματα παραδίδωσιν ἡμῖν ὁ πλάτων ἢ αἰρῆται ταύτης αἰτίας. ἐν πολιτείᾳ τὸ ἀγαθὸν καλεῖ, καὶ τῆς ἀληθείας τῆς ἐνιζούσης τοῖς νοεροῖς, καὶ τὰ νοητὰ πυκνοῖ ἀκρωτήριον, ἐν παρμενίδῃ δὲ ἐν ὀνόμασιν. καὶ τὸν ἑνάδων ἀκρωτήριον τοῦ θείου γένους κτλ: Duo modi sunt, quibus Vnitas ipsa demonstratur. Duo nomina tradit nobis Plato, huius ineffabilis principij. In Republica Bonum uocat, & ueritatis, quæ Mentem unit, & intellectualia, fontem demonstrat. In Parmenide uocat Vnitatem, ostendens eam creatricem diuinarum unitatũ. Sic ille. Diuinæ autem unitates sunt Angelici chori, quos in nouem distinguit Proclus, secutus, ut arbitror, & ut Græci suspicantur, Dionysium: deducit eos tamen ex Platone. De quibus aliàs. In his apparuit eum præferre Vnitatem ipsi Menti, quam sibi uniat, et copulet Vnitas ipsa. Sicq; apparent duo Pater & Filius, Vnitas, & Mens. Latissimè uerò, & pulcherrimè disputat de Vnitate, probans eam esse principium, sine qua nihil possit existere, applicans uniuersalem omnium rerum de Vnitate considerationem, ad illud ineffabile Principium. Pulcherrimeq; addit duo hæc nomina: alterum esse productionis manationisq; uniuersalis, Bonum: alterum conuersionis ad ipsum, & uti caput & fontem, Vnitatem. Sic Genitor, & Pater est Bonum producens omnia, origo, fons omnium, est item unitas, coniunctio, connexio, ad quod omnia pendent, tendunt, aspiciunt, uniuntur, diuulsa uiuere non possent, prima, sempiternaq; coniunctio, est ipsius Mentis, cæterorum alio modo, uti ad creatorẽ, autoremq; suum. Mirabilis, digna cultu, & adoratione philosophia. Et hanc Proclus non Christianus, imò Christianis inimicus, proponit ex Platone, antiquisq;. Igitur eorum insciti a, qui Christianam religionem omnium sapientissimam, uelut anilem superstitionem irridentes, nesciebant q; eam uenerari, cum primis hanc philosophiã, solamq; eam uerã eius esse possessionem et alumnã, in cuius unius thesauris perfecta tantorum mysteriorũ contineretur sapientia, coarguitur. Sed ea quæ de primo illo rerumq; omniũ supremo, ac supermũdano principio, cuius tanta sit maiestas, ut ab omnibus distet in infinitũ, dignissima Theologia nostra, et de fontibus eius quædam hausta ab eodem Proclo, audire pulchrum est: Nulla, inquit, res est ex omnibus, quoniam ab illa procedunt omnia. Principium enim est omnium, & eorum quæ sunt simul, & eorum quæ non sunt. Omnia procedunt ab illo, et ad illum conuertuntur. Hæc proclus, quæ sine dubio sunt ea, quæ prior Dionysius, à quo Græci suspicantur Proclum Theologiam suam deduxisse. Dionysius in principio sui libri: προκινήτος φωτοφανείας πρόοδος εἰς ἡμᾶς ἀγαθοειδότως φοιτῶσα, πάλιν ὡς ἑνοποιὸς δύναμις ἀνατατικῶς ἡμᾶς ἀναπλοῖ, καὶ ἐπιστρέφει πρὸς τὸν τοῦ σωτηρίου πατρὸς ἑνότητα καὶ θεοποιὸν ἁπλότητα, ἐκ γὰρ ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα, καὶ εἰς αὐτόν. Quod est, Processus à Patre manans luminis, perueniens in nos ex bonitate, rursum unifica uirtus, extentè uos replicat,

plicat, & conuertit ad Vnitatem patris unifici, & Deificam ſimplicitatem, Etenim ut ait ſacra Theologia, Ex ipſo, & in ipſum. Proclus autem: οὐδὲν ἐστὶ τῶν πάντων, πάντα ὅτι ἀπ' αὐτοῦ, προελήλυθεν. ἀρχὴ γὰρ ὅτι τῶν ἀπάντων καὶ τῶν ὄντων ὁμοῦ, καὶ τῶν μὴ ὄντων, κατὰ δ' αὖ τὸ ἕτερον, πλὴν πρὸς αὐτὸ τῶν προελθόντων ἐπιστροφὴν ἀπεικονίζεται: Nihil eſt omnium, quoniam ab illo omnia, principium omnium, quæ ſunt, quæ non ſunt. Aliæ rurſum ratione conuerſionem ad ipſum, eorum quæ proceſſerunt, ponit Plato. Ecce proceſſus, & reditus ad ſuum caput, & initiũ. Nam ſubdit: ταῦτα δ' ἔν καὶ πρός ἐστιν ἐκεῖθεν, καὶ ἐπέστραπται πρὸς ἐκεῖνο: Hæc, ait, & procedunt illinc, & reflectuntur ad ipſum. Nimirum igitur quod Paulus, Ex ipſo omnia, & in ipſum. Poſtea ſubdit Proclus: Qui igitur modi ſint docendi de primo, & quibus ipſum nominibus Plato ſignificauerit, & unde nomina, & modos hos, ineffabilis et incognite omnibus demonſtrationis acceperit, ex his arbitror perſpicuum. Oſtendit in alijs admirabilem ad omnes res & capita eorum excellentiam Plato. Omnes Deos, id eſt, angelos, ad unam unitatem congregari, pendere ex Vnitate. Hæc etiam dixit Dionyſius, ὁ τῶν καλῶν ἀπάντων αἴτιος, εἰς πάντα καταλάμπων τῷ θείῳ φωτὶ, Bonorum autor omnium, in omnia irradians lumine diuino. Sciendum autem hæc duo nomina ſummi Dei apud Platonem, Vnum & Bonum, à Chaldæis primò tradita, quod Pſellus teſtatur, μίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσι, τὴν ἓν αὐτὴν, καὶ ἀγαθὸν ἀποῤῥητόν, Vnum principium omnium opinantur, uocantes Vnitatem, & Bonum. Idem Mercurius, quod μονὰς ſit radix, cuius excellentiam inenarrabilem dicunt, ſic & noſtri ἀπερίγνωστος ἡ πρωτίστη ἀρχὴ ὑπερβολή. Hæc igitur ſunt ea quæ ſæpe noſtri dicunt, patrem eſſe fontem, & principium totius Deitatis, duorum ſcilicet Imperatorum, Mentis & Animæ.

De tribus item illis altiſsima Procli Theologia, myſteria Platonis interpretantis: & quod Platonici faciunt tria principia, quorum primum gignat ſecundum, tertiũ ſit habitus amborum Cap. X.

EOdem libro de Theologia Platonis Proclus diuinè de tribus hiſce principijs loquens, de Platone & ueris amicis eius, τρεῖς ποιεῖσι τὰς ἀρχὰς πολλαχῶ, ἀγαθὸν, νοῦν, ψυχὴν. πᾶν τὸ ὂν νοῦν προσαγορεύοντες. τὸ μὲν δὴ πρώτιστον, καὶ ἀμέθεκτον ἓν ἐπέκεινα τῶν ὅλων προϋπάρχον τῶν μετεχόντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν μετεχομένων ἑνάδων ὕμνηται δή. ἡ πρώτης ὑποθέσεως, ἁπάντων μὲν ἀῤῥήτως ἄκρον ἀποπεφασμένον, αὐτὸ δὲ ὑφ' ὁτῳοῦν ἀφωρισμένον, οὐδέ τινα δυνάμιν ἔχον, οὐδὲ ἰδιότητα συγγενῆ πρὸς τοὺς ἄλλους θεούς. μετὰ δὲ τοῦτο μόνως ὑπερούσιον καὶ ὑπαῖτιον, καὶ ἄμικτον πρὸς πάσας τὰς ὑπάρξεις, ἑνὰς ὅτι μετεχομένη μὲν ὑπὸ τοῦ ὄντος, καὶ πρὸ αὐτοῦ ὑποστᾶσα τὴν πρώτην οὐσίαν, καὶ πλεονάζασα τῇ προόδῳ ἡ μεθέξεως πάντης τὸ πρώτως ἑνός. αὐτὴ δὲ ὑπερούσιος ὕπαρξις, καὶ ἡ πρωτίστης νοητῆς τριάδος.

ὅλῳ. διὸ δὴ τούτων ὄντων, ᾧ τῇ πρώτῃ τριάδι, τῷ ἑνὶ, καὶ τῷ ὄντι, καὶ τῷ μὲν γιγνῶντος, τῷ δὲ γιγνομένῳ, καὶ τῷ τελεῖντι, τῷ δὲ τελειωμένῳ, δεῖ δὴ καὶ τῇ μέσῃ ἀμφοῖν ὑπάρχειν δυνάμεως, δι' ἧς τε μεθ' ἑκάτερα, τὸ ᾧ ὑποστατικόν ἐστι καὶ τελειωτικὸν τοῦ ὄντος. ἥτε γὰρ πρόοδος ἀπὸ τοῦ ἑνὸς, εἰς ἃ πᾶσι τὸ ᾧ ἐπιστροφὴ τῷ ὄντι διὰ τοῦ δυνάμεως. τὰ γὰρ σὺν τῷ ἑνὶ τὸ ὄν, ἢ μετεχόμενον ποιεῖ τὸ ᾧ ὑπὸ τοῦ ὄντος, πλὴν διὰ τοῦ δυνάμεως. πρόοδος γὰρ ἐστὶ τοῦ ἑνὸς, καὶ ἔκστασις ὑπὸ τὸ ὄν. τριὰς δὲ ἐστιν αὕτη, τῶν ἀκρότης, τὸ ᾧ, ἢ δυνάμις, τὸ ὄν, τὸ μὲν πρᾶγον, τὸ δὲ πραγόμενον, ἢ ἐξηρτημένη μὲν τοῦ ἑνὸς, συμφερομένη δὲ τῷ ὄντι. τριὰς δὲ αὕτη πρώτη νοητὴ, τὸ ᾧ, τὸ ὄν, καὶ σχέσις ἀμφοῖν, δι' ἣν καὶ τὸ ᾧ, τοῦ ὄντος ἐστὶ, καὶ τὸ ὄν, τοῦ ἑνός. παύν θαυμασῶς, καὶ διὰ τούτων φανερὸν ποιῶν τὸ πλάτωνος, ὅτι καὶ ὁ πατὴρ τοῦ πατρὸς ἐστὶ, καὶ ὁ νοῦς τοῦ πατρὸς, καὶ ὡς ἡ δύναμις κέκρυπται μεταξὺ τῶν ἄκρων. Tria, inquit, principia multis in locis faciunt, Bonum, Mentem, Animam, omne quod est, Mentem appellantes. Primum ac præcipuum & imparticipabile, Vnum, ultra omnia præexistens, non modò unitates eas quæ participant, sed etiam quæ participantur, laudatur per primam suppositionem. Quod omnium quidem ineffabiliter causa demonstratur: ipsum autem in nulla re existens, & ab omnibus segregatum: nullam uirtutem habens: neq; proprietatẽ propinquam cum cæteris Dijs. Post hoc autem, singulariter supersubstantiale, et supereminens, et imparticipabile ad omnes substantias, Vnitas est, participata quidẽ ab eo quod est, & circa ipsam primam substantiam subsistens, abundansq; adiectione participationis huius, quod primo Vnum est. Hæc autem est supersubstantialis existentia, & primæ intelligibilis Trinitatis. Duobus igitur his existentibus, in prima Trinitate, nimirum Vnitate, et Ente, primáq; gignente, secundo generato: & illa quidem perficiente, hoc autem perfecto: oportet sanè mediam amborum existere potentiã, per quam, et cum qua, Vnum substantificũ est, & perfectiuũ ipsius Entis. Nam et processus est ab Vno, et ad Vnum ipsius Entis conuersio per potentiam. Quid enim aliud cum Vnitate Ens, aut participatũ facit Vnum ab Ente, quàm potestas? Processus enim est Vnitatis, & extensio ad Ens. Trinitas igitur est hæc, intellectualium fastigium. Vnitas, potentia, ens. Alterum producens, alterum productũ: Potentia uerò pendens ab uno, coniuncta cũ Ente. Trinitas igitur hæc prima intellectualis Vnitas, Ens, & habitus amborum, per quem & Vnitas Entis est, & Ens Vnitatis. In his stupendè demonstrante Platone, quòd & Pater, Mentis est Pater, & Mens Patris, & quòd Potentia occultata est inter supremas. Hucusq; Proclus. Quæ facilè patebunt, si totius dogmatis, quod superius ab omnibus Platonicis afferebatur, ordinẽ meminerimus. Nomen Patris æterni, primæq; originis & fontis totius deitatis est Vnitas. Nomen coæternæ Prolis, est, Ens, substantia, Mens. Nam etiam Proclus affirmat Platonem ostendisse Mentem Patris esse,

Patrem

Patrem autem, Mentis genitorem, ceu correlatiua ſint Pater & Mens, inter quæ ſit potentia, quæ dicitur à noſtris Amor utriuſq; Proceſſus ab utroq; Duobus nominibus appellat ſpiritum ſanctum, Animam, Potentiam. Hæcq; tria coæterna, ineffabilia principia dicuntur, Bonum, Mens, Anima. Dicuntur Vnitas, Ens, Potentia. Dicuntur tres Imperatores, tria Numina, tria Principia. Dicitur Secundum à Primo Patre, & Genitore ſuo naſci: Tertium dicitur Poteſtas, Habitus amborum: À noſtris Amor, Proceſſus ab ambobus. Dicitur ipſe Genitor, Fonsq; totius Diuinitatis, ſegregatus ab omnibus, altißimus, ultramundanus, ineffabilis, à cæteris Dijs diſiunctißimus, ſupra omnia incommunicabilis, imparticipabilis. Dicitur item Vnitas aut Pater gignere. Ens autem, uel ipſa Mens, & Subſtantia gigni. Vocatur enim, ut ſæpenumero dixi, ſecundum principium τὸ ὄν, ipſum Ens. Et Proclus ipſe declarat appellari à Platonicis Mentem πᾶν τὸ ὄν, uniuerſalem exiſtentiam. Eſt autem Vnitas participata Mens ipſa, quia Filius eſt imago Patris, character ſubſtantiæ, ſplendor claritatis eius. Proles ergo eſt Vnitas, eſt eadem atq; Genitor ſubſtantia, ſed genita tamen, & manans ab illo. Ob id Vnitas participata. Dicerent noſtri, Vnitas genita, non ingenita, quemadmodum prior, ſed Vnitas tamen, quòd ſubſtantia ſua eſt ſubſtantia Vnitatis. Perficitur item Secundum à Primo, & ſubſtantialiter manat, quòd omnia bona Secundi ſunt à Primo. Repetit eadem tria principia, quorum Primum generet, Secundum generetur, Tertium uerò à Primo, & Secundo eſt, amor utriuſq; potentia. Hæc illi conſtanter aſſeuerant, & Platonem ea mirabiliter docuiſſe prædicant. Admiranda profectò myſteria.

De tribus ſubſiſtentijs, ſiue principijs, ex Plotino: & quod non ſint plura, neq; paucíora. Et quod hæc cognitio potius diuina eſt, quàm ratione demonſtrabilis. Cap. XI.

Sed quoniam Plotinus, præter ea, quæ paulò antè poſita ſunt, multa diuinitus de tribus hiſce Principijs, aut Numinibus ex Theologia Platonis, aliorumq; qui ante eum floruerunt Platonicorum ſcripſit: è quibus, Porphyrio teſte, fuerunt, quorum ſcripta aßiduus legeret Seuerus, Cronius, Numenius, Caius, Atticus, Longinus, Philarchæus, qui, ſicut ante hos omnes clariſſimus Philo mira, & inaudita quædã de Verbo diuino, ac progenie diuina tradidit, ſic prodidere iſtius modi plurima: examinanda ſunt ea, et proponenda, ut totius ueritatis concentus, perpetuaq; ab initio generis humani ueræ theologiæ ſucceßio audiatur. In libro contra prognoſticos: ἐπιδὴ τοίνυν ἐφάνη ἡμῖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἁπλῆ φύσις ἡ πρώτη. πᾶν γὰρ τὸ δεύτερον τοῦ πρώτου, οὐχ ἁπλοῦν, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ, ἀλλ' ἓν τι, ἡ τοῦ ἑνὸς λεγομένη φύσις ἡ αὐτὴ, ἡ γὰρ αὐτὴ οὐκ ἄλλο, εἶτα ἓν, οὐδὲ τοῦτο ἄλλο, εἶτα ἀγαθόν, ὅταν λέγωμεν τὸ ἓν, ἡ ὅταν λέγωμεν τὸ ἀγαθόν, ταύτην δεῖ νομίζειν τὴν φύσιν, καὶ μίαν λέγειν, ὃ κατηγοροῦντας ἐκείνης οὐδὲν, πλοῦντας δὲ ἡμῖν αὐτοῖς ὡς οἷόντε. ἡ τὸ πρῶτον δ' ὅτως, ὅτι ἁπλοῦν ἐστιν, καὶ τὸ αὐτάρκες, ὅτι οὐκ ἐκ πλειόνων. ὅτω γὰρ ἀναγκαῖον ἐστὶν ὡς τὰ, ἐξ ὧν, καὶ ὅτι ἓν τι ἄλλο. ὅτι πᾶν τι ἄλλο καὶ παρ' ἄλλου.

ἐ δ᾽ ὂν μὴ πᾶ᾽ ἄλλο, μηδὲ ὢν ἄλλῳ. μηδὲ σώθεσις μηδὲ μία. ὃ τὶνυμ δὲ ἐφ᾽ ἑτέρας ἀρχὰς ἰέναι, ἀλλὰ τοῦτο προσκαμβάνος, εἶτα νῷ, μετ᾽ αὐτὸ νῷ τὸ νοῦν πρώτως. εἶτα ψυχῇ, μετὰ νοῦν. αὕτη γὰρ τάξις ἡ φύσιν, μήτε πλείω τούτων τίθεσθαι ὢν ὄντ᾽ νοητῷ, μήτε ἐλάττω. εἴτε γὰρ ἐλάττω, ἢ ψυχὴ καὶ νοῦν ταυτὸν φήσουσι, ἢ νοῦν καὶ τὸ πρῶτον. ἀλλ᾽ ὅτι ἑτέρα ἀλλήλων, ἐδ᾽ εἴχθη πολλαχῆ. Quæ sunt: Quoniam apparuit nobis Boni natura simplex & prima. Omne enim quod non est primum, non est simplex: Et nihil habens in se ipso alia, Vnum est quid. Et eius quod dicitur Vnum natura eadem. Etenim hæc ipsa non est aliud, deinde Vnū. Neq; hoc aliud est, deinde Bonū, quū dixerimus Vnum. Et quū dixerimus Bonum oportet eādem sentire naturam, et Vnū dicere, nō prædicantes de ea quicquam: sed declarantes nobis ipsis, ut possibile est. Ac primum hoc modò, quod sit simplicissimū, & sufficiens per se, quod non sit ex pluribus. Sic enim attolletur in ea, ex quibus, & non erit in alio, Quoniā quicquid in alio est, etiam ab alio. Si igitur non ab alio, neq; in alio quidem sit. Neq; compositio ulla. Necesseq; est super ipsum nihil esse. Non est igitur cur ad alia principia eatur: sed hoc præposito, deinceps Mens statuenda, & id quod primo intelligit. Deinde Anima post Mentē: Is enim ordo est secundum naturam: neq; plura hic, in intellectuali, neq; pauciora. Si enim pauciora, aut Animam, & Mentem idem dicent, aut Mentem & ipsum primum. Sed quòd alia sint ab inuicem, ostensum sæpenumero. Si plura, & cætera, quæ sequuntur, Plotinus ex prisca Platonis, Platonicorūq; omnium philosophia, in qua peruenitur ad unum singulare, simplicissimumq; principium, Bonum et Vnum: Bonum, quia fons omnium rerum, et principium: Vnum, quia solitarium, simplicissimū, ab omni externa re segregatum, totū ipsummet, nō uaria natura. Tota una Bonitas, & una bona, simplexq; Vnitas. Hæc omnis ratio clara, cui ucl ipsa natura facem ac lucem præbeat, ut ab ea ipsa penè declaretur. Huic cùm sit summa simplicitas, cui etiam adiunctum quoq; est id quod à philosophis & ab Aristotele inducitur, quod dicitur ab illis αὐτάρκες, per se sufficiens, sibi suppetens, se ipso contentus: consequitur ut nihil habeat aliunde, habens omnia ex quibus posit esse contentus: contentus autē ex seipso, non ex alienis bonis. Sicq; ascendit, superq; greditur ea, quæ faciunt aliquam compositionem, & farraginem, ac quasi corpus, effugiens eam, imò supergrediens infinita bonitate, & affluentia propriorum bonorum. Efficiturq; ut nec in alio sit, à quo contineatur, nec ab alio procedat. Hoc erit nobis, inquit, primum ac singulare principium: post hunc sequetur Mens, quæ uocatur à sacra philosophia sapientia. Hæc dicitur primò sapere, primò & principaliter intelligere, quia ut Chaldæus dicebat, uocatur à cunctis hominibus prima sapientia, prima intelligentia. Vocatur autem, quia nesciebant eam habere, qui eum antecedat. Istud igitur primum Intelligens, non dicitur respectu Boni ac prioris, in quo est exquisita sapientia, & quem Chaldæus & Trismegistus dixerant,

xerant, cùm eſſet prima Mens, Intelligentia, genuiſſe ſecundam. Dicitur ergo primum Intelligens, ratione noſtri, ſicut habuit peculiare apud uetuſtiſſimos nomen Mentis. Subſequitur tertium principium Anima. Hi ſunt igitur tres illi Reges, tria Numina, tria Principia, circa quæ cuncta docuit eſſe Plato. Illud autē in Plotino obſeruare operæpretiū eſt: primum quòd hæc ait eſſe altera ab inuicem: deinde quòd quaſi naturalibus rationibus probat neceſſariò neque plura eſſe, neque pauciora principia. De primo dicendū. Cùm altera fatetur eſſe ab inuicem, ſciendū eſt, eum non ſentire tantam alteritatem, ac diuiſionē, quanta diuidat ſubſtantiam, duoq; ſeparata numina conſtituat. Quod ne cogitari quidem poteſt. Nec fuit ferè philoſophorum quiſquā, modò philoſophi nomen mereatur, cui non placuerit unū caput, una origo. Cùm autem ſuperiores tribuant Menti quanta poteſt tribui diuinitas, ut quam ſuperius ex ſententia Platonis Porphyrius dixerat coæternam, natam ante omnia tempora & ſecula ex ſummo Bono, eamq; dixerat per ſe Patrem, Principium omnis pulcritudinis, totq; ei dotes tribuerat, quot concurrant ad declarationem primæ, ac ſempiternæ Diuinitatis: ad hæc cùm Triſmegiſtus, hoc ſecundum principium, quod & Mens, & Verbum à priſcis dicitur, undique perfectum, opificem mundi, primam uirtutem, increatam, ἀπεράντου, infinitam, perfectiſſimi Patris perfectiſſimam prolem, legitimum Filium, ſempiternam originem uitæ, inaugmentabilem, incorruptibilem, ſui ſemper ſimilem, æqualem, qui de naturæ ſuæ ſtatu nunquam decedat: cùm his inquam nominibus appellauerint Mentem, ſecundum Principium, & cùm hæc declarent eandem atque ſummi Boni Diuinitatem (Nam ſi ſummum Bonum deſcribas, non habueris aliud, quod de eo prædices, cogeriſq; repetere hæc omnia, quæ Mente tribuiſti, eo excepto, quòd Bonum à nemine habet, à nemine oritur) profectò fiet, ut æquè ſit Deus Mens atq; ſummum Bonum. Sed cùm neq; poſſint eſſe, neque natura ferat, duas ſeperatas Diuinitates, duo capita, duos creatores, certè nō poſſunt ſeparata dici duo hæc principia. Huc adde quòd Triſmegiſtus, Porphyrius ex Platone, Philo Iudæus nobiliſſimus Platonicus, hanc Mentem, et ſecundum Principium uocant, declarant, conſalutant γνήσιον υἱὸν, legitimum Filium ſummi Boni. Non poſſunt igitur eſſe ſeparati Pater et Filius, cùm in utroq; ſit eadem Diuinitas, & Pater æterno deuictus amore, genuerit, gignatq; Prolem, & Proles eodem amore ardens, uelit naſci. Quæ ſunt illi ingenuè confeßi. Quare quod Plotinus dixit ἕτερα εἶναι, altera eſſe ab inuicem: aut intelligendum eſt, quòd ſint duo Principia, ſicq; fiat ut ſint altera: noſtraq; Theologia dixiſſet emendatius, alteros quæ nominum diſtinctio inuenta nondum fuerat, aut ſi ſeparet eorum ſubſtantiam, quæ eſt Diuinitas, dicam Ariſtoteli tritum, apage ἀφιλόσοφον, caret philoſophia, non ſapit naturam, non redolet rationem. Diſcedit non à conſideratione modò, ſed etiam à philoſophia maiorum: cùm et Triſmegiſtus & Plato, Mentem, & τὸν αἴτιον, autorem, cauſam, principem, declarent legitimam Dei, & coæternam progeniem, in quo eſt coniunctio Diuinitatis.

Denique clarus est Plotinus, quid senserit. Nam in libro de Tribus principalibus substantijs expressè confessus, ipsum Bonum, & Mentem, unum, idemq; esse, ut apparuit in primo libro. Alterum quod aduertendum est in Plotino, quibus utitur rationibus, quibus probet nec plura, nec pauciora esse Principia, non esse omnino, ut Græcis nonnullis item uidetur, synceras, uetustamq; Philosophiam redolentes, sed habere aliquid commentitium. Reuelata est, & prædicata ineffabili modo Diuinitas trium Numinũ, tres Reges, aut Imperatores: quomodo autem sint, & quæ causa faciat ut sint tria, non pura, aut pauciora, non credo mortalem scire posse, fortasse nec Angelum. Minus item fas est, deducere prorsus ex consideratione, & creatione rerum nostratium, hoc triplex imperium: quia uideretur æterna principiorum, & causatorum connexio. Quare fatendum est supergredi mentem humanam rationem trium Numinum: datam autem diuino munere terris hanc lucem, ut Deum sum noscerent. Ad hæc, huius sententiæ Plotinum fuisse, non esse duo illa, substantia separata, probabo ex uerbis eius, quibus in primo libro eximijs laudibus eam quæ uocatur Mens, extulerat. Atq; ibi uocauerat secundum, & primum Numen, quod hic ἕτερα. Necnon genitam Mentem à primo dixerat, sed primum non indigere secundo, secundum autem primo, quia nascitur ab eo. Quibus apparet eũ non separationem quasi duorum hominum, sic duorum Deorum induxisse: sed uti duorum, quorum cum sit eadem omnipotentia, maiestasq;, sit item necessariò Diuinitas, uoluntas, consiliumq; idem. Quod quoniam difficile ab hominibus intelligitur, desunt uerba, quibus exprimatur, sicut nec perfectè contingit cogitatio. Quocirca nominibus, & modis usitatis utentes dixerunt eos duos Deos.

Profunda Theologia Plotini de tribus subsistentijs: & quod à Primo sit omnis sapientia Diuinitasq; Secundi. Cap. XII.

PLotinus item scripsit librum περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, de Tribus principalibus subsistentijs, in quo summum Bonum, ipsamq; excellentissimam Vnitatem, ex priscorum Philosophia facit primam hypostasin, secundam ipsam Mentem, tertiam Animam mundi, ut superius ostensum: Animamque uiuificatricem, animatricem omnis uitæ, nullum toto mundo esse animal, quod non acceperit ab ea uitam, ab hac omnem uim substantiámque omnem suppetere: sine ea cœlum nec uim habere potuisse uiuificantem, nec motum, quòd ea sit omnis mundi concitatio, cuncta complexa, similis genitori suo Menti: præcipuè enim prædicat Mentem genitricem Animæ: eamq; uocat Imaginem Mentis, ut uerbum simulachrum animi, innuens sic propè produci animam à Mente, sicut ab animo producitur oratio: nostrarumq; literarũ est, imaginem utriusque esse Spiritum. Item Plotinus esse ipsam operationem, opus ipsius Mentis, subsistentiámque ei à Mente esse. Illud, ut dixi, non est uerum, nec clarè comprehensum à Plotino, Opificem Mentem, cuncta, etiam Animam creasse. Quasi satus

unus

mus fuerit rerum atque Animæ. Nam si Principium, si Rex est tertius, si Deus, utique sempiternus. Etsi Plotinus longè differre naturam istius Tertij à cunctis reliquis creatis contendit, certè differt, quia Deus. Et si dat uitam, dat motum, fecit moueri cœlum, quo modo feciſſet, niſi Deus eſſet? Quis enim largiri poteſt, & inſpirare uitam, præterquam Deus? Et quis poteſt omnium animalium eſſe animatio, niſi Deus? Cuius eſt omnium rerum continuatus motus, niſi Dei? Et ſi is eſt, ut Marcus Tullius ait, Spiritus diuinus, num Deus unquam ſine Spiritu ſuo potuit eſſe? De Mente quoque loquitur ea, quæ ſuperius, ipſam à bono naſci, perfectum à perfecto, magnum à magno, ſecundum à primo, numerum ab unitate ſimpliciſſima, Mentem gignere τὸ ὄν, ipſum Ens cogitando, incidere ei ſpeciem, formam, eſſentiam cunctarum rerum. Perfectiſſimum eſſe Bonum, maximum autem & ſecundum poſt Bonum eſſe, Mentémque eum aſpicere, & indigere eius, Bonum Mentis minimè. Quod ab optima Intelligentia, uel Mente generetur, Intelligentiam uel Mentem eſſe. Patrem ſcilicet, ut dicebat Chaldæus, eſſe optimam Mentem, ſiue Intelligentiam, quæ optimum tantundem genuerit ſecundam. Meliorem eſſe omnibus Mentem, ſicut poſt Mentem ſit Anima uti Verbum eius, quaſi & ſimulachrum, quæ & in ipſam Mentem reſpiciat, eamq; deſideret. Eſſe autem unum, idemq;, ſolaq; alteritate differre, Genitorem ac Genitum. In libro autem, quem inſcripſit, Quo modo conſtitit Idearum multitudo, & de Bono, hæc ad alia inquit: Veſtigium uitæ eſt etiam ueſtigium Mentis. Illic autem archetypum boniforme: quoniam in ſpeciebus bonum habet. Alterum enim eſt Bonum, alter autem Bonus, in ſpeculando uitam habens: ſpeculatur autē Boni boniforma exiſtentia, quæ conſiderantur et ipſa, quæ poſſedit, quando ſpeculabatur Boni naturam. Venit autem ad ipſum, non tanquam illic eſſet, ſed ut ipſe habuiſſet. Principium ille eſt, & ex illo in iſto: & iſte qui fecit hæc ex illo. Neq; enim fas erat reſpicientem in illum, nihil intelligere, neq; rurſum ea erant in illo. Neq; enim ipſe generabat. Vim igitur ad generandū habuit ab illo, quæ non habebat ipſe: ſed ex uno ipſo, multa huic. Hæc Plotinus. quorum eſt ſenſus, Omnem ſapientiam, omnem creandarū rerum ſcientiam, & potentiam, omnē prolificationem, fœcunditatem, plenitudinem bonitatis Mentem habere à Genitore ſuo, quem reſpiciens fiat ſapiens, à quo perueniat in ſe tota bonitas eius & ſapientia. Ille Principium. In Mente eſt archetypum boniforme, quoniam archetypum eſt uniuerſalis rerum ſubſtantia, contenta in æterna Mentis ſapientia, eaq; à patre eſt in filio, quem pater genuit ſapientiſſimum. & quia non eſt aliud archetypū, niſi ipſum Verbum & Mens: Verbum autem eſt boniforme, hoc eſt, ſimilimum patri ſuo Bono, ea de cauſa archetypum etiam eſt boniforme. Nec aliud eſt archetypum, quàm ipſa Mēs boniformis. Eſt igitur hoc archetypum formarum plenitudo, et ipſa Mens. Primus quidem & ſummus Genitor eſt ipſum Bonum: Filius autem eſt bonus: nempe neſcio quid plenius ipſum Bonum, quàm bonus, quod eſt accepta bonitas, à bonitate

illa prima. Bonus qui eſt ipſa Mens, uitam habet in ſpeculando, ut Ariſtoteles etiam dixit, ſpeculando inquam patrem ſuum, ſeq; ipſum. Speculatur autem uel contemplatur ſeipſum, quando plenitudinem Diuinitatis ſuæ, & omnem ſcientiam contemplatur, quam à patre & ipſo bono habuit, per generationem, & contemplationem. Itaque & ſeipſum, & Genitorem ipſum contemplatur. Omnis autem doctrina filij uenit à patre, qui principium eſt, à quo in ſecundo ſunt omnia, creauitq; Mens omnia, ex patre nacta uim & ſapientiam, ac facultatem. Accepit igitur à patre cunctam generandi ſiue creandi uim, & potentiam, quam ſine illo non habuiſſet, ut rectè poſſit dici ex genituris & uiribus Dei, id eſt, à Deo, ſapientiſſimam Mentem, quam genuit Deus, mundum feciſſe. Hæcq; fuit ueriſſima cauſa mundi, & hæc duo principia, uelut unum: quoniam non ſunt duo Dij ſeparati, ſed ſecundus à primo natus, & cum eo bonis ſempiternis locupletatus. Paulo inferius ſimilia refert Plotinus: Repletus quidem, ut habeat, quod aſpiciat. Reſpiciens autem ipſa cum lumine, ab eo, qui dedit illa, & hoc reportans. Ob hoc non ſolum dicitur ſubſtantiæ, ſed & ut uideatur ipſa, cauſa ille. Sicut Sol, ut uideatur à ſimilibus, & ut naſcantur, cauſa quum ſit, cauſa quoq; eſt uiſionis, qui neque uiſio ſit, neque res ipſæ. Sic & Boni natura, cauſa ſubſtantiæ & Mentis exiſtens, & lumen, ex proportione his, quæ illic ſunt uiſibilia, & uidenti neque entia, neque Mens eſt, ſed cauſa horum, & ut intelligantur, lumine ſuo præbens & ipſi Menti, & ipſis Entibus. Paulò pòſt inquit: Mens generata, ipſa apparuerunt. Venit autem ad Mentem, & uitam, ab illo. Ex efficacia enim ab illo, ſubſiſtit. Mens quoque per illum, & Idearum pulchritudo illinc, omniáque ipſa Deiformia, & Vita, & Mens, & Idea. Non procul inde Plotinus: & Mentem quidem ſupergreditur. Non poteſt ſupra Bonum excedere, quoniam nihil eſt ſupergrediens. Deinde: Si enim ex hoc omnia, nihil eſt illo melius: inferiora autem omnia. Optimum autem omnium, quo modo non Bonum eſt? Et quidem neceſſe eſt Boni naturam per ſe ſufficientiſſimam, & non indigam alterius cuiuſquam. Plotinus repletam uocat Mentem, quam prolificis formis à patre repleri contendunt, affirmatq; Mentem aſpicientem, contemplantemque ſuperiorem, non modò diuina ſapientia repleri, ſed lucem item inenarrabilem referre. Quocirca Genitorem non modò ſubſtantiæ, nempe Ideæ, cauſam iure uocari, ſed etiam autorem, ut ea ipſa uideatur, quum nec Idea ſit ipſe, nec Secundus, proles nempe ipſe ſua. Quemadmodum Sol infundens largam rebus uiſionem, nec uiſio eſt, nec res ipſæ: ita patrem quum nec uiſio, nec res uiſa ſit, nec ſecundum Mens, præbere tamen ut ea ipſa ſint, & uideantur. Denique & uita, uidelicet fons ipſe uitæ proles Dei, Mens que, uenit à primo per illum & Mens, & Idearum pulchritudo. Proinde Genitori ſuo Bono aſſimilantur, ſuntque ἀγαθοειδῆ, Boniformia: tria ſcilicet, ſed unum, Vita, Mens, Idea. Quocirca ſupereminet omnia ſummum Bonum, cuius eſt, rerum prima & perennis ubertas, ipſe nullius indigus. Poſt multa Plotinus eodem libro, de pulchritudine

ſummi

ſummi Boni loquens, quod Plato cauſam omnium pulchrorum dixit: Quod deſiderabile eſt, inquit, carens forma & figura, omnium eſt deſiderabiliſſimum, & amabiliſſimum. Hic enim non amori finis, quoniam nec finem habet amatum. Itaq; & amor infinitus, & pulchritudo eius alterius generis, & uenuſtas ante omnem uenuſtatem. Flos & uirtus omnis pulchritudinis, pulchritudo καλοποιὸς, pulchrifica, principium, & finis omnis pulchritudinis, id pulchrum reddens, cuius eſt principium. innuit autem Mentem à Genitore æterna pulchritudine clarificatam. Effecit autem eum pulchrum, non in figura & forma, quippe & ipſum clarificatum figura caret. Itaque ſine figura oportet eſſe φύσιν τὴν πρώτην, primam naturam, ut non ſit mirum, ſi uehementiſſimis inflammat amoribus. Quippe & anima cùm ualidum concepit amorem, omnem, quam habet, abiicit formam. Itaque Mens contemplatur, quaſi Mens effecta, uerſaturq; in loco eximiæ uenuſtatis. Sed quum uiderit τὸν θεὸν, Deum, omnia dimittit, amplectiturque illum ſolum, & contemplatur: Vt qui regium intuens palatium pucherrimum, ſi prodeat rex, diſſis ſpectaculis illis, in hunc unum ora conuertat. Eſſetq; uera ſimilitudo, niſi quòd is, qui ibi contemplatur, eſt homo, innuens, qui contemplatur ſupernè, Deum eſſe. Denique de tribus numinibus concludit Plotinus, declarans quæ de tribus Regibus in Epiſtola prodiderat Plato. Neque, inquit, ſecunda addideris primo, neque tertia ſecundis: Sed ſecunda circa primum ſtatuas, tertia circa ſecundum. Sic enim dabis unicuiq; ſuum locum, poſterioraq; illis applicabis, ceu illa circum currant in ſe ipſis exiſtentia. Quocirca rectè circa omnium Regem cuncta dicuntur eſſe, & illius nomine omnia, quippe qui cauſa ſit illis exiſtendi, eumq; appetant alium ab eis exiſtentem. Itaque Anima ad Mentem, Mente ad Bonum applicata, ſic omnia in illum deſinunt per media, alia quidem propius, alia poſterius, ad extremam reuocatis ſenſibilibus ipſam Animam. In libro quoque de Bono & Vno, de Mente hæc ait: Mentem quietam, & inagitatam motionem dicendum, omnia habentem in ſeipſa, & omnia exiſtentem, multitudinem inſeparabilem, rurſumq; diſcretam. Sentit autem Plotinus principium, fontemq; rerum, quas ſinu & ſapientia ſua complectatur, Mentem eſſe. In quibus, & id genus omnibus (paucos enim quaſi flores, ex amœnis campis decerpſi) etſi haud aſſeram puriſſimum ueritatis fontem fluere, erit tamen ex his intelligere hodiernam rerum diuinarum philoſophiam, abſtruſum, arcanumq; priſcorum temporum myſterium, nouiſſimis ſeculis cœleſtis beneficio penitus patuiſſe: & quæ antea mundus non cognouiſſet, aperta melius & enarrata à Filio Dei claruiſſe.

De trina Diuinitate ex Numenio, & quod ſuper his ſanctè caſtèq; loquendum eſt, & de eorum mutua indiuiſibilique ſubſtantia. Cap. XIII.

DIxi Plotinum, Numenium, cui perpetuum ſtudium impenderet, facile perſuaderi poſſe, in omni Theologia fuiſſe, ceu præceptorē imitatū. Is igitur ante Plotinum,

num, Porphyrium, Amelium, Proclum, hæc de tribus Hypoſtaſibus, aut Numinibus ſcripſerat: τὸν μέλλοντα συνήσειν περὶ θεοῦ πρώτου καὶ δευτέρου, χρὴ πρώτερον διειλέσθαι ἕκαστα ἐν τάξει, καὶ ἐν ἡσυχίῃ τινὶ. κάρτιστα, ἑπτὰν λόγῳ, ἤδη εὖ ἐχόν τότε ἂν χειρεῖν ἐπεῖν κοσμίως. ἄλλως δὲ μὴ θεὸν δὲ προσκαλεσάμενος αὐτοῦ γνώμονα γνωόμενον, ὃς λόγῳ δεῖ ξαι θυσαυρὸν φροντίδων. ἀρχώμεθα δ' ὅτως. ὁ θεὸς ὁ μὲν πρῶτος ἐν ἑαυτῷ ὤν, ὅλην ἁπλοῦς, ὡς ἑαυτῷ συγκινόμενος δι' ὅλα, μηδ' ἑπότε ἧν διακριτόν. ὁ θεὸς μὲν δὴ ὁ δεύτερος καὶ ὁ τρίτος, ὅλην εἷς. κἀγὼ δ' ἅμα ὀργῶντ' δὲ θεῦ, χρὴ, ἐὰν νομίζεσθαι πατέρα τὸν πρώτον θεόν. Latine autem: Qui cogniturus eſt de primo Deo, & ſecundo, oportet prius diſtinguat ſingula in ordine, & quadam animi tranquillitate. Tum ſi bene habere uideatur, aggredi ad dicendum decorè. Aliter abſiſtendum. Inuocato igitur Deo ſibi conſcio, uerbis aperire theſaurum cogitationum. Incipiamus autem ſic: Deus primus quidem in ſe ipſo exiſtens eſt ſimplex, quòd ipſe ſibi ubique coniunctus eſt, nec uſquam diuiduus. At & ſecundus Deus, & tertius eſt unus. Verum oportet noſſe, Patrem primum Deum eſſe, præ Opifice Deo. Hæc Numenius. In quibus primum eſt, quòd quemadmodũ Plato in epiſtola, de tribus Numinibus, et in alia, de Cauſa, & Patre locuturus, præfatus eſt, & quemadmodum de eiſdem dicturus Orpheus, præmonuit.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Dicam quæis fas eſt, claudatur porta profanis.

Sic præfatus eſt Numenius, grandia myſteria traditurus. Præfatus autẽ eſt, oportere cùm de his narraturus accedas, eſſe te animo hilari, compoſito, tum ſeparare quæq; ſeorſum, ne primũ cum ſecundo commiſceas, & confundas: quoniã plericq; hæc duo Numina non dignoſcentes (Deum enim nemo uidit unquam: ſed Filius qui eſt in ſinu Patris enarrauit) non crediderunt alterum eſſe primum ac genitorem, ſupremam mundi, rerumq; æternarũ arcem, alterum genitũ atq; opificem, ſecundum ab illo, ut Sabelliani. Hæc oportere diſiungere præmonet, et ſcire quid Primi, quid Secundi ſit, prius noſcentem eſſe Primum & Secundũ. Quod quidem non facilè aſſequaris, niſi ope diuina implorata. Hanc autem reconditã, eminentiſſimamq; ſapientiam appellat Theſaurũ arcanæ meditationis, in qua pretioſiſſimi theſauri abſcondantur. Sic & diuus Paulus, in Deo theſauros abſonditos dicit. Atque Deum primum, iuxta Pythagoram, Empedoclem, omnemq; Platonicã familiam, narrat eſſe ſimplicem, indiuiduum, qua de cauſa per totam maiorũ Theologiam dictus eſt ipſum Vnum, quod propriè nomen Primi eſt. Verum ab hac eadem ſimplicitate, quoniã eadem eſt diuinitas, ne Secundus etiam ac Tertius abſunt. Sunt igitur et ipſi Vnum, Primus eſt ſimplex, Secundus & Tertius, Vnus, quibus nominibus eadem natura ſubeſt. Sed illud cum primis noris, inquit, etſi Pater, atq; Opifex idem ſint, eadem ſubſtantia, parq; et inſeparata Diuinitas, Patrẽ tamen iure uocari priorem, quoniam

quoniam Mens ab ipſo, non ipſe à Mente. Nec talis inter eos ordo, qualis duorum, alterius ab altero nihil habentiũ: ſed qualis, ſi fas eſt mortalibus exemplis abuti, patris alicuius, ac prolis: uel quod in omni Theologia celebre eſt exemplũ, qualis Solis, ac lucis, à Sole naſcente luce ac radiante, non à luce Sole quicquã accipiente: Sic Proles Opifex, etſi tantus ſit, quantus Genitor, nihilq; ſibi deſit paternorũ bonorum, à Patre tamen iubar Diuinitatis ſuæ relucet. Et is patrijs imperijs obſequitur, cuius ſub pedibus omnia ſubiecit. Et quanquã eſt Opifex etiam Deus, eſt tamen ab illo, qui eum genuit Deum. Similia quædã dixerunt illi, narrata melius, et declarata aduentu Filij Dei. Quanquã hæc lux, quæ uenit in mundum, & ad propria, palatiumq; ab ſe quondam creatũ, non fuit agnita ab his, quorum excæcauit oculos malitia: & dilexerunt quondam homines, ſicut diligunt, magis tenebras, quàm lucem.

De trino Deo, ternaq; Diuinitate ex Calcidio, quo ſenſa ſuperiorum Platonicorum declarantur. Et quod Primus eſt ſummum Bonum, Secundus Mens, Prouidentia, Sapientia æterna, Tertius Intimator & Anima mundi. Et quod tres has perſonas, & hypoſtaſes aperte & diſtincte fateantur. Cap. XIIII.

HAnc admirabilem Platonicorum, priſcorumq; Theologorum, atque oraculorum, & per ſucceſſionem omnium ætatum traditam de triplici Deo Philoſophiam legit & agnouit, produxitq; in medium Chalcidius Platonicus ſuper Timæum. Cuius hæc uerba ſunt: Vt igitur breui multa complectar, iſtius rei diſpoſitio talis mente concipienda eſt: Originem quidem rerum, ex qua cæteris omnibus quæ ſunt, ſubſtantia miniſtratur, eſſe ſummum & ineffabilem Deum. Poſt quem Prouidentiam eius, ſecundum Deum, latorem legis, & utriuſque uitæ, tam æternæ, quàm temporariæ. Tertiam eſſe porrò Subſtantiam, quæ ſecunda Mens Intelligiq; dicitur, quaſi quædam cuſtos legis æternæ. His ſubiectas fore rationabiles animas, legi obſequentes. Miniſtras uerò poteſtates, naturam, fortunam, caſum, & Dæmones inſpectores ſpeculatoresq; meritorum. Ergo ſummus Deus iubet, Secundus ordinat, Tertius intimat. Animæ uerò legem agunt. Lex porrò ipſum fatum eſt. Hæc ille. Paulò autem ſuperius Plato ueritatis inſtinctu locutus eſt, Principio, cuncta quæ ſunt, & ipſum mundum contineri, regiq; principaliter quidem à ſummo Deo, qui eſt ſummum Bonum, ultra omnem ſubſtantiam, omnemq; naturam extimatione, intellectuq; melior, quem cuncta expetunt, cùm ipſe ſit plenè perfectionis, & nullius ſocietatis indigus: de quo nunc plura dici, exorbitare eſt. Deinde à Prouidentia, quæ eſt poſt illum Summum ſecundæ eminentiæ, quam προνοῦν Græci uocant. Eſt autem intelligilis eſſentia, æmula bonitatis, propter indefeſſam ad ſummum Bonum conuerſionem. Eſtq; ei ex illo bonitatis hauſtus, quo tam ipſe ornatur, quàm cætera, quæ ipſo autore honeſtantur. Hanc igitur Dei uoluntatem, tanquam ſapientem tutelam rerum omnium, Prouidentiam homines uocant, non, ut plerique exiſtimant, quia præcurrit in uidendo, atque intelligendo, prouentus futuros, ſed quia proprium eſt diuinæ mentis, intelligere, qui eſt prior mentis actus. Et eſt Mens Dei æterna. Eſt igitur Mens Dei de intelligendo

æternus

æternus actus. Sequitur hanc Prouidentia, Fatũ, lex diuina promulgata intelligentiæ ſapienti modulamine ad rerum omnium gubernationem. Huic obſequitur ea, quæ ſecunda Mens dicitur, id eſt, Anima mundi. Hic fatum. Hæc quidem Calcidius, quibus profunda Platonicæ Theologiæ myſteria, cæterorumq; item Platonicorum, & omnium, qui de rebus diuinis locuti ſunt, enodauit. Hic igitur expreſſè nominantur, recoluntur illa tria Numina, tres Imperatores, trinus Deus, terna Diuinitas. Quorum primum iuxta ſuperiores omnes, quos uidimus, ſummum Bonum, ſummus & ineffabilis Deus appellatur. Alter uocatur Deus ſecundus, uocatur Prouidentia, quemadmodum ſuperius locuti ſunt omnes. Nam Philo, prouidentem, gubernatorum, præfectumq; mundi, dicit, hunc Secundum, primogenitum Dei Filium. Qui etiam de ſeipſo dicit apud Ioannem, Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Et, Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Paulus autem, Qui conſtitutus eſt iudex uiuorum, & mortuorum. En igitur Prouidentia, en generis humani, omnis carnis iudicium. Ea enim eſt Prouidentia. Rectum'que naturæ curſum dicebat ſuperius Philo, quia conſtituit Deus primogenitum Filium, rectam legem. Eandem prouidentiæ cauſam, ſicut oſtendimus, propoſuit Plotinus. Hinc etiam declaratur myſterium, quo Calcidius dixit, Ergo ſummus Deus iubet, Secundus ordinat, Tertius intimat. Declarantur item dicta Numenij, quibus dixit, Patrem uacare ab omni opere: & quæ dixit Philo, Quòd patrem in excelſa, longeq; optima Diuinitatis arce poſitum, nefas erat hominem ad ſuam imaginem creare, delegaſſe Filio, & Secundo tanquam minori, hanc prouinciam. Etiam declarantur quæ idem Deus dixit, pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Scilicet iuſſit, dictauit Pater, filius iuſſus paruit, creauit mundum, creauit hominem ad imaginem ſuam. Iudicat item mundum. Hinc dictus à Philone organum, miniſter, legatus. Nomina igitur patris apud Chalcidiũ, quemadmodũ cæteros omnes, ſunt ut in ſacris literis: item, quòd is propriè dicitur Deus, dicitur ſummum Bonum, dicitur Origo prima rerum cunctarum, quia primum genitor filij ſui, Filius autem Creator omnium: dicitur ineffabilis: dicuntur omnia principaliter ab eo manare, ſuſtineri, regi. Idem ſummus Deus, & ſummũ Bonũ nuncupatur, ultra omnẽ ſubſtantiam, omnemq; naturã, ſuperans omnem cogitationem omni conſideratione maior, non minus incogitabilis, quàm ineffabilis, nullius ſocietatis indigus. Dicitur item Iuſſor, Imperator, Dictator Secundo, imperans iubensq; Secundo. Nomina autem Secundi ſunt, principio appellatur Deus, & dicitur Lator legis, Iudex ſcilicet, dicitur Autor æternæ & temporariæ uitæ, dicitur prouidentia, dicitur ſecundi gradus, ſecundæ eminentiæ poſt primum. dicit Chalcidius eum à Græcis appellari νοῦν, Mentem. Audis Mentem (de qua primus liber) ſecundam eſſe à primo. Dicitur Eſſentia νοητὴ, intellectualis: eſt enim Idea rerum, eſt perfecta Subſtantia, eſt Ipſum eſſe, quemadmodum uocat eum Dionyſius, τὸ ὄν. Et ipſe de ſe, Ego ſum qui ſum:

propter

propter rerum pleniſſimam ſœcunditatẽ, originem uberrimam, aulam formarum, diuiſſimam. Dicitur item æmula Bonitatis, & quod indefeſſè conuertitur ad ſummum Bonum: quia dixit ipſe apud Ioannem, declarans hoc myſterium, Filius nihil agit niſi quod uiderit Patrem facientem. Et, Doctrina mea, non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Obſerua quoq; contra Arrianos, et Valẽtinianos, quòd hæc Mens eſt æterna: Non, quemadmodũ illi dicebant, Fuit tempus quando Filius non erat. Nónne audis Mentem æternam, quemadmodum apud ſuperiores? Item obſerua quòd beatitudo Filij, & Bonitatis hauſtus, eſt ex Patre. Filius enim eſt in ſinu Patris. Aeterno Pater deuictus amore, Filium amplectitur. Hic profundum, ineffabile myſterium, quòd eo hauſtu Bonitatis Filius ornatur, & Filius ornat, & honeſtat omnia. Vt Pater bonum Filij, ſic Filius bonum reliquarum rerum: Hæc uocatur ab hominibus, ſapientia, tutela, ſalus omnium rerum, robur, ſuſtentaculum, ut Philo λεσμὸς ἀῤῥήκτος, uinculum non diſſoluendum. Nomina porrò Tertij, primum dicitur Suſtentatio, hypoſtaſis, quemadmodum Primus & Secundus: dicitur Intimator, quia ſunditur, mittiturq;, datur à ſecundo: Ipſe enim (inquit Mens) quæcunque dixero, annunciabit uobis. Ipſe prophetas afflauit. Ecce igitur uerè intimator, declarator. Paracletus conſolator. Dicitur etiam ſecunda Mens, quia nomen Mentis eſt propriè Secundi: Isq; eſt Mens in omni philoſophia celebris. Quapropter Tertius dicitur ſecunda Mens, uel Intellectus. Agnoſcis diſtinctas perſonas, diſtinctas hypoſtaſes? Non confuſas, quemadmodum apud Sabellianos. Omnes enim ſunt Mentes, Intellectus. Dicitur item Tertius, quemadmodum apud ſuperiores omnes, Anima mundi, nimirum uniuerſalis afflatus, uita. Poſtremum tribus his dicuntur ſubiacere miniſtræ poteſtates omnes, caſus, fortuna, Angeli, Dæmones. Habes hic profundiſſima myſteria, quæ Calcidius iuxtà atque Platonici cuncti, dicit Platonem ueritatis inſtinctu uidiſſe, aſſeruiſſe. Ego uerò dico, non ueritatis inſtinctu modò, ſed etiam quia didicerat ab Aegyptijs, Chaldæis, oraculis, Sibyllis, & quia per manus tradita, per omnes ætates deſcendit hæc Theologia, tunc latens apud paucos, nouiſſimis diebus apertiſſima, toto terrarum orbe radiantiſſima.

De ſecunda Hypoſtaſi, id eſt, Mente creatrice mundi, ex Anaxagora diuina naturæ eius deſcriptio, & quod ab hac creat uiſibilia, & inuiſibilia Anaxagoras, quemadmodum hodierna religio. Cap. XV.

DE mente creatrice mundi, hæc ſcripſit Anaxagoras, autore Simplicio Philoſopho: Νοῦς δ' ἐστὶν ἄπειρος, καὶ αὐτοκρατὴς, καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι. ἀλλὰ μόνος αὐτὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ἐστιν, εἰ μὴ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ ἦν, ἀλλὰ τέῳ ἐμέμικτο ἄλλῳ, μετεῖχεν ἂν ἁπάντων χρημάτων, εἰ ἐμέμικτό τέῳ. ἐν παντὶ γὰρ παντὸς μοῖρα ἔνεστιν. ὥσπερ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐμοὶ λέλεκται, κὴ αὐκωλύειν αὐτὸν τὰ συμμεμιγμένα, ὥστε μηδενὸς χρήματος κρατεῖν ὁμοίως, ὡς καὶ μόνον ἐόντα ἀφ' ἑαυτοῦ. ἔστι γὰρ λεπτότατόν τε πάντων χρημάτων, κὴ καθαρώτατον. καὶ γνώμην γε πρὸς πάσαν ἴσχει. κὴ ἰσχύει μέγιστον, ὅσα γε ψυχὴν ἔχει, κὴ μείζω κὴ ἐλάσσω, πάντων

τῶν νοῦς ἐρατεῖ. καὶ ἡ πόδιχωρήσις ἡ συμπάσης νοῦς ἐκράτησεν, ὡς πόδιχωρῆσαι τὴν ἀρχήν. καὶ πρῶτον ἀπὸ τοῦ σμικροῦ ἤρξατο πόδιχωρῆσαι, ἔπειτα πλεῖον πόδιχωρεῖ καὶ πόδιχωρήσει ἀεὶ πλέον. καὶ τὰ συμμεμιγμένα τε καὶ ἀκρινόμενα, καὶ διακρινόμενα, ταῦτα ἔγνω τε νοῦς, καὶ ὁποῖα ἐμελλε ἔσεσθε, καὶ ὁποῖα ἦν, καὶ ὄντα νοῦν ἔχειν, καὶ ὁποῖα ἔστιν. ταῦτα διεκόσμησε νοῦς. καὶ τὴν περιχώρησιν ταύτην, ἣν νῦν περιχωρεῖ, τάχα, καὶ ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη, καὶ ὁ ἀὴρ, καὶ ὁ αἰθὴρ οἱ ἀκρινόμενοι. ἡ δὲ πόριχώρησις αὕτη ἐποίησεν ἀκρίνεσθαι, καὶ ἀκρίνεται ἀπό τε ἀραιοῦ τὸ πυκνόν, καὶ ἀπὸ ψυχροῦ τὸ θερμόν, καὶ ἀπὸ ζοφεροῦ τὸ λαμπρόν, καὶ ἀπὸ διεροῦ τὸ ξηρόν. μοῖραι δὲ πολλαὶ πολλῶν εἰσιν. ταῦτα πάσι δὲ οὐδὲν ἀκρίνεται ἕτερον ἀπὸ τοῦ ἑτέρου, πλὴν νοῦ, νοῦς δὲ πᾶς ὁμοίος ὅτι καὶ ὁ μείζων, ἢ ὁ ἐλάσσων. ἕτερον δὲ οὐδὲν ἔστιν ὅμοιον ἄλλῳ. Mens autem eſt immenſitas, abſoluta poteſtas. Nulli rei eſt admiſta, ſed ſola ipſa à ſeipſa exiſtit. Si enim à ſeipſa non eſſet, ſed alteri alicui admiſta eſſet, omnes res participaret, ſi cuiuſquam contagio infecta eſſet (In omni enim re ineſt omnis rei particula, quemadmodum in anteceden tibus mihi ſcriptum eſt) Prohibuiſſentq; ipſam & implicatam tenuiſſent res commiſtæ, ut nulli dominari poſſet, æquè, ut ipſa à ſe ipſa eſſet. Eſt enim omnium rerum tenuiſſima, ac puriſſima, & ſcientiam de unaquaq; re uniuerſam continet, ualetq; maximè. Quæcunque quidem animam habent, maiorem uel minorem, his omnibus dominatur, potiturq; Mens. Omnem locum, complexumq; Mens comprehendit, unde & ipſum principium comprehendit. Et primum orſa eſt à paruo complecti. Poſtea uerò maius complectitur, & complectetur magis. Quin & quæ miſta eſſent, & ſegregata cuncta nouerat Mens, & qualia futura eſſent, & cuius modi forent, & quot nunc ſunt, & cuius modi ſunt futura, cuncta exornauit, compoſuitq; Mens, & hunc complexum, quem nunc complectitur, aſtra, & ſol, & luna, & aër, & æther, quæ ſunt ſegregata. Is autem complexus fecit ſecernere. Secerniturq; à raro denſum, à frigido calidum, à tenebroſo lucidum, ab humido ſiccum. Particulæ autem multorum multæ ſunt. Omnino autem nihil eſt ab alio ſegregatum, præterquam Mens. Mens autem omnis ſimilis eſt maior & minor. Nihil autem alterum ulli alij eſt ſimile. Hæc, ut ait Simplicius, ſcripſit Anaxagoras in primo ſuorum Phyſicorum. Duplicem quin etiam uidetur, ut teſtatur idem, ponere creationem ſenſibilem & intelligibilem. Vt appareat manifeſto eum ante tot ſecula cecinisſe, quod canitur hodie ab omni lingua: Viſibilium omnium & inuiſibiliũ. Hoc ergo teſtatur de eo Simplicius his uerbis: Quòd duplicem creationem ſtatuat, alteram intelligibilem, alteram ſenſibilem ab illa, manifeſtum quidem, & ex his quæ dicta ſunt, & ex his: Mens, ait, quæcunq; ſunt omnimo, & quæ nunc ſunt ut & alia omnia in eo, qui continet multa, & in aggregatis & ſegregatis. Atque

quum

quum dixit ineſſe multa & uaria omnibus in rebus aggregatis, & ſemina rerum iunctarum, & formas omnimodas, colores, & uoluptates habentia, & hominibus compacta eſſe & alia animalia, quæcunque animam habent, ſubijcit. Et hominibus eſſe tum urbes congregatas, tum opera conſtructa, quemadmodum apud nos, & Solem eis eſſe, & Lunam, & alia ſicut apud nos, & terram eis producere multa & uaria, quorum illi utilia congregantes, in habitationem utuntur. Hæc Anaxagoras. Simplicius ſubijcit: Et quòd alium quendam mundum à noſtro innuat, manifeſtat, quum dicit non ſemel, Quemadmodum apud nos. Vult etiam eum non ſenſibilem illam χρόνῳ δὲ ταύτης προηγουμένην: ſed tempore præcedẽtem iſtam noſtram ſpectaſſe.

Comprobatio ex Pletone Gemiſto, quòd Magicæ ſententiæ de Trinitate loquantur, de primo, & ſecundo Creatore, ſiue Deo: & quod Beſſarion etiam uidit hæc & Confirmauit: quod & Auicenna Arabs hunc Trinitatis ordinẽ uidit apud Platonicos, ſed non uſquequaq; recte percepit: & quod Intelligentia primi orbis, eſt eadem & Anima mundi. Cap. XVI.

MAgica quoque logia, id eſt, ſiue ſententiæ, ſiue oracula, aperte de Trinitate ante Chriſti aduentum locuta fuerant, de duobus primis patre, & filio, ut primus liber oſtendit, clarè prædicantia. È quibus oraculum, quo dixerant Magi, ἀλλ' ὅτι εἰσελεύσεται, κείνης τὸ θέλειμ πατρικὸς νοῦς, μέχρις οὗ ἐξελθὴ λήθης, & ῥῆμα λαλήσῃ μνήμῃ ᾧ θεμοῖο πατρικοῦ σωθήματος ἀγνοῦ. Hoc oraculũ declarãs Pletho, ſecutus Pſellũ, & quæ ſit paterna mens oſtendẽs, ait: ὁ πατρικὸς νοῦς, ὁ δ' ὑπερφὺς δηλαδὴ θεὸς, καὶ ἡ ψυχῆς πρόσεχὴς δημιουργὸς οὐκ εἰσελεύσεται ἐκείνης τῷ θέλησιμ μέχρις οὗ ἐξέλθῃ ἡ λήθης. ἵνα δὲ ἡ πρὸς τόδε σῶμα ἐκ πλοκῆς ἐπιόδε. καὶ λαλήσῃ τὸ ῥῆμα, ἤγουν λόγον φρονήσει τινὰ, μνήμης ἐχόμενον τοῦ πατρικοῦ θείου σωθήματος τοῦτ' εἶναι τὸ τοῦ καλοῦ δ' ἰώξεως ἐντολὴν, ἧς τῷ ψυχῇ ἀναμνησθείσῃ ὅτως ἤδη ἐν τῷ ἑαυτῆ δημιουργῷ μάλιστα ἀρέσκει. Paterna, inquit, Mens, ſecundus uidelicet Deus, & animæ immediatè Opifex, non admittit illius uoluntatem, uſquequo egreſſa fuerit ex obliuione, quam ex complexu ad hoc corpus paſſa eſt, & loquuta fuerit uerbum aliquod, ſiue ſermonem ſenſerit aliquem, memoria pendentem paterni diuini ſigni, hoc eſſe & pulchri executionis mandatum. Cuius animam memorem ſic iam, & ſuo ipſius Opifici maximè placere. Hæc Pletho, conſentiens Mentem paternam dictam ab oraculo, ſecundum Deum Filium Dei. Secundo quoque oraculo, quum ait, Omnia perfecit Pater, & Menti tradidit ſecundæ, quam primam uocat omne hominum genus: ὁ γὰρ πατὴρ ἅπαντα ἐξετέλεσε τὰ νοητὰ δηλαδὴ εἴδη. ταῦτα γὰρ ὅσα τὰ ἐκτετελεσμένα καὶ τέλεια. καὶ ὅρᾳ μὲν ἑαυτὸν δ' ὑπερφὺ θεῶ παρέδωκεν ἀρχὴν δηλαδὴ, ἣν ἡγεῖται αὐτῷ. ὅσα δὲ ἐστὶ τὰ πρᾶγμα ἡ θεοῦ πρὸς πρᾶξιν ἑαυτοῦ τε ἡ ἄλλης νοητῆς οὐσίας,

καὶ

καὶ τὸν ἐκ τοῦ αὐτοπάτορος ἴσχειν τὴν γένεσιν, τοῦτον τὸν δεύτερον θεὸν πρώτου φύσιν ἑαυτοῖς τίθεσθαι τὰ τῶν αὐθυπάρκτων ἕδρυσιν. ὁπόσα δ' ἤλασε τὸ μὴ κόσμου τοῦ δι' προσοχῆς ἓν καὶ διαιρετὸν νομίζειν, τοῦτο δὲ οὐκέτι ἀνωτέρω οὐδένα. Nam Pater, inquit, omnia perfecit, nempe intellectuales formas: Hæ enim sunt perfectæ, & absolutæ: & ei qui post se est Deo secundo tradidit, ut imperaret scilicet, et præesset eis. Quapropter si quid et per hunc producatur Deum, ad exemplum suipsius & alterius intellectualis substantiæ, & hoc à supremo Patre habere generationem dicit. Hunc deum secundum ait humanæ gentes sibi fecisse primum, quæ scilicet aliquem mundi creatorem immeditatè arbitrantur, eo autem superiorem neminem. Hæc Pletho, iuxta ea quæ prior Psellus exposuerat. Est igitur hoc oraculum diuinißimum, uetuſtißimum, quod legisse ueteres Platonicos, præcipuè Numenium, ac Plotinum apparet ex eo, quòd Plotinus exclamat ad omnes (ut uisum superius) inducens Platonem loquentem, Ô homines, quem uos arbitramini primum Deum, mundi creatorem, non est primus, sed est eo superior. & hoc ait quasi dixisse Platonem. Numenius autem dicit Patrem uacantem ab omni opere, dedisse secundo totam mundi molitionem, et administrationem. Legerunt igitur in his oraculis, & uolunt eadem sensisse Platonem. Doctißimus etiam Bessarion, nullis priscis Platonicis inferior, uidit hoc dogma Chaldaicum, Platonicumq;, & comprobauit, exponens Platonica dogmata aduersus calumniatorem, libro secundo: Seruat quidem, inquit, hoc propositum Plato semper, ut non primum per se principiũ existimet creatorem sensibilium rerum, propinquum, sed eum qui post Primum illum, quem Vnum uocat. Secundo loco constitutus est, cui cùm materia, tum Ideæ à Primo tributæ sunt, quas respiciens Creator secundus, formas materiales, atq; sensibiles materiæ imprimit iam præuiæ, altero mentis conceptu, & à Primo pendente, siue enim signis, siue relationibus ista distinguantur, nihil refert. Hæc Bessario. Ecce igitur quod est in dogmatis Magorum, uult etiam esse dogma Platonis. quod ab illis utiq; manauit uti prioribus. Vides igitur Deum primum, & secundum. Vides Creatores duos, uelut unum. Primum, qui det uim, sapientiam, ingenium, fœcunditatem, t hesauros absconditos Secundo: hæ enim sunt Ideæ, siue species: Secundum, qui creet doctus iussusq; à Primo. En quod canit Ecclesia, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, uisibilium omnium, et inuisibilium. Deinde inducens creatorem secundum, Filium Dei unigenitum, per quem omnia facta sunt. Vides Supremum, Primumq; à Platone uocari Vnitatem. Hoc uetuſtißimum, & cum primis sanctißimum dogma cum Arabs Auicenna legisset in libris Græcorum tralatis in Arabicam linguam, et non intellexisset, quod accidit ei in alijs plerisq;, affirmauit, Primã Mentem siue Intelligentiam produxisse, siue procreasse duntaxat. Mentem secundam (quas duas Mentes memorauerat Chaldæus) Secundam uerò producere Tertiam. Est enim hoc dogma Plotini, Platonicorumq;, qui præcipuè tradiderunt à secunda Mente nasci

naſci Tertiam, id eſt, à Filio produci Spiritum. Primam uerò genuiſſe duntaxat Filium ſuum unigenitum, & primogenitum, qui deinde uiſibilia & inuiſibilia creauerit, à quo prodeat Anima mundi, qui idem Spiritus dicitur ſanctus, autore Calcidio. Huc uſq; legerat, & rectè intellexerat Platonicorum, uetuſtiſſimorumq; dogma Auicenna. Sed modum, quo putat Secundam cùm ſe ad primam conuerterit, producere Tertiam, cùm uerò ſeipſam reſpexerit, producere Animam primi orbis, fuit inane commentum adiectum à ſe, non extans uſquam, neq; apud Platonẽ, neq; Platonicos, quos ille ſequebatur. Eſt enim ineffabilis modus, & omni mente incomprehenſibilis, quo uel ſecundus à primo naſcitur, uel à ſecundo procedit tertius. Animam uerò primi orbis probarẽ ex Platone & Plotino, uiſumq; eſt ſuperius, eſſe eandem Animam mundi, hanc autem eſſe tertiam Intelligentiam, ſeu Mentem, & Hypoſtaſin. Idcirco enim uocatur Anima mundi, quia mouet, animatq; principio cœlum, deinde uniuerſum terrarum orbem. Spiritus enim Domini replet orbem terrarum, continens omnia. Hæc illa Intelligentia, quæ producitur funditurq; à Secunda, quæ ſola generatur à Primo, eoq; unica proles eius. Superfluo igitur in hoc ordine addidit Auicenna Intelligentiam primi orbis. Modus etiam producendi à ſecundo per conuerſionem, uel ad primum, uel ad ſeipſam, ſuus eſt, non priſcorũ. Dicunt etiam quidam alij Græciæ philoſophi, de Theologia Magorum, quod apud eos ὁ πρῶτος θεὸς ἀρχέτυπος τῷ ἑλαττόνι.

Quod autore Suida Triſmegiſtus de trina Diuinitate, ſempiternaq; Trinitate ſcripſit, quam ſolã dixit æternam, inſeparabilemq; ſubſtantiam. & quod creationem per Verbum Dei, quemadmodum & Moſes, extitiſſe dicit. Cap. XVII.

QVicunque qualis ante Platonicos, quos produximus teſtes, et ante Platonẽ philoſophia celelebris eſſet, habuerit exploratũ, deſinet anxius quærere & admirari è quibus fontibus myſteria tanta haurientes, digna Spiritu Dei locuti, cœleſti numine afflati uideantur. Figentes igitur uelut ueſtigia per omnes retro ætates uſq; ad primæuos, diuiſq; familiares Theologos, ad ipſam originẽ ueniemus. Ecce enim Suidas autor ualde bonus teſtatur Triſmegiſtũ appellatũ, quia de Trinitate, quodã diuini ſpiritus inſtinctu locutus ſit: cuius autoritate multa ſuper Theologia eius confirmantur: ἑρμῆς ὁ τρισμέγιστος, οὗτος ἦν αἰγύπτιος σοφὸς, ἥτις πρὸ τοῦ φαραὼ ἐκλέκλητο δὲ τρισμέγιστος διότι περὶ τριάδι ἐφθέγξατο εἶπων γὰρ τριάδι μίαν εἶναι θεότητα, ὅτως. ὡς φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινός. καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τοῦτου ὠότης, καὶ ωνδῦμα ωαύτα περιέχων. ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. ωαύτων γὰρ κύριος, καὶ ωατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ ωαύτα ἐν αὐτῷ, καὶ ὠ αὐτῷ δεῖν. ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλεος ὢν καὶ γόνιμος καὶ δημιουργικὸς ἐν γονίμῳ φύσει πεσὼν, καὶ γονίμῳ ὕλατι, ἐγκύοντο ὕδωρ ἐποίησε. Quæ ſunt, Mercurius Termaximus, is

fuit ſapiens Aegyptius. Floruit autẽ ante Pharaonẽ. Appellatus eſt autem Termaximus, quoniã de Trinitate edidit oraculũ, dicens in Trinitate unam eſſe diuinitatẽ his uerbis: Erat lumen intellectuale, ante lumen intellectuale. Et erat ſemper Mens Mentis luminoſa. Et nihil aliud erat, quàm horum Vnitas, & Spirttus omnia continens. extra hunc non Deus, non angelus, non ſubſtantia ulla alia. Omnium enim dominus, et pater, & Deus, & omnia ſub ipſum, & in ipſo ſunt. Nam Verbũ eius perfectum exiſtens, & fœcundum, & opifex, lapſum, in fœcunda uatura, & aqua fœcunda, prolificã fecit aquã. Hæc affert Suidas ex Triſmegiſto. Ac quanquã ipſe Ter maximum eum uocatum puto, propter ingenij, ſapientiæq; magnitudinẽ, hoc ſum duntaxat contentus, apparere & hoc teſtimonio Triſmegiſtũ de Trinitate ante Platonem, Platonicoſq; natos ſcripſiſſe. Ecce enim tres perſonas diſtincte ſuis nominibus appellat, appellans patrem & filium, lumen, lucem intellectualem: duas intelligibiles luces, quarum altera ſit ante alteram, non tempore, ſed qua genitor antecedit gradu genitũ. Nempe quod idem filius eius dixit, Pater maior me eſt. Horum ſubſtantiam lucem eſſe dicit, non lucem corpoream, ſed lucem intelligentem. Et cecinit antiquiſsimus ille, quemadmodum hodierna religio, Deum de Deo, lumẽ de lumine. Sicut autem dicit diuinus Ioannes, In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: ſic Triſmegiſtus, Erat lux intelligibilis (ſiquidem etiam ipſum idem Verbum Lucem Ioannes appellat) ante lucem intelligibilẽ, & erat Mens Mentis luminoſa. Id eſt, Deus de Deo, Mens à Mente naſcens. Deſignat enim quod ait Ioannes, Et Verbum erat apud Deum. quia naſcebatur æternaliter ab eo, lucens ab æterna altera luce, lux ipſe intelligens, ex luce intelligenti. Loquiturq; de eorũ Vnitate, inſeparabiliq; Diuinitate. Exin inducit ſpiritum ſanctum, quo cuncta contineantur, uiuificentur: qua poteſtate celebratur in ſanctis literis: Spiritus enim Domini, inquit liber Sapientiæ, repleuit orbem terrarũ, & hoc quod continet omnia, ſcientiã habet uocis. Ecce etiam fatetur hunc Trinum ſolum Deum fuiſſe ſemper, ſolum hunc uiguiſſe: præter hunc non fuiſſe angelũ, non dæmonem, nullam aliam ſubſtantiã. Eſt enim hoc dictum Triſmegiſti, id quod quotidie canit eccleſia de tribus illis, Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper. Erat in principio, uidelicet ab æterno. Ecce etiã uociferatio ualida contra ignaros ueritatis, rationis expertes Arrianos, qui dicebãt fuiſſe quando filius nõ erat: nõ reputantes quantũ non impietate modò, ſed inſcitia & imperitia naturæ peccarent, partim quod hunc errorẽ à Platonicis & ſcriptoribus profanis, quos nõ intellexerũt uidebantur ſuſcepiſſe, partim quòd non uiderunt quàm eſſet impoßibile, ut qui erat filius Dei uerus, Deus & ipſe ex Dei ſubſtantia nõ fuerit ſemper. Conſequuntur enim ſe diuinitas & æternitas. Si filius Dei uerus eſt, etiã Deus eſt: Si Deus, etiã æternus. Adeſt igitur Triſmegiſtus dicens, Fuit ſemper Mens Mentis luminoſa. Mens Mentis filius eſt, Mens ex altera Mente. De quibus Chaldæus in primo libro dicebat, Omnia perfecit pater, & Menti tradidit ſecundæ, quam uocat primam omne

humanum

humanum genus. Hæc igitur tria duntaxat fuerunt ſemper & ab æterno. Non angelus, nõ dæmon, nulla alia ſubſtantia fuit, ſed ſola trium æterna in una ſubſtantiæ coniunctio. Hoc ſentit & loquitur diuiniſſimus Triſmegiſtus, non ſolũ confirmans hodiernam ſapientiam, ſed contra omnes obteſtans, qui Mentem ſecundam à prima putarunt priſcos ſeparaſſe. È quibus Ioannes Picus, & Marſilius dicta Procli uidentes, qui hoc loco non rectè Platonem, maioresq; interpretatur, aſſeruerunt ſecundam illam Mentem, quaſi creaturam quandam in tempore conditã priſcos ſenſiſſe. Nos autem probauimus, & probamus nec Platonicos, qui talia prodiderunt, priſcam philoſophiam ſyncerè expoſuiſſe, nec Platonicos illos Latinos Græcos rectè ſecutos eſſe, quos ſi ſine iudicio nec uetuſtate cunctaq; philoſophia bene conſulta temerè ſequaris, tam in hoc, quàm in alijs multis haud leuiter cecideris. Expoſita igitur & decantata Triſmegiſtus trium numinum trinaq; Deitatis, quæ ſola fuit ab æterno, ſempiternitate, accedit ad creationem, dicens fœcundum illud Verbum Dei, quod eſſet perfectiſſimum, fœcundiſſimum, opifex, aquas illas quibus ſuperferebatur, amplexum fœcundaſſe & feciſſe ut ex his omnia naſcerentur, principio lux cœleſtis, tum aër, inde plantæ, ſtirpes, animalia. Ac quod ait lapſum Verbum fœcundum ſuper aquas, eſt quod ait Moſes, Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ferebatur autem ut opifex, ut operans, maximè cœleſtes orbes, quos primos eodem Triſmegiſto teſte ex aquis ſecreuit, & in his primum Solem. Quòd autem hæc ſcripſerit, locutusq; fuerit Triſmegiſtus, ex eo liquidò noſcet prudentiſſimus quiſq;, quòd apud omnes Platonicos, qui poſt Platonem floruerunt, extant, ut non alium habuerint ſuper his myſterijs præceptorem, quàm Triſmegiſtum. Suidas igitur ubi dicta Triſmegiſti protuliſſet, adiecit: καὶ ταῦτα ἀρηκὼς γὺξατο, λέγων, ὁρκίζω σὲ ὀραν ὲ θεῦ μεγάλου ϛοφὸν ὄργω, ὁρκίζω σὲ φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἣνίκα τὸν παντα κόσμον ὠργάσατο. ὁρκίζω σὲ κὴ τὸ μονογενῦς λόγε, κὴ τὸ πατρὸς τὸ περιέχοντος παντελέος ἔσω: Et hæc locutus orauit dicens, Adiuro te cœlũ Dei magni ſapiens opus. Adiuro te uocem patris, quam protulit ipſe primam, cùm omnem mundum ſtabiliuit. Obteſtor te per unigenitum uerbum, & patrem, qui continet omnia, eſto propitius. Hæc igitur carmina quæ Suidas tribuit Triſmegiſto, cæteri tribuunt Orpheo. Inſuper quæ poſtremo citauit, quoniam in libris uulgatis non habentur, credendum eſt eum in alijs eius de Triſmegiſti legiſſe. Quemadmodũ & Lactantius, Auguſtinus, Cyrillus aduerſus Iulianum, Imperatorem proferunt, quæ nos in libris eius, qui pauci ex innumerabilibus ad nos peruenerunt, non uidemus.

Diuum Auguſtinum aperte teſtari Platonicos de tribus perſonis ſcripſiſſe. Cap. XVIII.

AEterũ etiam diuus Auguſtinus, in libris de Ciuitate Dei aperte teſtatur, quòd etiam librorum illorũ interpretes aſſeuerãt, Porphyrium, quem uocat doctiſſimum philoſophorum, iuxta Platonicorum ſententiam, tria principia ſtatuere, ſed eos more ſuo loquentes tria principia dicere, quæ Chriſtiani ad certam regulam

loquentes, unum principium, tres perſonas appellant. Eius hæc uerba ſunt: Dicit enim, inquit, Deum patrem, & Deum filium, quem Græcè appellat paternum intellectum, uel paternam mentem, πατρικὸν νοῦν. De ſpiritu autem ſancto aut nihil, aut non aperte aliquid dicit: quamuis quem alium dicat horum medium, nõ intelligo. Si enim tertiam, ſicut Plotinus ubi de tribus principalibus ſubſtantijs diſputat, animæ naturam etiam iſte uellet intelligi, non utiq; diceret, Horum medium, id eſt, patris, & filij medium. poſtponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui: iſte autem cùm dicit medium, non poſtponit, ſed interponit. & nimirum hoc dixit, ut potuit, ſiue ut uoluit, quoniam nos ſpiritum ſanctum nec patris tantũ, nec filij tantum, ſed utriuſq; ſpiritum dicimus. Hæc quidem Auguſtinus. Ecce teſtatur à Platonicis, uidelicet Porphyrio, & Plotino claram, apertamq; habitam de patre ac filio commemorationem. Filium in primis appellatum, quemadmodũ à principio in oraculis Chaldaicis uidimus, paternam mentem, quod ſonat paternam ſapientiam. Tertium autem dictum ψυχὴν, animam: Videlicet animam mundi, quæ dicitur à noſtris & ab illis Spiritus ſanctus. Hunc etiam Proclus medium amborum uocauit. Filium igitur patris ſummi, uocatum à Platonicis ait patriam mentem, de qua totus primus liber diſſerebat. Quibus ſit perſpicuum magnos in noſtra Theologia uiros, eiusq; ſuſpiciendos antiſtites, non ignoraſſe prophanæ philoſophiæ primates de patre, filio, ſpiritu ſancto ſcripſiſſe. Quæ philoſophi, ut idem ait Auguſtinus, liberis uerbis loquentes, nec in rebus ad intelligendum difficiliſſimis, offenſionem religioſarum aurium pertimeſcentes, ſoleãt uocare, uel tria principia, uel tres Deos. Eiusq; loci explanatores afferunt, quod nos quoq; fecimus, teſtimoniũ Macrobij, de Mente Ideæ continente, & Triſmegiſti dicta de Verbo perfecto.

De tribus Hypoſtaſibus, ex Apollinis oraculo: & quod apud priſcos omnia metrice ſcribebantur: & quod ab his oraculis myſteria æterum philoſophorum manare potuerunt. Cap. XIX.

SIT poſtremo loco, quod ſub Chriſti deceſſum, Oraculum Apollinis de tribus numinibus diuinè pronunciauit. Rogatus de uera religione, cui maximè genus humanum initiandum conſecrandumq; eſſet, quaq; uti uera ſapientia cunctæ nationes eſſent decorandæ, & quæ foret omnibus ſuperſtes, quod Daniel uaticinatus fuerat, ad hunc modum fertur dixiſſe:

Μὴ ὄφελες πύματον μὲ καὶ ὕστατον αὐτὸς ὀρέσθαι,
Δύσλιν᾽ πεπόλῶν, πόθι θεσπεσίης γλυκερῆρος.
Ἄμβροτε τηλυγέτοιο πανομφαίοιο βασιλῆος.
Καὶ πνοῆς, ἣ πάντα περιξ βοτρυδὸν ἔχει.
Οὔρεα, γλῶ, ποταμούς, ἅλα, πάντα περ, ἠέρα, πῦρτε,
Ἦμεν καὶ σὲ ἐθέλοιντο, δόμων ἀπὸ τῶν δε δαίξει.
Δύτικε ἱερημαῖον δ᾽ ἐλελίχθιται ὄσσε ἀφήτορ.

Ne

Ne me utinam ſupremum, infelix ipſe ſacerdos,
Sciteris de ſancto, ac diuino Genitore,
Et ſobole chara, rebus magni Induperantis,
Et Flatu, qui mundum aſtrictum continet omnem,
Montes, tellurem, fluuios, mare, tartara, & ignem.
Aëraq;. heu templis is me diſcedere ab iſtis
Coget, linquetur, quo' edebam oracula, limen,

Hoc oraculũ excerptum cum multis alijs, ab his qui audierunt, traditumq; memoriæ, cuius modi carminibus Sibylla, quæ & ipſa Apollinis oraculo præfuit, multa decantata reperiuntur, philoſophis etiam atteſtantibus, Sibyllas diuinas fuiſſe, & oraculum illud diuina ſæpenumero myſteria aperuiſſe. Decantabantur autem, autore Plutarcho, fermè cuncta, ſcribebanturq; à priſcis numeroſè, philoſophiq; priſci ferè omnes, ſiue de creatione mundi, ſiue de reliquis philoſophiæ partibus, poëticè, non oratione ſoluta ſcripſerunt. Quid mirum igitur, ſi cecinit oraculum de tribus numinibus, quando Plato quoq;, & Triſmegiſtus, Chaldæi, & Magi, homines ſcilicet, & minoris quàm dæmones ſapientiæ, tam multa de his ipſis prodiderunt? Ab his arbitror oraculis, quibus miranda myſteria Deus aperuit hominibus, manarunt philoſophorum illa de ſummo Bono, de creatrice Intelligentia, priſcorum hominum nonnullis, quemadmodum & Sibyllis, cœlitus reuelata non æquè temperſtate illa atq; poſtea cognita: Vt quod uiderat Vergilius apud Sibyllam,

Iam noua progenies cœlo dimittitur alto:

cecinerat ſimili modo Sibylla, Græcè,

Καὶ τότ' ἀφ' ὑλίσ πέμψει θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν πάυσει πολέμοιο κακοῖο. Et,
Αὐτὸν σωγίγνωσκε θεὸν, θεὸς ἦν ἐόντα.

Tum Deus excelſo demittet ad æthere Regem,
Qui bella è tota pellat tellure nefanda.
Atque tuum cognoſce Deum, qui natus ab ipſo.

Hæc qui legebant, quò pertineret neſciebant. Philoſophi uerò libris ſuis excepta, quæ quidem naſcebantur etiam ab antiquiſſimis Theologis, ac Prophetis, quando nationes ferè omnes, Prophetis abundare dederat Deus, qui de magno illo in mundum uenturo Rege, uelut anteambulones, ubique concinerent, ſpeculationibus, egregijſq; ſermonibus decorarunt.

FINIS LIBRI SECVNDI.

AVGVSTINI STEVCHI EVGV-

BINI DE PERENNI PHILOSO-

PHIA LIBER TERTIVS.

De tota Diuinitate: & quod omnes inſtinctu naturæ Deum ſingulariter in omni ætate nominarint: exemplaq; ex Platone, & Ariſtotele, & Homero, & Demoſthene. Cap. I.

POST hæc naturalis eſt ordo, ut qui de tribus Numinibus executi ſumus, nunc de Deo, totáq; ſimul Diuinitate nobis ſit ſermo. Cõuenit enim in treis illos, quicquid de Deo per uniuerſam Theologiam ab omnibus linguis, nationibusq; prædicatur. Primumq; erit de ſingulari Diuinitate myſterium, omnes ferè homines tum animo intento, tum natura duce ac magiſtra, rapidoq; ueritatis æſtu, ſemper unum, ſingularemq; Deum fuiſſe confeſſos. Vt quanquam corruptiſſima inoleuit nominandi, adorandiq; plures Deos conſuetudo, propter inſitam tamen, altiſſimeq; impreſſam à natura Dei notionem, & ad eum inclinationem, cùm ſeriò loquerẽtur, et ſe ab impetu naturæ rapi paterentur, unum modò Deum prædicarint, appellarint, habuerint in ore, cunctasq; ei ueræ Theologiæ laudes attribuerint. Omnesq; quos ſub falſis religionibus, Deorumq; multorum cultricibus ortos conſtat, cùm de creatione rerũ, de mirabili cœli, terrarumq; ordine, ſiue magna alia de re loqui cogerentur, nunquam Deos, ſed ut naturæ ſert inſtinctus, uerum Deum appellaſſe, ei prouidentiam maximam, incommunicabilemq; bonitatẽ, cunctasq; Diuinitatis laudes tribuentes. Ac quanquam Platonis, Ariſtotelisq; Theologia differtur in poſterum examinanda, ad exemplum tamen perſpicuitatemq; dicendorum, præcedat eorum teſtimonium, quo fiat omnium philoſophorum, ueruſtiſſimorumq; hominũ ſingularis & unius Dei è natura manifeſta confeßio. Nam Plato nõ modò neſcius, & eo quem dixi ueritatis æſtu raptus, ſed ſciens & prudẽs confeſſus eſt, & oſtendit, quid inter Deos, Deumq; maximum ac ſingularem putarent ea ſecula intereſſe, ſe cùm ſerio loqueretur, Deum nominaturum: cùm minus ſerio, plures Deos. In Epiſtola ad Dionyſium, De ſigno, inquit, Epiſtolarum, quas ſtudioſe, & quas minus ſcribam, arbitror te meminiſſe. Verum cognoſce, animumq; intende. Multi enim ſunt, qui me iubeant ſcribere, quos non ſit facilè reijcere. Ἡ μὲν γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς θεὸς ἄρχει, θεοὶ δὲ ἡ ἄτοπον. Nã ſeriæ epiſtolæ Deus præeſt, Dij autem minus ſeriæ. Hæc igitur erit uniuerſalis admonitio, ac naturalis inſtinctus conſideratio, cunctos fermè mortales ea ratione locutos eſſe, cuius dedit documentum Plato. Et quod etiam Lactantius animaduertit. Cùm uerò, inquit, ipſos Deorũ cultores ſæpe uideamus Deum ſummũ, & confiteri & prædicare, quam ſibi ueniã ſperare poßint impietatis ſuæ, qui non agnoſcant cultum eius, quem prorſus ignorari ab homine neſas eſt. Nam & cùm iurãt, & cùm optãt, & cùm gratias agunt,

non

non Iouem aut multos Deos, ſed Deum nominant: adeò ipſa ueritas cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit. Videre igitur licet, quod Lactãtius monuit, ubiq; naturam ad hoc homines impuliſſe, ut Deum patrem ſuum recognoſcerent, nominarent, appellarent, uenerarentur, eumq; meritis præconijs, qualia ſacræ literæ cecinerunt, efferrent: nunc autorẽ generis humani, fabricatoremq; mundi, nunc prouidentẽ uniuerſis, oculosq; Diuinitatis ſuæ per omnes terras late de ſublimi ſe de ſua tendentem, cæteras item diuinas attributiones decantantes, quas indefeſſe reſonat philoſophia cœleſtis. Quas quidem laudes & Theologiam partim ex fonte naturæ, partim illa priſca, quum ſolus uerusq; Deus colebatur, Theologia manare compertũ. Ad hanc igitur rationem reuocabitur, omiſſis multis, quæ pòſt examinabuntur, hoc autem ut exemplum multorũ, quòd Ariſtoteles, qui uidetur cœlo, ſtellisq; Intelligentias diuinas adiungere, ueneratusq; ex motu cœleſti diuinitatem in libris de prima philoſophia, naturæ quodam impulſu definit naturam diuinam: φαμὲν δὲ θεὸν ζῶον, ἀίδιον, ἄριστον: Dicimus Deum animal aut uiuens ſempiternum, optimum. Ecce Deus optima uita. Deus ille naturalis, uerusq;, nulla cœleſtis, aut quæuis alia Intelligentia, quarum nulla optima eſt, quòd unum duntaxat neceſſe ſit eſſe optimum. Ecce item ſingularis & unius Dei nuncupatio, cumq; multos Deos ſoleant philoſophi, poëtæq; nominare, unus tamen ſingularis inſtinctu naturæ nominatur. Cuius eſt ſolius, naturaliterq; hoc nomen Dei, & quiut ſingulariter Deus, ſic ſingulariter ſempiternus, & ſingulariter optimus. Apparet enim uel cogitur Ariſtoteles id ex ipſa locutione ſenſiſſe, quia ſicut per eminentiam hæc Dei nominatio cadit in uerum illum, ac naturalem, haud minus cadere debet reliqua definitio, quòd ſolus ſempiternus, ſolus optimus. Vt habet ſingulariter quòd ſit Deus, & q. ſit optimus, quod nemo negat, ſic q. ſingulariter ſempiternus. Hæc illa ueritas ex inuitis pectoribus erũpens. Eundẽ innuit, et eũ natura duce reſpexit, cùm negans indiuidua fieri potuiſſe ſempiterna: διὰ τὸ πόῤῥω εἶναι ἀρχῆς ἀφισωθῆναι τῷ λοιπομένῳ συνεπλήρωσεν τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν: Quia longè diſtarent à principio, altera, quæ ſola ſupereſſet ratio, abſoluit, repleuitq; Deus uniuerſum, facta generatione perenni. Ecce Deus naturæ, Deus maximus, ordinũ, mundaniq; concentus moderator. Certè igitur neq; ſolis, neq; lunæ, ulliusq; ſideris intelligentia: minus etiã illi fabuloſi dij Minerua, Diana, Mercurius, Apollo. Deus ille, uerè Deus, qui ne rerũ deficeret ordo, perpetuis generationũ ſucceſſionibus repleuit uniuerſum. Singulariter unus Deus inducitur, eiq; ſingulariter nomen hoc tribuitur. Naturæ moderator, ordinum cœleſtium, à quibus dependent terreſtres, inuentor prædicatur. Quantum ſcilicet audimus in Theologia Moſis, ſi quis altè ſpectet, prædicari. Aliud exemplum eſt ex Platone, quum ei ſtructæ in Sicilia inſidiæ fuiſſent, ex his que euaſiſſet: ⸂καὶ τούτων δὲ μετὰ θεὸν, ἄλλου σίῳ χάριν εἰδέναι χρεών⸃: Et pro his, poſt Deũ Dionyſio gratias habere par eſt. Quis is Deus-cuſtos, proſpector, liberator hominũ, qui ſingulariter à Platone, ſub

religionibus ſuperſtitioſis, Dianæ, Soliſq; cultricibus orto, Deus nominatur? Quid ponderis habet hæc nomenclatio? Naturalis uidelicet eſt, ſpectans unicum illum, ſingularem, eundemq; uniuerſalem Deum. Sed his exemplis ex Platone, Ariſtotele q; quorum poſterius declarabitur Theologia, dimiſſis, ingrediamur hunc campum, flores ex omni uetuſtate, quæ maximè ſingularem Deum coluit, & ubique ſingulariter nominauit, decerpentes. Hoc Theologos, hoc Poëtas etiam ſuperſtitioſos, & fictitiorum Deorum laudatores inuenies fecisſe. Homerus igitur, qui patter fabularum uiſus eſt, poëticosq; illos Deos nunquam non habet in ore, naturæ tamen inſtinctu, ſæpe Deum uniuerſalem, quemadmodum philoſophi, & præſens hæc ætas, cui ſingularis innotuit Diuinitas, nominauit. È quibus eſt, quod etiam adducitur à Iuſtino philoſopho eodem & martyre, quod ubi Phœnix affatur Vlyxem, inducit loquentem:

οὐδὲ εἰ καί μοι ὑποσκίη θεὸς αὐτὸς
ἦρας ἀρῄσας θήσειν νέον ἡβῶντα

Non mihi ſi Deus hinc etiam promitteret ipſe,
Mutato ſenio, uiridem inſtaurare iuuentam.

En Deus ſingularis, potens auferre ſenectam, reſtaurare iuuentam. Iuſtinusq; ipſe inquit: διὰ τῆς ἀντωνομασίας τὸν ὄντως θεὸν σημαίνων: Significans per Antonomaſiam, uerum Deum Hoc ſcilicet perpetuum eſt in omni natura, inſtinctuq; humano, quoties Deum nominant, deſignatur uerus, unicus Deus, & cuius eſt uerè Diuinitas, qui uerè, ſingulariterq; Deus nuncupatur. Non eſt is Homeri Deus ex his ullus, quos bellaces inducit, humaniſq; affectibus deturpat. Eſt Deus magnus uniuerſitatis, dictus ſimpliciter Deus, quia ſolus uerus ſemper Deus. Homerus item hunc ipſum innuit cùm dixit:

Αἰεὶ γὰρ ὅμοιον ἄγει θεὸς, ὡς τὸν ὅμοιον.

Semper agit ſimilem Deus ad ſimilem, aſſociatq;.

Quis is Deus, niſi magnus, uerus, præpotens, naturalis, & naturaliter occurrens ori, offerens ſeſe menti, dans ſeſe obuiam ubique nobis, cogens ut eum cogitemus, ſentiamus, loquamur, nominemus, eiq; poteſtatem uniuerſalem tribuamus? Superius Homerus, quòd poſſit abradere ſenium, reparare iuuentam: nunc quòd agat ſimiles ad ſimiles. Quo decreto Dei impij ſceleſtiq; cum impijs, & coinquinatis ſpiritibus aſſociabuntur. De ſupremo Deo, cuncta proſpiciente, moderante cum primis res humanas, hoc dictum ab Homero. Quod & Plato in eo qui inſcribitur Lyſis, declarauit afferens hoc carmẽ: ἀλλὰ τὸν θεὸν αὐτὸν φασὶ ποιεῖν τοὺς φίλους αὐτοὺς ἄγοντα πρὸς ἀλλήλους. Sed Deum ipſum aſſerunt amicos facere adducentem eos ad inuicem. Ille igitur facit amicos ad amicos accedere, ſuaq; hac lege, ſibi pios, & iuſtos, gratos, amicosq; aſſociabit, qui paſſim ſparſit in humana pectora, ut Plutarchus inquit, charitatem. Eundem ſingulariter nominauit Deũ, quod etiam affertur à Plutarcho: οὐχ ὅ γε ἄνευ θεοῦ τάδε μαίνεται: Haud

ſine

ſine Deo is inſanit. Eundem quoq; confeſſus eſt omnipotentem, largitoremq; bonorum, cùm in quartodecimo Odyſſeæ:

Θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' ἐάσει.

Ὅ,τι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλει, δύναται γὰρ ἅπαντα.

Largitur Deus hæc: aſt altera linquit.

Quicquid mente ſedet. cunctorum nanq; potens eſt.

Indicauit, ſignificauitq; hunc ipſum Demoſthenes, etiam ſuperſtitioſorũ Deorum cultor, ſed actus impetu naturæ, cùm dixit, Conandum eſſe, ut omnia bona cum bona ſpe cõſectemur: φέρειν δὲ ἃ ἂν ὁ θεὸς διδῷ, γενναίως: Ferre aũt quæ Deus dederit, generoſe & fortiter. Is etſi Dianæ Palladiſq; cũ Athenienſibus uenerator eſſet, luce tamen naturæ, uniuerſalẽ magnũq; Deũ iudit, ſingulariterq; appellauit.

Quod ſimili ratione locuti ſunt, et quidem diuinius poëtæ, qui Homero ſucceſſerunt, de ſingulari Deo & his quæ uere de eo prædicantur. Cap. II.

EAdem ratione locuti ſunt ueteres celebresq; poëtæ. È quibus Pindarus propter pulchritudinem, ordinemq; rerum cœleſtium, & omniũ rerum bonarum inuentionẽ appellat θεὸν ἀριστότεχναν, Deum, optimũ, ſolertiſſimumq; opificem. Quod adducit admiraturq; ſæpe ſæpius Plutarchus. Hìc et quòd opifex mundi ſit, et omnia iuxta Theologiam Moſis fecerit optima, et quòd ſit unus, ſingularis, oſtenditur. Crede mihi, quo ſunt homines rerũ exordio propiores, hoc meliores, & ſingularis optimiq; Dei colentiores. Idololatria fuit error poſteriorũ ſeculorum, contraq; impetũ naturæ. Similiter locutus eſt Aeſchylus, quod adducitur etiam à Platone. θεὸς αἰτίαν φύει βροτοῖς, ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ. Nimirũ, Deus cauſam creat, cùm domũ funditus labefactare decreuit, Ecce Deus Aeſchylo, Deus Moſis, Deus Prophetarũ, apud quos prædicat ſe creare malũ, uidelicet quod Aeſchylus, euertere, labefactare domos impiorũ, quod toties in libris Regũ refertur feciſſe, et facit quotidie, etiam Pophetis non denuntiantibus. Videſ cum fatentẽ, ſingularem illum iuxta ſuperiores Regem moderatoremq; humanarum rerum, ultorem impiorũ, quorum domos euerſurus, cauſam ipſe reperiat, nos autem unde ueniat, neſciamus. Callimachus autem, ut eſt etiam apud Plutarchũ, ſic locutus eſt: εἰ θεὸν οἶσθα, ἴσθι ὅτι καὶ δαίμονι ξύξαι πᾶν, ἀνυτεόν: Si Deum noſti, noris quòd diuinitati ſunt omnia poſsibilia. Quid diuinius hoc teſtimonio? Eſt hic eadem ſingularis Dei nuncupatio, eſt uniuerſalis poteſtatis attributio, ſacrarum literarũ Theologia, quòd non ſit abbreuiata manus Domini, quòd ſit omnipotens, ſic pectoris humani naturalis confeſsio, ſicut cœleſtis oraculi reuelatio, conſpirante utraq; Theologia, & ea quæ de cœlo, & quæ de natura manauit. Simonides autem non modò ſingularem Deum nominauit, ſed item de ſapientia, bonitateq; eius ſingulari, & incommunicabili, altiſſimè philoſophatur. Teſtimonium ſapientiæ adducitur ab Ariſtotele, bonitatis à Platone. Quo nomine ſuſpicitur ab utroque. Ariſtoteles in libro de prima philoſophia, Sola, inquit, ſapientia quæritur

causa sui. Quocirca iure nõ humana possessio dicatur. Multis enim modis serua est humana natura: ὥσε κατὰ σιμωνίδην, θεὸς ἂν μόνος, τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας: Quapropter iuxta Simonidẽ, solus Deus habet hanc dignitatẽ. Quanta est, quàm profunda Theologia Simonidis, quòd solus Deus sit sapiens? Eadem causa per excellentiam dicitur in sacris literis, Sapientia, per quam fundata est terra. Et Pindarus eum dicebat optimũ artificem. Hæc sapientia Dei. Testimoniũ autem summæ, & incommunicabilis bonitatis, apud Platonem in Protagora, quod prior Chilon: ὅτι χρήσθαι μὲν ἀνδρὶ ἀγαθῷ χαλεπὸν ἀλαθέως. οἷόντε μὲν τυγχάνει τινὰ χρόνον τινὰ. χρόμενον δὲ διαμένειν ἐν τούτῳ ἔξει, καὶ εἶναι ἄνδρα ἀγαθὸν, ἀδύνατον καὶ οὐκ ἀνθρώπειον, ἀλλὰ θεὸς ἂν τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας: Bonũ quidem uirum fieri uerè difficile est: licet tamen ad aliquod tempus esse. Sed cùm fueris, in hoc habitu permanere, uirumq; bonum esse, impossibile, & non humanum: sed Deus hoc habeat decus. Nónne sapientia Simonidis hæc, naturali bonitate profusa, ea est, quam Seruator homines eruduit dicens, Nemo bonus nisi solus Deus? Hic igitur Simonides, etsi Græcus erat, multisq; ante coruscans Euangelium natus annis, deduxit eum natura tamen ad inclytæ Theologiæ confessionem. Necdum enim eousq; peruaserat superstitio ut bonitatem superioris ætatis, scientiamq; illam Dei à primis hominibus uenientem, obfuscarit. Quodq; mirabilius est, hanc sapientiam uel à Simonide natam, uel antiquiorem putat Plato: ἢ ἀπὸ σιμωνίδου ἀρξαμένην, ἢ καὶ ἔτι παλαιοτέρας: uel à Simonide cœpisse, uel etiam uetustiorem esse. Hic etiam ille Simonides, qui non solum summam sapientiam Deo, bonitatemq; supremam adiudicauit, sed etiam dixit eum inscrutabilem. De quo, Marco Tullio autore, cùm quæsisset Hiero tyrannus quid aut qualis sit Deus, deliberandi causa sibi unum diem postulauit: cùm idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit: cum sæpius duplicaret numerum dierum, admirans q; Hiero quæreret, cur ita faceret: Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi uidetur res obscurior. Vnum igitur singularemq; spectabat, maximum, uniuersalem, naturalemq;, inscrutabilem, innominabilem, ut Mercurius dixit, non fabulosos illos, aut ullam cœli Intelligentiam. Ad hanc Theologiam, atq; ad has laudes, Diuinitatisq; semper impulit homines natura confessionem. Is ante oculos obuersabatur, sese tum mirandis operibus suis exhibens animis, tum quibusdam primæ Theologiæ scintillis superstitibus, quibus mentes hominum excitabantur, multitudine fabulosos illos, nuperq; delatos colente Deos. Audi igitur mirabiliora canentem Sophoclem, & cum sacris oraculis mirificè congruentem in appellatione singularis Diuinitatis, & prædicatione operum diuinorum superstitionumq; detestatione. Is autore Cyrillo aduersus Iulianum Imperatorem, hæc scripsit:

Εἷς τᾶις ἀληθείαισιν, εἷς ὅτι θεὸς,
Ὃς οὐρανὸν τίτευχε, καὶ γαῖαν μακρὰν.

πάντοτε

Ῥόντος χάροπον οἶδμα, καὶ ἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ, καρδίᾳ πλανώμενοι,
ἰδρυσάμεθα πημάτων πρὸς ψυχλὼ
θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων,
ἢ χρυσοτύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων
θυσίας τε τούτων, καὶ καλὰς πανηγύρεις
τεύχοντες. ὅτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.
Vnus uerò duntaxat, unus eſt Deus,
Qui polum creauit, & latum ſolum,
Pontiq; lætos fluctus, uentorumq; impetus.
Mortales autem multi, animo uagi,
Ereximus erroris & cladis, animi
Deorum ſimulachra, è lapidibus, materieq;
Siue conſtructa auro, uel ebore.
His ſacrificia, feſtosq; celebrauimus dies.
Sic pietatem retinere credimus.

Hæc reddidi, non moratus nunc numerum, temporaq; ſyllabarum. Ex his clareſcit magis eandem, unamq; ſemper fuiſſe religionem, clariorem primis ſeculis, medijs obſcuriorem, hominum erroribus in quinatam, nouißimis clariſſimam, quam nulla deinceps corrumpat ſuperſtitio. Agnoſcebant igitur illi ſuorum temporũ, ac fatebantur errores, ad genitorem ſuum redeunte natura, & quos ſuperſtitiones delirare cogebant, ad ueritatem machinis ſuis reuocante. Quid poſteri philoſophi dicent, cùm maiores, à quibus per ſucceßionẽ, uitam, mores, opes, ſermonem, literas, iure hæreditario acceperunt, uideant piè confitentes unum, ſingularem, eundemq; iuxta Theologiã Moſis, Vniuerſi conditorem? Omnia igitur ſecula hunc cognouerunt, meritis laudibus extulerunt. Modò Vnitatem, et inæſtimabilẽ Bonitatem, Sapientiamq;, interdum Omnipotentiã ei tribuentes, nunc Conditorẽ Vniuerſi cum Moſe, nunc Inſcrutabilem aſſerentes. Eundem quoq; ſingulariter nominauit Euripides, etiam ſub his religionibus ortus, quæ uanos illos, ineptosq; Deos colerent, eiusq; miſericordẽ naturam indulgentemq; fatetur. Afferturq; etiam à Plutarcho:

Μέλλει τὸ θεῖον, ὀξὺ δὲ τοιοῦτον φύσει.
Cunctatur diuinitas, taliſq; eſt ingenio.

Hæc de clementia, miſericordiaq; diuina dicuntur, cuius propheta ſimili ratione dixit eſſe plenã terrã. Quo uocatur in ſacris literis μακροθυμὸς, noſtri dicunt longanimis, ſed melius, ſero iraſcens, differens ulciſci. Ideo ſubdit quidã apud Plutarchum, minime decere aduerſus malos, ἔχθυμον εἶναι τὸν θεὸν, ſegnẽ eſſe Deũ. Corrigitur autẽ à Plutarcho. Hic igitur Euripides, nullũ è fabuloſis illis Dijs, quos illa ſecula colerent, ſed unũ præpotentem, uniuerſalẽ, ſemper animis occurrentem

ſpectauit

ſpectauit Deum. Multo autem diuinius Phocylides, è priſcis illis ante Platonem poëtis (fuit enim autore Suida æqualis Theognidi) de ſingulari Deo ſcripſit, ut penè Prophetarum quis uideatur extitiſſe. Fuit tamè Mileſius, his temporibus ortus, quibus Deorum multitudo ab ignaris adorabatur, ſuperſtitionibusq; uanis ſcatebat Græcia. At is multa tamen diuinitus ſcripſit. È quibus ſunt illa, quæ locutus eſt in his quæ uocantur παραινέσεις:

Εἷς θεὸς ἐστὶ σοφὸς δυνατός γ' ἅμα καὶ πολύολβος:

Eſt unus, ſapiensq;, potens, Deus, atq; beatus.

Hinc non mirum ſuperiora cecinisſe Sophoclem de ſingulari Deo. Putat autem Suidas, qui autor eſt, uerè Phocylidem ſcripſiſſe uerſus illos, uitæq; degendæ præcepta, quæ hodie circunferuntur, inſcripta, ut ipſe inquit, πεφάλαια, ex uerſibus Sibyllinis fuiſſe decerpta, ἃ ἐστὶ δὲ ἐν τῶν σιβυλλιακῶν κεκλεμμένα. Facile igitur potuit Phocylides de ſingulari Deo, ſapientia, potẽtia, beatitudineq; eius, laudes has uel ſub falſis religionibus ortas edidiſſe: quippe qui cum reliquis poëtis, hæc apud Sibyllas legeret. Videbis igitur in uerſibus Sibyllinis ſimilia. È quibus:

Εἷς θεός, ὃς μόνος ἐστὶν, ὑπερμεγέθης, ἀγέννητος.

Ἀλλὰ θεὸς, μόνος, εἷς, πανυπέρτατος.

Vnus ſolusq; eſt Deus, maximus, ingenitusq;.

At Deus eſt unus, cunctis altiſſimus idem.

Ex his carminibus, quemadmodũ ſuſpicatur Suidas ſumpſiſſe Phocylidem de ſummo, ſingulari, ſapienteq; Deo loquẽtem, ſi forte ſumpſerunt Sophocles, et Simonides. Is loquens, Ariſtotele teſte, de ſapientia eius, quam ab eo ſolo poſſideri, ut apparet nunc Sibyllam cecinisſe, dicebat. Ille ſuperius cantabat unum, ſummum, ſingularem, qui creauerit cœlum, terras, maria. Sibylla uerò to'idem uerbis:

Ἀλλὰ θεὸς μόνος, εἷς, πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν

Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,

Καρποφόρον γαῖαν τε, καὶ ὑδατα κύματα πόντου.

Sed Deus eſt unus, ſummus, qui ſidera fecit,

Cœlum, Phœbeumq; iubar, lunæq; nitorem,

Frugiferam & terram, ponti fluctusq; tumentes.

Vidiſti ſuperius in Sophocle, non eandem modò ſententiam, ſed eadem prorſus uerba, de unitate Dei, de cœli, latæq; terræ, equoreiq; fluctus creatione. Eadem igitur priſcorũ philoſophorũ, quorũ tempore, autore Plutarcho, metricè philoſophiam, Theologiam, et hiſtoriam ſolitum erat decantari, fuit de Deo atq; Sibyllarũ ſententia, religio, par Theologia. Nã Thales Mileſius, quemadmodũ & Sibylla dixit autore Laërtio, Deum ingenitum. Hoc ergo pro comperto, perſpectoq; habeamus, tã magis fuiſſe Diuinitatem ſuis laudibus decoratã, creationẽ mundi cunctis uocibus hominum atq; dæmonum, in eam relatam, quàm magis ulterius ad priſcas ætates exordiumq; mundi quis aſpiciat. Proſequitur Phocylides, quem Plato quoque nominat & admiratur, ſingularem Deum appellans, omnemq; ei prouidentiam tri-

buens.

buens, & ante omnes res, operasq; colendum docens: πρῶτα θεὸν τίμα: In primis uenerare Deum. Vides eum non dixisse quemadmodum poëta, uenerare Deos, Spectabat enim uerum illum, & singularem. Item:

Εἰ σὺ κακῶς δικάσεις, σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσει.

Si malus es iudex, Deus & te iudicat ipse.

Hæc Theologia est sacrarum literarum: Deus iudex iustus. Qui iudicas omnem terram. Viduam & pupillum suscipiet. Item Phocylides:

ὧν σοὶ ἔδωκε θεὸς τούτων χρῆσι παράσχε

Quæ tibi largitus Deus est, des tu quid egenis.

His illa Mosaicæ Theologiæ pars asseritur, qua docuit Deum, fructus, holera, bestias, mare, terras, in hominum potestatem tradidisse. Quæ cùm tanta copia, uberta teq; donauerit, uelit item nos eius imitari clementiam, manus egenis aperientes, quemadmodum bonitatis suæ thesauros aperuit ipse nobis. Eundem fatetur Phocylides, omnibus animantibus arma sua dedisse, uolucribus pennas, leonibus robur, tauris cornua, apibus aculeos, uerum pro cunctis his, hominem armasse ratione, uallido aduersus omnia propugnaculo:

ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεός.

Armauit nam cuncta Deus.

Asserit etiam mirificè cum Mose, hominibus esse spiritum, & imaginem à Deo, quemadmodum uidelicet Sibyllæ cecinissent.

Πνεῦμα γάρ ὅσι θεοῦ, χῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών. Quod est,

Spiritus ipse Dei est mortalibus atque imago.

Et cùm ait omnes æquè mortales esse, Deum autem animis imperare. Non imperat autem mortuis, quemadmodum ipse dixit. Si est Deus Abraham, Isaac, non est Deus eorum, qui non sunt.

Πάντες ἴσοι νέκυες, ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύσει.

Nominatur igitur Deus ubiq; singulariter: qualisq; fuit Phocylidis Philosophia, talem arbitrandum est fuisse omnium eius tempestatis sapientum. Semper igitur Deus unus cognitus est & prædicatus, quem sic exhibuit animis Natura, quemadmodum sunt animantibus instinctus cuique sui.

Eadem probatio ex priscis Pphilosophis, de laudibus diuinis, ab eis celebratis, quod sit unus Deus, quod Mens Animatioq; Vniuersi, principium: medium, finis, ex Pythagora, & Archyta, Philolao, & Asclepio, Acmone, Mercurio. Cap. III.

Post poëtas, similem pietatem tenuisse Philosophos, præsertim uetustiores illos ante Platonem unanimi religione summi ac singularis Dei memoriam singulariter celebrantes, ac nominantes, si quis eorum dicta consideret, quæ partim nunc in libris eorum leguntur, partim ab subsecutis Philosophis, qui libros eorũ legerũt, referuntur facile cognoscet. Ex his sunt Trismegistus, Orpheus, Sibylla, Empedocles, Pythagoras, Melissus, Anaxagoras, Philolaus, Pherecydes, plures q; alij, qui superiorum seculorum sapientiam, cuius à Deo fuit origo, quam primis hominibus tradidisset,

tradidiſſet, uenerantes, de maieſtate, ſingulariq; eius Diuinitate cunctisq; bonis, quæ poſſidentur ab eo, diuinas laudes, cuiuſmodi reſonant in ſacris literis, decantauerunt. Ex his primum, quàm mirabilis, quàm diuinus fuit uetuſtiſſimus Triſmegiſtus in confeſſione ſummæ Diuinitatis? quos hymnos ei decantauit? quibus nominibus appellauit? Cùm in Pœmandro deprecans ut rationale ſacrificium ſuſcipiat, ſic eum uocat, ἀνεκλάλητε, ἄῤῥητε, σιωπῇ φωνούμενε. Ineffabilis, indicibilis, ſilentio uocatus. Qui ſcilicet ſilendo uocaris, audiens etiam ſilentes, orationemq; diuinam exordiens: ἅγιος ὁ θεὸς, οὗ ἃ βουλὴ τελεῖται ἀπὸ τῶν ἰδίων δυνάμεων, ἅγιος ὁ θεὸς, ὃς γνωσθῆναι βούλεται, καὶ γινώσκεται τοῖς ἰδίοις. ἅγιος εἶ ὁ λόγῳ συνεστάμενος τὰ ὄντα. ἅγιος εἶ οὗ πᾶσα φύσις εἰκὼν ἔφυ. ἅγιος εἶ οὗ ἡ φύσις οὐκ ἐμόρφωσεν. ἅγιος εἶ ὁ πάσης δυνάμεως ἰσχυρότερος. ἅγιος εἶ ὁ πάσης ὑπεροχῆς μείζων. ἅγιος εἶ ὁ κρείττων τῶν ἐπαίνων: Sanctus Deus, cuius uoluntas peragitur à proprijs uiribus, & poteſtate. Sanctus Deus, qui uult cognoſci, & cognoſcitur à ſuis. Sanctus es, qui ſolo uerbo cuncta fecisti. Sanctus, cuius omnis natura fuit imago. Sanctus es, quem non formauit natura. Nimirum cuius forma nuſquam in natura eſt. Sanctus es, qui ſuperior & fortiòr es omni poteſtate. Sanctus es, qui omni magnitudine maior, & excellentia excellentior. Sanctus es, qui es omni laude ſuperior. Sic ille. Agnoſcis pſalmos, & hymnos diuinos à cunctis, non ab Hebræis ſolis decantari. Sumus enim omnes filij Dei, omnes ab illo. Eoq; ſpiritus omnis laudat creatorem ſuum. Sibylla uerò, quam Iuſtinus philoſophus uocat uetuſtiſſimam eodem ipſo autore ſcripſit (multis omiſſis, quæ reperies apud alios.)

Εἷς θεός ὅτι μόνος καὶ ἀγένητος,
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα,
Αὐτὸς δὲ ὁ βλέπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἁπάσης.

Vnus Deus ſolus eſt ſupra omnem maieſtatem, ingeneratus, omnipotens, inuiſibilis, uidens ipſe omnia, ab omni mortali corpore non uiſus. Hæc illa cum ſacroſanctis Prophetis, & Apoſtolis uetuſtiſſima decantauit. Eodem Iuſtino autore dixit eadem:

Ὄλβιοι ἄνθρωποι κεῖνοι ἐπὶ γαῖαν ἔσονται,
Ὅσοι σὴν σέβεσι μεγαν θεὸν ὑλογέοντες,
Πρὶν φαγέειν, πίειν τε, πεποιθότες ὐσεβίῃσι.
Οἱ νηὸς μὲν ἅπαντας ἀπαρνήσονται ἰδόντας
Καὶ βωμὸς, εἰκαῖα λίθων ἀθέμιστα κάπνῳ
Ὀπιπασιν ἐμψύχων μεμιάσμενα, καὶ θυσίαισι
Τετραπόδων, βλέψασι δὲ, ἑνὸς θεοῦ ἐς μέγα κῦδος.
Sunt homines illi uerè in tellure beati,

Qui

Qui magnum coluere Deum, & cecinere priusquam
Ad potumq; cibumq; adeant pietate decori.
Qui delubra oculis mox auferre uidentes
Atq; aras, lapides, uita & ratione carentes,
Sanguine pollutos animantum, pecudumq;
Cæsorum, uniusq; Dei aspiciunt decus ingens.

Ecce igitur omnes cum sacris literis, id est, cum ueritate pura consentiunt. Ecce quo magis uetustiores ætates respicias, tam magis cognitum, prædicatumq; Deum singularem agnoscas. Cuius clarior scientia, cunctis ambagibus amotis, à filio suo nouissimis seculis fuit patefacta. Orpheus igitur etiam uetustissimus, ante omnes celebratos in Græcia philosophos & poëtas, multis carminibus de singulari Deo, non secus atque Prophetarum quis, mira exprompsit, nemini non suspicienda. Hæcq; carmina partim apud Platonicos, partim Theologos nostros, Iustinum, Eusebium, Cyrillum, Clementem Alexandrinum habentur, ne putes non uetustissimi, quemq; uocat diuinissimum Ioannes Philoponus, esse. Is ad filium Musæum de Deo scripsit, quorum nonnulla minores posteà desumpserunt:

Μοῦνον δὲ ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα
Εἷς δ' ὅδε αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δὲ γε πάντας ὁρᾶται.
Οὕτω δ' οὐ ἀγάθοιο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι
Καὶ πόλεμον κρυόεντα, κακὰ ἄλγεα δακρυόεντα.
Οὐδέ τις ἐδ' ἕτερος, χωρὶς μεγάλα βασιλῆος.
Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐσήρικται
Πᾶσιν γὰρ θνητοῖς, θνηταὶ κόραι εἰσὶν ὑπ' ὄσσοις.
Ἀθέεσι δὲ ἰδέειν δία πάντων μιδήοντα.
Οὗτος γὰρ χαλκεῖον ἐς οὐρανὸν ἐσήρικται
Χρυσείῳ ἐν θρόνῳ, γαίης δὲ ὑπὸ ποσὶ βέβηκεν
Χεῖρα δὲ δεξιτερὴν ὑπὲρ πέρματος ὠκεάνοιο,
Πάντοθεν ἐκτετάκειν, πρὸς γὰρ τρόμει ὄρεα μακρὰ,
Καὶ ποταμοὶ, πολιῆς τε βάτος χερόποιο θαλάσσης.

-Solum Regem aspice mundi.
Vnicus ex se natus, sunt atq; omnia ab Vno.
In his ingreditur, nec quisquam respicit illum
Mortalis, uerum ipse immensus respicit omnes.
Isq; bonis demptis mala dat mortalibus atra,
Et sæuum bellum, & lachrymas, sæuosq; dolores.

Nec

Nec quiſquam eſt alius, niſi rex is maximus illum
Non uideo: circum eſt etenim caligine ſeptus.
Non ſunt mortales acies mortalibus, atque
Cernere non poſſunt Regem, qui cuncta gubernat.
Is cœlo ærato, robuſto & præſidet axe,
Inq; throno ſidet aurato, pedibusq; per ipſam
Ingreditur terram, oceaniq; ad ultima, dextram
Porrigit undique, montes ingentesq; tremiſcunt,
Fluminaq;, & cani fluctus, æquorq; profundum.

Primusq; Pythagoras autoribus Theologis Græcis, Plutarcho quoq; & Cicerone, ſertur uelut unus è Prophetis, dixiſſe: ὁ μὲν θεὸς εἷς, αὐτὸς δὲ οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς ἀλλὰ παντὸς ἐπέκεινα, ἀλλ' ἐν αὐτῷ ὅλῳ ἐν ὅλῳ, τῶν κύκλῳ πάσας ἐπισκοπῶν γενέσεις. ὄνομα δὲ κράσις τῶν ὅλων αἰώνων, καὶ φῶς, τῶν αὐτὸ δυνάμεων καὶ ἔργων, ἀρχὰ πάντων ἐν ὀρανῷ φωσὶν, ἐν πάντων πατὴρ, νοῦς, & ψύχωσις τῶν ὅλων ἁπάντων κίνασις. Quæ ſunt, Deus quidem unus eſt. Ipſe uerò nõ, ut nonnulli ſuſpicantur, extra mundum, ſed in ipſo eſt, totus in toto, omnes circunquaque conſiderans generationes. Eſt Temperies omnium ſeculorum, Opifex, ſeu Lumen ſuarum facultatum, & operum, In cœlo Lumen, omniũ pater, Mens & Animatio cunctarũ rerũ & Motus. Hæc dixit Pythagoras, autore Cyrillo aduerſum Iulianum Imperatorem, etiam Euſebio, multisq; alijs. Etiam Cicerone, & Plutarcho. Nam quoniam dixit Deum rerum cunctarum Animationem, mentium, animarum Genitorem, hinc Cicero referens eius ſententiam, Nam Pythagoras, inquit, qui cenſuit animum eſſe per Naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, non uidit diſtractione humanorum animorũ diſcerpi, ac dilacerari Deum. Et cùm miſeri animi eſſent, quod plerisq; contingeret, tum Dei patrem eſſe miſeram, quod fieri nõ poteſt. Cur autem quicquam ignoraret animus hominis, ſi eſſet Deus? Quo modo porrò Deus iſte, ſi nihil eſſet in mũdo? Vides Ciceronem, ſub Epicurei perſona, omnem hanc ſententiam interpretantem, qua Pythagoras dixerat, Deum non extra, ſed per omnem mundũ intendi, et cõmeare. Et quoniam uocat eum Pythagoras ψύχωσιν, Animationem, hoc Latinus Philoſophus interpretans animũ, declarat quam ob cauſam, eum Pythagoras Animationem ſiue Animum uocaſſet: quia ſcilicet inde noſtri animi carperentur. Plutarchus item referens placitum Pythagoræ de Anima, quod uerbis Græcis ſuperius poſitis continetur: Pythagoras, inquit, & Plato ἄφθαρτον εἶναι τὴν ψυχὴν. ἐξιόντας γὰρ εἰς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν, ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμογενές: Incorruptibilem eſſe Animam. Exeuntem enim, ad animam Vniuerſi, ut ad ſuum genus reuerti. Verè igitur illa ſuperiora, ſenſit, poſteris q; reliquit Pythagoras. Primáq; Theologia de Vnitate diuina, tum de Maieſtate, mundum uniuerſum complectente, nulla, quam non totus in toto cernat, am-

nat, amplectaturq; parte uacante: exin de prouidentia, quo præsente generationes ordinesq; omnes concinant, ipso uelut corypheo, duceq; choreæ, rerumq; tempe/rie. Quorum cùm sit ipse moderator & effector, iure principium, opifexq; uoca/tur, suaq; opera dicuntur, quæ circunspicimus: Luminum cœlestium temperator, & ad uitam uniuersi, quacunq; diffunditur mundus, luminis donator, imò uerò lux ipse sempiterna, cœlestis repertor: Genitor, Mens Vniuersitatis, qua uiuit sentitq; plenus ordinũ uenustissimus mundus. Hæc tempestatis illius sacra, uenerãda Theo logia, nunquam sopita uel extincta, quam primus homo manifestam uidisset, luce ueritatis. Philolaus igitur discipulus Pythagoxæ, hæres huius sacrosanctæ sapien/tiæ, autore Philone Iudæo: ὁ ἡγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντων θεὸς εἷς ἀεὶ ὢν μό/νιμος ἀκίνητος, αὐτὸς αὑτῷ ὅμοιος, ἕτερος τῶν ἄλλων: Princeps & Dux omnium Deus, unus, semper existens, singularis, immotus, ipse sui similis, alius ab alijs. Quantum hic Diuinitatis? quàm claret nunquã non mundi, generisq; humani patrem, perspectum fuisse, & errante multitudine, Deosq; illos commentitios co/lente, sapientes aliud sensisse, uanitate uulgaribus concessa, ueritatem sibi reseruas/se? Quid aliud extat Theologiæ apud prophetas? Quòd sit unus, non plures, quòd in sempiternum, quo uocauit seipsum in libro Mosis ὁ ὤν, Ille qui est, significatus nominis tetragrammi, existentis scilicet æterna substantia, uita, luce florentis. Im/mobilis autem, designat eius incommutabilem naturam, nullam in omni æternitate mutationem, alterationemq; recipientem. Eoq; sui similis semper, quantum cæteris rebus dissimilis, quæ semper uariantur: & tum fuit tempus quum non essent, tum deinde creatæ, iugibus huc illuc fluctibus semper deportantur: nihil usquam stabile, tam uariantibus animis, quàm corpora nunquam in eodem habitu perseuerant. Il/le autem idem semper, cuius est perfecta beatitudo, sempiterna possessio. Talis erat eius temporis Theologia. Nunquam abfuit à mundo Deus, nunquam sese abdidit, abstrusitq;, ne quis eum agnosceret. Hanc sanctissimã sapientiam, par est totius tem pestatis & superiorum seculorũ ad diluuium usq; floruisse, tametsi superstitiones inualescebant ubiq;, Barbaris cœlũ sideraq; colentibus, Græcis homines illustres. Sed, ut dixi, is erat magis multitudinis error, luce ueritatis quasi in crepusculo, & aurora apud paucos nitescente. Omnis igitur Pythagoreorum schola, quæ ex no/bilissimis Italiæ Græcisq; uiris constabat, hæc ipsa de summo ac singulari Deo sen/tiebat ac prædicabat. Audi enim Archytam, Pythagoræ cum Philolao discipulum (Is autore Iamblicho de secta Pythagoreorum, quorum libri ad manus eorũ perue nerunt, nobis temporum iniuria incogniti) ut altissimè philosophatus sit de Deo: ὅσις ἂν αὐλῦσαι οἷοσ τ' ὄν τι παύτα τὰ γένεα, ἀπὸ μίαντε τὴν πέρ αὐτὰν ἀρχάν, καὶ πάλιν σωθεῖναι τε καὶ σωαριθμεῖσθαι, ὅτ' ἐστὶ μοι καὶ σοφώτατος ἦμεν, καὶ παναληθέστατος. ἔτι δὲ καὶ καλὰν σκοπιὰν εὑρηκέναι, ἀφ' ἃς δυνατὸς ἐσσεῖται ἐὰν θεὸν καταφεῖδαι, καὶ παύτα τὰ ἐν συστοιχέα, καὶ τάξι τὰ ἐκείνου κεχωρισμένα. καὶ ταύταν ἁρμαστὴν

λαβὼν, ὅλον ἐκπορισάμενος, τῷ νοῒ, κατ' εὐθείαν ὁρμαθήσῃ, καὶ τελευ
σάμενος τὰς ἀρχὰς ταῖς πέρασι σωάψαντα, καὶ ὧν γνῶντα ὅτι ὁ θεὸς
ἀρχάτε, καὶ τέλος, καὶ μέσον ἅπ, τ καὶ | πάντε, καὶ τ ὀρθὸν λόγον πραινα-
μένων. Quicunq; inquit, posit omnia genera rerũ, ad unum & idem principium
resoluere, & rursum componere & connumerare, is mihi sapientissimus, maxi-
meq; ueridicus esse uidetur. Insuper pulchrã speculam reperisse, ex qua posit con-
templari Deum, & omnia, quæ in coordinatione & serie eius separata sunt. Hæcq;
regia uia aperta menti, rectà pergere, cursumq; conficere, principia finibus conne
ctens, cognoscensq; quòd Deus est principiũ, & finis, & mediũ omnium, quæ se-
cundũ ius rectamq; rationem peraguntur. Hæc Archytas. Quanta dij boni Theo-
logia? quàm multiplex sapientia? quæ philosophia? quæ laudes? quæ cognitio diuini
tatis? Quòd sit principium, medium, finis omnium, quòd is sit sapientissimus, in nu
merum uerorum philosophorũ ponendus, qui cuncta reuocet ad creatorem, princi
piumq; suum, duabus incedens philosophando uijs, primam per resolutionem, alte
ram per compositionem, connumerationemq;. Principio respiciens fontem illũ, cun
ctorum bonorũ, ab eoq; deducens uisibilium & inuisibilium molitionem: ab hac
origine cœlum, terras, mare, solem, lunam, genus hominũ, usq; ad minima quæq;.
Altera, rediens à nouissimis hisce ad illum, quasiq; ascendens in cœlum. Vt qui fon
tibus Nili repertis, per totum flumen usq; ad ostia descendat, cernens omnem hanc
uberrimam aquam à fontibus illis nasci, citra originẽ illam, tantum flumen manare
non posse. Aut si spectans ostia, flumenq; perenne miratus, nesciens unde tanta uis
aquarũ scaturiat, per flumen usq; ad fontes scrutaturus accedat. Eiusmodi philoso
phando rationẽ quicunq; teneat, Archytas admiratur, sapientissimus ab eo, maxi-
meq; ueridicus iudicatur. Quia hæc ueritas est quòd Deus est principiũ, finis, me-
dium: sic in medio manantibus omnibus ab eo, sustentatisq;, sicut autor fuit ut na-
scerentur. Hæc pulcherrima philosophandi specula, unde latè diuina lustrare, fon-
tem rerum prospectare queas. Hoc iter quo ducimur ad originẽ mundi, & innume
rabiles ordines, seriesq; rerũ longissimas ab illo fluentes circunspectamus. Hac ani-
mus incedens, conficit cursum rectum, regium, cuius est supremus anhelitus, Deum
principiũ, mediũ, finem nosse rerũ cunctarũ. Nam pulchritudo mundi, ut Marcus
Tullius iuxta philosophiã hanc ait, ordoq; rerũ cœlestiũ, cogit confiteri, esse præ-
stantem aliquã, admirandamq; hominũ generi naturã. Aspicis igitur uerã philoso-
phandi uiã. Sed Archytas non modò in uniuersum Deum esse principiũ, medium,
finem, uerũ etiã confitetur apertè hominẽ sapientiæ capacẽ feciſſe. Ad aliaq;, qua
proferentur in libris de Anima concludens sermonem, super humana creatione:
οὐκ λοιπὸν μοι ἦμεν πόθ', ὅπῃ καὶ γέγονε, καὶ σωτέσαι ὁ ἄνθρωπος, καὶ
ὄργανα δέ, καὶ δυνάμεις εἰλήφην πρὸς τῶ θεῶ. Hoc, inquit, uidetur mihi ali-
quando fuisse, quod etiam fuit. Creatus est homo, & instrumenta, atq; facultates ac
cepit à deo. Quid aliud locutus est Moses, ut fuerit olim, quod uerè fuisse suspicatur

Archytas?

Archytas? Deum manus ad opificium hominis admouiſſe ſuas, inſtrumenta corporis calidiſſimo artificio feciſſe, facultates addidiſſe, quibus intelligentia contineretur capax omnium rerum, ſed in primis autoris ſui. Cum igitur eandem philoſophiam in omni Pythagoreorum ſchola, quoniam is præ cæteris nobiliſſimus fuit, paucíq; alij æquè docti, uiguiſſe par ſit, apperet utiq; Moſaicam illam ſapientiam, quã non modò conſcripſit oraculis diuinis eruditus, ſed tradebatur etiam per omnes ætates fama manante ſemper in poſteros, in Græcia quoq; priſcis illis ſeculis claruiſſe, ſingularemq; Deum inter tot ſuperſtitiones præſertim ſapientibus innotuiſſe: Hanc ultimorum ſeculorum ſapientiam cunctos eſſe confeſſos, ſiue natura documenta præbente, ſiue patrum uoce ſatorem æternum ſemper reſonante.

Quod priſci philoſophi ſuper uno ac ſingulari Deo mirabiliter cum ſacris literis conſenſerunt. Cap. IIII.

Asclepius ad Ammonem regem de Deo profundè philoſophatus eſt, eum ſingulariter nominans, & ei maieſtatis laudes eas concinens, quas canunt indefeſſe literæ ſacræ, quasq; ſuperiores audiuimus decantaſſe, ut conſtet unam eandemq; tempeſtatis eius fuiſſe ſapientiſſimam pietatem, & piiſſimam ſapientiam, pares laudes diuinas, omnibus animis conſonantibus: ἀκάματόν μέν ἐστι πνεῦμα ὁ θεός, ἀεὶ κατὰ ὡσαύτως ἔχων τὰς οἰκείας ἰδιότητας, διὰ παντὸς δὲ τὰς διαμονίας, ἐνεργείας δὲ τὰς αὐτὰς ἁπάντων κεχυμένος, ὕπατος βασιλεὺς τῶν ὅλων ἀγαθὸς ὁ θεός. Nimirum, Indefatigabilis ait, Spiritus eſt Deus, ſemper & eodem modo habens ſua ſcientia. Perennis felicitate, operationibus eiſdem utens ad omne tempus. Supremus omnium rex, bonus Deus. Principio definit eum Spiritum, ſeu Mentem, tum indefatigabilem, quod philoſoppi dicerent, uirtutis infinitæ, facultatis inexhauſtæ, tum ſapientiæ, ſcientiæq; perpetuæ, immutabilis, ad quam nulla fiat unquam acceßio, nulla ſit ei diminutio, aut quæ ſit, quemadmodum noſtra uaria, nunc hac, nunc illa ſententia diuino animo ſurgente. Eadem perinde luce, Sole illo ſemper nitescente, atque Sole corporeo, cuius lumen nemo uidit unquam, uel largius creuiſſe, uel ſolitum iubar ei caligaſſe. Aequè ſapiens, ſemper item æquè beatus. Tria ſempiterna poßidens, ſempiternam poteſtatem, ſempiternam ſapientiam, & ſempiternam beatitudinem. Regiam quoque ſublimitatem, & illam ſæpe in ſacris literis prædicatam inſuperabilem, nullaque mente cogitandam bonitatem. Multorum igitur uocibus concurrentibus, exploratum nobis erit, Deũ, quem nouißima coluit, uidit, declarauit religio, natura quoq;, & crebra quondam oracula, ſemper hominibus obtuliſſe, religione, natura, cœlo, inter ſe ſemper congruente. Et quas prophetæ, diuinitusq; afflati uiri laudes ediderint, eaſdem multos alios, quos ſola natura, ſparſæq; per omnem mundum rationes commouerent, celebraſſe. ut uerum ſit quod Deus per prophetam: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Itaque etiam Thales Mileſius è priſcis illis, tum Deum ſingulariter appellauit,

pellauit, κὴ εῦ dixit autore Laërtio πρεσβύτατον, antiquiſſimũ: & ἀγένητον, ingeneratũ: declarans uidelicet cur eſſet antiquiſſimus. Eundem, autore Cicerone, dixit eam Mentem, quæ cuncta ex aquis finxiſſet, nimirũ Sapientiam æternam, ſollertiſſimam, omnis pulchri, boniq; repertricem, quæ & Chaos, nempe aquam cum terra, ad ædificium mundi præparauit, & ipſum mundum ſuper extruxit. Duos quoq; uetuſtiſſimos philoſophos, quos prius memorare dubuerã, teſtatur Iuſtinus martyr & philoſophus in Apologetico, de maieſtate diuina uera prodidiſſe: Teſtimonia, inquit, πρεσβυτάτων φιλοσόφων ἄκμονος, & ἑρμοῦ, ἄκμονος μὲν κρυφον θεὸν ὀνομάζοντος, ἑρμοῦ δὲ φανερῶς λέγοντος θεὸν νοῆσαι μὲν ἐστι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον: Vetuſtiſſimorum philoſophorum extant Acmonis, & Mercurij: Acmonis appellantis Deum undiq; abſconditum, Mercurij autem apertè dicentis, Deum cogitare difficile, eloqui uerò impoßibile. Quàm ueneranda uetus Theologia? Quæ diuinitatis laudes non ſunt apud priſcos illos? nunc creationis, nunc omnipotentiæ, interdum inexhauſtæ ſapientiæ, nonnunquam prouidentiæ, interim bonitatis, aliàs quòd ſit abſconditus, dignus quem ſilendo ueneremur, ſobriè de eo loquamur. Is fortè eſt Acmon, ad quem ſuperiora ſcripſit eiuſdem tempeſtatis philoſophus Aſclepius. Quanquam ille dicitur in libris Mercurij Ammon, is Acmon. Sed mihi eundem fuiſſe perſuadeo. Habes hic quoq; teſtimonium Iuſtini de Mercurio Triſmegiſto, quem Plato proculdubio ſequutus, pronunciauit & ipſe in Timæo: τὸν μὲν ποιητὴν κὴ πατέρα τόδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον κὴ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, Creatorem & Patrem Vniuerſitatis huius & inuentu difficilis, & cùm inueneris, in uulgus eſſerre impoßibile. Vides admirantem, ſequentemq; priſcam philoſophiã Platonem. Vides omnibus ſeculis cum hominibus uerſatam, nunquam caligaſſe, aufugiſſeq; penitus à terris cœleſtem lucem, donec à Sole deuecta ſuo rediret tota. Pherecydes quoq; Syrus, qui fuiſſe dicitur Pythagoræ præceptor, & Deum ſingularem, quemadmodum philoſophi tempeſtatis illius omnes, nominauit, & creatorem, optimum dixit. Autor Ariſtoteles in libris de Philoſophia: Φερεκύδης κὴ ἕτεροί τινες, τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι, Pherecydes & alij nonnulli, quod primum genuit ſiue creauit, optimum ſtatuunt. Item Euclides autore Laërtio, Numen unum, Naturamq; Bonitatis unam, quæ multis nominibus appelletur, modò Deus, modò Sapientia, interdum Mens, agnouit, prædicauit, nihil aduerſum eſſe bono, cum magnis philoſophis, & noſtris contra inſaniam Manichæorum conſentiens: ὅτ' μὲν γὰρ τὸ ἀγαθὸν ἀπεφαίνετο πολλοῖς ὀνόμασι καλούμενον. ὅτε μὲν γὰρ φρόνησιν, ὅτε δὲ θεὸν, κὴ ἄλλοτε νοῦν, κὴ τὰ λοιπά. τὰ δὲ ἀντικείμενα ὡς ἀγαθῷ, ἀνεῖρει, μὴ εἶναι φάσκων. Xenophon autem ille, cuius melle dulcior fluxit oratio, eadem atq; Plato tempeſtate, declarat diuinam illam admirandamq; philoſophiam, non unum Platonem detinuiſſe in admiratione, ſed illius ſeculi fuiſſe firmam de uero Deo ſententiam. Is autore Cyrillo,

aduerſus

aduersus Iulianum, sic de Deo philosophatus est: ὁ γοῦν πάντα σείων, καὶ ἀταρμίζων, ὥσπερ μέγας τις καὶ δυνατὸς φανερὸς, ὅπου δὲ τίς μοι φησὶν, ἄφανὴς, ὅτι μὴ παμφανὴς ὁποῖον εἰν ἥλιος, ὃς δὲ ὅτος ἔοικεν ὁρᾶν ἑαυτὸν ὧν πρέπει, ἀλλ' ἄν τις αὐαιδῶς αὐτὸν θεάσηται, τῷ ὄψιν ἀφαιρεῖται. Qui igitur, inquit, cuncta commouet, iubetq; quiescere, ceu magnus quidam & præpotens, manifestus quidem est, sed qua forma sit, obscurus est. Neq; uerò etiam qui suspicitur lucidissimus Sol, apparet seipsum ab ullo aspici sinere, sed si temere quis eũ contueatur, uisione multatur. Quo potuit clariore Diuinitas exemplo designari? quid ea dignius prædicari? quòd sit Sol, quòd appareat, luceat ubique cunctis seculis, nationibusq; semper manifestus, sed non ita tamen, ut eum se quisquam gloriari possit uidisse, penitusq; oculos in naturam eius defixisse. Caligabit, qui uoluerit eum uidere quis sit. Deum enim nemo uidit unquam, dicunt nostræ literæ. Et, Nemo me uidebit, & uiuet in æternum. Similia dixerunt illi ab ipsa natura, suppetente luce. Eoq; Trismegistus cùm aliàs Deum ineffabilem innominabilemq; dixisset, docuit eum ex operibus clarere nobis. Et Mosi ostendit posteriora, non faciẽ. Obscurus igitur & clarus: operibus clarus, obscurus natura, quam nemo uidit unquam. Et multi uidere uolentes, propiusq; oculos admouentes, cæci redierunt. Hoc exemplũ, collatioq; Solis, & Dei, cùm etiam extet apud Platonem, fit uerisimile, fuisse temporis eius philosophiam, Deum quidem nullo alio nomine sapientibus nuncupantibus, sed Soli similem arbitrantibus, qui partim sit omnibus nationibus clarissimus, partim tanta caligine septus, ut ab exordio mundi nemo potuerit eum cognoscere. Quid uero Cleanthes Stoicus de summo, ac singulari Deo antequã Filius eius conceßisset in terras perhibuit? de quo Simplicius super Epicteto: εὔχεται δὲ οὗτος ἐν τοῖς ἰαμβείοις τούτοις, ἄγεσθαι ὑπὸ θεοῦ, καὶ ἅπ' αὐτ' ἀπὸ παντων ὧν τάξει φοιτώσης αἰτίας, ποιητικῆς τε, καὶ νικητικῆς, ἣν πεπρωμένην, καὶ ἐπαρμένην ἐκάλε. ἑπαγγελλόμενος ἀόκνως καὶ ἑκὼν ἕψεσθαι. ἂν γὰρ αὐτιτόνω φησὶ μόνον ὅτι κακὸς ἔσομαι, καὶ οἰμώζων, καὶ στένων ἀκολουθήσω. ἀνάγκη γὰρ ἀκολουθεῖν τὸ ἀδυνέσερον, τῷ ἰσχυροτέρῳ, καὶ τὸ αἰτιατὸν αἰτίῳ. Quæ sunt, Precatur, inquit is, in Iambis istis, agi à Deo, et à Causa eius quæ per omnia ordinatè tendit, operans, et mouens, quam Fatum uocat et Decretũ, promittens intrepidè libẽterq; se seçuturũ. Neq; enim, inquit, resisto. Nã alioqui malus sim, et gemẽs ac lugens sequar. Necesse enim est sequi, quod debilius est, fortiorem, & causarum causam. Hæc ab his dicebantur, quorum terras etsi uana superstitio, ueterisq; ignara Dei, occupasset, aderat tamen primæua lux, quam maiestatis æternæ iubar in sensibus humanis accendisset, qua sæpe tetræ seculorum tenebræ discussæ sunt.

Quòd appellata sit in ueteri Theologia Natura diuina, prima excellentissimaq; Vnitas: & quòd omnia ex ea dixerint esse nata, ex Empedocle, & Parmenide, & Zenone, et Aristotele, Melisso, Damascio: & quòd hanc Vnitatem uocarint immobile Principium. Cap. V.

SEmper humanũ genus unum Deum cognouiſſe, & prædicaſſe, in hanc animos inclinationẽ perenniter pependiſſe, utq; uera pietas naturalis eſt, ſic ſuperſtitiones, & omnes à ueri Dei cultu deuios ritus uiolentos fuiſſe, nõ his modò claret, ſed alijs etiã longè perſpectioribus. Priſcos appellaſſe Deum, perfectiſſimam, primam, præcipuam, & in omni unitate tenentem principatum unitatem, primum & unitiſſimum ſimpliciſſimumq; unum, quod Græcè per articulum emphaſeos Τὸ ἕν, id eſt, ipſam unitatem, & ab ea cuncta produxiſſe, idq; profundiſſimum apud eos myſterium fuiſſe conſtat. In hac autem probatione primum ac præcipuum eſt teſtimonium Empedoclis, penes quem antiqua philoſophia reſedit. Fuit enim diſcipulus ac ſucceſſor Pythagoræ. Eum autem potiſſimum audire operæpretium eſt, quòd peritiam Ariſtoteles mentem eius interpretur, modò amicitiam ac diſcordiam, modò materiam aſſeuerans eum nomine unitatis appellaſſe. Quid igitur per unitatem antiquus philoſophus intellexerit, abunde docent eius carmina, è quibus hæc potiſſimum in libro de Mundo, quæ etiam ab Ariſtotele in prima philoſophia, & in compendio de Mundo proferuntur: ἐκ τοῦ ἑνὸς

πάντ' ὄντ' ἦν, ὅσατ' ὄπι, ὅσατ' ἔσαι ὀπίσω
Δενδρεα δὲ βεβλάστηκε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
Θῆρες τ' ἰωνοίτ', καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθυς,
Καί τε θεοὶ δολιχαίονες, τίμησι φέρισοι. Ab ipſo uno, inquit,
Quæ fuerint, quæ ſint, quæ poſt uentura ſequentur,
Et plantæ uiruere, mares & fœmina quæq;
Atq; feræ, uolucresq;, habitantesq; æquora piſces,
Longæuiq; Dei, quorum eſt ueneranda poteſtas.

Quam igitur unitatem ſolitus eſſet celebrare Empedocles, à qua dicat uiſibilia, & inuiſibilia profecta, nataq; præſentia, præterita, & futura, quicquid mari, terraq; naſcitur, feras, aues, piſces, demũ & Deos ipſos facilè conſtat. Audierat enim à ſuperioribus, omniq; priſcorũ philoſophia, Deũ uocatũ unitatẽ, & totã incipientem à Dijs, id eſt, angelis, creationẽ, in unũ eũ altiſſimũ fuiſſe relatã. Ac quaſi hoc loco eſt alter Moſes Empedocles. Quicquid enim Moſes à Deo creatũ prædicauit, Empedocles prædicauit creatũ ab unitate. Adiecit Empedocles etiã Deos, quos omiſit Moſes. Quaſiq; ingreſſus eſt Empedocles ſicut & Dauid: Domine Deus meus magnificatus es uchementer, confeſſionẽ & decorẽ induiſti, amictus lumine ſicut ueſtimentũ: Extendens cœlũ tanquã cœnaculũ, q tegis aquis ſuperiora. Et quæ ſequuntur de rerũ creatione, ob quã dicit Deũ oſtẽdi glorioſum, omnipotentẽ, magnificũ. Siquidẽ & idẽ ipſe Dauid in tota quam refert creatione, adnumerat angelos, quos Deos appellat Empedocles. Qui facit, inquit, angelos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentẽ. Quod ergo Dauid Deũ dicit feciſſe, id Empedocles feciſſe dicit unitatem. Hanc ſententiã uidetur etiã Plato in Timæo ſecutus, cùm Deos factos à creatore mundi, diſſolubiles autẽ natura, indiſſolubiles diuina uoluntate confitetur. Deus

igitur

igitur autore & assertore Empedocle, non solũ est unus, sed ipsa princeps & præstantissima unitas, rerũ omniũ est creatrix, etiã ipsorũ Deorũ. Quos si creauit, ipsa quidem æterna, hi nõ æterni. Tum si creati, utiq; nec cum unius diuinitate substantialiter coniuncti. Postremò quod maximè considerandum est, si primum præcipuumq; nomen naturæ diuinæ est unitas, & si in omni unitate, hæc illa est unitas, quæ per excellentiam dicitur unitas, necesse est Deum naturaliter esse unum, magis quàm omnem rem, quæ una est, natura simplicissimum, ut nunquam sit maior rei secum coniunctio. Illud item magnopere considerandum, ut ex Empedocle cæterorum dicta intelligantur, quòd tametsi multos Deos appellent, eosq; ab uno dixerũt esse progenitos, sensisse quidem eos esse, & appellari Deos, sicut & sacra doctrina uocat, sed eos tamen à summo Deo condidisse. Deum igitur uerum, Vnitatem, Deos autem tanquam germina, & propagines eius dixerunt, idemq; asseruit in Timæo Plato, & Aristoteles in libro de Mundo, & ubiq; in sua poësi demonstrauit Homerus. Constat igitur Empedoclem non tam afflatu quodam diuino hæc de Vnitate protulisse, quàm quod à maioribus ea suis acceperat, præcipuè Mercurio, patre & fonte omnium Græciæ ueterum Thelogorum. Is non uno in loco uocalissimè Vnitatem diuinam decantauit, celebreq; est dictum eius apud Platonicos: ἓν μὲν πάντων ῥίζα: Omnium rerum radix & principium Vnitas. Eiusdem quoque est, ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται. Deus, inquit, unus est: qui uerò unus est, nomine non indiget. Ecce Mercurius confitetur, Vnum alterius nominis non indigere, cuius proprium sit nomen, quem alio nomine nefas sit appellari. Aristoteles igitur ueterum illorum sæpe ineptè irrisor, quasi Parmenidem irridet, quod ipsum unum uel unitatẽ Deum diceret, in primo de philosophia libro: Παρμενίδης οὐδὲν ἐσαφήνισεν, οὐδὲ ἅπτεται φύσεως τούτων, οὐδὲ ἑτέρας ἔοικε θίγειν, ἀλλ' εἰς ὅλον ἀφορῶν ἀφθέγκτως, τὸ ἓν εἶναί φησι, τὸν θεόν: Parmenides, inquit, nihil clarũ præposuit, neq; harũ rerum uidetur usquam attigisse naturam, sed in omne cœlum suspiciens, ipsum unum dicit esse Deum. Et testimonium Parmenidis confirmat Theologiam Empedoclis, ut nulla obscuritas relinquatur, quin sit apud utrunq; Deus ipsa Vnitas. Quodq; longè mirabilius est, idem Aristoteles quasi ex altissimo somno euigilans, aut ceu pœniteret eum occultæ ab se ueritatis, profert hæc ipsa carmina Empedoclis, in libro de Mundo, asserẽs exerta uoce eum de Deo fuisse locutum, & commendans. Omnia, inquit, quæ uel terra, uel aëre, uel aqua generantur, iure Deo uendicantur, qui totum continet & regit mundum. À quo, ut ait physicus Empedocles,

Quæ sint, quæ fuerint, quæ post uentura sequentur,
Et plantæ uiruere, uiriq;, & fœmina quæq;,
Atq; feræ, & uolucres, habitantesq; æquora pisces,

Longæuiq; Dei. Hæc Aristoteles in libro de Mundo, dicẽs Empedoclẽ de Deo prædicasse: in libris aũt de Philosophia, de Vno. Sic clara ueritas est, ut ne pos-

ſit etiã ab ipſo, qui conatus eſt, obſcurari. Extat etiã in libris Ariſtotelis de philoſophia, antiquiorẽ Zenonẽ irrefragabili argumẽto cõprobaſſe, Deum neceſſariò eſſe unũ, ut niſi ſit unus, ne Deus quidẽ eſſe poſſit. Cùm aũt omniũ optimũ, inquit, ac potentiſſimum eſſe Deum uinceret, eundem etiã eſſe unũ oportere demonſtrabat. Nam ſi duo uel plures fuiſſent, optimũ ac præſtantiſſimũ eũ amplius eſſe nõ poſſe. Singulũ enim quenq; eorũ, quia ſimiles inter ſe omnes eſſent, fore optimum. Idem eſſe Deũ, diuinamq; potentiam conſtare aſſerens, quòd ubiq; et in omnibus teneat principatum. Quapropter eadem fieri ratione, ut ne eſſet Deus, qua neq; optimus eſſet. Quòd ſi & plures, & alij alijs potentiores ac meliores eſſent, ne deos quidẽ eſſe. Nunquã enim poſſe uinci ac ſuperari Deũ. Etenim æqualia neq; maiora, neq; minora inter ſe eſſe. Quocirca ſi cõuincitur, & Deũ eſſe, et eundẽ eſſe optimum, unũ neceſſario eũ eſſe. Neq; enim poſſet omnia quæ uellet, neq; poſſet unus, multis exiſtẽtibus. Hæc Zeno. Sic et Parmenides, et Empedocles, et Ariſtoteles, Deo neceſſariã Vnitatem attribuerunt. Fuitq; id uetuſtiſſimæ philoſophiæ ſacramentũ. Nã et in dogmatis Chaldæorum inter alias proprietates Dei eſt nomen Vnitatis. Quod in oraculis Magorum uiſum eſt. Et Sibylla eiuſdem Theologiæ uates:

Ἀλλὰ θεὸς μόνος, εἷς πανυπέρτατος·
Εἷς θεὸς, ὃς μόνος ὢν πάντα κραταιγένης, ἀγένητος.

At Deus unus, ſolusq; & celſiſſimus ipſe,
Eſt Deus, unus ſolus, maximus, ingenitusq;.

Cum quibus carminibus eſt adiuncta ratio Zenonis, ideo Deum eſſe unum, quia ſit celſiſſimus, maximus, ſummus. Summum autẽ niſi unum eſſe non poteſt. Non enim eſſet ſummus, ſi pares haberet, aut multos, aut alterum, Eadem ſententia Pythagoras ex Mercurio, ἡ μονὰς ῥίζα πάντων: Vnitas radix omnium, fons, & origo ſcilicet. Diuineq; Damaſcius Platonicus de Vnitate, τὸ ἓν ὥσπερ ἥλιος πόῤῥω θεν ἀμυδρῶς πως ὁρᾶται, ἐγγὺς δὲ ἀμυδρώτερον, ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων ἀφαιρεῖ τὴν ἀντίληψιν. Vnitas, inquit, tanquam Sol, procul obſcurè, quaſi uidetur. Si propius acceſſeris, obſcuris, demum cæterarum rerũ tollit apprehenſionem. Verè igitur eſt lux incomprehenſibilis, inacceßibilis. Et profundè Soli cõparatur, in quem quo magis intuearis, eo magis cæcutias, & caliges, oculosq; ſtupentes reportes. Idem Damaſcius de eadẽ Vnitate, conſiderata eius excellẽtia, τὸ ἓν τετιμεῖσθω σιγῇ: Vnitas, ait, honoretur ſilentio. Sic eſt ſanctum ſilentium apud Dionyſium, quo temeritate excluſa, Deus adorandus, & colendus eſt, ſobriè de eo loquendum. Item Damaſcius, τὸ ἓν πάμφορον: Vnitas omnia producit. Fe rax omnium rerum Vnitas. Sed alia in ſequentibus libris differenda reijciuntur.

Eadem probatio ex his quæ ſenſerunt Parmenides, & Meliſſus, Empedocles, & Plato. Cap. VI.

TEſtatur quoq; Ariſtoteles Parmenidem & Meliſſum, unum & immobile decreuiſſe Principiũ. In quo teſtimonio hoc incluſum eſt, eos ipſum Vnum uocaſſe Deum

ſe Deum, & id dixiſſe omnium rerum Principium. Nam Parmenides ipſum Vnum dixit eſſe Deum: Meliſſus ergo eodem philoſopho atteſtante, ſentit quod Parmenides. Quare conſtat etiam iſtud omnium rerum ſingulare principiũ, eos nuncupaſſe Deum. Quoniam igitur ſentit Meliſſus de uno principio, quod & Parmenides: Parmenides autẽ uocat Deum Vnitatem: palam fit unam eſſe utriuſq; philoſophiã. Conſiderare autẽ operæpretium eſt, quod aiunt, hoc principiũ eſſe immobile. Docebit enim te Ariſtoteles ipſe cauſam, qui quos inſectatur ſecutus, ſententiã in octauo naturalis philoſophiæ principiorum libro pronunciat, affirmatq; hoc ipſum moueri non motum. Antiquiores autem μίαν ἀρχὴν & ἀκίνητον, Vnum & immobile principium aſſerebant. Vt autem hoc immobile principium eſt Deus apud Ariſtotelem, ſic eundem eſſe neceſſe eſt, quem Parmenides & Meliſſus prædicabant. Empedocles autem & Parmenides, autore Ariſtotele, appellabant Deum nomine Vnitatis: ergo idem eſt apud eos τὸ ἓν, καὶ ἡ μία ἀρχὴ, ipſa Vnitas, & unũ Principium. Rurſum cùm & Empedocles ipſam Vnitatem affirmet omniũ rerum creatricem, colligitur etiam id ipſum dixiſſe Parmenidem ac Meliſſum. Quo loco non æquanimiter interpretatur eorum Theologiam Ariſtoteles. Quos, cùm de rebus diuinis loquerentur, aſſeruit de principijs rerum naturalium fuiſſe locutos, ut dicerent Vnum eſſe ipſum Ens. At quis adeo deliraſſet? Non uidebant illi tot ſpecies, tot formas? Oculis ne & auribus, cæterisq; ſenſibus carebant, ut omne quod eſſet, unum eſſe dicerent? Eodem autem autore diſcimus Theologiã eſſe uetuſtam, quòd Vnitas ſit omnium rerum autor: ἔοικε παλαιὰ εἶναι αὕτη ἡ δόξα, ὅτι τὸ ἓν ἀρχὴ. Videtur, ait, antiqua opinio, Vnitatem eſſe Principium. Si igitur Principium & Deus ſunt idem, & Vnitas ac Principium idem, neceſſariò Vnitas illa apud ueteres, eſt Deus. Omnes enim confitentur Deum eſſe Principium. Deus ergo eſt Vnitas. Et hanc ait ueterem eſſe Theologiam Ariſtoteles. Refer igitur animũ ad ea quæ ſuperius de antiqua ſapientia idem prædicabat, cuius quaſdam aſſerebat quaſi naufragas reliquias ad poſteros peruenisſe. Hæ ſunt pretioſæ reliquiæ. Videbis ergo etiam apud Philonem Platonicum ueteris philoſophiæ conſcium, ſæpe Deum appellari τὸ ἓν, ipſum Vnum. Aſpice dicta eius in libro de Mundo. Nam ad alia cùm de oculis animi loqueretur, eorum dixit mirabilem uidendi facultatem: ἅτε ὑπὸ πολλοῦ τοῦ, τὸ ἓν κατιδεῖν τηλαυγῶς ἐμέρος πλεροῦθεν/τα: Qui cupiditate uidendi ipſum Vnum perſpicuè & clarè explicati, non ſolùm ad ſupremum æthera tendunt, ſed inferioris omnis mundi regionibus relictis, ad ipſum ingenitum applicant. Hæc Philo. Nulla ſupereſt igitur dubitatio, quin ipſum Vnum, aut ipſa ſumma Vnitas, ſit Deus apud antiquos: ut Sophocles, Phocylides eadem tempeſtate decantabant, & Xenophanes eiuſdem tempeſtatis philoſophus, apertè confeſſus eſt, autore Marco Tullio in Academicis. Xenophanes, inquit, paulò etiam quàm Anaxagoras antiquior, Vnum eſſe omnia, neq; id eſſe mutabile, & id eſſe Deum, neq; natum unquam, & ſempiternum, & con/

globata figura. Deſciſcit quidem à uerò Xenophanes ut ego corrigam, tribuens Deo figuram. ſed incorrupta ueritas non omnium fuit gentium.

Priſcam Philoſophiam, Deum appellaſſe ipſum eſſe: conſenſuſq; eius cum Theologia uera. Cap. VII.

ALiud mirabile ueteris Theologiæ ſacramentum, ut fiat exploratum, horum ſeculorum Theologiam, & Religionem, fuiſſe omnium ſeculorum Religionem, naturalemq; Deo ſcientiam, quam à natura ſentimus animis noſtris offerri, pectoribusq; clàm inſpirari. Vetus Theologia uocat Deum celſiſsimam, pretioſiſsimam, primamq; Vnitatem: clamat item eandem Vnitatem omnium rerum Principium. Audi mirabiliora. Dico eandem rem ab eis fuiſſe nuncupatã τὸ ὄν, τὸ ἄπειρον, ipſum Ens, ipſam Infinitatem: Vt qui uocabatur ipſa Vnitas, idem dictus ſit, ipſum Eſſe, & Infinitum. Et quoniam ſuperius nomen Diuinitatis apparuit eſſe ipſum Vnum, hoc loco probamus eandem Diuinitatẽ apud eos duo alia nomina habuiſſe, Ens & Infinitum. Principio ſciendum eſt, antiquam Theologiam, & quæ cum Theologia finitima eſt, Poëſin, ab hominibus Barbaris ad Græcos peruenisſe. Ratio autem qua peruenit, duplex fuit. Prior, quòd homines priſci, primi terrarum coloni, ab una ſtirpe orti, in quo copioſiſsima uiguit rerum diuinarum magnarumq; ſcientia, eam cum alijs multis ſecum in omnes terras detulerunt. Ex quo fama quædam à ueterum illorum ſucceſſoribus per omnes latiſsimè manauit, ſemper, quo antiquior, longinquiorq; à primis, hoc deterior, & quaſi decoloratior. Secunda fuit ratio, cùm poſt multa ſecula, quos ſciendi cupiditas tenuiſſet, terris ſuis relictis, ad exteras nationes, & ubi nomen ſapientiæ celebrius ferretur, accedebant. Illiq; aut audiebant ab eis res antiquas, penes eos incorruptiores, aut in libris eorum introſpiciebant. Tertia poſtea ratio acceſsit, non per famam antiquam, & ſucceſsionem, ſed lumen naturæ fuit, quæ cum prioribus rationibus coniuncta, deduxit quoſdam ad naturalem quandam, ueriſsimamq; Dei ſcientiam. Igitur qua ratione nomen illud cœleſtiſsimum, quod putamus apud omnes gentes olim nuncupationem Dei fuiſſe, Iehouah, quod deſignat ipſum eſſe, eadem uidetur nominis eius ſignificatio ad omnes gentes peruenisſe. Erat quoq; in arcanis diuinarum literarum, quas ipſas, aut earum ſenſus, apparet Homerum et Heſiodum ac plures alios non ignoraſſe, ueriſsima Dei appellatio, tralata atque expreſſa in ſermone Græco, ὁ ὤν, Ille qui eſt. hinc euenit ut ea res celeberrima, uulgatiſsimaq; circunferretur apud Græcos. Huc primum pertinet, quòd Plato in Timæo aggrediens exoxdium mundi, hanc rerum diuiſionem præmittit: Aliud eſſe τὸ ὄν, Ipſum quod eſt, aliud τὸ γινόμενον, Id quod fit. Et quoniam ſub Secundo omnia corporea, et ſenſibilia intelliguntur, neceſſariò ſub Primo ſunt ab oculis ſeparata. Quod quoniam idem cum Ente, & Vno ſtatuebant, apparet ipſum Eſſe, unum apud eos tantum, idq; ipſum Deum fuiſſe nuncupatum. Primumq; aſciſco eos, qui floruerunt ante Platonem, quorumq; eſt philoſophiam Plato ſecutus. Vocarunt antiqui Deum, τὸ ὄν,

τὸ ὄν, Ipſum eſſe, id quod ſolum, ac principaliter exiſtat, quod nunquam non fuerit, nunquam eſſe ceſſauerit. Cætera enim aliquando fuerunt, aliquando non fuerunt. Vt ergo diuinitas cum articulo dicebatur τὸ ἕν, ipſa Vnitas, et τὸ ἀγαθὸν, ipſa Bonitas: ſic per excellentiam dicta eſt τὸ ὄν, Ipſum eſſe, id quod in omni re, & eſſe, teneat principatum. Quoniamq; datur Deo ipſum eſſe principaliter, uidetur deſignari, eam eſſe ſolam eſſentiam, ſolumq; eſſe, ut cætera præ illa non exiſtant. Priſci igitur dixerunt ipſum Vnum, eſſe Deum, Vnum uocarunt ipſum Ens: igitur perinde Ens deſignabat eis Deum, atque ipſum Vnum. Nam primo ſuæ diuinæ philoſophiæ Ariſtoteles de Meliſſo dicit, ἐξ ἀνάγκης ἓν οἴεται εἶναι τὸ ὄν: Neceſſario putat unum eſſe ipſum Ens. Quòd ſi Vnum eſt Deus, ut Parmenides & Empedocles canebant, certè etiam eſt ipſum Ens. Et quoniam ipſum Ens dicebant immobile, Ariſtotele ſæpe teſte, immobilitas autem dabatur Vnitati ab illis, primo Principio ab Ariſtotele, certè hac ratione claret, eſſe Deum ipſum Ens. Hæc igitur omnia ſunt nomina naturæ diuinæ, τὸ ἕν, τὸ ὄν, τὸ ἀκίνητον, Vnitas, Ipſum eſſe, ipſa Immobilitas. Ac ſupra primo cætera fundãtur, ijſq; ſecundũ, ac tertiũ aſſignantur. Vbi intellexeris, de quo dicatur ipſum Vnum, facilè de quo reliqua dicantur percipies. Tribus teſtimonijs conſtat naturã diuinam eſſe & dici ipſum Ens, ipſumq; ſubſiſtere: teſtimonio ueteris Theologiæ, teſtimonio Platonis, qui quaſi eius eſt interpres, poſtremò philoſophiæ cœleſtis, magiſtræ ac ducis cæterorum. Etenim cùm nomen ſacrum Iehouah, ſit quaſi tertia perſona uerbi ſubſtantiui futuri, conuerſo Iod in Vau, יהוה יהיה idq; fuerit antiquiſſimum Dei nomen tralatũ ad Græcos ὁ ὤν, Qui eſt (Nam τὸ ὄν, & ὁ ὤν, genere tantum differunt) Proinde Platonis illa diuiſio, in quo eſt ipſum Ens, & id quod fit, innuit rem creantẽ & creatam. Qui cùm ſecutus ſit in hac diuiſione maiores (reperit enim ea apud Empedoclem, Parmenidẽ, Meliſſum, Heraclitũ) proculdubio & ipſe cum Ente aſſociauit Vnitatem, indicans illud id τὸ ὄν, non aliam quàm unius ſingularis, ac ſummi Dei eſſe naturam. Quòd ſi Ideas, aut mundum Idealem, appellauit ipſum Vnũ, nulla controuerſia eſt. Nã interprete Philone, idẽ eſt mundus Idealis, ſiue Archetypus, atq; ipſum Dei, Verbũ & Filius Dei. Declarans q; Plato quid de Vno, aut Ente dicerent, quod eſſet ἀκίνητον, immobile, apertè fatetur ipſum Ens, atq; τὸ ἕν, id eſt, Vnitatẽ, et Vniformitatẽ, eſſe Deum. Dicit enim ipſum Ens, eſſe ſemper idẽ, perpetuò conſtans, ſemper eandẽ habens naturã, contra, quàm res ſenſibiles, quæ ſemper fiant, ſemper moueantur, ſemper aut creſcant, aut dilabãtur in deterius. Verumq; eſt tã ex parte animorũ, quàm corporũ, poteratq; dubitari quid Plato per id, quod eſt τὸ ὄν, intelligeret, niſi & ſuperiores Theologos teſtes, & ipſam cœleſtem philoſophiã haberemus, cũ qua nihil diſcrepat Plato, niſi quòd apud eũ eſt genus uariatũ, ut qui erat ὁ ὤν in ſcripturis ſacris, dictus ab eo ſit τὸ ὄν. Quæ uariatio iure quidẽ duabus de cauſis facta eſt, tũ quòd neutrũ genus non eſt apud Hebræos, tum quia uidetur eſſe plenius, dicere Deum

Ipſum

Ipſum eſſe, ut totam exiſtendi plenitudinem nomen complectatur, quàm τὸ ὄν, τὰ, id eſt, exiſtentē. Plus enim ſignificant ipſarum nomina naturarum, quàm deriuata ab illis. Vt qui dicitur uita, non uitalis: ſalus, non ſalutaris: & de malis ſceleratus potius, quàm ſcelerati: & portentum magis, ac portentoſum. Declarant autem profundius hoc myſterium Plato, ac Plutarchus, Iuſtinus item martyr, idem & philoſophus, cur ſit Deus Id quod eſt, aut Ipſe qui eſt. Iure autem per præſens Qui eſt, dicitur, quoniam apud ipſum, neq; præſens, neque præteritum, neque futurum, ſed ipſa ſola æterna præſentia. Vocatus eſt Ille qui eſt, quo tollitur error, & explodatur falſa cogitatio, qua crederet homo in Deo præteritum uel futurum. Intelligi, musq; in eo ſolam eſſe præſentiam. Conſule etiam Plutarchum, quem etſi reiecit in poſterum, nunc paucis ueterem Theologiam reddat clariorem. Viderat idem in templo Apollinis Delphici ad alia miranda, quæ prudentibus poſſent eſſe grata, ſcriptum, εἶ, Vox Græce deſignat Tu es. Cuius cum cæteri uariam rationem reddidiſſent, omnem eam recuſauit, eamq; approbauit potiſſimum, quòd his, qui illuc tanquam ad Deum accederent, offerebat ipſe Deus hoc dictum, γνῶθι σεαυτὸν, Agnoſce teipſum. Reſalutantes autem mortales ſolerent dicere, legendo εἶ, Tu es, tanquam uera, ac germana Dei appellatione. Nos enim cum uero Eſſe nihil communicamus, ſed omnis mortalis natura, in medio generationis & corruptionis exiſtens, ſimulachrum quoddam atque umbram caſſam, uixq; apparentem, ſuiipſius oſtentat. In quam ſi cogitationem coneris defigere, tanquam aqua defluens & manibus compreſſa diffugit, deferens etiam quæ manu teneretur. Similiq; ratione ſemper affectionibus uariantibus, perditur omnis rerum certitudo, & fallitur cogitatio, dum aliud fit, aliud corrumpitur factum, nullam rem ſtantem, uereq; manentem ualens apprendere. Neque enim, ſicut inquit Heraclitus, bis eundem fluuium traijcies, neq; mortalem ſubſtantiam bis eandem licebit apprendere. Poſtea Plutarchus addit: τὸ οὖν ὄντως ὄν ἐστι τὸ ἀίδιον, καὶ ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον, ᾧ χρόνος οὐδὲ εἷς μεταβολὴν ἐπάγει. Verum, inquit, Ens eſt aternum, ingeneratum, incorruptibile, cui nullam tempus affert mutationem. Nam tempus, inquit, cùm quaſi uas ſit generationis, & corruptionis, partes eius priores, ac poſteriores oſtendunt ipſum non eſſe. Nam id eſſe dicere, quod nondum eſſe non habet, aut ceſſauit exiſtere, ſumma eſt deceptio. Rurſum ne pium quidem, dicere eum uel fuiſſe, uel futurum eſſe, qui ſolum nunc ſit: Nam hæ inclinationes quædam ſunt, & mutationes, ac uarietates eius, quæ in ipſo Eſſe non poſſit inſiſtere. Sed de Deo dicendum eſt ſemper, ipſum Eſt, idq; non temporariè, ſed æternè, immutabiliter, intemporè, indeclinanter, cuius nihil ſit prius, atque poſterius, neque recentius. Sed quòd unus exiſtens, ipſo nunc repleat ſempiternitatem. Iure autem eſt uerum Ens, in quo non olim, non futurum, neque principium, neque finis inſit. Sicq; neceſſe eſt, eum uenerari ac ſalutare dicendo, Salue qui es, Benedictus ſis qui es. Hæc ferè grauiſſimus ſcriptor Plutarchus.

chus. Vt autem nulla superesse posit dubitatio, quin Vnitas, atq; Ens sint idem, & hæc sint nomina naturæ diuinæ, præbet locupletißimũ testimoniũ idẽ Plutarchus. Quippe cùm diceret hæc, quæ nũc proposuimus, de salutatione Dei ueriſsima, postea adiecit: ἢ κἀμὲ νὴ Δία, ὡς ἔνιοι τῶν παλαιῶν, εἶ ἔψ. Aut per Iouẽ, inquit, sicut priscorũ nonulli, es Vnum. Neq; enim, inquit, Diuinitas est plura, sicut quilibet ex nobis, qui ex innumerabilibus affectuũ uarietatibus constamus, quasi quædã turba, atq; concio: ἀλλὰ ἓν δεῖ εἶναι τὸ ὄν, ὥσπερ, ὂν τὸ ἕν: sed unum necesse est esse ipsum Ens, sicut Ens ipsum Vnum. Igitur ipsam Vnitatem atq; syncerita/tem necesse est inesse ei, qui semper est incorruptibilis, & undequaque purus. Hæc ratio & testimonium Plutarchi, nullam relinquit latebram obscuritatis, & nemini potest esse dubium, apud priscos cognitam, & prædicatam Diuinitatem ueram, quam nunc totus mundus unam, uereq; existentem ueneratur, ac confitetur. Salomon quoq; in sua sapiẽtia, reprehendens uanos homines, ignaros Dei, qui eum ex aspectu rerũ nosse recusassent, & ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν ὃν ἰσχυσαν τὸν ὄντα γνῶναι. Non poterant scire eum qui est. Dionysius q; Filium Dei uocat τὸ ὄν. Hoc Hebraicè est, Iehouah.

Quod Deus in ueteri Theologia appellatus sit ipsum Vniuersum. Cap. VIII.

PRosequens dico Diuinitatem, id est, illum ipsum, qui apud priscos diceretur ipsum Vnum, ipsumq; Ens, appellatum quoq; magno quodam, altißimoq; mysterio τὸ πᾶν, ipsum Vniuersum. Quod non obscuris, fictitijsq; testimonijs comprobabo. Aristoteles in primo de principijs philosophiæ libro, prodit ueteres illos dixisse ἓν εἶναι τὸ πᾶν: Vnum esse Vniuersum. Si probamus igitur & hoc, & alijs multis eadem eos de Vniuerso prædicasse, atq; Ente & Vno, claret utiq; Vniuersum, fuisse eis ipsum Deum. Vnitas est Dei, Vnitatem dicunt Vniuersitatem. Deũ ergo dixerũt Vniuersitatẽ. Dixerunt ergo de Vniuerso quæcunq; de Vno. Immobile Vnũ & omnium principium dicebant. Autore autem Aristotele, ijdem prodiderunt τὸ πᾶν ἀκίνητον, Vniuersum immobile. Et quod est euidentius, idem Aristoteles primæ maioris philosophiæ libro: εἰσὶ δέ τινες οἳ περὶ τὸ παντὸς, ὡς ἂν μιᾶς οὔσης φύσεως ἀπεφήναντο: Sunt qui de Vniuerso tanquam una natura pronuntiarunt. Ecce unam naturam dicunt uniuersum. Vnitas autem naturæ, dabatur concorditer Deo à cunctis. Eandem sententiam repetit in libro de Principijs. Sed omnium super hac re nobilißimum est testimonium Plutarchi, qui ueteris sapientiæ omnium sui temporis fuit prudentißimus. Etenim hæc placita de Vnitate, & Existentia, Vniuersitate, ab antiquis profecta, ad Empedoclem, Melissum, Parmenidem, aliosq; complures deuenerunt. Declarat igitur Empedocles quid crediderit esse ipsum Vniuersum, cuius Plutarchus citans in placitis philosophorũ de Mundo, et Vniuerso sententiã, hæc ad uerbum: Ἐμπεδοκλῆς δὲ κόσμον μὲν ἕνα, οὐ μέντοι τὸ πᾶν εἶναι τὸν κόσμον, ἀλλ' ὀλίγον τι τοῦ παντὸς μέρος. Empedocles autem, inquit, Mundum quidem unum dicit non tamen ipsum

ſum Vniuerſum eſſe Mundum, ſed exiguam quandam partem Vniuerſi. Ex quibus uerbis & aliud eſſe Mundũ conſtat, quàm Vniuerſum: & magnũ item myſteriũ conſiderationisq; pleniſſimum aperitur. Primum fatetur Mundũ eſſe unum. Quòd ſi Mundus eſt unus, certè nihil eſt extra Mundũ. Nã ſi quid eſſet extra, eſſet aut alius Mundus, aut pars aliqua Mundi. Si autẽ eſt uacuũ infinitũ extra Mundum, quomodo Mundus erit, pars uacui, cùm uacuũ nihil ſit, Mundus ipſa ſubſtantia? Neceſſe igitur eſt, eum, qui uerbis expreßis aſſerit unũ Mundũ, nihil eum aliud corporeũ conſtituere. Cum uerò dicat tantũ intereſſe inter Vniuerſum ac Mundũ, quantũ inter immenſum, quiddã ac breuẽ particulã, pàlàm fit, hoc uniuerſum, aliquid à Mundo diuerſum, cum ſenſiſſe. Nam ſi res ulla eſſet corporea præter Mundũ, iam unus Mundus non eſſet. Ergo ſuperiorũ philoſophorum ueſtigia ſequutus Empedocles, ipſum Vniuerſum dicebat Deũ, cuius quaſi particula eſſet iſte Mundus. Eſt aũt Theologia Empedoclis, Deũ eſſe Vnũ, eſſe Immobile, eſſe ipſum Ens. Ergo de Deo dicit, quod Ariſtoteles teſtatur, Vniuerſum eſſe unum: ut ſint duo interpretes Theologiæ Empedoclis, Ariſtoteles & Plutarchus. Homo igitur paruus Mundus, quoniã in eo ſint omnia breuitate, quæ magnitudine quadã in hoc Mundo corporeo, ac uiſibili. Simili ergo ratione Deus eſt maximus Mundus, quia poßidet infinita magnitudine cuncta, quæ paucitate homo. Paulo amplius, ac latius ipſe uiſibilis Mundus. Vt autè mos inoleuit, ut homo appellaretur paruus Mundus, paruusq; Deus: ſic Deus eſt maximus, infinitusq; Deus, et maximus quidam Mundus: tanto nomine Mundi dignior, quanto nõ eſt uſquũ rerum perfectio, comprenſioq; maior: in quo ueri ſint, inexplicabilesq; theſauri, omnes infinitæ, innumerabilesq; diuitiæ, tanto plures, ac maiores, quàm in hoc Mundo, quantum nequeat neq; cogitatione neque ſermone comprendi. Habetq; non ſolum omnia quæ Mundus iſte, Deus, ſed tum ea ipſa perfectißimo modo, tum infinities plura, theuſauris ſuis immenſis latentia. Iure igitur ſolus Deus appellatur τὸ πᾶν, ipſa Vniuerſitas. Non enim Mundus iſte eſt uera Vniuerſitas, cùm deſint ei plura: ſolo Deo comprendun tur omnia, quæ ſunt, quæq; eſſe poßint, idq; beatißimo, excellẽtißimoq; modo. Mũdus autem noſter, huius uniuerſi quaſi particula. Nulla igitur eſt uox mortalis reſonare potis excedentem omnia Maieſtatem. Cumq; nihil ſit Vniuerſo maius, hæc erit aptißima naturæ diuinæ nuncupatio. Habet fontes et origines omnium rerum: quicquid hic eſt inops, mancum, debile, caducum, fragile, eſt in eo opulentißimum, perfectißimum. Apud nos, eſt uita, & ſenſus, eſt tempus. In illo Vniuerſo, pro tempore æternitas, pro fragili, debiliq; uita, nobiliſſima, potẽtißimaq; uita, pro breui particula ſapientiæ, ac ſenſus, ipſe theſaurus, fonsq; ſapientiæ, conſilij, prudentiæ. Illa maxima, longe, lateq; manans, & omnes amplectens cauſas cauſa. Igitur omnia quæ ſunt in hoc Mundo, ſicut etiam in illo, plura quoq;, & hæc & illa incredibiliter noſtris meliora. Deum autem nefas eſt intercipere cum iſto Mundo, extra quem, ſicut fuit, antequam eum condidiſſet, ſic non eſt cum eo, nunc commi-

ſecum

ſcendus, nec eſt in numerum rerum mundanarum referendus. Deus extra Mundum, omnium penes ſe cauſas, omnes origines tenens, ſolus uerus, ac maximus, optimus, pulcherrimusq; Mundus, plusq; inter magnitudinem eius, atq; iſtius noſtri diſtat Mundi, quàm inter microcoſmum, ipſumq; magnũ, ſenſibilemq; Mundum. Quo fit ut iſte Mundus ſit quaſi breuiſſima quædam particula, reſpectum eius mirabilibus modis, nobisq; incomprenſibilibus ab eo generatus, uel factus. Hocq;, recitans ueteris Theologiæ placita, ſentiebat Empedocles, acceptum, ut arbitor, ab Aegyptijs, qui τὸν πρῶτον θεὸν τὸν παντὶ τῷ αὐτῷ νομίζουσιν ὡς ἀφανῆ, καὶ κεκρυμμένον: primum Deum, eundem cum Vniuerſo opinantur, ut obſcurum, & abditum, autore Plutarcho in eo, qui eſt de Iſide, & Oſiride.

Deum in antiqua Theologia appellatum ipſam Infinitatem, Cap. IX.

EXponendum aliud altiſſimum ſacramentum, quo melius etiam antedicta intelligentur. Eandem enim cauſam fuiſſe conſtat, ut nomen Infinitatis, antiquis ſignificauerit ipſam Diuinitatem, et quòd imaginem Dei dicerent hunc Mundum. Quibus impenetrabile pelagus myſteriorum, uaſtaq; Theologia ſubeſt. Erit igitur certiſſimus teſtis Ariſtoteles, ad quem antiquæ Sapientiæ quædam quaſi ab remotiſſimo colle ſpirantes odores peruenerunt. Noſtrum autem eſt oſtendere, quæ magnus uir operi non apta ſuo diſſimulauit, efferre in lucem. Pono autem ea, ex quibus intelligas, quid illis eſſet Infinitum. Non enim materia prima. Nam quem Vnũ, quem Ens appellabant, hunc etiam ipſam Infinitatem, ipſamq; Immenſitatem. Ariſtoteles ergo primo ſuæ philoſophiæ maioris hæc ait: ὁ δὲ μέλισσός φησιν εἶναι τὸ ὂν ἄπειρον. Meliſſus, inquit, affirmat, ipſam Vnitatem, eſſe ipſam Immenſitatem. Deinde alio loco μέλισσος τὸ ὂν ἄπειρον εἶναι φησί: Meliſſus affirmat ipſum Ens infinitum. Si igitur conſtat, ut negari nequeat, eos dixiſſe naturam diuinam Vnitatem, ipſumq; eſſe, eandem autem rem uocat Meliſſus infinitũ, certè palàm eſt, eandem eis fuiſſe Immenſitatẽ, qui erat unitas, ipſumq; Eſſe. Eſt autem teſtis Meliſſus pro cunctis temporis ſui philoſophis, ſed & pro omni antiquitate. Deſcendit enim ab altioribus principijs hæc Sapientia. Quũ fieri autem poteſt, ut materiam uocarint Infinitatem, cùm materia ſit principium multiplicatis, infinitum autem dicebant Vnitatem? Cæterum longè clariſſimum eſt ac nobiliſſimum teſtimonium apud eũdem Ariſtotelem alio loco. Nam cùm de infinito diſſereret, ait, καὶ πάντες ὡς ἀρχήν τινα τιθέασι τῶν ὄντων: Et omnes, inquit, antiqui, decernunt quaſi quoddam rerum principium ipſum Infinitum, Paulò autem pòſt longè clarius: πάντα περιέχειν ἄπειρα καὶ κυβερνᾶν ὡς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον, ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν, ἢ φιλίαν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον, ἀθάνατον, καὶ ἀνώλεθρον, ὥσπερ φασὶν οἱ ἀναξίμανδρος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων. Infiniti, inquit, nullum eſt principium. Haberet enim terminum. Ingenerabile quoque eſt, & incorruptibile,

incorruptibile, utpote principium. Siquidem quod genitum eſt, neceſſe eſt habere finem: finis autem ad corruptionem ſpectat. Ideo quemadmodum diximus, principiũ eius eſt nullum, ſed ipſum omnium cernitur eſſe principium, & omnia complecti, ac regere, ſicut dicunt, qui faciunt preter infinitum alias cauſas, ut Mentẽ uel animam. Hancq; eſſe diuinitatem ueram, immortalem, & incorruptibilem, quod ferunt dixiſſe Anaximander, pluresq; è naturalibus philoſophis. Ecce Ariſtoteles expreſſe confitetur, ueteres dixiſſe, omnia complecti & regere ipſum Infinitum. In libro autem de Mundo, omnia regere & continere Deum fatebatur. Idem ergo, eo interprete, eſt Infinitum ac Deus. Deniq; nullus relinquitur dubitationi locus, cùm ait hoc eſſe ipſam incorruptibilẽ Diuinitatem. Triaq; de infinito dicit maiores ſtatuiſſe, quæ ſoli Deo conueniunt. Eſſe principium, eſſe incorruptibile & immortale, omnia continere, ac regere, Teſtemq; unum uocat antiquorũ Anaximandrũ, in quorũ numero neceſſe eſt etiã fuiſſe Meliſſum, qui mundũ Empedoclẽ dicebat eſſe particulam Vniuerſitatis & Infinitatis. Neceſſe eſſe fuiſſe Meliſſum, qui pronuntiauit Vnum, & Infinitũ idem eſſe. Neceſſe item eſt fuiſſe Anaxagoram, quem Ariſtoteles ait de Infinito dixiſſe, Stabilire, ac firmare ſeipſum, ipſumq; in ſeipſo exiſtere: quiq; declarauit cauſam, ipſam νοῦν, Mentem. Quæ de ſolo Deo dicit iure, merito poſſunt. Apparet autem eos hanc Infinitatem, non corpore magnitudini dediſſe, ſed Diuinitati. Siquidẽ Ariſtoteles naturaliſſimis rationibus colligit, Infinitatẽ eſſe ipſam Diuinitatẽ: idq; ait creditũ et aſſertũ ab antiquis. Nec uerò melius quiſquam naturam Infinitatis, atq; ipſe, declaret. Dicit enim eam neceſſariò carere principio, & fine, & eſſe omnium rerum principium. Quæſo, quid ex his Ariſtotelis uerbis ſequatur agnoſce. Sequitur enim, ſolam Infinitatem, id eſt, ſolũ Deũ carere principio & fine, natura. Sequitur eundem neceſſariò eſſe Deum atq; infinitum. Sequitur item ab eo omnia proficiſci, & gubernari, eumq; omnia continere. Id eſt, tria ſequuntur Deum, ut omnium generator, & autor & principium, et conſtitutor, ut omnia contineat, complectaturq;, ut Græca uox oſtendit, poſtremò ut gubernet, alat, foueat, ſuſtineatq;. Hæc uerò illius afflatu dicta, in quo uiuimus, ac mouemur animis, & ſentimus. Atque Ariſtoteles referens eorum placita, ſemper addit, Videtur, Probabile eſt, ut ſibi atque patribus uideri & placere, præſeferat. Non ſunt autem diſſimilia, quæ & ab eo, & ab antiquis de Infinito dicuntur, his quæ Plato dicit, de omnium Rege, circa quem omnia dicebat exiſtere, quod regere, & continere deſignat. Infinitatem autem illam corpoream ueteres ne ſomniauere quidem. Ariſtotelesq; colligit iſto loco eum qui principio, & fine careat, eſſe neceſſariò infinitum. Deus caret principio, & fine. infinitus eſt igitur. Itaque ſiue prudens ſiue imprudens, cum maioribus ſentit. Quod apertioribus expreſſit uerbis, in libris philoſophiæ, cùm primum motorem probat infinitum, quia niſi infinitus eſſet, infinitam mouendi uim non haberet. Si nõ habeat, nõ poſſet infinito tempore mouere. οὐδὲν γὰρ δύναμιν ἄπειρον, ὡς ἐπιρρωσμένον: Nihil enim habere

bere uim infinitam, quod ſit finitum, ac terminatum. Neque uerò de temporis Infinitate poſtremo loco dixit: Imò etiam dixit, Nam Infinitas temporis efficitur ex Infinitate naturæ. poſſe infinito tempore mouere, eſt indefatigabilis, & indeficientis naturæ indicium. Ratiocinatur q; Ariſtoteles ex æternitate motus, æternam, & indefatigabilem uim ipſius motoris. Aſt ego, ſi Ariſtoteles, ex motu infinito, quæ quidem ratio non patet quantum decuiſſet, ex longè potioribus argumentarer uim infinitam Dei. Vt ſi ei uiſum eſt primum motorem, ex infinitate motus, eſſe infinitæ potentiæ, neceſſariò ſit eius indefatigabilis poteſtas, infinita ſapientia, quia regit, ſuſtinet q; mundum, quia prouidet, omnia q; habet tempora in numerato. Hoc arguit eum eſſe infinitæ uirtutis, infinitæ naturæ. Leuate, inquit, oculos ueſtros in cœlum, & uidete, quis hæc creauit. Si motus æternus, Ariſtoteli placuit eſſe infinitæ potentiæ Dei teſtimonium, cur non ipſa pulchritudo, conſtantia uſus? Qui eduxit, inquit, propheta, de cœlo militiam eorum, & omnes ex nomine uocat, præ multitudine fortitudinis, & roboris, uirtutis q; eius, neque unum reliquum fuit. Vides quàm locupletius propheta, uirtutis infinitæ teſtimonia proferat, non recedens etiam à cœlo cum Ariſtotele? Ariſtoteles ſolum motum, propheta creationem, multitudinem ſtellarum, ſcientiam earum creandarum, & creatarum. Vt ſi habet in numerato, ſingulam quamque ſtellam, ut poſſit nominatim appellare unam quamque, id immenſæ ſcientiæ eius, & ſapientiæ ſit indicium inueniendi, creandi, ſcientiæ, quòd teneat omnia earum nomina. Quæ eſt enim alia cauſa, niſi quam ueteres de Infinito dixerunt, περιέχειν ἅπαντα, continere omnia? Propheta clamat multitudinem fortitudinis, roboris, uirtutis q; diuinæ efficere, ut ne una quidem ſit ſtella reſidua, quam Deus non uideat, noſcat, teneat, pluraq; alia inuenies in ſacris literis produci teſtimonia ſuper incomprenſibili infinita q; potentia Dei, ut hæc Ariſtotelis ratio ſit omnium minima, & tamen effici uult ex ea, ut Deus ſit infinitæ uirtutis. Conſidera enim, quò uelit, nolit, trahitur Ariſtoteles. Nam quod de infinitate uirtutis dicit, de primo motore dicit. At niſi ex alio colligas hanc immenſam uirtutem, nihil unicum, ac præcipuum motoris illius colliges. Nam & cæteræ Intelligentiæ (ex Ariſtotele loquor) mouent in ſempiternum. At tu argumentaris, Ideo motor eſt infinitæ uirtutis, quia in omne tempus mouet. At Sol, at Luna, non'ne mouent æternos motus? Cur ergo de ſolo primo prædicas infinitam uirtutem, cùm etiſti proprios motus habeant æternos? Videbas igitur aliquid peculiare, ex quo ad confeſſionem uirtutis iuſinitæ illius primi deueniſti, cæterorum uim æternam conticuiſti. Tota autem ratio, eo loco tendit in primum. Nam proſequens ait, Nobis autẽ ex his, quæ propoſita ſunt, et definita, dicendum eſt, Ipſum principium et primũ omniũ quæ ſunt, per ſe, & per accidens eſſe immobile, mouens primũ et æternum & unicum motum. Sed ad antiquos reuertor. Dicentibus igitur illis, ab Infinito omnia contineri, & regi, & gubernari, & eſſe principium, autore Ariſtotele, proſectò de Mente & Intelligentia neceſſe eſt eos dixiſſe, non aliquo Infinito uel corpo-

reo,,uel inani. Neq; enim uel corpus, uel inane, habent uim continendi, & regendi. Sola ratio gubernat, ſolius Mentis hoc officium. Si igitur Infinitum gubernat, & adeò gubernat, ut etiam contineat, utique & ſenſu, & intelligentia, & ſapientia poſſet, ſapit, uidet, cognoſcit. Cui autem poteſt merito infinitum ſapere aſſcribere, niſi Deo? Cùm igitur principatus, ac gubernaculum Vniuerſi ſit ſolius Dei, hæc autem data ſunt ab eis ipſi Infinito, certè clariſſimum eſt, eos immenſitatem, ac Diuinitatem copulaſſe. Quod apertè philoſophus ipſe confeſſus eſt, aſſerens eos dixiſſe Infinitum τὸ θεῖον ἀθάνατον, ἀνώλεθρον, ipſam Diuinitatem immortalem & incorruptibilem.

Comprobatio eorum, quæ ſunt antè demonſtrata de ſententia priſcorum, nominibusq; quibus appellarunt ſummam Diuinitatem, ex Simplicio, qui libros eorum legit, quod retulit etiam doctiſsimus Beſſarion. Cap. X.

SEd operæpretium eſt audire Simplicium, antiquorũ Theologiam explicantem, ut omnes eorũ ſuper uera, ſupremáq; Diuinitate ſententiæ noſcantur, quas Prophetarum, Apoſtolorumq; Theologiæ congruentes effuderunt, hincq; ſit perſpicuum, eundem ſemper Dominum, ac Deum mundi cunctis innotuiſſe, ab uniuerſis adoratum, mundi creatorem prædicatum. Is ſuper primo de Naturalibus principijs Ariſtotelis ait: Neceſſariò inquit uel unum eſt principium, uel plura. Si autem unum, aut immotum, aut cum motu ſemper. Et ſi immotum, uel infinitũ, ut Meliſſus Samius dicere uidetur, aut finitum, ut Parmenides Eleates uidetur dixiſſe, οὐ περὶ φυσικοῦ στοιχείου λέγοντες οὗτοι, ἀλλὰ περὶ τοῦ ὄντως ὄντος: Non de naturali elemento dicentes hi, ſed de eo, quod uere eſt, μίαν δὲ τὴν ἀρχὴν ἤτοι ὡς τὸν αὐτὸν καὶ ἓν, καὶ ὅτε πεπερασμένον, ὅτε ἄπειρον, ὅτε κινούμενον, ὅτε ἠρεμοῦν Ξενοφάνην τὸν Κολοφώνιον, τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον, ὑποτίθεσθαι φησὶν ὁ Θεόφραστος ὁμολογῶν ἑτέρας εἶναι καλλον, ἢ τὰ περὶ φύσεως ἱστορίας, τὴν μνήμην τε τούτου σέβων. τὸν γὰρ ὡς τὸ ἓν καὶ τὸν αὐτὸν, τὸν θεὸν ἔλεγεν. ὁ Ξενοφάνης, ὅτι, ἵνα μὴ δείκνυσιν ἐκ τοῦ πάντων κράτιστον εἶναι. πλειόνων γὰρ φησὶν ὄντων ὁμοίως ἀνάγκη ὑπάρχειν πᾶσι τὸ κρατεῖν, τὸ δὴ πάντων κράτιστον, μὴ ἄρξαν, θεὸς, ἀγένητον δὲ ἐδείκνυεν ἐκ τοῦ μὴ γίνεσθαι, τὸ γιγνόμενον ἢ ἐκ τοῦ ὁμοίου, ἢ ἀνομοίου γίνεται. Vnũ autem Principium, ſiue Vnũ quod eſt & Vniuerſum, neque terminatũ, neq; infinitum, neq; motum, neq; quieſcens, Xenophanem Colophonium, Parmenidis præceptorẽ ſtatuere dicit Theophraſtus, confitens alterius eſſe potius, quàm hiſtoriæ naturalis, memoriam opinionis uiri huius. Siquidem Vnitatem hanc, & Vniuerſitatem dicebat Deum Xenophanes. Quem unum quidem demonſtrabat, ex eo quòd omnium rerum eſt optimum: Nam multis, inquit, exiſtentibus neceſſariò in cunctis eſt ſupremum. Optimum autem omnium, & præſtantiſsimum, Deus eſt. Aeternum autem uel ſine exordio demonſtrabat, ex eo quòd oporteat id quod fit, uel ex ſimili, uel diſſimili fieri. Sed ſimile, inquit, impoſſibile eſt à ſimili. Nihil enim magis generare, quàm generari conuenit ſimile ex ſimili. Si autem ex diſſimili fieret,

ſieret, erit ens ex non ente. Et ſic ingeneratum & æternum demonſtrabat, & neque finitũ, neq; infinitum eſſe, quia infinitũ quidem id quod non eſt, ut neq; principium habens, neq; medium, neq; finem. Hæc, & alia quædã Simplicius, in quibus apertè confitetur retuliſſe Theophraſtum, Ariſtotelis diſcipulum, non fuiſſe facien dam mentionem de opinione Xenophanis in libris de Rebus naturalibus. Quippe qui non de rebus corporeis, ex forma, & materia conſtantibus loqueretur, ſed de ſupremo ac ſingulari Deo, ut potius Theologus fuerit illic Xenophanes, q̃ phyſicus philoſophus. Quo quidem iure coarguitur à diſcipulo præceptor, qui ineptè Theologiam antiquorum cum rebus naturalibus coinquinauerit, nec intellexerit, uel intelligere diſſimularit, uetuſtæ Theologiæ bonitatem. Hic etiam cernis, ut Simplicius affirmet, Xenophani præceptori Parmenidis Vnitatem, & Vniuerſitatem fuiſſe nomina ſummi Dei. Refert item Simplicius, Nicolaum Damaſcenum dixiſſe, Parmenidem infinitum, & immobile appellaſſe principium in libro de Dijs. quo probatur infinitatem, & immobilitatem Deo dediſſe. Alexander item uult Parmenidem, Deum appellaſſe Terminatũ, et σφαιροειδῆ, Sphæricum: διὰ τὸ πανταχόθεν ὅμοιον: quia undiq; ſimile. Eumq; omnia dicit intelligere ac ſentire:

Ἀλλ' ἀπαλέυθε πόνοιο νόῳ, φρενὶ πάντα κραδαίνει,

Sed ſine cura animi, res omnes mente mouere.

Quid hac Theologia diuinius, Deum ſolis nutibus cuncta mouere, omnis curæ, laboris expertem? De Xenophane quoq; dicit idem Simplicius. Verum Xenophanes inquit, ὡς πάντων αἴτιον & πάντων ὑπερανέχον, & κινήσεως αὐτὸ & ἠρεμίας, & πάσης ἀντιστοιχείας ἐπὶ ἐκείνατίθησιν: Vt omnium autor, & omnia ſupereminens, extra motum, & quietem, omnemq; contrariam elementationẽ. Parmenides autem inquit, quod ſimiliter, & eodem modo habet, & extra omnem mutationẽ, ſortè et operationem & poteſtatem. Θεασάμενος ἀκίνητον αὐτὸ ἀνυμνεῖ, & μόνον ὡς πάντων ἐξῃρημένον, οἷον ἀκίνητον, τελέθει, τῷ πᾶν ὄνομα εἶναι: Speculatus, immutabile ipſum laudat, & ſolum, ut ab omnibus ſegregatũ immutabile exiſtit. Huic nomen eſſe Vniuerſitatẽ. Meliſſus uerò, inquit, immutabile quidẽ ipſum ſimiliter conſiderabat. κατὰ δὲ τὸ ἀνέκλειπτον ὑπόστασις, & τὸ ἄπειρον δὲ δυνάμεως, ἄπειρον αὐτὸ ἀπεφήνατο, ὥστωερ καὶ ἀγένητον: Secundum autem ſubſtantiæ indeficientiã, et infinitatem uirtutis, ipſum infinitum, quemadmodũ & ingenerabilẽ, pronuntiabat. Quoniã igitur non eſt factus, ἐστί τε καὶ ἀεὶ ἦν, & ἔσται, & ἀρχὴν οὐκ ἔχει, οὐδὲ τελευτήν, ἀλλ' ἄπειρον ἐστί: Eſt, & fuit ſemper, et erit, et neq; principium, neq; finem habet, ſed eſt infinitũ. Nam ſi factus, inquit, fuiſſet, principium utiq; habuiſſet, et finem. cœpiſſet enim aliquando factus, finiſſet etiã aliquando, Cum uerò neq; cœperit, neq; deſierit, ſemper erat, non habens principium, neq; finem, ἀλλ' ἄπειρον, ſed infinitũ eſt. Atq; ita inquit cum ſecundum tempus ſine principio, & fine & ἀεὶ ὄν, & ſemper exiſtens oſtendebat. Et Parmenides atteſtans eiſdem propè uerbis:

-Ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστι.
Οὖλον μουνογενές, ⸗ ἀτρεμὲς, ἠδ' ἀτέλεστον.
Οὐδέ ποτ' ἦν, οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν.
Ταυτότε ὄν, ἓν ταυτῷτε μένον, καθ' ἑαυτότε κεῖται.
Οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει, κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη,
Πείρατ' ⸗ ἐν δ' ἑσμοισιν ἔχειτε μιν, ἀμφὶς ἔεργει.
Οὕνεκεν οὐκ ἀτελεύτητον, τὸ ἐὸν θέμις εἶναι.
Ἐσὶ γὰρ οὐκ ἐπιδεύες. Quæ sunt,
Ingeneratus erat, semper sine morte futurus,
Vnicus, & totus, stabilis, sine fine perennis.
Nec fuit ipse unquam, neq; erit, quia nunc simul omne est.
Idemq; existens, eademq; in sorte moratur.
Sic stabilisq; manet, nanq; illum magna necessi
Vis habet, astringens uinclis, claustrisq; coërcens.
Vnde nefas is qui est, includi finibus ullis,
Quem nulla unquam rerum sollicitauit egestas.

Hæc & id genus alia Simplicius adduxit ex illis, quæ etiam producuntur à doctissimo Bessarione. Dixerat autem à principio Simplicius, quod Xenophanes, et Parmenides, & Melissus περὶ τῆς νοητῆς καὶ πρώτης ἀρχῆς διελέχθησαν, De intelligibili & primo principio locuti fuerant. Non scilicet principio corporeo, sensibili: sed intellectuali, inuisibili, nempe Deo summo. Eumq; appellasse philosophos hos Vnum & determinatum, quia sit infinitus, determinans omnia, perficiens: μᾶλλον δὲ τέλος τῶν πάντων ὡς καὶ ἀρχήν: Imò uerò finis omnium, quem admodũ & principium. Hũc item appellasse Parmenidem dæmonem, id est, Deũ. τοῦτον ἐν μέσῳ πάντων ἱδρυμένην ⸗ πάσης γενέσεως αἰτίαν δαίμονα τίθησι: Qui sit in medio omnium omnis generationis causa, cuius est carmen:

Ἐν δὲ μέσῳ τούτων δαίμων, ὃς πάντα κυβερνᾷ.
Ταῦτην καὶ θεῶν αἰτίαν εἶναι φησί.
In medioq; horum Dæmon qui cuncta gubernat,
Hanc & Deorum causam fuisse dixit. Quia,
Eãq; Deis primum cunctorum fecit amorem.

Eudorus etiam referens placita uetustæ Theologiæ, præcipuè Pythagoreorum, ãt, eodem Simplicio autore: καὶ μετ' ἄλλον τρόπον, ἀρχὴν ἐφασαν εἶναι τῶν πάντων, τὸ ἓν, ὡς ἂν καὶ τῆς ὕλης, καὶ τῶν ὄντων πάντων, ἐξ αὐτοῦ γεγενημένων, τοῦτο δὲ εἶναι τὸν ὑπεράνω θεόν. Quod est, Et secundum alium modum, Principium dixerant omnium rerũ ipsam Vnitatem, quòd ab eo nata sint omnia, etiam materia prima. Hunc autem esse supremum Deum. Syrianus quoq;, qui fuit

qui fuit præceptor Simplicij, ſuper libris Metaphyſicorum collaudans, defendens ſententias Pythagoræ & Platonis, ſic perhibet: Archænetus & Brotinus, οἷς ἐ/πιπολάθησεν ὁ θεῖος πλάτων, οἱ θεῖοι ἐκεῖνοι ἄνδρες τὸ ἓν, θεὸν ἔλε/γον ὡς ἑνώσεως πᾶσι τοῖς ὅλοις ἄϊτιον, καὶ παντὸς τοῦ ὄντος, καὶ πάσης ζωῆς, Quos ſecutus eſt diuinus Plato, diuini illi uiri, Vnitatem dicebant Deum, ut unitatis rebus omnibus cauſam, omnisq; rei, uitæq; autorẽ. Ex his igitur omnibus claret quanta fuerit apud priſcos ueri, ſummiq; Dei cognitio, quàm ſit uera, ſuſpiciẽdaq; omnibus hominibus hodierna religio, quæ tanquã magna, largaq; lux exorta mundo, aperuit, poſuit ante oculos omnem quæ per omnes ætates proceſſit ab exordio mundi, ſapientiã. Fecitq; ut noſcerentur, omnium in ore conſonarent, pueri, fœminæ callerent, quæ uix à paucis quondam ſapientiſſimis tenerentur. Sic apparet una cunctarum gentium religio, à qua nemo ſe debeat auellere, quoniam hæc ueritas ſola.

Eadem ratione dixiſſe priſcos Mundum imaginem Dei. Cap. XI.

IMaginem autem Dei eſſe hunc Mundum ſæpe prædicauerunt, habetq; profundiſſimum myſterium. Non poteſt enim iſto Mundo maius præter Deum cogitari: Immenſitas autem Dei, quæ nequeat intelligi, & percipi, rerum noſtrarum indicijs ſignificatur. Quòd ſi Deus eſt maximus, imò uerò infinitus, certè non habet niſi Mundum ſui magis ſimile. Erit autem Mundus aptè imago Dei, ſi prius conſideres naturam rerum uerarum, atque imaginum ipſarum. Si conſideremus, quid inter exemplaria interſit, primásque ipſas res, atque earum ſimulachra. Ecce enim cùm uaria multiplicia q; ſunt ſimulacra, referentia ſcilicet res ipſas totas, uel earum aliquam partem, interiorem, uel exteriorem ſubſtantiam, & qualitatem, ut filij parentes ſuos. Referunt enim cum primis humanitatem, quam ab eis acceperunt, nonnunquam ingenia, ſæpe colores, ac lineamenta, geſtus item, cæteraq; id genus. Sunt alia rurſum ſimulachra, ſimilitudinem tantum eorũ quæ repræſentant, reddentia, interuallumq; eſt à ſimulatis ad uera maximum, ſic Mundus eſt imago Dei, reiecta quidem natura corporea: ſicut ex imagine humana in lapide, reijcis naturam lapidis, accepta tantum humana effigie. Vt in lapide cognoſcis hominem, ſic in Mundo Deus tibi repreſentatur. Nihil enim cogitabit homo, toto Mundo maius. ſic cùm magnitudinem Dei nullis uiſibilibus exemplis (quoniam infima ſunt, exiguaq; omnia) poſsis colligere, apparet tibi in toto Mundo. Cogites igitur Deum ita maximam, uniuerſalemq; naturam ubique præſentem, omnia uidentem, audientemq;, cuncta continentem, nulla re complexum notionemq; eius aufugiente, ſicut in mundo cuncta continentur, nihilq; non eſt in eo, per omnia circuneunte, ſeſeq; extendente. Quid autem cogitabis de Deo uerius? quando ſi non humana mediocritas, minus item cætera animalia, terreſtres, aquaticæ, aëriæq; res ullatenus, propter non modo mediocritatem, ſed cætera diſſimilima, poterunt animis cum exhibere noſtris, ut indi-

gnißima ſit cogitatio, perinde ſi neſcienti leonem, quis muſcam aut formicam oſtenderet, ſimile quiddam leonem eſſe dicens. Sic quicunque Deum alicui mundanæ rei aßimilet, plurimum de maxima natura detrahat: ut ſi Mundum ipſum, quis nõ maiorem, quàm pingi ſolet, aſſerat? Eſt igitur Deus maximus Mundus, ſicut diuerſa ratione, homo paruus. Eſt Mundus ſapientiæ, Mundus ſanctitatis, Mundus intelligentiæ, Mundus uitæ, rationum, formarum. Sed quoniam hæc inuiſibilia, & ipſe inuiſibilis Mundus, conſtans (ſi dicere fas eſt) ſed conſtans tamen ex inuiſibilibus rebus: ita quidem coſtans, ut non ex alienis, ſed ſuis, coq; maximus unus Mundus. Proin qui prouidentiam (pauci tamen) ſuſtulerunt, Deum non putantes ſentire, noſſeq; mortalia, non uiderunt huius Mundi magitudinem, nec ſenſerunt eum ita ubique præſentem, ſicut auſugere non potes, quin ſemper à Mundo uidearis, continearis. Hac ratione, Iouis omnia plena dixerunt. Et Aratus, omnes ſemitas, ubicunque concilia ſint hominum, omne mare, portus omnes, eſſe Ioue plenos, tanquam Mundo inuiſibili, omnia inuiſibiliter amplectente. Prædicauit hoc ille, qui per cœlum, liquidumq; elementum, ſidera, atque aſtra, totamq; molem, ac magnum mundanum corpus immiſcere eum ſeſe dixit, aſpectans & ipſe inuiſibilis iſtius Mundi uaſtitatem, per omnia ſic inuiſibiliter pertinentem, ſicut per omnia uiſibiliter diffunditur uiſibilis Mundus. Eadem ratione Deum dixerunt animum per omnes Mundi partes intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. Vtique per omnes Mundi partes intentus æquat neceſſariò totum Mundum magnitudine ſua. Mundanæ autem partes uſquequaque diffuſæ uidentur, intentus per omnes partes non uidetur. Eſt ergo Mundus inuiſibilis, tendens per totum Mundum uiſibilem inuiſibiliter. Hoc dixit Pythagoras, maiorum Theologiam imitatus, eamq; prædicans poſteris. Hinc quoniam Mundus eſt imago Dei, dixerunt Pythagorei, & Plato eſt eos ſequutus, Deum, qui Mundus ipſe intelligibilis eſſet, creaſſe Mundum ipſum, ut quaſi Mundus ex Mundo ſit natus, uiuibilis ex inuiuibili, minimus ex maximo, temporeus ex æterno, corruptibilis ex incorruptibili, uiſibilis ex inuiſibili. Et Plato ſicut in iſto Mundo cuncta animalia uiſibiliter, ſic τὰ γὰρ νοητὰ ζῶα πάντα ἐκεῖνο ἐν ἑαυτῷ ὥσπερ λαβὸν ἔχει, καθάπερ ὁ κόσμος ἡμᾶς, ὅσα τε ἄλλα θρέμματα συνέστηκεν ὁρατά: Intelligibilia uel inuiſibilia, Mundum illũ in ſe eſſe complexũ, quemadmodũ ipſi, cæteráque animalia, contineamur ab iſto. Sentiens reor inuiſibilia animalia, quæ Mundo diuino continentur, eſſe fontes illos, originesq; rerum, quibus infinitus ſapientiæ diuinæ exuberat theſaurus, maximusq; eſt Mundus ille, plenus ordinum, ac rationum, plenus formarum νοητῶν, non uiſibilium, ſed ſola cogitatione, licet debiliter apprenſibilium more diuino. Et Timæus Pythagoræus, ipſum item Deum uocat ἰνδάλμιον κόσμου, Mundum exemplarem, quaſi is cum illo gerat ſimilitudinem. Sed continens iſte cuncta uiſibiliter: ille, ut illi loqui ſolebant, diuinè, mentaliter, ſapienter, intellectualiter: non ad morem iſtius, qui corporaliter, corruptibiliter, uiſibiliter

continet,

continet, & diffunditur, ſed modo quodam ſuperiore, qui dicitur νοητῶς, per modum mentis, ſapientiæ, ratione à corporibus uaria. Hanc q; illi diuiniſſimam creati Mundi rationem aſſignauerunt, quod corporeus, paruusq; Mundus, profectus eſt ex maximo, in quo rationes, formæ, principia, cauſæ, erunt, & ſunt, originesq; innumerabiles. Neque enim ex nihilo factus eſt iſte Mundus, ſed factus ex originibus in maximo Mundo contentis, ex quibus ita tanquam ſeminibus ſuis cuncta in iſto naſci potuerunt, ſicut ſecreto, arcano, naturaliq; modo, in ſeminibus rerum, ſunt formæ earum.

Deum apud ueteres, Deorum eſſe creatorem. Cap. XII.

POſitis his, quibus diuinæ naturæ maieſtas, unitas, principatusq; cognoſcitur, eo quoq; ab antiquis confeſſo, rerum omnium eum eſſe creatorem, non uiſibilium ſolum, ſed etiam inuiſibilium, id eſt, animorum, ac Deorum: neceſſariò unicam eius diuinitatem, uniusq; ueram, & ex omni parte immortalitatem, apparebit eos etiam eſſe confeſſos. Nam quod ſapientiſſima, cœlitusq; miſſa Theologia, diuino beneficio clariſſimè cognouit, Deum ſolum ab æterno fuiſſe, Deos autem, id eſt, diuinios animos, cum aliquando creaſſe, ut qui reperit tantam animorum Diuinitatem, teneat neceſſariò rerum cunctarum principatum, quoniam anteſtat Dijs, eorumq; eſt, ſicut & noſter Deus & creator. Dijs autem atq; animis nihil eſt in omni mundo melius, eadem illis audita & confeſſa, præcipuè melioribus eorum probatur. A quibus ſententia dependet cæterorum. Referunt enim omnes ad ſapientiores. Sunt autem ſine dubio ſapientiſſimi Orpheus, Heſiodus, Empedocles, Plato. Orpheus clariſſimè teſtatur, ab eodem ſimul, eodem tempore generata ſiue creata omnia, nulla re, quæ de Mente eius non profecta ſit, excluſa. Nam ad filium, quem creatorem mundi, formatoremq; orbis ſuſpiceret, hortabatur, hanc ueluti ex oraculo profudit uocem:

Μοῦνον δ' ὄρα κόσμοιο ἀνάκτα τυπωτῆρα,
Εἷς δ' ὅδε αὐτοπλὴς, ὡς ἐκγονα πάντα τέτυκται.

Et ſolum regem formatorem aſpice mundi,
Vnicus ac ſibi perfectus, ſunt omnia ab uno.

Ecce Orpheus, & ſingularem uocat eum mundi regem, & unum dicit eum eſſe, quo ſuperiora omnia comprobantur. Deinde uocat per ſe perfectum, à ſe perfectionem, complementumq; habentem. Denique dicit ab uno cuncta eſſe progenita, nihil non eſſe prolem eius, tanquam omnium rerum matris, ac genitricis ſapientiæ. Connumerari autem in hac ab Orpheo prolata uniuerſitate non terreſtria ſolum, quorum Vnitas fuerit autor, ſed etiam cœleſtia, id eſt, Deos ipſos, aut Angelos, ſi quis forte dubitet, liquido Theologorum, qui ſunt Orpheum ſecuti, teſtimonio cognoſcet. Nã etſi Orpheus ab uno cuncta nata dicens, Deos ipſos non expreſſerit, Empedocles tamẽ & Heſiodus expreſſerunt. Sed etiã expreſsit ab illo ſummo Deo, Deos omnes creatos. Dicit enim de eo Proclus, ἀπὸ τ κρυφίως ὄντος θεὸ

τὰ πάντα, ἰὼ ἀπὸ τούτου πάλιν ὑφίστασι τὰς ἄλλας τάξεις τῶν θεῶν.

Ab arcano & secreto Deo cuncta, & ab isto producit secundos omnes ordines Deorum. Vidisti igitur Empedoclem, interpretantem carmen Orphei, quo breuiter diserat πάντα ἐκ γονῆς ἑνὸς: Omnia fata ab uno. Quænam enim sunt illa omnia? Nempe, ut ait Empedocles, ἐξ ἑνὸς, ut superius productum est,

Quæ fuerint, quæ sint, quæ pòst uentura trahantur,
Et plantæ uiruere, mares, & fœmina quæq;,
Atq; feræ, uolucresq;, habitantesq; æquora pisces,
Longæuiq; Dij.

Ab uno hæc omnia parta dicit Empedocles, includens in hoc catalogo etiam Deos nominatim. Ecce quàm similes sunt Empedocles, & Orpheus, imò superioris Orphei, tempore posterior, interpres Empedocles. Ille dixit, Omnia ab uno generata, Empedocles quasi per inductionẽ, præterita, præsentia, futura, plantas, homines, feras, uolucres, pisces, postremo Deos etiam. ut clarius quiddam, quàm Moses, loquutus sit Empedocles de creatione. Nam Moses cœlum, & terram, plantas, hominem, masculum & fœminam, sicut Empedocles, bestias item, feras que, tum uolucres, & pisces ait Deum creasse, de Dijs ne uerbũ quidem. Non enim omnia scripsit Moses. Et ab eisdem tamen parentibus sparsa est in omnes cognitio rerum diuinarum, à quibus accepit Moses, & Hebræi, licet etiam Spiritu diuino doctore sit usus. Hæc profectò mira, eandem totius humani generis fuisse semper pietatem testantia, si quis eam comtaminare dogmatis impijs noluisset. Quum igitur Empedocles eodem modo, eodem uerbo, dixerit Deos ab uno pullulasse, atque omnia terrestria, uidelicet ἐβλάστησε, apparet eandem creationis rationem, idem tempus cunctis eum attribuere. Neque enim possunt (si fortè quis deprauare, quod facere soliti sunt nonnulli Peripateticorum, dicta eius conetur) Deos ab eo dictos nasci à Deo, quasi per continuam dependentiam. Nam dixit de cunctis ἐβλάστησε. Et dixit in præterito quodam tempore, includens sub eadem ratione ac tempore, terrestria, ac Deos ipsos. Ecce igitur, quod diuinissima uociferatur Theologia nostra, omnis Theologiæ, sese per terras diffundens latissimè, pelagus, Creatorem uisibilium, & inuisibilium. Eadem uerò hæc apertè confessus est Hesiodus, quasi secutus Orpheum, totamq; illius temporis Theologiam. Quippe clarissimè scripsit ad fratrem, ut omnino persuaderet sibi:

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ, θνητοί τε ἄνθρωποι.
Sunt homines, Dijq; una ab radice creati.

Nam Græci interpretantur illud ὁμόθεν, ex una radice, ex eodem principio, origine, eodem fonte Deo. Nihilq; prorsus dissentit Hesiodus cum Orpheo, & ex utroque loquutus est Empedocles. Ecce & ab ipso datur eadem origo Dijs, atque mortalibus. Quòd si interpreteris ὁμόθεν, Simul, ut dicat simul, eodem que tempore natos Deos, atque mortales, eadem erit, clarior etiam confessio, ut mirabilis sit

eorum

eorum Theologia, quæ perſpicuè fateatur, quæ Moſes aut tacuit, aut diſſimulauit de generatione Deorum. Hæc tria teſtimonia diuina prorſus, & admiranda, ſacrã priſcorum ſeculorum Theologiam ſpirantia, reuelata ſiue cœleſtibus oraculis, ſiue diuinorum hominum, Deoq; amiciſſimorum traditione ad poſteros: Tres antiquitates ueteris ſapientiæ, quos cætera multitudo loquentes audiebat, dictiſ'que ſtabat eorum, uocifferantur ab uno cuncta nata, uiſibilia & inuiſibilia, Deos & homines, cœleſtia & terreſtria, eandem originem, idem naſcendi tempus omnibus fuiſſe. Igitur etiam Plato ſequutus hæc ipſa, quibus ſemper fauit, pectusq; ex his ditiſſimè ſuum locupletauit, de rerum terreſtium creatione loquutus: poſtremo tranſiens ad ipſos Deos, quos, patrium morem ſequutus, non ex ſuo, ut poſtea docebo, pectore nominibus poëticis appellat, nihilq; altius de his, præter uulgata apud plebem diſſerit, omnes eos docet à creatore mundi creatos. Ac ſunt apud eum, patrio more, populoq; grata loquentem, duo genera Deorum, primum Intelligentiæ cœleſtes, de quibus diſſerit in Timæo, & in Epinomide: ſecundum, quos appellat obſcuros, non ita uidelicet apparentes, ſicut ſidera. Hos ſecundos etiam Dæmonas dicit, de quibus eiſdem locis agit. Vtrunque igitur fatetur creatum ab illo ſuo mundano opifice, idq; non obſcurè. Nam primum Deorum genus clarè ſcribit ab opifice illo creatos, millies idem diuerſis uerbis repetens, aſſerens totum ordinem cœleſtem, eius opificis eſſe repertũ, qui corpora diuina crearit, eisq; diuinas animas inſeruerit. Eoq; dicit: Vt inquit uiſu eſſet clariſſimũ, ac pulcherrimum ætherium corpus, reddens id uniuerſo ſimile, circulare fecit, & ex igne fermè totum. Idq; genus uerbis utitur Plato ſæpiſſimè. Ac paulò antè, de generibus animantium loquens, μιὰ μὲν οὐρανιον θεῶν γένος. Vna, inquit, ſpecies eſt cœleſte Deorum genus. Concludensq; ſuper his orationem, περὶ θεῶν ὁρατῶν καὶ γεννητῶν εἰρημένα φύσεως, ἔχει τέλος. Quæ, inquit, de uiſibilium, ac genitorum Deorum natura dicta ſunt, finem habeant. Ecce eos genitos, id eſt, creatos dicit, ſicut loqui ſolent philoſophi. Alterum autem genus quomodo factum, ſiue genitum ſit, difficile explicatu aſſerit. Genitos eos tamen ab eodem opifice clarè confitetur. Nam proſequens inquit: De Dæmonibus dicere, & eorum noſſe natales, maius eſt, quàm facultatis noſtræ. Credendum eſt autem eorum filijs, qui ſe ab eis natos dixerunt. Sic igitur habeat noſtra opinio, de ortu iſtorum Deorum. Paulò pòſt, Poſteaquam igitur, inquit, omnes, qui circunuagantur urbes, & qui perſpicuè cernuntur, utcunque uelint, ortum habuere Dij, hæc, qui creauit hoc Vniuerſum, ad eos affatus eſt, Dij Deorum, quarum ego rerum opifex & pater extiti, quoniam à me factæ ſunt, certè me uolente, diſſolui non poſſunt. At omne quod eſt ligatum, eſt diſſolubile. Verum quod pulchrè compactum eſt, beneq; habet, deſtruere, non eſt probi. Ob quam cauſam, quoniam facti eſtis, immortales uos quidem non eſtis, prorſus'que indiſſolubiles. Attamen non diſſoluemini, neque mortalem conditionem ſubibitis. Quoniam uoluntatem meam, uinculumq; maius, & fortius aſſequuti eſtis, quàm

erant ea, quibus ligabamini, quando creabamini. Paulò pòst: Transite igitur ad animalia creanda. μιμούμενοι τὴν ἐμὴν δύναμιν περὶ τὴν ὑμῶν γένεσιν, Meã imitantes potentiam, qua sum usus in creandis uobis. Hæc apertißimè Plato, sæpe, & clarè confitens, ortum utriusque generis Deorum, natos omnes asserens à creatore mundi. Vocat autem hoc secundum genus, Deos Deorum, filios scilicet Deorum, quoniam prædixerat eos natos ex Cœlo et Terra: quasi Deos ex Dijs. In quorum numero censet Tethyn & Oceanum natos ex Cœlo & Terra, ex his Phorcyn, Saturnum, Rheam, cæterosq; omnes: Ex Saturno, et Rhea, Iouem, Iunonem, aliosq;. Apparet eum omne Deorum genus, siue illos è philosophia, siue poëticos à creatore mundi confiteri satos: Et satos eodẽ atq; uisibilia, reliquumq; mundum, tempore. Nam simul omnium tradit creationem. Sic extant quatuor gratißimorum priscorumq; hominum testimonia, de creatione Deorum ab opifice mundano. Et obserua quòd quem Orpheus, & Empedocles dixerunt Vnum, Plato uocat δημιουργὸν, Opificem, Creatorem: Anaxagoras Mentem: Idem Plato αἴτιον, Autorem, Causam. Quibus constat eundẽ creasse inuisibilia, atque uisibilia. Hunc autem fuisse Filium Dei, nomina ipsa, ut sæpe docui, declarant. Nam Mens est post summum Bonum, Secundum Principium, eadem Opifex, et Autor ab eisdem appellata. Reuertor igitur ad initium, ex his inclarescere, creatorem Deorum solum esse sempiternum, solum immortalem, solum omnipotentem, ut qui Deos ipsos crearit, quorum tanta est potestas. Et principatus, maiestas illius unius ostenditur. Tum claret quæ fuerit hominum sapientum illius temporis religio. Apparet eandem fuisse, paucis demptis, atq; posterorum seculorum, sed à uulgaribus, nonnullisq; nimium poëticè loquentibus de Deo, deprauatam. Apparet eos uniuersaliter dare principatum, æternitatem, cætera omnia creata confiteri.

Quod unus tantum maximus Deus, ideoq; solus æternus. Cap. XIII.

EX his etiam constat non fuisse apud eos plures Deos, sed uerum Deum, & in quem unum competat uerum Diuinitatis nomen, unum modò: Quicquid aliud inoleuisset, corruptam uulgi consuetudinem fuisse. Tribus autem hoc probo rationibus: una ex Platone, altera ex Platone & Iamblicho, demum ex Stoicis. Siquidem Plato luculentißimè, ut superius claruit in Timæo, Deos illos, quos multitudo colleret, Dæmones esse, id est, Deos minores, infimumq; Deorum genus ostendit, quibus Deus, nempe creator mundi, eodem ipso teste supereminet. In his autem minoribus Dijs, est ad alios Iupiter, quem etiam necesse est, & docuit ipse, ab Opifice mundi fuisse creatum. Cùm autem Iupiter sit maximus Deorum, docente Platone, id perinde est, ac si diceres maximum Dæmonem, primum è Dæmonibus, quos omnes à creatore mundi condidit Plato. Ecce igitur Iupiter ille nominatissimus, ex infimo genere Deorum, creatus à creatore mundi: itemq; Saturnus, Iuno, cæteraq; Deorum illius temporis familia. ut solus creator & opifex Platoni sit Deus maximus, uerus, & singularis iuxta superiores. Quòd si, ut ego quidem arbi-

tror

tror, Iupiter eſt maximus Deorum, id eſt, non Dæmonum ſolùm, ſed totius mundi creator (quod cùm eſſet nomen ſummi & ſingularis Dei, attributum eſt poſtea homini nefario filio Saturni, quem ueluti Dæmonem, id eſt, miſtum ex humanitate, et diuinitate introduxit Plato, eumq; uulgus hominem fecit, & uocauit ob quædam beneficia, Deum, nomine ſcilicet diuiniſſimo, Iehoua, quo paſſim apud antiquiſſimos uocabatur Deus, ſicut Dios, & Ζεὺς apud Græcos) etiam hac ratione docemus, unum ſingularem Deum eos confiteri, cæteros autem quos Deos dicerent, ita dixiſſe, ſicut in noſtra religione dicuntur Angeli Dij, quaſi Dij minores, Dij facti, creati, ueram, omnipotentemq; Diuinitatem non habentes. Nam quod Homerus uocat Iouem ὕπατον κρειόντων, Deorum ſupremum, imperatorem Deorum, ab Ariſtotele, naturaliter, & à Platooe, à Iamblicho, & à Plutarcho exponitur, quòd ſit maximus Deorum, idq; naturaliter, non poëticè. Hunc ipſum enim hypaton, Ariſtoteles affirmat mundi rectorem, uiuificatorem: deq; eo dicit, τῆ μὲν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτῃ ἕλραι, αὐτὸς ἔλαχεν, ὑπατος διὰ τοῦτο ὠνόμασαι: Supremam, inquit, mundi partem, primamq; regionem obtinet ipſe Deus, eamq; ob cauſam uocatus eſt hypatos. Hæc de quodam naturali ueriſimoq; Deo dicuntur, quem neceſſariò ſentiebat Homerus, cùm diceret ὕπατον κρειόντων, ſummum dominantiũ: Quaſi, quod apud nos de eodem, Rex regum, Dominus dominantiũ: et Deus ſabaoth, id eſt, exercituũ cœleſtiũ. Qua ratione ſicut nobis rex eorũ dicitur, quia creator, non quia ſempiternis eis, maior ipſe præſidet (Nam in æternitate non eſt maius, et minus) neceſſariò et illi eadem ſenſere. De quare clarè locutus eſt Plutarchus: τὸ γὰρ ἄνω καὶ πρῶτον ὕπατον οἱ παλαιοὶ προσηγόρευον. πρότερον δὲ ὁμηρος τὸν θεῶν ἀρχόντων ἄρχοντα θεὸν, ὕπατον κρειόντων προεῖπε. Quæ ſunt: Supremũ & primum Hypaton uocarunt priſci. Prior autem Homerus Principem principũ, ſiue Imperatorem imperantiũ Deum, uocauit Hypaton regnantiũ. Principes Plutarchus uocat Deos ipſos, qui in noſtris literis Angeli, δυνάμεις, ἐξουσίαι, Poteſtates, Dominationes. His omnibus, quod et noſtri dicunt, eſt Deus. Itaq; Plato in libris de Republica: εἰσὶ γὰρ θεοὺς, μῶλοι, τόνγε μέγιστον τῶν θεῶν τολμῆσαι οὕτως ἀνομοίως μιμήσασθαι. Quod ſi, inquit, abſurdum ſtatuimus, Deos apud poëtas audire lugentes, multo minus maximum Deorum. Maximum Deorum Iouem uocat. Et Iamblichus: μιὰ μὲν ἀρίστη παράκλησις εἰς τὴν θείαν εὐδαιμονίαν, ἣ μεμιγμένη ταῖς εὐχαῖς καὶ ἀνακλήσεσι τῶν θεῶν, καὶ μάλιστα τοῦ Βασιλέως αὐτῶν διὸς. Vna, inquit, conſolatio ad diuinam felicitatem, quæ miſta eſt in uocationibus Deorum, maximè regis eorum Iouis. Quoniam igitur eſt Deus maximus, cæteri minores, profectò ſi bene conſideres, illius maximi eſt æternitas. Eò enim eſt maximus, quòd ipſe ſolus æternus. Si cunctorum æternitas eſſet, alter altero maior non eſſet. Eadem q; poteſtas faceret omnes maximos, & omnipotentes, quæ feciſſet æternos. Non enim ſi naturam inſpicias, à ſumma diuinitate ſeparata eſt æternitas. Cui fuit

æternum

æternũ eſſe, fuit etiã ut poſſet uocari Ioues, quod eſt ab eſſendo perpetuo. Et unus tamen eſt Ioues uel Iupiter. Hæćq; ratio ducitur ex fontibus naturæ: ut ſi unus eſt maximus, ille certè ſolus æternus. Vnus eſt igitur maximus Deorum, eorumq; creator. Cui rei etiam dæmon ipſe, quem ſcire plurima nomen indicat, perhibet teſtimoniũ. Igitur & Stoici ſimilia prodiderunt, aſſeruerunt́q;. De quibus in contradictionibus Plutarchus: ἥλιος μὲν γὰρ καὶ σελήνη, καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ παραπλήσιον ἔχοντες λόγον, γεννητοί εἰσιν, ὁ δὲ ζεὺς ἀΐδιος ἐστί: Sol, inquit Antipater Stoicus, & Luna, cæteriq; Dij huiuſmodi rationem habentes, creati ſunt omnes, ſolus autem Iupiter æternus. Claret igitur philoſophorum opinio de Ioue ſummo, ſolo, ſempiterno. Plato quoq; in Cratylo, declarat quid ualeat nomẽ Iouis. Alij inquit, uocant eum Ζῆνα, Alij δίᾳ. Quæ ſi componas, δηλοῖ τὴν φύσιν τοῦ θεοῦ: declarant naturam Dei. ὁ γὰρ ἐστιν ἡμῖν, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ὅσις ἐστὶν αἴτιος μάλιστα τοῦ ζῆν, ἢ ἄρχοντι καὶ βασιλεῖ τῶν πάντων: Non enim, inquit, eſt nobis cæteris ue cunctis, qui magis ſit cauſa uitæ, quàm princeps, & rex omnium. Vult igitur Plato Iouem dictum Zena, à Græco Zen, uiuere. Quẽ admodum ſcimus ab eſſendo uocatũ Hebraicè, Iehouah, qui ſorte eſt Ioues. Agnoſcunt igitur eundem eſſe Iouem, atque Deum. Qui dictus eſt ab Aethruſcis, quorum ſermo, & literæ fuerunt Hebraicæ, nomine Hebraico, Ioues, cùm priſci paulò poſt diluuiũ, per omnes terras diffunderentur, probaturq; ex tribus linguis eũdem eſſe Iouẽ, atq; Deum. Dicitur Hebraicè Iehouah, Græcè Dios: Dios Græcũ, Deus Latinum, Iehouah Hebraicum, Iouis Latinum, illud Latinum Deus. Declarat item uel id Iouem eſſe Deum. Diuus Paulus uocat teſtem Aratum apud Athenienſes: In quo, inquit, uiuimus, & ſumus, quemadmodum, quidam è poëtis ueſtris dixit, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: Huius enim genus ſumus. Subijcitq; Paulus: Genus igitur cùm ſimus Dei. At illud Aratus de Ioue dixerat, ſic opus exordiens,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον, μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες, πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν.

Ab Ioue principium facimus, quem dicere nunquam
Ceſſant ore uiri: Ioue nam ſunt omnia plena,
Atq; hominum cœtus implet, ſimul æquora ponti,
Et portus: Ioue mortalis nanque indiget omnis.
Eius enim genus extitimus.

Eſt igitur Iupiter ac Deus idem, & is ſolus æternus, cæteri Dij creati. Homerus ità quantum & antiquitate, & ſcientia cæteros Deos Iupiter antecedat, illo carmine oſtendit, quod à Platonicis etiam affertur:

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα εἰδώς.

Iuppiter ante alios, & longe plurima cernens.

Declarat etiam Proclus Iouem iuxta priores esse principiũ et finem Vniuersi: ὅτι μὲν ὁ Ζεὺς μονὰς ὅτι πάντες, καὶ πλήθος ἐγκοσμίων θεῶν, καὶ ὅλα πάντας καὶ παράγειν ἀφ' ἑαυτοῦ δύναται, καὶ ὠσαύτως εἰς ἑαυτὸν, ἐφεκτὸς πολλάκις. Quòd Iuppiter, ait, Vnitas sit Vniuersi, etiam multitudinis mundanorũ Deorum, et quòd omnes & à se producere, et ad se conuertere potest, dictum sæpius. Plato uerò: αὐτοὶ δὲ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνοντες νομίζοντες τὸν δία, τῶν θεῶν ἄριστον, καὶ δικαιότατον. Hierocles quoque Pythagoreus sic scribit: τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τὸ δὲ τὸ πάντος, ἔθος ἦν τοῖς πυθαγορείοις ζεὺς ἢ δίος, καὶ ζωὶς ὀνόμαζε σεμνύνειν, διὰ ὃν τὸ ζῶ, καὶ τὸ εἶν πᾶσι.

Oraculum Apollinis de Deo, & de creatione Deorum. Cap. XIIII.

POst Philosophos igitur non ab re fortasse sit audire Dæmonum quoque Theologiam, & arcanas quasdam Diuinitatis laudes. Nullus erit cui uel summis labris latices sapientiæ naturæ potandos dedisset, qui non miretur Dæmonum præclaram Diuinitatis, potestatisq; diuinæ confessionem. Vt à Dæmone Mortalis, si quis esset tam profundè durus & peruicax, ad cultum Dei, uel inuitus trahatur. Adducitur hoc oraculum non à Christianis, sed à Porphyrio Christianorum hoste, decimo libro εὐλογίων φιλοσοφίας. Rogatus Dæmon quomodo Deus colendus & rogandus esset, cùm negare non posset, hæc diuina carmina profudit:

Ἀθανάτε, ἄῤῥητε πατὴρ αἰώνιε, μύστα,
Κόσμου ἀμφιδρόμου ἐποχούμενε, δίασσα νώτοις
Αἰθερίοις, ἀλκῆς ἵνα σοι μένος ἐσήρικται
Γαντ' ὠδὶ ἐρχομένῳ, καὶ ἀκόντι ἔασι καλοῖς,
Κλῦθι τέων παίδων, ὃς ἥρωας αὐτὸς γὼ ὥραις.
Σὴ γὰρ ὑπὲρ κόσμοντε καὶ οὐρανὸν ἀστεροέντα
Χρυσὴ ὑπερκείται πολλὴ αἰώνιος ἀλκή,
Ἣς ὑπὲρ ἠώρησας, ὀρίνων φωτὶ σεαυτὸν,
Ἀενάοις ὀχετοῖς πηδήων νοῦν ἀτάλαντον,
Ὅς ῥακύει τόδε πᾶν, τεχνώμενος ἄφθιτον ὕλην,
Ἣν γρύσις διεδόκηται, ὅτι σφε τύποισιν ἔπλασας
Ἔνθεν ἐπεισρείουσι γονὰὶ ἀγίων μιν ἀνάκτων,
Ἀμφίστε παντόπατορ, βασιλεύτε, καὶ μόνε θνητῶν,
Ἀθανάτωντε πάτερ μακάρων, αἵδε εἰσὶν ἀτέρβων
Ἐκ σέο μὲν γεγαῶσαι, ὑπὸ ἀγγελίῃσι δὲ ἧκασαι
Πρόδρομοι ἀγγελέων διάγουσι νόον, καὶ κάρτει ζῶ σῷ.
Πρὸς δέ τι καὶ τρίτον ἄλλο γρύσ ποιήσας ἀνάκτων,

οἳ

Οἵ σε καθ' ἥκαρ ἄδηστιν ἀνυμνέουσες ἀοιδαῖς
Βουλόμενον ῥα ἰδέλουσες ἀοιδάσσι δ' ἐς ὦδε.
Τύνη δ' ἐσσὶ πατὴρ, καὶ μητρὸς ἀγλαὸν εἶδος
Καὶ τεκέων πέρι αὖθος γὺ εἴδεσιν εἶδος ὑπάρχων,
Καὶ ψυχὴ, καὶ νοῦμα, θεμοσύνα, ἠὲ ἀριθμός.

Hæc carmina quoniam difficilia ſunt, & ipſa dogmata facilius oratione ſoluta intelligentur, non reddam, quod alibi feci, totidem carminibus, ſed oratione ſoluta. Immortalis, ineffabilis, pater æterne, ſacer, ſuper mundis circumuertentibus inuectus, dominator in campis ætherijs, ubi poteſtatis tuæ robur eſt defixum: indeq; omnia deſpicis, pulchris & auribus audis: exaudi filios tuos, quos dilexiſti ad omne tempus. Tua enim ſupra mundum, & cœlum ſidereum, aurea ſupereminet, magna, æterna poteſtas. Super qua eleuaris, ſplendore te ipſum excitans, perennibus riuis, nutriens animum infinitum. Qui producit hæc omnia, formans materiam indeficientem, quam generatio circumuagatur, quoniam illam formis obligaſti. Ex eodem animo fluxerunt geniturę ſanctorum regum, qui te circunſtant pater uniuerſalis, & rex, & ſingularis, mortalium immortaliumq; beatorum pater. Quæ quidem ſeorſum ſunt ex te natæ, nuntijs autem ſingulæ præfectæ, æternæ Mentireferunt, tuæq; potentiæ. Præterea tertium quoddam genus regum creaſti, qui te ſemper canunt, carminibusq; laudant uolentem te, ipſi cupidi, prædicantq; nunc & ſemper. Tu es pater & matris præclarum exemplum, & filiorum tener flos, exiſtens forma in omnibus formis, & anima, & ſpiritus, & concentus, & numerus. Hæc oraculũ, altiſſimæ Theologiæ myſteria. Quanta cũ ſuperioribus concordia? Vocat eum patrem, regem, motoremq; cœli, mundos circumuertentes, orbes cœleſtes appellans. Eius eſt de motu cœleſti uerior, quàm philoſophorum ſententia, Deum patrem hominum atque Deorum, uitam, ſalutem, non unum tantum primum mobile, ſed uniuerſos orbes incitare. Non ab homine dicitur, ſed à dæmone, quos à ſciendo uocatos autor Plato, multo maiora, lõgeq; plura cognoſcentes, quàm mortales. Ecce dæmon ait Deum ſuperuehi, ſuperferri, ac portari, mundis ἀμφιδρόμοις, circumrotantibus. Mundos appellans omnes cœleſtes orbes, quorum quiſq; ſit inſtar mundi. Quòd ſi ſuperuehi, non refertur ad motum, & impulſum cœleſtem, ſed ad ſedem, ſtationemq; Dei ſupra cœlo in altiſſimis cœli regionibus: ſentiet tamen oraculum quædam diuina gubernacula, quaſdam habenas, quibus ut equus à quadriga, cœleſtes orbes agantur, inſidente deſuper Deo, ſub pedibus omni cœleſti ſe machina uertente. Ac cœleſtes orbes rotatos gyrantesq; memorauit, ut rectorem, moderatoremq; agnoſceres. Eſt in noſtris literis, Dominum eſſe in cœlo, ſedem eius ibi conſiſtere. Oraculum autem in campis ætherijs regnare, ac dominari, præcipuè cœleſti regno commemorato, quòd illa ſit optima mundi pars. Et nos paternæ Sapientiæ, magnorumq; myſteriorum nuntius orare docuit, Pater noſter

qui

qui es in cœlis. Ecce & dæmon ueritatem abſcondere non potens patrem hic eum cœleſtem uocat, ſicut & ſuperiores omnes. Pater æternus primũ filij ſui, tum rerũ creatarum. In cœlo pulcherrimum, ampliſſimum, fortiſſimumq; eius regnum florere canit. Inde mortalia cernere, diſtet licet longiſſimè. Dæmones fatentur, uſq; in terras, oculos eius tendere, omnia diuinis auribus eum exaudire. Quæ ſanctis oraculis noſtris, infinities prædicantur. Quod uerò ſequitur, quàm diuinum? homines introducens tanquam filios eius orantes. quod ipſe quoque docuit, pater noſter. Nos uti filios introducit oraculum: Filius Dei iubet nos eum appellare patrem noſtrum. Fatetur item dæmon amari nos ab ipſo omni hora, nullam eſſe beneuolentiæ, paternæq; charitatis interpollationem. Nunquam illum nos amando defatigari. Rurſum iterat poteſtatem eius auream, & pretioſam florere ſupra cœli uertigine, ubi ſit eius æterna, immenſaq; maieſtas, qua ſublimatus ipſe ſit ſupra omnia, luminis in pelago, lucemq; habitans inacceſsibilem. Riuos autem æternos, quibus, immenſum, ſuum nutrire animum dicit, ſentiẽdum eſt, tum ſapientiam eius infinitam, gaudiaq; magna mentis ſuæ, tum quod dicebat Ariſtoteles, cognitionem Dei de ſeipſo, cognoſcentis bona ſua, & ex eo uoluptatem infinitam capientis: innumerabiles item rerum ſpecies, & Ideas continentis, quibus natus eſt, & naſci potuit iſte mundus. Idcirco ſtatim adiecit, infinitam Mentem iſtam produxiſſe. Quo loco, quæſo ſublatis animis, arrectaq; mente ſimus. Vt enim ſuperiores diuino quodam, & quaſi ex aula cœleſti allato conſenſu prædicant ſimul, ex eodemq; fonte natos Deos atq; mortales, cæteraq; quibus mundi uaſtitas efficitur: ſic dæmon diuinè, ex illa infinita Mente paria uniuerſa, nominatim Deos ipſos, eorumq; genera appellans. Laudat igitur eum primum Vniuerſi opificem, formas materiæ perenniter affigentem, eamq; renouantem aſſiduis figuris, circum quam uerſetur ſemper generatio. Quod ſæpe proditur à philoſophis, materiam ſubiacere formis, nunc uni, nunc alteri, inuicem ſuccedentibus. Deinde tradit ex hac eadem Mente, fluxiſſe prolem regum ſanctorum. Reges ſanctos angelos uocat. Sanctos, quoniam ab omni terreno contagio ſegregati. Reges autem, quoniam his maxima poteſtas, ciues, Heroësq; regni cœleſtis, exercitus Filij Dei, duces & principes omnes, poteſtates etiam, autoritatesq; noſtris in literis, rectores item hominum, ac prouinciarum uocati. Mirabiliter item docet, quid faciant in cœlo, totóque mundo. Aſsiſtunt, inquit, tibi ſemper, circunſtant dextra, læuáque frequentes thronum Dei. Eſaiasq; uidit Dominum ſuper ſolium excelſum et eleuatũ, & Seraphim: non duo, cùm ſit tibi numerus multus, ſed innumerabilem Seraphinorum, ſolium Dei circunſtantium, multitudinem. Et ſæpe fatentur illi ſe conſpectibus Dei aſsiſtere. Et Raphaël dixit Thobiæ, Ego enim ſum Raphaël unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Ob hanc cauſam, cùm in hac commemoratione dæmon eſſet, iterato confitetur eum patrem omnipotentem, non eorum tantum, qui terras, ſed etiam qui cœlum incolunt, in immenſum genus humanum multitudine ſuperantes.

Horum

Horum omnium Patrem eum & Regem dicit. Iteratoq; confitetur eos natos, id eſt, creatos à Deo, eodē uſus atq; Orpheus, Heſiodus, Empedocles uerbo, γεγαῶσι. Et quod diuinius eſt, declarat munus eorum, qui ſunt præfecti nimirum nuntijs, quo primò fuere apud antiquiſſimos Hebræorum uocati Malachim, miſſi, nuntij: & Græcos hæc ſecutos, Angeli, Quia, inquit Dæmon, præfecti, ſunt ἀγγελίαις, Angelijs, nuntijs: referuntq; omnia, inquit, Menti πρεσβυγενεῖ, æternæ, magnæ, uenerandæ. Tum tertium genus eorum nominat: quaſi qui ſunt nuntijs præfecti, ſint duo genera, Angeli ſcilicet, & Archangeli: tertij autē aſſiſtunt, quanquam etiam omnes, laudantes, clamantes, Sanctus ſanctus, idq; cupidè, libenter, ſicut ille uoces eorum libenter audiat. Mireq; concordant hæc cum Theologia Dionyſij, ſuper tribus Hierarchijs Angelorum, Dæmonibus ipſis, qui ſæpe abſtruſa multa confeſſi ſunt, prædicata. Repetit iterum eum eſſe Patrem, eſſe inſtar optimæ matris. Sic enim etiam Græci locum intelligunt, quòd patris, ac matris charitatem oſtendat erga nos Deus, & quòd condeſcendat per humanitatem, dulcedinemq; paternam, ac maternam, quam tenerum florem dixit. Deinde cum cæteris omnibus ſuperius nominatis Theologis, appellat Animam Vniuerſi, & Spiritum, ſicut & ille, Spiritus intus alit. Eoq; etiam eſt Anima mundi apud philoſophos. Appellat Harmoniam, & Numerum perinde ut Pythagoras κράσιν, Temperamentum, quaſi moderamen, gubernaculumq; totius. Et ſicut Pythagoras eum ψύχωσιν, ſic Dæmon ψυχὴν, unde omnia uiuunt, & intelligunt, intelligentiarum, ac uitarum fons. Hæc qui preßius conſideret, mirabitur Dæmonibus etiam confeſſam cum priſcis Theologiam.

Aliud ex eodem, de Deo, diuinisq; rebus, teſtimonium. Cap. XV.

ALiud eiuſdem oraculi præclarum, admirabileq; de ſumma Diuinitate teſtimonium, quo maxima declaratur altißimæ Theologiæ pars. Rogatus à quodam Theophilo, an ipſe Deus eſſet, Reſpondit ad hunc modum:

Ἐσθ' ὕπερ οὐρανίοις κύριος, καθύπερθε λελογχώς,
Φλογμοὺς ἀπειρέσιος κινούμενος ἄπλετος αἰών.
Ἐστὶ δ' οὐ μακάρεσσι ἀμήχανος, εἰμὶ δ' ἑαυτῷ
Βασιλεὺς βασιλεύσι πατὴρ μέγας, ὡς ἐσιδέσθαι,
Ἐνθάκε δ' ἐξ αἰθὴρ, φέρει ἀστέρας ἀγλαοφεγγεῖς,
Οὔτε σελήνης λιγυφεγγέτις αἰὼν ἔσται.
Οὐ θεὸς αὐλιάει κατ' ἀπείριτον, ἐξ δ' ἐγὼ αὐτὸς
Ἀκτῖσι σωέχων ὠκὺς δύναμαι, αἰθερολίνυς.
Ἀλλὰ τέλει πυρσοῖο θεᾶ πόδι μάκετος αὐλὸς,
Ἕρπων εἰλιρύει ῥιζόμενος, ὃ μὴ ἐκείνο,
Ἁψάμενος, πυρὸς αἰθερίου δαιτίελις ἦτορ.
Οὐ γὰρ ἔχει δαίμων, ἀζυχεῖ δ' ὑπὸ μελεδήθμῳ.

Αἰὼν

Αἰὼν αἰῶσι ἐπιμίγνυται ἐκ θεοῦ αὐτοῦ,
Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀσυφέλικτος,
Οὔνομα, μηδὲ λόγῳ χωρεύμενον, ἐν πυρὶ ναίων.
Τοῦτο θεὸς, μικρὴ δὲ μερὶς θεοῦ ἄγγελοι ἡμεῖς.

Hæc cùm & ipsa perobscura sint, soluta oratione reddam. Est supra cœlesti uastitate, desuper fulgor, motus, immensum æuum. Est autem inter beatos inæstimabilis, incomprehensibilis, nisi seipsum, consilia, consiliet pater magnus, ut uideatur. Hic neq; æther fert sidera nitentia, neq; luna obscuræ lucis attollitur. Non Deus occurrit per semitam, neq; ego ipse, radijs continens, amplectens spargor, per æthera uolutus. Sed est flammæ Dei immensa profunditas, repens uoluitur rapidè cum stirpitu. Non tamen qui illum tetigit ignem ætherium, timidus cor. Non enim habet ardorem, sed placida cõbustione, seculũ seculi miscetur ex Deo ipso. Per se genitus, indocibilis, sine matre, inconcussus, cuius nomen sermone non capitur, in igni habitans. Hoc Deus, exigua uerò pars Dei, nos angeli. Hæc oraculum Apollinis, quo tota ferè traditur in aures hominum Theologia. Primum describit locum sanctissimæ Diuinitatis, ut Aristoteles etiam cœlum dicit esse οἰκητήριον τοῦ θεοῦ, in libro de Mundo. Hunc locum supra cœlesti locat immensitate, supra cœlestes orbes, extra anni, Solisq; uias. Hic esse largissimam lucis copiam, mundum lucis uiuentis, uegetæq; semper. Hic æuum infinitum, id scilicet quod est supra tempus, quod ex cœlesti motu colligitur, est ipsa æternitas, dicta Græce αἰὼν, quia semper fuit. Illic æternitas, illius, infinitæ lucis ætas. Nec dubium est, quin hæc immensa flamma, ardorq; sempiternus sit quod apud priscos Theologos, quos posteà nostri sunt secuti, dicitur cœlũ empyrion, id est, igneum. Nam et ipse dæmon appellat eum φλογμὸν, ardorem, & πυρσὸν, facem. Dicitur item Deũ habitare ἐν πυρὶ, in igne, unde ἐμπύριον. Hoc Cœlum empyrion, est claritas æterna, flagrans à Diuinitate. Ea quoq; descriptio Cœli empyrij, Illic neq; Solẽ esse, neq; Lunam, neq; astra, genus cœli diuersum, alia lumina, alia lux. Ad eam nostra hæc ne lucerna quidem uideri posse. Ioannes illo in regno, diuinaq; regione, neq; Solem esse, neq; sidera, esse autem Christum Solem eius. Similia mirabili consensu locutus est Homerus, approbaturq; uehementer ab Aristotele, Olympum dictum quasi ὁλολαμπῆ, totum ardentem, nomen scilicet Empyrij, de quo scribat Homerus,

Οὔλυμπον δ' ἔδος φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
Ἔμμεναι, ὄτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, ὄτέ τ' ὄμβρῳ
Δεύεται, ὄτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνεφελὴς, λευκὴ δ' ἀναδέδρομεν αἴγλη.

Venit Olympum, ubi sedes diuûm dicitur esse
Immota, hæc uento haud quatitur, nec spargitur hymbre,
Non nixi decidit, ast splendor purissimus albet,

Et ſine nube nitor, campos hic occupat omnes.

Lucem, ignemq; illum non eſſe, qualis noſter abſumens, ſplendorẽ eſſe tranquillũ, lætum, puriſſimũ, per terras latè micantem. Hunc ſplendorem ſi quis ex Homero, & Ariſtotele, qui dicta probat eius percunctetur, unde nam emanet, dicent non à Sole. Nam Sol exurit, nec ſupra cœleſtes orbes. Ergo genus aliud luminis. Ergo ueriſſimum eſt quod conſentaneè noſtræ quoq; Theologiæ dixit oraculũ, lucem illam infinitam, camporumq; admirabilem, lætamq; ſerenitatẽ, manare ab ipſa diuinitate, Solis ipſius creatricem immenſam. Hunc igitur locum, ubi tanta lux apertè cernitur, appellat ardorẽ, facem, flammã, ignem, dicens eã eſſe αὐλῶνα περιμήκη, Topy, uallem immenſam luminis, regionem lucis uaſtã: Eſſe æternam hanc lucem in mediis beatis. circunſtant enim dextra, læuaq; frequẽtes: Nec uidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat uſq; morari. Hæc beatitudo, θεωρία, contemplatio diuinitatis, quam Dæmon tanquam unus è ſupernis angelis hic prædicat, dicens Deũ uideri nõ poſſe, appellansq; eum Patrem, niſi ipſe uoluerit. Nam & Filius apud nos, Nemo, inquit, uidet Patrem niſi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Deinde hanc lucem eſſe ſuauiſſimam, manantem à Deo ſemper. Deſcriptaq; habitatione, & loco ſummi Dei, deinde loquitur eum, declarans quæ de natura diuina fas ſit ab hominibus noſci. Eum primò uocat αὐτοφυῆ, per ſe ortum, à ſe natum. In quo latitat ſublime myſteriũ. Vt enim ad unam primam cauſam omnium rerum ortus reuocatur, ibiq; deſinit, ut nõ ſit progreſſus ad infinitũ, ſic naturæ eius, bonorumq; ſuorũ cauſa deſinit in ipſum, quoniam non habuit aliunde, quod habet, qui maior eſt omnibus. Eſt autem, ne fallamur, ortus eius ex ipſo æternus, quod iſto nomine declaratur. Si enim nulla terrena creata res, fieri ex nihilo, id eſt, à nulla cauſa potuit, multo certè minus ipſe Deus. Quòd ſi Deus aliquando non exiſtens, natus eſſet ex ſeipſo, fuiſſet Deus antequam eſſet: efficiturq; ſi Deus natus eſt ex ſeipſo, ut hæc natiuitas ſit æterna, ut & ſemper fuerit à quo naſceretur Deus. Semper enim oportuit id antecedere, à quo natiuitas diuina ex ſe ipſa proficiſceretur. Nam quod non erat, nihil poterat producere. Aſſeris aũt eum, à quo natus eſt Deus, anteceſſiſſe, quia dicis ab eo Deum pullulaſſe. Duæ igitur ſunt cauſæ, cur hoc nomen αὐτοφυοῦς, altiſſimè deſignet æternitatem; quia quum non poſſit naſci, nec tu confitearis Deum ex nihilo natum, ſemper habuit à quo naſceretur Deus. Iam ſi quando fuiſſet tempus, cùm Deus non eſſet, ſed poſtea ex ſeipſo natus, neceſſariò fuiſſet Deus, quando non eſſet. Ex quo efficitur, ut quoniam cætera dicimus à Deo nata, Deum autem natum à ſeipſo, cæteræ quidem res, quibus aliena à ſe ipſis cauſa fuit, eſſe quidem ſine cauſa non potuiſſe, cauſam autem ſine eis, à quibus nihil dependeret, potuiſſe. Vt autem res ſine cauſa ſua Deo, naſci non potuerunt, ſic Deus ſine cauſa Deo, nunquam potuit eſſe. Nunquam igitur poterat Deus naſci, niſi Deus prius affuiſſet. Hoc autem in æternum. In æternum igitur natus eſt ex Deo Deus. Hanc neceſſariam naturaliſſimamq; conſequutionem, non uidit ille, qui quum de natiuitate Dei loqueretur. Verùm quia, inquit,

inquit, fieri non poteſt, quin id quod ſit, aliquando eſſe cœperit, natus eſt ex ſeipſo. Error quidem euidentiſſimus. Significauit igitur & æternitatem, & maieſtatem ſuprà omnes, quia nullius indiget Deus, potens à ſeipſo cuncta bona petere Dæmon. Siquidem ſi à ſeipſo habet ſeipſum. Deo autem nihil eſt melius, utique uniuerſa ex ſeipſo habet. Hinc efficitur etiam illud Ariſtotelis, eum in cognoſcendo ſeipſo, eſſe beatum. Nam ſi ex ſe habet eſſe, utiq; etiam beatitudinem uitæ ſuæ, omniáq; naturæ ſuæ bona. Vt autem dixit uitã eius ex ſeipſo proficiſci, ſic etiam ſapientiam, quum eum appellat ἀδιδακτον, non edoctum, quaſi uidelicet αὐτόσοφος. Nam cùm ſit ſapientiſſimus, & Paulus μόνος σοφὸς, eius autem ſapientia non ſit aliunde: oritur certè à fonte naturæ ſuæ. Sic eum dicens ἀμήτωρ, ſine matre, declarat tum æternitatem, tum quoniam prædicat eum ex ſeipſo natum, non eo modo natum, quo ſolent ea, quæ apud nos naſcuntur, & quæ cauſam, in alijs cur naſcerentur, habuerunt, ſed diuino & ineffabili modo, quoniamq; ei dedit æternitatẽ, æternamq; bonitatis ex ſeipſo dependentiam, efficitur ut ſit incorruptibilis, & immutabilis. Quia qui fuit ſemper, altiſſimam, optimam, eminentiſſimamq; naturam ſibi ſuppetens, non habet à quo oppugnetur, corrumpatur. Quapropter uocat eum ἀσυφὲλικτον, inconcuſſum, immobilem, incorruptibilem. Hoc, inquit, eſt Deus, hæc natura diuina. Habitat lucem inacceſsibilem, ut ait Apoſtolus, eſt æternus, per ſe genitus, non more noſtro, eſt incorruptibilis. Nos autem Angeli (omnes enim ſunt Angeli, boni ſcilicet & mali, Philoq; Iudæus confitetur, quos Moſes Angelos, Dæmones à philoſophis appellari) ſumus exigua Dei portio: non uidelicet per transfuſionem ſuæ in nos diuinitatis, ſed quaſi quædam ſcintillæ, quæ ex luce diuinitatis ſuæ micuerunt. Ille maximus, ſolus, ſolus æternus. Intelligentiæ uerò quædam quaſi particulæ diuinæ, quædam ſcintillulæ, natæ ex illo, uel productæ (Nam naſci philoſophis eſt creari) ſpirituali quodam modo, ſoli Deo, neſcio an illis noto. Et ut ait Philo, νοῦς ἀπόσπασμα θεῖου, Mens quædam diuina abſciſsio. Ex his conſtat, tum quid ſit natura diuina, tum apparet Dæmones confiteri, creatos etiam Deos ab illo. Demonſtratur etiam cœlum empyrion, locus que ſupra ſideribus, quem etiam Ariſtoteles duobus in locis, in libro de Mundo, & primo de Cœlo, eſt confeſſus his uerbis: Extra cœlum oſtenſum eſt, neque eſſe, neque eſſe poſſe corpus. Claret igitur quòd neq; locus, neq; uacuũ, neq; tempus, eſt extrà. Ideo neq; in loco, quæ illic ſunt, exiſtunt, neq; tempus ea facit ſeneſcere. Neq; eſt ullius ulla mutatio eorum, quæ ſupra extremam uertiginem conſiſtunt. Sed immutabilia, & indolentia, optimam agunt, opulentiſſimamq; uitam, omne æuum. Ecce Ariſtoteles per numerum multitudinis, res neſcio quas extra cœlum collocat, ſed præcipuum id diuinitatis id eſt regnum, cuius fecit, clementia ductus, alios animos participes. Latiusq; explicuit Dæmon illum locum, & melius quàm Ariſtoteles, uterq; tamen diuinè. Vterq; florere ibi uitam, optimã beatitudinem ac ſupremam. Nam quod Ariſtoteles per neutrũ genus dixit, nolens explicare τὰ ἐκεῖ, quæ ibi, Dæmon expreſſe dixit,

μακαρες, beatos. Et ipſe paulo ſuperius Ariſtoteles ab eo loco πᾶν τὸ θεῖον. Vtiq; Dæmon ἄπλετον αἰῶνα, ſic Ariſtoteles ibi locat æuum immenſum.

Aliud oraculum de Deo, locisq; cœleſtibus, quod Deus fons, principium, creator omnium, inſcrutabilis: quod nemo peccans eum lateat: quod omnia proſpiciat. Cap. XVI.

ALtiſſimè quoq; philoſophatus eſt uelut cœleſtis præco, Dæmon, de natura diuina rogatus, afferens eadem atq; ſuperius:

Ἐσθ' ὑπὲρ οὐρανίης πυρὸς ἀφθίτου, αὐθομένη φλόξ,
Ζωογόνος, πάντων πηγή, πάντων δὲ καὶ ἀρχή,
Ἥτε φύει μάλα πάντα, φύσασάτε πάντ' αὐξήσει.
Αὐτοφανὴς ἀλόχευτος, ἀσώματος, ὑλίετ', ἄϋλος,
Κεῖθεν δ' ἐξελάων σε περίξ σφαιρηδὸν, ὄλυμπον
Ἔνθενδ' αὖ τυτθὴ λιαζόμενον αὐθερος αὐγή,
Ἥλιος, μήνη, καὶ τείρεα φωτίζεται.
Ταυτ' ἐνόησα, ἔμαθον τε νόῳ, τὰ δὲ λοιπὰ σιωπῶ
Φοῖβος ἐὼν, σύνες αὖτε, οὓς μὴ θέμις ἐξερεείνειν.
Εἵνεκα σῆς φυσικῆς σοφίης τό δ' ὑπέρτερα νωμᾶν.

Quæ & ipſa non carmine, ſed ad uerbum reddam:

Eſt ſupra cœleſti igni, corruptibilis, ardens flamma, uitalis, omnium fons, omnium quoq; principium, Quæ & producit omnia, & producens omnia abſumit, Exſe apparens, inlocabilis, incorporeus, immaterialis. Illinc circum olympum diffunditur in orbem. Hinc rurſum paruus promicat ætheris ſplendor, Sol, Luna, et aſtra accendens. Hæc noui, didiciq; mente, cætera uero taceo, Phœbus exiſtens. Tu uerò deſine, quos nefas ſit ſcrutari, propter tuam naturalem ſapientiam, ſuperiora ueſtigare. Ecce iterum meminit illius immenſæ lucis, quam ſuperius ignem, facem, flammamq; uocarat, nunc etiam flammam, à diuo quoque Paulo nuncupatam lucem inacceſsibilem. Ab omni philoſophia Cœlum empyrion, flammeum, ardens. Hanc flammam, quæ quemadmodum à Sole manat à Diuinitate, ſupra cœleſtem nitorem, ut paulò antè, & ut Homerus, & Ariſtoteles, ſupra ſidera, ſupra motus cœleſtes locat. Duo diuina myſteria, primo de nitore illo ſempiterno, tum de loco, ſilocum cum dicere fas eſt. Hanc quoque lucem, ſeu flammam, uocat uitalem omnium rerum fontem, & principium. Deum uidelicet ipſum extra cœlum, motusq; cœleſtes, Hoc rerum principium dicit omnia producere, atque abſumere, fortaſſe, quod ait Dauid, Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Dominus necis & uitæ, auferens quæ dediſſet, ſi uoluerit: In eandem cùm placuerit, omnia potens redigere uanitatem, quæ fuerunt antequam conderentur. Hoc ſentit oraculum, clamans eum ſicut uitarum repertorem omnipotentem, ſic omnipotentem mundi, rerumq; omnium euerſorem, ſi uellet. Ad cuius conſpectum omnia contremiſcunt.

contermiſcunt. Qui tangit montes & fumigant, nutu tremefacit olympum. Hæc q̃ multo de ſumma Dei omnipotentia maior prædicatio, quàm motorem eum dicere cœleſtem. Multo enim potentius eſt, omnium uitarum, omnisq̃ mũdi euertendi habere poteſtatem, quàm machinam cœleſtem, leuem illam quidem, & ui ſua incitatam mouere poſſe. Ingreſſus deinde de natura eius dicere Dæmõ, prædicat eum αὐτοφανῆ, per ſe apparentem, ſpectans infinitam illã immenſamq̃ lucem. Eſt enim per ſe apparens, per ſe lucẽs, à ſe, à fonte ſuo, è theſauris Diuinitatis, maieſtatis ſuæ lucem diffundens. Radians à ſe ipſo, non aliena lucerna, habens inſitam magnam maieſtatis ſuæ claritatem. Eoq̃ ſemper ardet, tanquam Sol cœleſtis, illius magnæ Diuinitatis imago. Item eum uocat ſine loco, incircunſcriptum, quia uidelicet infinitus, immenſæ maieſtatis, nullo loco potens intercipi. Inlocabilem item, quia incorporeus, & immaterialis, extra mundum, omnemq̃ locum & tempus. Vaſtitas igitur immenſitasq̃ eius incorporea, nullo loco capienda. Non eſt infinitus corpore, ſed mente, ſapientia. Secundò, tribuit ei motum per totum olympũ: idq̃ ad illã flammam, diuiniſſimumq̃ ſplendorem referas, pandentem ſeſe circunquaque, cunctaq̃ complectentem, per totam olympi uaſtitatem. Quantus eſt enim olympus, cum terræ, quæ centri in toto Vniuerſo habent rationem, ſint uaſtæ, ingentes. At olympum cunctis orbibus ſublatum, in immenſum terra latioribus, quantũ eſſe par eſt? Hunc circum ſancta, amœna luce complet Deus, nullusq̃ eſt locus, ſi locum illic eſſe fas eſt, quin à ſplendore ſacro contingatur. Ex hac largiſſima luce, aſſerit accenſa lumina cœleſtia, Solem, Lunamq̃. Teſtatur idem Iudæus Philo, Platonicorum eximius, Ideam omnis lucis, & fontem, theſaurumq̃ nitoris Deum, πανανγειαν, omniluminem, luminoſitatem dicens, deducens ab ea, corporum cœleſtium, omniumq̃ rerum lucem. Hæc diuiniſſima lux fecit corpora cœleſtia, & præ qua Sol tenebræ ſunt, & caligo, facile potuit cæteris rebus dare nitorem. Prædicat oraculum, hanc ætheriam, Solis, Lunæ, aſtrorumq̃ lucem, eſſe τυτθὴν, exiguam, paruam, minimam, obſcuram: Reputa igitur, quanta ſit illa diuina claritas, cui ſcintilla quædam eſt lux ſolaris, omniumq̃ ſiderum collata. Hæc, inquit, ſunt quæ de Deo mihi ſcire datum. Hæc uidi & noui. Et fortaſſe dicat ad hunc modum. Cum ad illam claritatem uenturus eſſem (utinam mea ſcelera non obſtitiſſent) oblata mihi fuerat, & ut præmium propoſita. Vidi eam aliquando, ſed procul, uidi animo. Cætera taceo, non licet homini loqui. Sunt enim arcana uerba, id eſt, arcanæ res, quas tu quoque abſiſte ſcrutari, quas te ſcire nefas. Noſter Theologus, Non licet: Dæmon, οὐ θέμις, Nefas eſt, Deſine ſcrutari, amorem compeſce quærendi. Nec fas eſt, quo tibi compares ſcientiam, quam uti naturalem poſſideas, arcana rimari cœleſtia. Tenes quæ teneri de Deo, potuiſſent. Rogatus item an quis peccans, Deum latere poſſet, reſpondit:

Οὐδὲ θεὸς ἂν λάθοι τοῖσ θεόν, οὐδὲ σοφοῖσι
Κρύπτεσθαι, οὐδὲ λόγοις ὑπεκφύγοι ἄλκιμον ὄμμα.

Παύτα θεοῦ πλήρη, παύτη θεὸς ἐπιφάνωται.

Παύτα ζωογονοῦν, ὁπόσα πνείετε καὶ ἕρπει.

Quæ ſunt, Nemo profecto, qui talis eſt, Deum latere poſſit. Neque ſagacibus dolis, aut uerbis acerrimum oculum ſubterfugiat. Omnia plena Deo, Deus ubique uagatur, omnia uiuificat, producitq; quæcunque ſpirant, & inambulant. Ecce quæ de uno ſingulariq; Deo prædicat Dæmon, ſunt ea, quæ de Anima mundi, Poëta diuinus:

Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Is Deus ubiq; eſt, omnia uiuificans, dans omnibus quæ uiuunt, et mouentur, uitam, & motum, portans omnia uerbo uirtutis ſuæ. Eiusq; ſunt omnia plena. Eoq; is eſt quem dixit Aratus, & cum ſecutus Poëta, Iouis omnia plena. Non alicuius uidelicet fictitij, ſed ueriſſimi, naturaliſſimi Dei, de quo, uelut diuinus Theologus hæc edit oracula Dæmõ, prouidentiæ diuinæ magna confeſſio, quam nulli peccantes poſſint effugere. Idẽ atq; illud in ſacris literis. Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernũ, ades. Quãta inter utrunq; oraculũ concordia? Dæmon oculum Dei ἄλκιμον, Fortiſſimum, robuſtiſſimum, acerrimum, omnia contuentem, terras, cœlum, mare collustrantem. Quantumuis item artificioſam alitia, doliſq;, te circũcuntegas, quantumuis abſcondas, oculos eius non poteris effugere: Quiduis loquaris, dicta, factaq; omnium ſunt in conſpectu eius. Illud Philonis ἀκοιμήτῳ ὀφθαλμῷ βλέπει πάντα, peruigili oculo cuncta cernit. Quî enim fieri poteſt, quin illi ſint cuncta nota, qui uitas omnes, mentesq; cogitatrices finxit prior? En illa Pythagoræ ψύχωσις: Et Pauli, Genus cùm ſimus Dei in illo mouemur, & ſumus. Vniuerſa inquit oraculum, complectitur. Oraculum uerè mirabile, omnipotente ueritate claros ex omni loco radios iactante. Omnis enim lingua confitetur cœleſtiũ terreſtrium, & infernorum, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Rogante quoq; ſacerdote, quænam religio plurimum maximeq; foret ſuperſtes, iniecit miranda de Diuinitate, ut uiſum ſuperius. Vtinam ne me nunc ſupremò, ac nouiſsimè interroges, infelix ſacerdos, de diuino Genitore, deq; chara, & unica prole pronomphæi regis. Et Spiritu, Qui continuatim continet omnia, montes, terram, flumina, mare, tartarum, aërem, ignem. Qui me nolentem, domibus ab his repellet, Moxq; linquetur deſertum limen iſtud oraculorum fundendorum. Pomphæum regem cœleſtem, dicit quod ei cuncta oracula concinant. Panomphæus eſt, cui πᾶσα φήμη, omnis fama, ſiue oraculum canit. Huius, quem etiam diuinum Genitorẽ dixit, nominat unicam Prolem. Sonat enim Græcè τηλύγετος, aut dilectũ, aut unicum Filiũ. Spiritum quoq; nominat diffuſum per omnia, de quo Marcus etiam Tullius, cum, per omnia pertinere, perinde ut oraculum, & per omnia continuatum, ſicut hic βοτρυδὸν affirmat. ex fontibus antiquæ Theologiæ hæc ad uerbum de rerum pulchritudine, concentuq; loquens: Hæc, inquit, fieri, omnibus concinentibus

inter

inter ſe mundi partibus, profectò non poſſent, niſi ea uno diuino, & continuato ſpiritu continentur. Bene igitur etiam Dæmon locutus.

Quod Iupiter ſit Deus ille uerus, magnus, Dæmonis oraculo: quod eius poteſtas, omnibus ueneranda: quod ſolus ille ſapiens, largitorq; ſapientiæ: & quod hæc oracula, uere ſunt à Dæmone edita Philoſophorum teſtimonio. Cap. XVII.

EVndem eſſe quoque Iouem, ac uerißimum, naturalémque Deum, quæ que de Ioue dixit Aratus, & Homerus, eſſe de ſingulari Deo, Dæmonis etiam teſtimonio probatur. Rogatus de æterno Deo reſpondit, addens de interitu ſuo:

Ἦμ ζεὺς, ὅδέ τε νῦμ ζεὺς, κ' ἔσεται, ὦ μεγάλε ζεῦ,
Οἵ ὄι μοὶ χρησμῶμ ὑπολείπεται ἠεριβρύεια.

Alio in loco, uehementer ingemiſcens:

Οἵ οἵ μοι τρίποδες σοναχήσετε, οἴχετ' ἀπόλλωμ
Οἴχεται, ἐπεὶ φλογερὼ με βιάζεται ἠράνιον φῶς.

Erat Iupiter, eſt nunc, & erit, ô magne Iupiter, Hei mihi deficit oraculorum claritas. Hoc illud in ſacris literis, Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, & in ſeculà. Heu heu tripodes plangite, obit Apollo. Obit, quoniã flammãs cœleſtis lux, uim adhibet. Lucem ſupra cœlo mirabilem, uocat Deum. Et de ſuo uaticinatur interitu. De Byzano quoq; qui condidit Byzantium, contra eum, qui eum æmulabatur, cuidam pro eo ſcitanti reſpondit:

Ἔγρεο καὶ παλίνορμος ἐτοίγεο, καὶ λέγε ταῦτα,
Οὔσε γι φοῖλος ἄνωγεμ ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι
Κείνῳ γὰρ θεὸς αὐτὸς, ἑὴμ ὑπερέχετο χεῖρα.
Ὄρ καὶ γῆ τρομέει, καὶ ὀρανὸς ἀυρὺς ὑπερθεμ,
Πόντος τ', ἠέλιός τ', ἠδ' ἠερίοι χάος αὐτό.

Quæ ſunt, Excitare, & reuerſus feſtina, & dicas iſta, Non te Phœbus ipſe iubet fortiori uiro depugnare. Illi enim Deus ipſe ſuam porrexit manum, Quẽ & terra tremit, & cœlum deſuper patens, pontusq;, ſolq;, & tenebroſum Chaos ipſum. Nihil abſcondit de Deo: prius regionem, claritatem, creationem etiam Deorum prædicauerat, nunc uniuerſalem præſentiã. Noſtris igitur in literis etiam extat, Tremunt poteſtates, tremunt uidentes angeli. Ecce nunc omnia tremunt ad nutum eius, uaſtitas olympi, terra, pontus, Sol inſuper, & ipſa tartara. Tremunt autem omnipotentem, tremunt, cùm uoluerit, uenientem. Nam mons Sina tremebat, & fumigabat, & horror erat maximus in caſtris Hebræorum. Talis ubiq; terror foret, ſi ipſe uellet, & ſeſe quantus eſt oſtenderet, quantum eum cœlicolæ cernunt. Meritoq; uident, & obſtupeſcunt, horrent, & lætantur ad tantum numen. Serapis quoque in oracuło de ſapientia eius in cœlo florente, prædicans eius largitatem:

Τόσσ' ἀπείρυτος Σοφίη βασιλῆος ἔνδοθ'
Ἀθανάτου, κεῖνος δὲ δίδοι, καὶ λῶιον ὀπάζει.

Infinita, inquit, ſapientia uerſatur in limine regis immortalis, Ille dat & munus largitur. Vocibus igitur humanis et Dæmonũ decantata, apertaq; eſt Theologia. Quæ ne quenquam è noſtris confinxiſſe ſuſpiceris, adſunt ipſi philoſophi teſtes. Nam præterquam quod ſuperiora oracula produxit in libris ſuis Porphyrius, in eo quoque, quem Plutarchus inſcripſit, Cur Pythia deſierit oracula fundere metrice, & Plotinus, Proclus, aliiq; Platonici, qui paſſim Apollinis oracula proferre ſolent, declarant his oraculis fidem ſe habuiſſe, & Dæmonem ueluti declaratorem rerũ abſtruſarum hominibusq; ignotarum, eis fuiſſe. Affert igitur eo libro Plutarchus oraculum, quo Dæmon ſingularem Deum eſt confeſſus, & prædicauit, eum moderatè, & iuſtè iudulgentem. Rogatus à quodam, qui peccauerat, an ulla ſceleris eſſet indulgentia, reſpondit: ἅπαντα ἀναγκαῖα συγχωρεῖ θεός, οὐ μὴν ἀλλὰ δοὺς, ἄν τις, ὡς οὐδὲν ἄνευ μέτρου: Omnia neceſſaria concedit Deus, uerum tamen ita largiens, ut nihil immodicè. His Dæmon & Deũ unum nominat, & clementem prædicat, uſque quò iuſtitia poſtulet. Oraculum autem, quod affert Proclus, eſt altiſſimæ Theologiæ declaratio, ſimile propheticis oraculis. Dicit ergo Proclus ſuper Timæum: οὕτω δὲ καὶ τὰ λόγια τὸν μέγιστον τοῦτον θεὸν, πατέρα πηγῶν πθοσαγορεύει, καὶ μόνον ἀπογεννῆσαι τὰ πάντα.

Ἔνθεν, ἄϋλη θρώσκει ῥύσις πολυποικίλου ὕλης,
Ἔνθεν συρόμενοι πρηνὴς ἀμύδρος πυρὸς αὐθή,
Κόσμων γνῶθρώσκων, κοιλώματα, πάντα γὰρ ἔνθεν,
Ἀρχητ', εἰς τὸ κάτω τείνειν ἀκτῖνας ἀγῆτας.

Itaq;, inquit, etiam oracula, maximum Deum, fontem fontium hunc appellant, & ſolum eum uniuerſa genuiſſe. Dicit enim de poteſtate eius:

Exilit hinc rapidè uariantis materiæ ortus,
Hinc rumpit iubar, & flos omnis debilis, ignis.
Mundorumq; globi, nanq; hinc ſunt omnia nata,
Hincq; micant radij, & mundo mirabile lumen.

Audis oraculum, cuncta ab altiſſimo Deo profecta canere, repetens quaſi Geneſim Moſaicam. Vt Moſes è primis operibus eius prodidit fuiſſe terrã, & aquam, nempe materiam totius futuri mundi, congeriem, & ſementem omnium rerum, non ſecus Dæmon primum affirmat ab eo profectam generationẽ materiæ multiformis, cui uariæ ſpecies uiciſſim inhærent, propterea multiformis. Poſt hanc materiem, ſementemq; rerum, & maſſam, quemadmodum ad res gignendas eam præparauerat ſapiens opifex, ſic ex eis præcipuam, principem cunctarum uiſibilium rerum, produxit lucem. Hoc memorans Moſes, poſt terram, aquamq; creatam, ait ſubitò apparuiſſe lucem. Dæmon ſimiliter ab eodẽ præpotenti Deo, flumen lucis erupiſſe: lucis inquam, præ qua lux omnis, & ignis debilis ſit. Ipſa uerò flos omnis lucis Ea enim eſt lux ſolis, Lux mundi corporei. Poſt lucem, ſicut Moſes, qui ſilerat creationem

creationem orbiũ cœlestiũ, eam postea repetiturus, dixit ab eo omnia cœlestia perfecta: sic uno complectitur uerbo Dæmon, mundorum globos omnes, & concauas illas orbicularesq; cœli machinas cum feciſſe. Deniq; ut Moſes repetens ait, In die qua creauit Deus cœlum & terram, ſic per Epilogũ repetit Dæmon, ab eo micare & in terras fundi radios omnes bonitatis. Omnis ergo lingua confitetur, cœlestiũ, terrestriũ, & inferorũ, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris. Iuſtinus igitur martyr & philoſophus ad gentes, ait oraculum fuiſſe quoddam, hymnum gloriæ diuinæ: ὅτι τὸ παρ' ὑμῖν χρυσήριον ἀξιωθὲν ὑπό τινος, ὑμνῆσαι τὸν παντοκράτορα ἐκδόναι, ὅτως ἐν μέσῳ τὸν ὕμνον ἔφη, ὅτι πρῶτος πλάστης μερόπων, ἄδαμα δὲ καλέσας. καὶ τοῦτον σώζεσθαι τὸν ὕμνον παρὰ πολλοῖς, ὧν ἴσμεν σωζέμενον. Nimirum, Oraculum ueſtrum rogatum à quodam, ut hymnum funderet Omnipotenti, ſic in medio hymni dixit: Quod primus hominum formator, Adamq; uocauit. Et hunc hymnum apud multos, quos ipſi ſcimus, contigit aſſeruari. Vides Dæmonem hymnos, cuiuſmodi ſunt, quos oſtendimus, edidiſſe, ſingularem Vniuerſi creatorem Deum ingenuè confeſſum. Vidit itẽ Lactantius oraculum illud, quo Dæmon dixit, μικρὰ δὲ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς: Exigua Dei portio nos Angeli. Profert enim hoc carmen in ſuis Inſtitutionibus: Quærenti, inquit, cuidam quis eſſet, aut quid eſſet omnino Deus, reſpondit uiginti & uno uerſibus: quorũ hoc principiũ eſt. Sic Lactantius. Nec refert quòd carmina ſint tranſpoſita, ut quod Lactantius principiũ, nos finem carminis eſſe ſcriptũ reſerimus. Facile enim potuerunt uerſus transferri. Satis eſt oraculum reuera Dæmonis eſſe, id eſt, Apollinis, editum non Delphis, ſed Colophonæ. Idem in libro de Ira Dei, aliud oraculum, & quaſi unum ex ſuperioribus ait Apollinem Mileſium effudiſſe, conſultum de religione Iudæorum.

Ἥλιε θεὸν βασιλῆα, καὶ γεννητῆρα πὸ παύτων,
Ὃν τρέμει καὶ γαῖα, καὶ ὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοὶ, καὶ δαίμονες ἐκφερίζουσι.

Fortaſſe præcedit hæc carmina quod affertur à Iuſtino, Euſebio, alijſq; multis, quod eundem Apollinem reſpondiſſe ferunt:

Μῦνοι χαλδαῖοι σοφίῃ λάχον, ἠδ' ἄρ' ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

FINIS LIBRI TERTII.

AVGVSTINI STEVCHI EVGV=

BINI DE PERENNI PHILOSO/ PHIA LIBER QVARTVS,

IN QVO PLATONIS ET ARISTOTELIS THEOLOGIA DISCVTITVR.

Aristotelem singularem Deum esse confessum: Non solis motibus cœlestibus, sed omni item mundo eum præfecisse: Eandem fuisse Academicorum Philosophiam: Eandem & Senecæ: Non solas intelligentias, quæ cœlum moueant, eum agnoscere. Cap. I.

POst priscos Philosophos, qui magis Theologi dicebantur, et post ea secula, quæ à Mose, Trismegistoq;, ad Platonẽ, Aristotelemq; usq; decurrerunt, in quibus adorata & cognita fuit, prædicataq; singularis Diuinitas, partim lucem hanc afferẽte natura, partim ab exordio generis humani, quo solùm Deus uerus colebatur, ea scientia manãte, quippe quam per omnes terras secũ patres antiqui deferebant, succesſerunt duo multorum Philosophorum, Academiarumq; principes, ad quos uelut in portũ ueteris Sapientiæ naufragia deuenerunt, sed pro uarietate ingeniorum magis Platonem, quàm Aristotelem, qui rerum infimarum, sensibusq; notarum studio magis delectatus, obscuras illas, ingeniumq; humanum excedentes Platoni, cæteris q; uestigandas reliquit, ueterum mysteria, secretaq; Dei, silendo ueneratus, quorum difficilis esset, nec procul à temeritate confirmatio. Sed quoniam nullus sermo citra Dei appellationem haberi potest, nec ullius Philosophiæ fundamenta stabiliri, nisi origine reperta, multa de fontibus Theologiæ naturalis (naturalem dico, non fictitiã, fabulosam, quam ratio, naturaq; docet omnes homines) similiter atque alij loqui coactus est. Quibus consideratis, id iudicium colligitur, aut ueritatem inuito imprudentiq; excidisse, aut non habentem quid pro uero asseret, diuersa ratione loquutum. Quam animorum inconstantiam, in omnibus Philosophis ferè deprehendas. Nondum enim fulgor ueritatis terras impleuerat, quo pulsa omnis densa caligo, unam duntaxat ueritatem homines sequerentur. Erant autem cuncta crassis occultata, & circunfusa tenebris. Hac caligine effectum est, ut Aristoteles & Plato in asserenda Diuinitate modò cœlum, motusq; cœlestes admirati, illic Deum se reperisse crediderint, modò respipiscentes, implentem omnem mundum, quemadmodum superiores, magnum illum, inscrutabilemq; Deum, non cœlum duntaxat mouentem, sed præsentem ubique prædicauerint: longè quidem clarius Plato, quàm Aristoteles. Delectis igitur ueterioribus, primum ex Aristotele, dein Platone, ut cuius uberior affluentiorq; Theologia diligentius examinanda est, eandem atque apud superiores pietatem reperiemus. Ac primum instinctus illos, ad appellationem singularis Dei compellimur à natura, uideamus. Sæpe extat

apud

apud eum, Deus & natura nihil agunt frustra. Hic & Deus singulariter excellenterq; nominatur, & opus ei magnum, mirabile, uarium tribuitur: tum uero cum natura sociatur: sed ipse prior, pòst natura nominatur. Quicunq; igitur hæc considerando dilatet, quid aliud reperiet, quàm Deum autorem naturæ & principem, quemadmodum scribit Moses, appellari? Quicquid enim tradidit Moses Deum fecisse, primum terram cum aqua, postea Solem, orbesq; cœlestes, tum plantas & animalia, eaq; mirabili ordine posuisse, hoc omne, natura est: quæ idcirco nihil exorbitant, nec cursus suos deprauant, quia facta sunt optima ab optimo magistro. Eoq; uocatur prima Sapientia, & à Pindaro ἀριστοτέχνης, optimus artifex. Et Aristoteles dixit Pherecydem, multosq; alios, primum autorem, creatorem, optimum declarasse. Theophrastus omnia uolentem optima. Itaq; non agit frustra natura, quia Deus eam fecit optimã. Hæcq; consociatio Dei, ac naturæ, non est duorum, uel diuersorum: neque enim sociarentur ad unum idemq; opus, neque duorum æqualium, quòd & Deus præfertur, & natura sine Deo nomen inane est. Sociantur igitur uelut artifex, & artificium. Quicquid enim fit à natura, eo teste, fit item à Deo. Si enim loquens de rebus in uniuersum, quæ sinu naturæ continentur, eas nec à Deo frustra fieri, nec à natura dicit, certè quicquid fit ab uno, fit item ab altero. Nihil enim supereſt alteri, si cuncta fiunt ab alterutro. Sed cur duo rerum autores declarantur, si sufficit unus, uel Deus, uel natura seorsum? Imò non sufficit, neque uult, quemadmodum Democritus, & Epicurus, sine Deo operari naturam, nec Deum à natura segregatum, ceu gubernatorem à naui. Sociatur igitur utrunq;, alterum uelut autorem, artificem, alterum uelut artificium, ut gubernatorem, ac nauim. Iam uerò si Deus agit naturam, princeps eius, ac moderator, certè non motus cœli solos moderatur, nec per unum motum gubernat naturam, sed esse eum præsentem ubique, quemadmodum dixerat Pythagoras, necesse est: & quemadmodum ille cecinit:

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Non solos igitur orbes cœli mouet, non in cœlo duntaxat, sed ubique uersatur, infusus, non infixus mundo. Quam fuisse Platonicorum, Peripateticorumq; sententiam, testatur Tullius in Academicis. Partes, inquit, autem esse mundi omnia, quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Nihil enim ualentius esse, à quo intereat. Quam uim Animum esse mundi dicunt, eandemq; esse Mentem, Sapientiamq; perfectam, quem Deum appellant, omniumq; rerum, quæ sunt ei subiectæ, quasi prudentiam quandam procurantem, cœlestia maximè, deinde in terris ea quæ pertinent ad hominem. Hæc Tullius. Similia igitur Aristoteles sentiebat, quum Deum, ac naturam nihil agere frustra, sæpenumero clamat. Sentiebat Deum esse Mentẽ uniuersi, Sapientiamq; perfectam, cui subiectæ mundi partes omnes essent, procurantem

omnia,

omnia, ſed maximè motus cœleſtes, quibus regitur aliturq; omnis mundus. Hanc eius, & omnium Peripateticorum de Deo ſententiã etiam Seneca declarat in Quæſtionibus naturalibus: Quid eſt Deus? inquit. Mens Vniuerſi. Quid eſt Deus? Quod uides totum, & quod non uides. Sic demum magnitudo illi ſua redditur, qua nihil maius excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia, opus ſuum & extrà, & intrà tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars animus eſt, in illo nulla pars extra animum. Totus ratio eſt. Hæc Seneca. Huiuſmodi fuit igitur etiam Ariſtetelis opinio, de Deo & natura, Natura quidem, uelut opere eius, cui præſideat uniuerſaliter, extrà, & intrà commeans, ſeſeq; intendens, alensq; omnia. Seneca dicit eum eſſe Animum, cuius nulla pars non ſit animus, nõ ratio, magnus non corporali magnitudine, ſed magnitudine rationis, ſapientiæ. Quare non affixit eam primo mobili duntaxat Ariſtoteles, qui ſolo motu primi orbis regeret mundum, præterea nihil ageret, ſed præfecit uniuerſæ naturæ, tam cœleſti, quàm terreſtri, motibus cœli, & terræ: Et, ut ait Tullius declarans eorum ſententiam, procurantem omnia in terris maximè, quæ pertinent ad homines. Hæc illo ſæpe à ſe repetito ſermone ſentit Ariſtoteles. In libris autem de prima philoſophia, ut productum fuit ſuperius, ſingularem Deum nominauit, & definiuit, Dicimus Deum uiuens, immortale, ſempiternum. Quid ſequatur ex his, palàm eſt. Vnus appellatur, unus immortalis, ſempiternusq; definitur. Soli igitur congruit hæc definitio. Eiſdem in libris uocauit eum, iuxta cæteros philoſophos omnes, Mentem, diuinas de beatitudine eius, omniq; uita diſſerens ſententias: Vt ſe ipſum contempletur, contemplando ſit beatus: Vnica beatitudo eius ſit, quòd ſeipſo fruatur, fons ipſe ſibi felicitatis ſuæ, inenarrabili gaudio perfuſus ſemper ex intuitu pulchritudinis ſuæ. Quæ latius in ſequentibus diſſerentur. Volo igitur omnibus eſſe clarum, ac perſpicuum, Ariſtotelem, etſi genus diuinum, in libris de prima philoſophia uideatur agnoſcere, duntaxat quod mouet orbes cœleſtes, quoniam hæc Barbara fuit ſuperſtitio, qui Deos appellarunt lumina cœleſtia ſemper labentia, quemadmodum Plato teſtatur in Cratylo, reſipuiſſe tamen ab hac ſententia, Deumq; uerum aſſeruiſſe, magnum, uniuerſalem, non qui ſolum primum orbem conuertat. Alterumq; è duobus de omni eius philoſophia dicendum: Aut quas ſuſpicatus eſt cœleſtes Intelligentias orbium uerſatricis, non eas ſolas poſuiſſe in genere diuinorum animorum, ſed ſenſiſſe Diuinitatis etiam aliud genus, cuius princeps Deus ſummus, tametſi mouerat primum orbem, agat etiam alia per omnes mundi partes intrà, extráq; intentus: Aut eum inconſtantem fuiſſe, nec in ea ſententia permanſiſſe. Quod ne cuiquam mirum uideatur, poſſumus uidere Platonem ſimili uertigine correptum, cum in Epinomide nullas laudes præteriiſſet, quas non in cœlum effunderet, dans ei Diuinitatem, adoransq; uti Deum, agnoſcere tamen eum, uerũ, unicumq; Deum ipſius cœli motorem, & creatorem: Genus item animorum, quod ſupra Solem & Lunam degit, confiteri. Quemnam, inquit

inquit illic Plato, adorans ô Megille & Clinia, fatebor eum esse Deum? certè ipsum cœlum. Multaq; alia plurimum tantum uirum infamant, nisi quòd mos eius temporis fuit, ut etiam flumina, terram, mundum, fontes, Deos dicerent. Tali Diuinitate cœlum est Deus. Alioqui uerum Deum agnouit, inscrutabilem, rerumq; artificem uocauit: Eandem constat fuisse Mentem Aristotelis, ut si cœlo, cœlestibusq; Intelligentijs, tribuat Diuinitatem, aliud tamen de uero, ac singulari Deo senserit, quàm ut moueat orbem cœlestem, eas item Intelligentias confessus sit, quos Plato, ueteresq; supra cœlo uiuere dixissent. Quo paulum considerato, ad singularem Deum reuertemur.

Aristotelem aliud Intelligentiarum genus, quàm cœlestes orbes mouentes sensisse: supra motus cœlestes, Deos beatos locasse: Eorum ueram felicitatem descripsisse: Antiquos qui hæc docuerant collaudasse. Cap. II.

IN libro de cœlo, loquens de significatione eius quod dicitur Cœlum, Postremo, inquit, dicitur cœlum corpus naturale, τὸ ἐν ἐσχάτῃ περιφορᾷ τῶν τοῦ, διώτι μὲν γὰρ τὸ ἔγγιστον, καὶ τὸ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανὸν, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν, Quod est in extrema circumferentia Vniuersi. Solemus enim extremum, & quod supremũ est, præcipuè uocare cœlum, in quo totam Diuinitatem dicimus habitare. Hæc ille. Apparet hîc Diuinitatis aliud omnino genus, quàm eorum qui moueant orbes & lumina cœlestia. Nam Platonem præceptorem secutus, supra sideribus, in extrema uertigine mundi, id est, ut clarum est, supra primo mobili collocat hos Deos. Deus autem in Metaphysica censuit Intelligentias orbium cœlestiũ, Solis, Lunæ, astrorũ, epicyclorum, planetariũ, qui sunt omnes infra primum mobile, & extremam circunferentiam. Porrò quod hoc loco ad consuetudinẽ temporis, communemq; omnium mortaliũ sententiam dixerat Deos habitare supra mundum, postea pluribus uerbis, & ex philosophia explicans, disserit præclara latius uelut in ipsam Theologiam ingressus. Cuius hæc uerba sunt: ἔξω δὲ τοῦ οὐρανοῦ οὐδεὶς οὔτε τόπος οὐκ ἔστιν, οὔτε κενὸν ἔστιν, οὔτε χρόνος ἐστὶν ἐν τόπῳ κἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν. διὸ οὐδὲν τῶν ὑπὸ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φορὰν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τὸν ἅπαντα αἰῶνα διατελεῖ ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεστάτην. Quæ sunt, Ostensum est autem extra nullum esse, neq; esse posse corpus. Manifestũ igitur quòd neq; locus, neq; uacuum, neq; tempus est extrà. Quocirca, quæ ibi sunt, neq; in loco sunt, neque tempus ea facit senescere. Neq; illius est ulla mutatio eorum, quæ supra nouissimã, supremamq; uertiginem posita sunt, sed immutabilia, & impassibilia, optimam agunt uitam semper & opulentissimam, omne æuum. Sic ille. Considera igitur singula. Prius dixerat, Cœlum dicimus extremam circunferentiam, ubi totam dicimus habitare Diuinitatem. Nunc dat quiddam clarius. Illic in cœlo, nunc supra cœlo, supra ultima circunferentia. Nam dicit etiam extra cœlum nullũ esse corpus. Igitur

multo

multo magis ſemouet eas res à toto mundo, dicens eas eſſe extra locum, extra tempus, quæ cum cœlo ſunt: Deinde eas res non eſſe mutabiles. Ex quibus omnibus clarißimè conſtat, eũ non ſentire de Intelligentia Solis, Lunæ, planetarũ, epicyclorũ, quæ ſunt omnia infra extremam circunferentiã, et corporaliter ſunt in loco et tempore. Tũ loquitur de his, quæ non ſunt corpora, ideo negat ea habere locũ. Totáq; deſcriptio eſt pulcherrima, diuináq;, ut à Theologo nihil expectẽ amplius, de his, qui habitant in cœlo, id eſt, deſuper. Deſcribit enim beatitudinẽ, immortalitatem, felicitatem æternam, æternamq; eorum requiem: quia neq; ſeneſcunt, neq; ſubiacent tempori, non ſunt in loco, nulla diſtricti, et præſcripti ſede. Vita non deficit eos omnibus bonis copioſißima. Appellat enim eorũ uitam, optimã, αὐταρκεςάτην, copioſißimã. Nec Ariſtoteles nunc dicit quid ea ſint, ſed per neutrũ genus τὰ ἐκεῖ, ea quæ ibi. Superius autẽ declarauerat, et declarat alibi, eos eſſe Deos. Et in ſecundo libro eiuſdẽ operis τὸν δ' οὐρανὸν, καὶ τὸν ἄνω τόπον, οἱ μὲν ἀρχαῖοι, τοῖς θεοῖς ἀπένειμεν, ὡς ὄντα μόνον ἀθάνατον: Cœlũ autem, et ſupremũ locum, ueteres quidẽ Dijs attribuerunt, quippe qui ſolus ſit immortalis. Horũ igitur eſt illud, quod ſupra cœlo dixit eſſe. Eorũ eſt regio habitaculũ, ut in compendio ſuæ philoſophiæ quoq; magis declarat. Veterumq; maiorũ ſuorum Theologiam declarauit in primo libro reducens eam ad conſiderationẽ philoſophiæ. Sunt igitur Dij, Ariſtotele etiã teſte, ſupra ſideribus. Audi etiã quid de hoc ipſo, quod antiqui tradidiſſent, loquatur: διόπερ καλῶς ἔχει συμπείθειν ἑαυτὸν, τοὺς ἀρχαίους καὶ μᾶλλον τοὺς πατρίους ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγους Quocirca, inquit, præclarè habet, ut quiſq; ſibi ipſi perſuadeat, ueteres traditiones, præcipuè maiorũ noſtrorũ, ueras eſſe. Ô Ariſtoteles, ſi rectũ eſt inducere in animũ unumquenq;, ut credat uera eſſe quæ crediderũt antiqui, uide quæſo quid retro omnes antiqui tradidißẽt, quid Chaldæi, quid Sibyllæ, quid Mercurius, quid Græci ipſi, quibus fidẽ maximã putas tribuendã. Orpheus, Pythagoras, Anaxagoras, Archytas, Philolaus, Parmenides, ceteriq; omnes unanimiter, non illos fictitios orbiũ cœleſtiũ motores Deos, ſed unum ſingularẽ, omnipotentemq; ſunt confeßi, qui non corpus quidẽ cœleſte moueat, aliud nõ ágat, ſed Deum per omnia penetrantẽ, totum mundũ implentẽ, omnia conſiderantẽ. Tum Deos quoſdã minores miniſtros eius induxerunt, qui res humanas ei parentes adminiſtrent. Sic illi cenſueuerũt, et tu aliquando aſſeruiſti, ſi quis dicta tua bene conſideret. Recordare quæ dicis undecimo de Philoſophia diuina libro, de eiſdẽ antiquis. Traditũ eſt, inquit, ab antiquis de Dijs, per fabulas interdum: ὅσοι μὲν τὸ πρῶτον, ὅτι θεοὺς ᾠοντο, τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι, θείως ἂν εἰρῆσθαι νομίσαι: A quibus ſi quis id ſeparet, id eſt, fabulam, ſolumq; accipiat, quod eſt præcipuũ, quòd Deos crediderunt primas ſubſtantias, diuinè locutos eos arbitretur. Bene igitur habet ô Ariſtoteles: aſſeris maiores diuinè locutos, Deos eſſe primas ſubſtantias. At antiqui, ſi bene meminiſti dicta tua, non dixerunt Deos illos orbium cœleſtium motores, ſed ſicut ſuperius in libris

de

de Cœlo monstrasti, supremum aliissimumq; locum extra cœlum, et locum et tempus eis attribuerint. Asseris autem diuinè eos locutos. Si diuinè igitur locuti sunt, non sunt Dij cœlestes Intelligentiæ, nec prima Intelligentia mouet cœlum duntaxat, aliud non agens. Hæc igitur consideratio uerissima est, & incontradicibilis, nisi quis furiosorum Peripateticorũ uanissimis quibusdã artificijs eã conetur subuertere. Denicq; supradictũ locum testatur Simplicius quosdam interpretũ sensisse de immobilibus causis cœlestibus, et immobilibus principijs, qui moueant sphæras cœlestes. In quo quidẽ cùm rectè senserint, quod Aristoteles de causis supermundanis sit ibi locutus, in uno tantũ error fuit, quòd eas causas dixerunt, quæ moueant orbes cœlestes. Quo modo enim mouent, si sunt, ut ait Aristoteles, ἑστῶτω, longissimè, remotissimè, supra motus cœlestes? Si motrices causas has Aristoteles sensisset, nõ longissimè ab eo, quod mouẽt, separasset. Cur enim causa mouens Solem, debuit supra Solẽ, sphæras q; omnes longissimè locari? Clarũ igitur, Aristotelẽ Deos quidem illic esse supra cœlestes motus longinquissimos, sed non eos Deos, qui mouent orbes: quos si mouerent, unusquisq; sphæræ suæ uel inesset, uel abesseret.

Compendium Philosophiæ Aristotelis, unum singularem, moderatorem solum ordinum cœlestium, uttæcp omnis consiteri. Collatio aliorum quorundam locorum, de prisca Philosophia, quæ singularem Deum prædica: Deum inuisibiliter omnia mouere, & regere. Cap. III.

ARistoteles in libro de Mundo, quem olim appellabant, ut Iustinus martyr, philosophiæ eius compendium, quod ipse scripsit ad Alexandrum, Latinis Peripaticis obscurum, diuinè iuxta maiores, quos uidebat sentiebatq; esse sequendos, locutus est de Deo, longè quidem alia, atq; ea quæ in libris de Cœlo, & Metaphysices, non amplius motus illos cœlestes, ad quos affixæ Intelligentiæ, id est, Dij absideant mouentes, introducens, sed uniuersale dans summo, ac singulari Deo rerum gubernaculum. Et ut decet philosophum, errores uulgi expoliens, detrahensq; fabulositatem, et impietatem. Audiamus igitur eum loquentem: Mundus, inquit, item dicitur alio modo, omnium rerum coordinatio ac dispositio, ὑπὸ θεὸν τε καὶ διὰ θεοῦ φυλαττομένη: Quæ & Deo & per Deum conseruantur: Paulò pòst, ἧς τὸ ἐνωτάτω, θεοῦ οἰκητήριον: Cuius supremum, inquit, est habitatio Dei. Quàm sui similis hic & in libris illis? Multo quidem hic religiosius. À Deo, inquit, conseruatur is, qui dicitur Mundus: conseruatio autem esse non posset, si tantum supremum moueret orbem. Iam nomen Diuinitatis uim tantum tribuit, quod certè mirum. Nam si de cœlesti motu, ob quem Diuinitatem Dijs dedisset, hic sermo esset, non unum tantum nominasset, sed Intelligentias multas sicut in libris Metaphysices. Alterum igitur è duobus dicendum est: aut ipsum sibi contradicere, mutante sententias hominũ tempore, quod sæpe fit, cùm multa reuocamus in posterum, quæ prius constanter asseruimus. Sæpeq; accesserit grauius iudiciũ. Et Hippocrates suos errores confessus est, similiter & Augustinus, alijq; multi boni uiri, apud quos ueritas, gloriæ inani præponderaret. aut dicendũ in illis libris eum

quandam

quandam aſtrorum à Platone acceptam poſuiſſe Diuinitatem, reſeruantem ſibi genus aliud Deorum, de quibus alijs in libris diceret: & de quibus quædam in libris de Cœlo innuiſſet, cùm diceret ueteres de Dijs diuinè locutos: & cùm eis tribuit ſupremum cœlum, & ultramundanas regiones habitandas. Nam ea quæ ſint, quæ non expreſsit, quæq; in ſupremo cœlo, imò extra, dixit exiſtere, appellans ea neutro genere, quia fortè neſciret, aut nollet fateri Deos, hoc loco clariſsimè docuit, uidelicet altiſsimam cœli partem eſſe οἰκητήριον τοῦ θεοῦ, Habitaculum ſummi Dei. Hæc igitur ſunt illa τὰ ἐκεῖ, quæ dicebat in libris de cœlo, Deus ſcilicet ipſe princeps maximus, Deorumq; ſupremus, qui Deos alios minores admittit illuc: non quòd propius etiam eorum ſit locus, ſed quòd clementiſsimus princeps donat eis ſedem in regnis ſuis. Et cùm Ariſtoteles ſuprema mundi partem habitaculum Dei prædicat, innuit, quod ipſi clamamus, Pater noſter, qui es in cœlis. Ariſtoteles θεὸν uocat illum, nos Patrem. Sed & Patrem dicet Ariſtoteles, ut poſtea probatur. Nos, Qui es in cœlis: Ariſtoteles, ὡς τὸ ἀνώτατον οἰκητήριον τοῦ θεοῦ. Deinde eodem loco refert Ariſtoteles ipſum idem cœlum, quod habitaculum dixerat, eſſe plenum θείων σωμάτων, diuinorum corporum. Non ergo diuinorum animorum, aut diuinarum Intelligentiarum. Semperq; in prædicto libro appellat diuina corpora, ut eis corpoream Diuinitatem, non intelligibilem, uel intelligentem attribuat. Deinde diuinius multo, totamq; animi ſui prorſus declarans ſententiam, adiecit in eodem libro: Supereſt, inquit, ut de cauſa, quæ continet omnia, breuiter dicamus, ſicut de cæteris diximus. Error enim eſt, qui loquuntur de mundo, tametſi non diligenter, & exquiſitè, ſed ſaltem quod ad doctrinæ exemplum ſufficiat, τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν, quod in mundo optimum, potiſsimumq; ſit, dimittere. Hæc ille. Deinde quanta concordia, quàm mirabili conſenſu cum his, quæ in libris de Cœlo, & Metaphyſices dixerat? Nam in utroq; opere maiorum de Dijs opiniones addiderat, eas diuinas appellans, & collaudans. Nunc autem iuxta id quod dixerat Orpheus, Mercurius, Acmon, Pythagoras, cæteriq; multi: ἀρχαῖος μέν τις λόγος, καὶ πάτριος ἐστὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ θεοῦ, ἡμῖν συνέστηκεν: Antiqua quædam fama & patria eſt, omnibus hominibus, quòd ex Deo, & per Deum, fuerunt nobis omnia. Audis igitur antiquam famam & patriam, cuius meminit ut ſuperius uidiſti, in libris Metaphyſices, & de Cœlo, ſæpe eodem loquens modo? In libris de Cœlo: ἀρχαίους καὶ πατρίους λόγους. Antiquos, & patrios ſermones de Dijs. In libris Metaphyſices: παραδέδοται ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, καὶ παλαιῶν: Traditum eſt ab antiquis, et priſcis. Et illic de multis Dijs eſt ſermo, hic de uno tantum. hæcq; declarant illa. Et cuius animi tunc eſſet, nunc in compendio totius philoſophiæ melius explanat. Ibi ſerebat Deos ab antiquis traditum, unuerſam continere naturam: hic & in libris de Republica Deum unum duntaxat. In compendio repetentes, quæ multis retrò annis dixiſſemus, ſi quid erroris ignaris excidiſſet, ſolemus corrigere,

rigere, ſolemus emendatius loqui. Sic fecit Ariſtoteles, quod antea retulerat de multis dijs ab antiquis, nunc corrigit, ſentiens id de ſingulari Deo. Hanc famam ait eſſe de Deo cunctis hominibus, eamq; eſſe antiquam & patriam. Ergo omnium hominum antiquiſſimi genitores tradiderant, unũ uitæ cunctarumq;, quæ ab hominibus poſſidentur rerum, autorem. Non Hebræi ſoli à genitoribus, maioribusq; id didicere ſuis, ſed omnium etiam genitores nationum, poſteris ea tradiderant. Ideo per totum mundum manauerant, apud omnes circunferebantur, Hebræos, Chaldæos, Aegyptios, Græcos ipſos, qui didicerunt, autore Platone, à Barbaris cuncta. Omnibus hominibus inuulgata fama fuit à maioribus, quòd à Deo συνέστηκεν, extiterunt, nata ſunt, facta, data hominibus omnia. Prædicatur, inquit, hoc apud omnes gentes, acceptũ ab antiquiſſimis, & per traditionem ab exordio mundi ad poſteros deuolutum. Hocq; eſt quod apud Aegyptios, Chaldæos, Phœnices, totumq; Orientem, inuenimus eandem atq; apud Moſen de mundo creato philoſophiam. Naſcitur enim hæc fama, ſicut alia pleraq; myſteria, ab exordio mundi, ab antiquiſſimis hominibus, qui Deum uiderunt creantem, audierunt q; loquentem, alterq; referebat alteri. À Deo, inquit, & per Deum. Duo genera cauſarum: altera inuentrix, altera conſeruatrix. Sicut ſuperius à Deo & per Deum ſeruari naturæ ordinem. Deinde melius hæc omnia, & explicatius declarans, addit: Nulla uerò, inquit, natura ipſa per ſeipſam ſufficiens eſt, huius deſtituta ſalute. Nulla, inquit, natura, à Deo non conſeruata uiuere poſſet. Hoc quidem non in motum cœleſtem tantum, ſed uniuerſalem conſeruationem, & rerum tenacia uincula referendum perſpicuum eſt, & ſapientiſſimi quiq; ſenſerunt. Addit autem: ideo & priſcorum nonnulli, eò uſq; fando progreſſi ſunt, ut dicerent hæc omnia Dijs eſſe plena, & per oculos nobis, & aures, omnemq; ſenſum offerri. Quod diuinæ quidem poteſtati congruenter dicitur, ſubſtantiæ non item. Seruator enim reuera eſt, καὶ γενέτωρ, & genitor, quarumcunq;, quæ mundum hunc conficiant rerum, Deus: non tamen in eo laborantis, & per ſe operantis animalis laborem ſuſtinens, ſed utens poteſtate indeficiente, per quam etiam quæ remotiſſima uideantur, exuperat. Altiſſimam igitur, primamq; regionẽ, ſortitus eſt ipſe. Hypatosq; ob hanc cauſam à poëtis eſt dictus: qui, ut poëtarũ princeps inquit, in ſummo totius cœli uertice præſidet. Cuius poteſtate maximè fruitur proximum ei corpus, deinceps per ordinem, uſq; in noſtras regiones uniuerſa. Terreſtriaq; omnia, quoniam plurimum diſtant à bono, quod à Deo diffunditur, debilia ſunt, & corruptibilia, plenaq; tumultu. Non eſt autem uerum, quoniam per omnia penetret diuinitas, inde fieri, ut noſtra, & quæ ſupra nos longius aut propius à Deo diſtent, magis q; uel minus utilitate fruantur. Præſtat igitur arbitrari, quod quidem & ipſi Deo decorum maximè ſit, poteſtatem eius in cœlo præſidentem, omnibus etiam remotiſſimis rebus, cauſam eſſe ſalutis potius, quàm ut penetrans, quò neq; decorum, honeſtumq; ſit, ipſa ſuo labore terreſtria operetur. Nam id ne humanis quidem principibus conueniat, ut uiliſſimo cuiq; operi ipſi ad-

ſint: ut in exercitu, aut urbe, aut domo, ſi ſarcinæ colligendæ eſſent, aut contemptibile quid agendum, quod ſub magno Imperatore uile mancipium exequetur, Imperatorè adeſſe oporteret. Sed quale fertur de Cambyſe, aut Xerxe, uel Dario, qui ad ſummam magnificentiæ pompam ac faſtum, ut dictatrix ratio, uel ut fama eſt, Suſis aut Ecbatanis inuiſibilis omnibus ſedebat, regiam domum admirabilem, cuius ambitus auro, & electro, eboreq; refulgeret, obtinens. Veſtibula multa, perpetuáque inuicem atria, & continuis diſtantia ſtadijs ab inuicem, foribus aureis, & altißimis parietibus muniebantur. Extra quas proceres, ac ſpectatißimi ſtabant ordine uiri. Alij cuſtodes, & famuli, & regem ipſum circunſtantes ſtipatores, cæteri cuiuſque ambitus cuſtodes, foribus itè aſſidentes, excipientesq; auribus omnia, ut ipſe Imperator, quem & Dominum & Deum uocabant, omnia quidem aſpiceret, nihil quenon exaudiret. Præter hos item præerant alij ærario, reditus accipientes: erant duces item exercitus, ac uenationum: muneribus accipiendis alij præerant, cunctiq; officijs ſuis ordine fungebantur. Totum autem imperium, quod uniuerſam amplectens Aſiam, ab occaſu Helleſponto, ab ortu India claudebatur, diſtributi Præſides, ac Satrapæ, & Reges per prouincias gubernabãt, omnes ſerui magni Regis. Item ueredarij, & exploratores, nuncij, & cuſtodes, facumq; quæ de ſummis turribus noctu oſtendebantur, obſeruatores. Tantus autem erat ordo, maximè facum è ſummis turribus continuatim per prouincias ardentium, inuicemq; à finibus imperij uſq; ad Suſa, uel Ecbatana, ſibi ſuccedentium, ut Rex eadem die omnia, quæ in Aſia noua accidiſſent, cognoſceret. Comparanda eſt igitur magni Regis potentia, cum poteſtate Dei, qui continet mundum, eo quidem debilior, ac inferior Regis illius, quo hæc Dei ſit, illa animalis uilißimi, ac tenuißimi. Quocirca ſi indecorum erat illi, ipſum Xerxem uidere proprijs manibus uniuerſa operari, & perficere quæcunq; uellet, præſentemq; agere, longè certè id minus Deo fas ſit. Sed congruentius, erit ac uenerabilius, eius in altißima regione præſidentis poteſtatem per omnem mundum uagari ac pertinere, Solemq; mouere, & Lunam, totumq; cœlum circumagere, autoremq; eſſe ſalutis rerum terreſtrium. Neque enim illi aut arte, aut aliorum miniſterio opus eſt, quemadmodum noſtratibus principibus, quibus propter imbecillitatem multorum manus ſint neceſſariæ. Sed ea eſt ſumma diuinitas, ut cum facilitate & uno ſimplici motu, omnes generatim formas rerum producat. Quemadmodum architecti, qui unici inſtrumenti machina, multas & uarias operationes exequantur: Similiter qui neuroſpaſtæ dicuntur, id eſt, qui circulatorum inſtar aliquod animal ſimulatè mouent. Vno enim filo contracto, mouent collum, manus, & humeros, & oculos, nonnunquam omnes partes numeroſe, eius animalis, quod ſimulant: Sic profectò natura diuina ſimplici motu primi cœli dat uirtutem in ſuccedentia, & ab illis rurſum in longinquiora, donec in omnia peruenerit. Nam aliud ab alio impulſum, rurſum id mouet aliud ordinatè, cunctis tamen ſua opera exequentibus. Non omnibus eadem uia eſt, ſed uaria, ac priuata cuique.

etiãque. Nonnullis etiam contraria, tametsi prima se incitatio ad unicum motum impellat. Velut si quis ex uase simul pilam, cubum, & conum, & cylindrum iaceret. quodcunque enim in suæ figuræ motum se daret. Vel si quis simul animal aquatile, & terrestre, & uolucre, in sinu tenens, abijceret. Perspicuum enim est, natatile elapsum in suas sedes nataturum, terrestre ad mores, ritumq; suum inambulaturum, aërium à terra sublatum, sublime uolans abiturum, quibus unica prima causa propriam facilitatem dedisset. Sic habet in Vniuerso. per unicum enim totius cœli circumactum, die, & noctu expletum, diuersi omnium orbium motus, tametsi ab uno orbe contenti, alij quidem citius, alij tardius peraguntur. Et ex spacijs longitudines, & propria cuique opera fiunt. Nam Luna quidem mense aucta, & diminuta, deficiensq;, suum conficit orbem: Sol anno, æqualesq; illi Venus, & Mercurius: Mars duplo temporis spacio: Iupiter sex istius tantum: supremus Saturnus duplo, & dimidio, quàm inferior. Vna autem harmonia ex omnibus per cœlum concinentibus. Quæ & fit ab uno, & desinit in unum. Mundum que uel ordinem rectè dixeris Vniuersum, non Inordinationem. Quemadmodũ in choro, præsidente choraula, & priore concinente, consonat totus chorus uirorum, interdum etiam mulierum, qui diuersis uocibus, acutis aut grauibus unum dulcem, temperatumq; miscent concentum. Sic habet in Vniuerso, moderante Deo. Nam desuper, ubi inium est, ab ipso qui iure merito dictus est Coryphæus, id est, princeps, mouentur astra semper & totum cœlum. Ingreditur autem duas uias clarissimus Sol: quorum altera diem, ac noctem definit ortu & occasu: altera quatuor anni tempora peragit, citro, & ultro ad Boream, & Meridiem progrediens. Hinc hymbres, uenti, rores, affectionesq;, omnia continentis aëris, ex principali causa omnia, sequuntur manationes fluminum, tumor maris, arborum productiones, frugum maturitates, procreationes animalium, nutrimenta, uigores, ætates, defectus, concurrente ad hæc, ut dixi, propria cuiusq; natura. Quando igitur omnium Princeps ac Genitor, qui præterquam quòd animo inuisibilis est, signum dederit omni naturæ, quæ inter cœlum & terram existit, mouetur omnis continuatim, motibus finibusq; suis, interdum obscurè, interdum clarè, producens innumeras formas, rursumq; occultans, ex uno principio. Videturq; res uehementer similis his quæ fiunt tempore pugnæ. Vbi tuba signum ex castris dederit, ea exaudita, concurrunt omnes, alius clypeum capit, alius induit loricam, pars ocreas implicat, aut galeam, aut balteũ accingitur. Frena equo alius addit, conscendit alius bigã, alius ad signum se adiungit: statimq; centuriones, ductoresq; ordinum aciem instruunt, equites in cornu disponuntur, ueliles currunt in suum locum. Omniaq; ad unius principis signum aguntur, penes quem tota potestas. Sic de Vniuerso sentire necesse est. Vno enim motu, eoq; inuisibili & abscondito, impulsis omnibus, fiunt cunctis propria. Nam quòd inuisibiliter id fiat, neque illi ad faciendum, neque nobis ad credendum impedimento est. Nam etiam animus, per quem uiuimus, urbes, & domos habemus,

quum ſit inuiſibilis, operibus ipſis cognoſcitur. Omnis enim uitæ ordo ab iſto repertus, & diſpoſitus eſt, & tenetur. Agrorum cultus & conſitiones, inuentiones artium, uſus legum, res publicæ, actiones urbanæ, finitimis illatum bellum, pax item, ab illo omnia. Eadem hæc de Deo oportet cogitare, qui poteſtate ſit fortiſſimus, pulchritudine formoſiſſimus, uita immortalis, uirtute optimus, qui omni mortali naturæ inuiſibilis ex ipſis operibus uideatur. Nam affectiones aut aëris, aut terrarum, aquarumq; opera Dei dicēda, qui ipſum continet mundum. À quo, ut ait phyſicus Empedocles,

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ pòſt uentura ſequentur,
Et plantæ uiruere, mares, & fœmina quæq;,
Atq; feræ, uolucresq;, habitantesq; æquora piſces.

Videtur autem profectò, tametſi exiguum ſit, mundus comparari poſſe umbelicis, qui ſunt exiguis lapillis incluſi. Qui in medio exiſtentes, & ad utranq; partem æquè inclinantes, uenuſtè & ordinatè ſeruant totam figuram ipſius ordinis & immotam. Ferunt etiam Phidiam ſtatuarium, cùm Mineruam in arce fabricaretur, in medio eius ſcuto imaginem ſuam ita impreſſiſſe, & quodam occulto artificio, ſtatuæ alligaſſe, ut neceſſariò, ſi quis uellet eam conuellere, uniuerſam ſtatuam diſſolueret, & deſtrueret. Hanc igitur in mundo rationem habet Deus, continens omniū rerum concentum & ſalutem. Verum neq; in medio eſt, ubi eſt terra, & turbulentus iſte locus, ſed deſuper, purus in pura regione, quam appropriatè uocamus Cœlum, Vranon, quia honos eſt, id eſt, finis rerum ſupernarum: Olympum quoq; qua ſi Hololampem, totum lucentem, ab omni caligine incompoſitoq; motu ſegregatū: qualia ſunt in terris, propter tempeſtatum, uentorumq; uiolentias: Sicut ait & poëta Homerus:

Venit Olympum ubi ſedes dicitur eſſe Deorum
Inconcuſſa, hæc haud uentis agitatur & hymbre
Alluitur, niue nec tegitur: ſed purior aura
Et ſine nube micat, paſſim lux alba uagatur.

Atteſtatur & uita omnis, quæ ſupernas Deo regiones adiudicat. Omnes enim homines tendimus in cœlum manus, ſupplicantes. Qua ratione non malè & illud dictum eſt:

Iuppiter accepit latum cœlum in æthere & nubibus.

Quocirca & ſenſibilium corporum pretioſiſſima, eundem obtinent locum, aſtra, Sol, Luna, ſolaq; cœleſtia ob hanc cauſam ſemper eundem ordinem tuentur, nec unquam uariantia curſus, mota ſunt. Quod patiuntur terreſtria, expoſita mutationibus & uariationibus. Terræmotusq; olim uiolenti, multas terrarū partes abruperunt. Hymbres item immanes rupti alluerunt, fluctuumq; impetus in terras, & regreſſus, ſæpenumero continentem mare reddiderunt, maria fecerunt continentem. Violentiæq; uentorum, & quos Typhones dicunt, interdum integras urbes euerterunt.

terunt. Incendia quoque & flammæ, partim è cœlo ruptæ, ut ſub Phaëtonte ferunt olim, partes Orientales concremarunt: partim ad occaſum è terra emergentes, eruptantesq; quemadmodum in locis, qui Crateres dicuntur apud Aetnam apertè, perq; terram torrentis inſtar deuoluti. Vbi & pios, præcipuè honore Deus affecit. Deprehenſos enim à fluuio flammæ, quoniam in humeris parentes ſenio confectos portabant, filios ſeruauit. Nam cùm fluuius ignis inſtaret iam propinquus, ſciſſus eſt, & hinc atque hinc diuertit, ſeruauitq; intactos cum patribus adoleſcentes. Omnino autem quod in naui eſt gubernator, in curru auriga, in choro chorau la uel coryphæus, in urbe lex, in exercitu princeps, hoc Deus in mundo: Excepto quòd his laborioſum eſt imperare, multarumq; ſolicitudinum agitationumq; imperium eſt plenum: Deo autem lætum, ab omni labore, & corporea imbecillitate ſepoſitum. Nam cùm habitet in loco immobili, omnia mouet & circunducit quocunque uoluerit, & quomodo. In diuerſis formis & naturis, ſicut prorſus & lex urbis: quæ in animis eorum, qui ea utuntur immota manens, omnem moderatur rempublicam. Exeunt enim magiſtratus ad munera, ſequentes eam, ius dicturi ad forum quiſq; ſuum, conſultores, & oratores ad conciones. Alterq; in Prytaneum tendit, acceptarus annonam, alius ad Iudices, ſe expurgaturus, alius ad carceres. Fiunt item epulæ legitimè, Panagyres, ſacrificia Deorum, cultus Heroum, iuſta defunctis ſoluuntur. Dumq; alia ab alijs ad unum imperium, autoritatémque legis fiunt, ſeruant rationem creantis, et facientis. Vrbes autem ſimul odoribus fragrant, ſimul pæaniſmis et cantibus perſonãt. Sic de maiore urbe hoc mundo cogitare debemus. Lex enim nobis æquiſsima eſt Deus, quæ nullam admittat correctionem, aut mutationem: melior, firmioríq;, ut reor, his quæ in columnis deſcribuntur. Præſidente autem eo immobiliter, & moderatè ſemper uniuerſus ordo cœli, et terræ peragitur, diuiſus ſecundum naturas omnes, per propria ſemina in plantas, & animalia, in generaq; & ſpecies. Nam uites quidẽ, & palmæ, & perſica, ficusq;, dulces oliuæ, ut ait poëta, quæq; fructu carent, alios autem uſus exhibent, platani, pinus, buxi, populus atq; alnus pariter & odora cypreſſus: & quæ fructum dulcem, ſed qui difficilè recondi poſsint, Meſpilaq; & mali, præclaro et Punica fructu. Animalia quoque agreſtia, & cicuria quæ in aêre, terra, aqua nutriuntur, naſcuntur, & augentur, & intereunt, Dei ſtatutis obtemperantia. Omne enim quod reptile eſt, in terra paſcitur, ut ait Heraclitus. Qui cùm unus ſit, multis nominibus appellatur, omnibus affectionibus, quas ipſe nouat. Vocant autem eum Iouem, id eſt, Zena & Dia, appoſitè his nominibus utentes, perinde ſi diceremus, Dio Zomen, id eſt, per quẽ uiuimus. Dicitur itẽ Filius chroni, uel temporis, quia ab omni æuo, in omne æuum eſt ſempiternus, Fulgurator quoq; & Tonans, Serenator, Aetherius. Fulminator, Hymbrificus, ab hymbribus, fulminibus, cæterisq;. Item Frugifer à frugibus, Gentilis ab urbibus, Natalis, Patrius, Domeſticus, quia cum his communicet. Amicabilis itẽ et Socialis, Hoſpitalis, Militaris, Trophæifer, Expurgator,

Depulſor, Supplicabilis, Dulcis, ſicut Poëtæ dicunt. Seruator item, ac Soſpes uerè. Vt autem in uniuerſum dicã, Cœleſtis, Terreſtris, ex omni natura, & ſorte nomẽ accipiens, utpote omnium ipſe autor. Eoq; apud Orpheũ non malè appellatur tot illis nominibus. Neceſsitatẽ quoq; alium, niſi iſtum dici non credo, quaſi ſit ſubſtantia immobilis. Fatum quoq;, quia fatur, & ambulat citra impedimentum. Sors item, quia definit omnia, nihilq; eſt in rebus infinitum. Pars item, quia partitur. Nemeſis, quia unicuiq; diſtribuit. Adraſtia, quia operatrix cauſa, ſecundum naturam. Aeſa quoq;, quaſi Aiuſa, id eſt ſemper exiſtens. Et quæ de Parcis, ac fuſo dicũtur, in iſtũ etiam ſpectant. Tres enim ſunt Parcæ, pro tempore diſtributæ, ſtamen autem aliud factum, alium nendum, aliud quod dicitur. Ac præteritum tempus deſignat, quæ dicitur Atropos: quoniam præterita ſunt immutabilia. Futurum Lacheſis: in omnia enim naturalis manat ſors. Præſens Clotho, complens, & ducens cuiq; ſua. Terminatur etiam fabula non inconcinnè. Hæc autem omnia, nihil ſunt aliud, niſi Deus, quemadmodũ egregius Plato inquit: Deus, ut eſt antiqua fama, principium, finem, mediumq; omnium habens rerum, rectà tendit ſecundum naturam incedens. Hunc autem ſequitur Iuſtitia, ultrix eorum, qui legem diuinam deſerunt. Cuius, qui uelit eſſe beatus, & fortunatus, ab ipſo mox exordio ſit particeps.

De hoc Philoſophiæ compendio quædam probationes, quod Ariſtoteles prouectioris ætatis, & ad Alexandrum ſcripſerit, ſæpe magnos uiros ſententiam mutaſſe: Multa ex priſcis Ariſtotelem in contrarium retuliſſe: Multa ſcripſiſſe Ariſtotelem quæ non extent. Cap. IIII.

HAEC tot, tamq; præclara attulit de Deo Ariſtoteles teſtimonia, ut plura fermè, clarioraq;, ab his qui cœleſte nectar ebibiſſẽt, roreq; diuino pectora imbuiſſẽt, dici non poſſint. Hunc autem librum illius eſſe, probat maiorum, ut ſuperius dixit autoritas, qui eum appellabant Philoſophiæ ſuæ ἐπιτομήν, Compendium, quod poſt omnia, quæ nũc habentur paſſim, cũ iã prouectæ ætatis, iam grauis annis, ad Alexandrum ſcripſit. Totamq; in hoc libro breuiter, & dilucidè, ad Imperatorem uidelicet, cui non eſſet in obſcuriſsimis Philoſophorum ſententijs tempus inſumendum, explicauit traditam alijs in libris, additis nonnullis, Philoſophiam. Propterea locutus eſt explicatius & apertius, quàm alijs in libris. Loquuntur enim ſenes dulcius, cum poſito iuuenili calore, & inanis gloriæ, quam ſæpe ex ſermonis obſcuritate captamus, cupiditate ueriora loquimur & clariora. Nam qua cæteros ſparſit Philoſophiæ ſuæ libros obſcuritate, non caſu talemq; phraſin ei ſuggerente natura, ſed dedita opera eum adhibuiſſe, declarat ipſius teſtimoniũ, cũ quereretur Alexãder, quòd libros Philoſophiæ in uulgus edidiſſet: reſpõdit, ſciret eos editos et nõ editos. Nunc aũt ad maiorem totius philoſophiæ, quam difficilẽ cæteris in locis, & obſcurã tradidiſſet, claritatẽ, & quòd tali principi ſcriberet, amplexus omnia, & additis nonnullis, luculenter expreſsit. Eoq;, ut dixi, omnia hoc in libro ferme dogmata eius reperias. Quæ uerò addita ſunt, ſunt ea quæ uel ſuppreſſerat propter obſcuritatem, uel tempus nondum perfectè reuelauerat. Neq; uerò mirum eſt, aliquid

aliquid eum hic uel diuerſum ab alijs Philoſophiæ libris tradidiſſe, uel explicatius, & melius de Deo docuiſſe. Nam omnes propemodum Philoſophos, omnes item ſcriptores, aliquid in dogmatis ſuis inuenies, ſi diu uixiſſent, poſtea demutaſſe. Sæpe diuerſæ ſententiæ fuerunt in ſenectute, atq; in iuuenta. Quin à ſexennio uariari animos magnorum philoſophorum deprehendes. Vidi ego claros quoſdam uiros, quas profeßiones quondam conſtanter tuerentur, poſtea eouſq; deſeruiſſe, ut exe crarentur prorſus, auerterentq; mentẽ. Et quæ pro ueris decretis habuiſſent, poſtea fuiſſe deteſtatos, aut omnibus modis contempſiſſe. Hæc, qui ſcriptores item habet Græcos et Latinos perſpectos, facilè cognoſcet: et omnis ætas abundè teſtatur. Semper enim ad meliora proficimus. Sine dubio autem ſunt meliora poſteriora, ut eſt in prouerbio, Ἀμείνους φρονίδες. Cuius uis enim, ut ille inquit, eſt hominis errare: nullius, niſi inſipientis, perſeuerare in errore: poſteriores cogitationes ſapientiores eſſe ſolere. Quòd ſi tempus eſſet, oſtenderem in unoquoq; grauißimo ſcriptore huiuſmodi multa. Quæ quidem non habuerim pro inconſtantia, ſed potius in naturam humanã, ſemperq; elucentem magis ueritatem retulerim. Quæ, ut Heraclitus inquit, cum latitet in profundo demerſa, tempus, quod, ut dicitur, πάντων Βασανιστὴς, elicit in lucẽ. Sed tamen hæc, quæ dixit Ariſtoteles hoc in libro, non ſunt his aduerſa, quæ cæteris in libris tradidiſſet, ſed magis aperta et explicata. Nam apparet eum eius mentis alibi fuiſſe, licet ſuppreſſè, & tacitè. Ac contuli mus ſuperius quædam loca. Veriſimè quoq; deprehenſum eſt, Ariſtotelẽ in libris Philoſophiæ naturalis & diuinæ, maiorum ſententias ſæpe peruerſè, ut ſuis reprehenſionibus eſſet locus, retuliſſe, poſtea uerò modo propoſuiſſe: cuius unũ nunc, uel alterum duntaxat afferam exemplũ. Cum in ſecundo maioris Philoſophiæ, irriſiſſet Empedoclem, qui quandam Vnitatem, principium faceret omnium rerum, diſſimulans ſe quamnã Vnitatẽ ille ſenſiſſet intelligere, in libro de Mundo apertè confeſſus eſt, eadem eius adducens et collaudans carmina, eum de Deo fuiſſe locutum, qui rerum omnium fuerit Principium. Ecce igitur quod illic occultabat, expreßit in Compendio. Item eodem libro fermè reprendit Heſiodũ, qui cum Deos principia rerum dixiſſet, quæ quidem Nectar & Ambroſiã non guſtaſſent, aſſerit mortalia remanſiſſe. Ipſe uerò inquit, Certum eſt, quòd hæc nomina ſolis illis nota ſunt. Et de ipſa nominum prolatione, ſupra nos dixerunt. Nam ſi uoluptatis cauſa ea propoſuerunt, nihil cauſæ ſubſiſtendi habent Nectar, & Ambroſia. Quòd ſi habent, quomodo ſunt æterni, qui alimento indigeant? Sed de his, qui per fabulas ſapientiam oſtentarunt, indignum eſt attentius loqui. Hæc ille. In quo non ſolùm ineptè facit, quòd reijcit quæ ad uerũ ſenſum facilè et expeditè poterat traducere, ſed etiam ſibimet contradicit. Recita enim ei uerba ipſius, in undecimo, cum maiores aſſerit, id eſt, Heſiodum, alioſq; diuinè locutos, quòd Deos principia rerum dixiſſent: Clarum autem erat, cur Heſiodus diceret mortalia, quæ Nectar & Ambroſiam non guſtaſſent. Vtrunq; nomen ſonat immortalitatem. À Deo non facta

immortalia, nec naturæ diuinæ participia, Ambroſiam non bibiſſe. Et ipſe ait de ne ctare Deorum in ſecundo magnorum Moralium, quum reprehenderet eos, qui uoluptates, uelut generationes damnarent. Accidit, inquit, his qui uoluptates improbant, οἷον οἱ μὴ εἰδότες τὸ νέκταρ, οἴονται τοὺς θεοὺς οἶνον πίνειν, καὶ οὐκ εἶναι τούτου ἥδιον οὐδέν: Sicut illis qui neſciunt nectar, putant Deos bibere uinum, neq; eſſe eo ſuauius quicquam: hoc autem patiuntur propter inſcitiam: Se ipſum igitur condemnat Ariſtoteles: ibi fingebat ſe neſcire quid Nectar eſſet, hic aperte ignaros, & uulgares uocat, qui neſciant. Et confitetur Nectar aliud eſſe, quàm uinum. Multa ſunt alia huiuſmodi, quibus intelligas non eſſe uerba eius, quaſi Deus quis ſit loquutus, tanti facienda, ut alia ueritas eſſe non poſſit. Scias eum hominem fuiſſe, eruditum quidem, ſed non æquè fortaſſe bonum, quod in philoſophia plurimi refert. Ea ſequimur enim, approbamus, opinamurq; magis, quibus plurimum fauemus. Illud item conſtare debet, multa Ariſtotelem ſcripſiſſe, è quibus mihi nima ad nos pars peruenerit. Ac ut mittam innumera, quæ ſcribit Diogenes Laërtius, adducit ipſemet autor librum de bono, in quo, ut Græci teſtantur, uendicat ſibi τὰς ἀγράφους τῶν Πλάτωνος δόξας, opiniones Platonis non ſcriptas. Eius in prima de Anima, & Philoſophia meminit. Quid illud quod Marcus Tullius, qui & orator magnus, ut inquit Lactantius, & philoſophus fuit, in primo de Natura Deorum? Ariſtoteles quoque, inquit, in tertio de Philoſophia libro multa turbat, à magiſtro Platone diſſentiens. Modò enim Menti tribuit omnem diuinitatem, modò Mundum ipſum, Deum dicit eſſe, modò quendam alium præficit mundo, eiq; eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam, motum regat atque tueatur. Tum cœli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens cœlum mundi eſſe partem, quam alio loco ipſe deſignarit Deum. Hæc Marcus. Iſte autem tertius liber nuſquam eſt nũc. Apparent autem uera quæ dicit Marcus. Et in hac inconſtantia ex rei obſcuritate eum fuiſſe, ex his, quæ habentur in philoſophia eius. Nam Mentem in libris, poſt naturales res, appellat diuiniſſimã, ea dicens nihil eſſe melius. Ardorem autem cœli, & cœlum ipſum in eiſdem libris deificat, appellans corpora diuina ſtellas. In hoc autem de mundo Compendio, præficit, ut uidiſti, Deum omni mundo. Obſcuritas igitur diuinitatis fecit, ut prius diuerſa ſentiret, nunc hic, nunc illic ſtatuens diuinitatem. Itaque non mirum, quòd tantam etiam nos in dictis eius inconſtantiam deprehendamus. Quam quidem conabuntur minores Peripatetici diſſoluere, ſed, ut mihi ſemper uiſum eſt, quoties eos audiui, impudenter. Hunc enim ſibi finem poſuerunt, ut quem ſolum ſequuntur, non ſolum Stentoreis contentionibus & clamoribus, ſed uſque, ſi quidem opus eſſet, ad ſanguinis effuſionem tueantur. Acceſſit ea calamitas, quòd quum cœptum eſt abhinc trecentis annis in Gallia & Italia philoſophari, unum Aueroën, quòd non extaret alius, ſunt ſequuti. Qui quum Arabicè ſcripſiſſet, ab Hebræis in ſuam linguã tralatus, ab alijs in Latinum uerſus, ſolus tantæ apud eos celebritatis fuit, ut hunc unum admirarentur, eumq; & præceptorem

ceptorem ſupra cæteros efferrent. Scilicet & illam linguæ imperitiam, malæq; tra lationis uerba uſurparunt, & hominis parum rerum periti placita ebiberunt, ut utraque barbarie degenerarint. Sed hæc nos omittentes, quædam ex his quæ ſunt in Compendio declaremus.

Examinatur Philoſophia, quæ eſt in Compendio: Vbi unum duntaxat cœli mororem, dominumq; totius uitæ uidetur Ariſtoteles agnoſcere. Quod minores iſto ſupremo Deos quoſdam confeſſus eſt. Quod eius poteſta tem omnia inuiſibiliter operari dicit. Cap. V.

OBſeruare primum nos conuenit, quum paſſim eo ipſo libro dixerit Deum è cœlo, totum gubernare mundum, ipſe tamen & Plato ſæpe dicunt Deos habitare in cœlo, eos rebus humanis præſidere. Huc ſcilicet ſpectat, cœlum, rerumq; modo ramen, natura illius eſſe unius, horum autem munere eius. Nam principio de mundo loquens: ἧς τὸ ἀνώτατον, θεοῦ οἰκητήριον: Cuius altiſſimæ partes, ſunt habitatio Dei. Paulò poſt: κρὶ τὸ μὲν ἄνω, θεῶν ἀπέδειξεν οἰκητήριον, τὸ δὲ τῶ θνητῶν φθαρτῶν ζώων: Cuius ſummum, Deorum habitaculum eſſe uoluit, inferius animalium corruptibilium. Quis hoc uoluit? Ille ſcilicet, de quo tam mira ſuperius. Ille igitur ſtatuit ſupremam mundi partem, urbem eſſe Deorum. De quo etiam ibidem: τὸν κόσμον ὅλον συνεστήσατο: Totum mundum creauit. Factum eſt igitur eo confitente, hoc omne aliquando. Et quum dicunt Deos, ſentiunt eos eſſe minores, non æquales primo, ut è toto opere, quo toties, totq; exemplis ſingularis unius principatus probatur, apparet. Totaq; eius collecta uarijs argumentis de Deo probatio, ſingularem, non multorum ſpectat Diuinitatem. Ac illud exemplum, quod de Rege Perſarum, omniq; regni miniſtrorum que ordine propoſuit, pulcherrimum eſt, maximeq; ueridicum, ſi quis ſanè de ſede Dei præſentiaq; cœleſti, quæ maximè in cœlo conſpicua ſit, ſenſerit. Nam eſſe Deum ubique, ſuperioribus, ut uidimus, Theologis eſt apertè prædicatum, quum Iouis omnia plena, cùm portus & urbes, & ſemitas eum implere, animationem Vniuerſi per omnes mundi partes intentam & cõmeantem eſſe prædicarent. Nunc autem Ariſtoteles, cùm de omni terreno opere, uitaq; corporea, quæ ſub cœlo agitatur, loquatur, fatetur indignum eſſe Deo, eum uiliſſimis quibuſque, exiguisq; naturæ operationibus, tanquam architectum intereſſe. Aliter autem per omnem mundum eum uerſari, præſentem explorantemq; omnia, & conſeruantem, quorum primum ad naturæ prouidentiam, alterum ad res humanas pertinet, euidenter eſt confeſſus, in fine libri, dicens Prouidentiam res humanas contemplantem, Iuſtitiam illi ire comitem, præuè uiuentes inſectantem. Principio autem tradiderat conſeruari machinam mundi, uariosq; rerum ordines à Deo. Quod etſi poſit in primum motum referri, perfecta tamen gubernatio & conſeruatio, niſi præſidente Deo, non eſt. Deniq; quod ait, τῇ δυνάμει, per poteſtatem eum præſentem eſſe, idem eſt atq; per præſentiam, ſi conſideres, Deum non indigentem opera miniſterioq; cuiuſquam, omnia, ut ipſe fatetur, operari ſine labore & defatigatione. Si enim poteſtate ſua operatur

ubi ſit poteſtas ſua, affore quoq; ipſum: ſi non ope alterius, ſed ſua in creandis, & conſeruandis rebus utitur, palàm eſt, illud ſanè uerißimum eſt, omniumq; mortalium conſenſu prædicatum, Deum eſſe in cœlo. Et de cœlo deſcendiſſe ſæpe dicitur, in cœlumq; functiũ muneribus, quorũ gratia uenißet in terras, rediiſſe. Quomodo autem qui dicitur in cœlo uideri, per totum mundum inuiſibiliter ſit diffuſus, intelligi quidem à nobis non poteſt. Quia ut inquit Mercurius, cogitare eum difficile, loqui impoßibile: etſi motus cœli, ſit cauſa generationũ, ſuperſunt tamen alia, quæ nihil illum motum ſpectent. Tantundem igitur eſt, eum poteſtate inuiſibili, & ſua, non functione miniſtrorum, ubiq; eſſe, atq; ſubſtantia. Specta quoque, illud exemplum, etſi de cauſis tenens eſt maximè locutus, quæ ſint tanquam eius obſequentes imperio miniſtri ad Angelos, quos per omnem mundum habeat diſtributos, imperium ſuum. uelut Reges & Satrapæ, Ducesq; adminiſtrantes. Nam & ipſe philoſophus eorum penè nomine eſt uſus, cùm de Rege Perſarum loqueretur, ἀγγελιοφόρους, nuncios ferentes. Sic & cuſtodes, cæteraq; officia. Iam quod ait Omnium rerum princeps, καὶ γενέτωρ, Genitor inuiſibilis, quid aliud ſonat, quàm generationes omnes eum feciſſe ac facere, non ſolum permotũ luminis & caloris cœleſtis, ſed per alias item particulares cauſas, quæ ad generationem concurrunt? Etenim Species ipſæ, formæq; rerũ, non ſunt à motu cœli, etſi à calore Solis creſcant. Innuit igitur totum exemplum, Deum per naturales cauſas, quarum inuentor ipſe fuit, ut hoc facerent, quod facere uidentur, rerum naturalium omnem agere caterua. Quod ipſe ſapienter in poteſtatem eius, quæ primo cieat molem cœleſtem, ut per unam principalem cauſam multa cooriantur, retulit. Ideo enim Solem primum omnium corporearum rerum fecit, & fecit ab ortu in occaſum euntem rurſumque redeuntem, nũcq; ad Boream, nunc ad Meridiẽ accedentẽ, ut fieret, quicquid nunc per unam hanc à Deo repertam cauſam fieri uidemus. Quodq; ad operationes cœli ac terræ naturales Spectat, diceret Ariſtoteles, non ad unam quamßidente Deo fieri, ſed per maiores cauſas, ut qui poſuit maiores illas facturas, quæ poſtea conſtantiſſimè imperijs eius obſequentes fecerunt, utique cuctarum rerum autor ipſe fuerit. Iureq; in ſacris literis, omnes naturæ operationes, in eum referuntur, eum uentos impellere, arbores producere, animalia creare dicentes. Quod etſi per naturales maioresq; cauſas, non per præſentiam eius, id eſt, manibus ſuis animalium corpora formantis, fieret, eadem tamen ratio eſſet. Nam quod manibus faceret ſuis, facit per cœlum, per ſolem, cæterasq; cauſas, quas iußit & diſpoſuit, hæc operari, tanquã manibus ſuis eis uſus. In Theologia quoq; eſt, eum poſt creatam lucem, & iuſſam ut circum cœlum ſeſe rotaret, creaſſe cœlum, hoc eſt, aërem, factum à Deo per ſolem: inde terram iußiſſe nudari, quod item per ſolem factum eſt: nudatã plantas, animaliaq; producere. Sic aquis imperaſſe, proles aquatiquorum uarias in lucem efferrent. Omnia ab omnipotenti uno facta, quorum faciendorum diuiniſſimè cauſas excogitauit. Quod & Ariſtoteles referens, in hac

omni

omni eius operatione, rerumq; procreatione, unam tantũ principalem, cæterisq; maiorem memorat cauſam, ſolem: ſacræ autem literæ, tacitè ſolem innuentes particulares item in terra cauſas, quibus imperaret Deus, aſciſcunt. Non igitur Deus, quum animalia terreſtria aquaticaq; quum arbores & herbas crearet, manibus ſuis lutulentam illam terram capiebat, ſed reperit, ordinauitq; cauſas, ut hæc ipſa operarentur. Adeſt tamen ipſe præſens opificijs ſuis, non potens (qui tantus ſit) non adeſſe. Hoc ſentit Ariſtoteles. Atq; obſerua quæſo, quod cæteris in libris tradidiſſet, ad unumquenq; orbem aſſidere motorem mouentem, diuinam Intelligentiam, ut nunc emendet. Non enim ullam aliam memorat nunc in cœlo Intelligentiam, torquentem cœleſtes orbes, ſed Deum unicum, cuius potentia moueat Solem, Lunam, totumq; circumagat cœlum. ἀν τ μὲν ἐπὶ τῆς ἀνω, τάτω χώρας ἱδρυθῆ τὴν ὑ δύναμιν διὰ π σύμπαντος κόσμ διήκ σαν ἡλίόν τε κινεῖν, καὶ σελήνην, & τὸν ἄπαντα οὐρανὸν περιάγειν: Ipſo quidem, inquit, in altiſſima regione præſidente, poteſtatem eius, quæ per uniuerſum mundum penetret, mouere Solem & Lunam. Excluſit igitur cæteras omnes nunc, & toto illo opere intelligentias, uelut ſcilicet ſuperuacaneas. Si enim fieri potentia eius, quã fatetur ἄτεγκτον, indefatigabilẽ, totius cœli poteſt conuerſio. Etſi mouet primum, utiq; poterit minores orbes mouere. Caſtigauit igitur, expoliuitq;, quod aliis in libis tradiderat. Atq; item obſerua, quòd & ipſum proiectior emendauit ætas. Non enim includit Deum in orbem cœleſtem, ipſum animantem, aut incluſum mouentem: ſed ait eum præſidentem in altiſſima cœli regione, ut dicit in libro de Cœlo, ἐξωτάτω τῆς φορᾶς, extra omnes motus cœleſtes, poteſtate ſua, quæ ſit uſquequaque diffuſa mouere, non primũ ſolum, ſed item omnes orbes: adhibens pulcherrimum exemplũ, ut qui ſinu contineat diuerſa animalia, uolucria, reptilia, natantia, detq; libertatẽ, motumq; omnibus, alia cœlũ petent, alia terris inambulabũt, alia natabunt aquis: Sic ad unũ Dei motũ, fieri diuerſam luminũ cœleſtiũ motionẽ. Dei dico, nõ incluſi in orbe, ſed uelut Imperatoris, Dictatoriſq; magni præſidẽtis in cœlo, ſua uera poteſtate, nutuq; cœlũ mouẽtis. Repete igitur, ut totius Philoſophiæ ſentias cõcentũ, quæ ſuperius dixerat oraculũ Apollinis, κόσμων ἀμφιδρόμων ἐπ οχούμενος Mũdis circũrotãtibus inuectus. Et ſacræ literæ, Pſallite ei, qui aſcendit ſuper occaſum. Hebraicè, Qui equitat ſuper Araboth, ſpheras cœleſtes, aut præſidet in altiſſimis cœli regionibus. Hoc ſepiſſimè loquitur Ariſtoteles, dicens ad unius Dei inuiſibilem concitationem, totum mundum moueri: nihil citra opem eius fieri poſſe omnio uel in aëre, uel interra & aqua opera, illius eſſe, qui totum contineat mundũ, à quo per ſimplicem cœli motum, quo cuncta lumina contorqueantur, Sol, Luna, aliiq; planetæ, omnes rerum formæ in lucem edãtur: appellans Deum inuiſibilem, motumq; iſtum eius item inuiſibilem, inuiſibilemq; præſentiam & poteſtatem, ſicut noſter animus ſit inuiſibilis. Quo exemplo etiam Marcus Tullius eſt uſus pro Milone, his urbis: Et eſt

profectò

profectò illa uis, neq; in his corporibus, atq; in hac imbecillitate noſtra ineſt quidam, quod uigeat & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu? Niſi forte idcirco non putant, quia non apparet, nec cernitur. Perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus, ac dicimus, uidere, aut planè qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus. Ea uis, ea eſt igitur, quæ ſæpe incredibiles huic urbi felicitates, atq; opes attulit. Hæc Marcus. In quo & ipſe diuinæ prouidentiæ eſt aſſertor, & eam comparans menti noſtræ, nõ idcirco negandam dicit, quia non uideatur. Nam & animum noſtrum, quo hæc omnia dicimus, cogitamus, intelligimus, uideri non poſſe. Erit ergo in hac fragilitate noſtra, quod regat, gubernet, uigeat, ſentiat, & non erit in toto mundo? Ac Marcus paulò antè & ipſe cœleſtis motus uſus eſt exemplo.

Ariſtotelem fateri à ſummo Deo factos Deos minores: interpretari Deum, quam Vnitatem Empedocles dixiſſet: confiteri diuinam prouidentiam, quæ naturam excedentia aliquando inoperetur. Compendiũ uere eius eſſe. Loqui nunc emendatius eum de Vno ſingulari, quod alibi de pluribus. Cap. VI.

ILlud item in Ariſtotele obſeruandum eſt, quòd referens, ut ſæpe dixi, carmina illa Empedoclis, in quibus cuncta ab uno deducebat, Vnius Dei ſingularem maieſtatem eſt confeſſus, licet Vnitatem ipſe hoc in libro non expreſſerit, ſicut in Metaphyſica. Nam quod illic Vnitatem dixerat, in Epitome Deum interpretatur. Item etſi non adduxerit in iſto libro, dimidium carminis eiuſdem Empedoclis, in quo dixerat ab uno natos & πολιχαιώνους θεοὺς, etiã Deos longæuos, ſubeſt tamen hæc ſententia, creatos etiam à Deo Deos eum confiteri. Nam ſi probat ea carmina Empedoclis (in his aũt dixerat ille, nata omnia ab Vno, etiam Deos) profectò ſentit eadẽ Ariſtoteles. Sicq; apertè cuncta fatetur ab Vnitate, ſingulariq; Deo profecta. Nã in libris item illis poſt res naturales, affirmat Empedoclẽ tradidiſſe nata ab Vno cuncta, πλὴν θεοῦ, præter Deum, innuentem propemodũ, ipſum eſſe illam Vnitatem quæ produxerit omnia. Iam in hoc Compendio perſpicuè diuinã ſuper rebus humanis cõfeſſus eſt prouidentiam. Quod poſtea ex alijs libris eius demonſtrabitur. Quippe dicit hic, cùm fluuius ignis ex Aetna prorumpens, omnem circùm regionem inuaderet, fugientibus ex oppidis, & agris omnibus, ſed ſenioribus affectæ iam ætatis, fugere non ualentibus, adoleſcentes filios, parentes in humeros ſuſtuliſſe, ac flammã euadentes, fluuium ignis in eos ſuperueniſſe: Sed diuinã prouidentiã, quæ rebus benefactis delectatur, perſpicuam hîc fuiſſe. Scindens enim ſeſe rapidus ignis in duas partes, reliquit intactos parentes & filios, quaſi pietatem tantam ueritus. Hic ergo nominat Ariſtoteles τὸ δαιμόνιον, Diuinitatem, eamq; dicit præcipuo honore affeciſſe genus piorum, pium genus. Quo duo conſequuntur, diuinam præſidere rebus humanis prouidentiam, tum ei res omnes eſſe ſubiectas, & poſſe curſum naturaliũ rerũ ſiſtere, ſi uelit. Confitetur item miracula. Nam ingẽs fuit miraculũ, ut cùm eſſet propinquus ignis, furens rapidiſſimè, ſeſe in duas partes diuiſerit, relictis in medio pijs. Poſſetq; hæc aſſertio ad alia innumera

transferri.

transferri. Quis autẽ negabit librum eius esse, si forte quisquam eiusmodi est, quem apud ueteres passim comperies, & cuius ubiq; exemplaria sint apud Græcos? Ex quo item exemplũ contra Epicurum affert Plutarchus, & cuius meminit Proclus. Iustinus appellat philosophiæ eius Epitomen. Certè qui sapit, non negabit. Nam similia locutus est, licet obscurius in his, qui nunc habentur libri. Proponam nunc euidentissimum exemplum. Hoc loco dicit Aristoteles, numen diuinum, quod eorũ pietatem gratam habuissent, eximio eos honore prosecutũ. Audi igitur & agnosce similia in decimo Moralium. Qui, inquit, secundum mentẽ operatur, & hanc excolit, optimeq; affectus est, is uidetur Deo acceptissimus. Si qua enim cura rerũ humanarũ est à Dijs, sicut apparet, utiq; rationabile est delectari eos re optima, sibiq; proxima. Hæc aũt mens est: quam qui diligant, maximè te colent, redamari eos à Dijs, tanquam rerum sibi acceptarũ curatores, & rectè, ac probè agentes, fas est. Quid his luculentius? Est, inquit, rationi consentaneum, est euidens, Deos curare res humanas, diligere probos, ac sapientes, & eis beneficia præstare. In illa igitur de flagratione, quoniã Deus pietate delectatur, mens excolitur, et est similima Deo, quæ colit pietatem, remuneratus est pios. Adhibuit eis custodiã. In Compẽdio dicit Deũ fecisse, quod in Ethicis dixerat à Dijs fieri, esse probabile: quòd scilicet bonos et honestos remunerentur. Hoc igitur Dij fecerunt. Honorauit eos Numen, ostendit eos esse sibi curæ, propter pios filios seruauit parentes. Simul obserua, quum sese emendet. In Ethicis Deos, in Compẽdio τὸ ἀλειμόνιον, ipsam Diuinitatem, ipsum Deũ, de quo singulari, toties loquitur. obserua quoq; ut agnoscit prouidentiã, quæ mortalia curet, sine qua opinione, certáq; fide, nihil usquam possumus loqui. Item in eo ipso Compendio audistis Iouem esse Deum, per quem uiuimus: audisti eum esse, cui cuncta obtemperent, qui seruet regatq; omnia, qui sit Necessitas, & Fatum, quem ultrix Iustitia sequatur comes, uindex sceleratorum, leges diuinas transgredientiũ. Affirmat etiam quæ Plato diuinus ab Archyta, Pythagoreisq; audita, asseruerat, Deum esse principiũ, medium, finem omnium rerum. Affirmat item quod in Ethicis dixerat, eum esse beatissimum, qui et sapientissimus: Sapientem autem Deo gratum, hancq; eius esse felicitatem, quod placeat Deo: Nunc autem beatum dicit, qui simul natus cœpit obtemperare legi diuinæ, ut qui uelit esse beatus, & felix, legem diuinam, continuò ut editus est in lucem, sequatur.

De uno singulari ac supremo Deo, ex eodem Aristotele, quem à motu cœli absoluerit, cuius immensa sapientia, qua respicit etiam res humanas. Cap. VII.

Sed proponam alia ex hisce, qui nunc in propatulo sunt, libris indicia, mentis eius Aristotelem fuisse, quam philosophiæ suæ testatur Compendium. Erunt autem uelut quædam indicia, è quibus sapientes, non stultè pertinaces, possint intelligere singularem Diuinitatem ei placuisse, non multis eam, nisi per affinitatem quandam cum primo dedisse: Non orbi cœlesti, quem torquens in sempiternũ, actione, moderamineq; cæterarum rerum supersederet affixisse, sed potius Deũ quendam

dam uniuersalem, tam in cœlo supra siderum concitatione, quàm per uniuersum mundum regnantem, cui res humanæ separatim, ac naturales, curæ sint, sensisse: Non astrorum, Intelligentiarumq; cœlestiũ ei diuinas esse, sed unius, qui et cœlum circunuertat, & omnia, quæ bona sentit de Deo Theologia, faciat Numen esse. Nam primò, quid illud est, quod in libris post res naturales, cùm de sapiẽtia quæreret, solamq; eam sui causam esse diceret, idcirco diuinam potius, quàm humanam censuit possessionẽ, quæq; à solo Deo possideatur? Si Sapientia est rerum omnium humanarum, diuinarumq; cognitio, & si in solo Deo est perfecta, ueraq; eius possessio, ille multo magis res naturales, humanasq; cognoscet, quàm omnes homines, qui sapientes, cùm res humanas, ac diuinas habent exploratas, appellantur. Quas cum sine collatione præ illis Deus habeat perspectissimas, utiq; quod debiliter, & obscurè scitur ab hominibus, scietur à Deo clarissimè. Sciunt autem res superiores obscurè, inferiores eodem ferme modo mortales: quarum cognitio cùm sit in Deo radiantissima, necesse est, quod unanimiter antiquissimi philosophi asseruere, Deum ubique adesse, omniumq; ante oculos eius, rerum uersari absolutissimam notitiam, nullam uel tenuissimam rem non perspectissimam ei esse, uel intarata suis oculis, ut oraculũ dicebat, penetrare. Hinc oculũ eius dixit ἄλκιμον ὄμμα, fortissimum, robustissimum. Si res humanas nesciret, ut dementissimi, erroribus suis, quos procedere, nulloq; impediri metu Dei cupiunt, fauentes contendunt, aut si in uniuersali tantum sciret, eo sapientiores longè homines essent. Contulit autem Aristoteles sapientiam Dei, cum humana, dicens, quoniam serua & imbecilla sit humana natura, à solo Deo sapientiam posse dari dicendũ. Et ut dicat Simonides, quem Plato in primo de Rep. diuinum uirum & sapientem uocat: θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας: Solus Deus habeat hoc decus. Quis igitur erit ille Deus, cuius unius iure sit sapientia? Profectò qui solus in omnibus nominatur. Et uide quàm clarè & quod perhibuit Simonides affirmet Aristoteles, et quod superius oraculũ, cùm Deum appellabat ἀδίδακτον, non edoctum, se ipso modò sapientem, nimirum sapientissimũ, fontemq; sapientiæ. In Theologia est, Sapientiã fuisse omnium rerum inuentricẽ. Itemq; eum clamauerunt ueteres omnes αὐτόσοφον, per se, à seipso sapientẽ. Hæc omnia uidens et sciens Aristoteles, tribuit et ipse Deo admirabile, & plusquã humanam sapientiã. Nostra enim, inquit, natura serua est. Sumus præ Deo, tanquã mancipia: ille dominus uerus, pater hominũ atq; Deorum, solus hoc nomine decoratus, ut unus uerè possit dici sapiẽs, nõ ut nos mortales. Scit igitur Deus omnia melius, quàm nos ipsi. Quæcũq; ab homine noscũtur, multò magis à Deo, in quo solo est uera sapiẽtiæ possessio. Hæc Aristoteles, dicẽs prouidentiã Dei maximã, luminosimã, oculũ mentemq; perspicacissimam sentit. Affirmans etiam quæ in Ethicis, Si qua, inquit, cura est Dijs rerũ humanarũ, ut uidetur, et est rationi consentaneũ. Eadẽ affirmat hoc loco, corrigẽs, quod ibi de multis, hîc de uno Deo. Sed illi à maximo facti sapiẽtes, et prospectores rerum humanarũ, ut Plato docuit

in Le-

in Legibus, & Sympoſio. Clara igitur eſt ratio, ueraq; deductio. Deinde reprehendit Ariſtoteles poëtas, qui, quoniã ſolius eſt Dei ſapientia, poſſeßio, dixerunt eam inuidiſſe mortalibus. Reprehendit poëtas, mendaces, ut in prouerbio ſit, appellans: Non enim in Deum inuidiã cadere poſſe. Ecce igitur Deus nõ inuidit mortalibus ſapientiã: Si non inuidit, dedit: Si dedit, ut etiã ait Marcus, excepta ſapientia nihil à Dijs immortalibus dari amicitia melius potuiſſe. Excepit ſapientiã munus Dei. Si dedit igitur, dedit quod eſt diuiniſſimum, ut ipſe inquit, & pretioſiſſimũ. qui autem dat, et dat quod optimũ eſt, tum noſcit eum cui dat, tum amat eum uehementer. Non inuidit autẽ Deus mortalibus ſapientiam. Amat igitur. Recordare nunc, quæ dicit in Ethicis, eundem appellans beatum, ac ſapientem, ſapientem autem θεοφιλέςατον, Deo acceptiſſimũ. Et paulò inferius, tria deducere homines ad probitatẽ, naturam, conſuetudinẽ, documenta. Naturã, inquit, certũ eſt non eſſe in nobis: ἀλλὰ διὰ τινὸς θείας αἰτίας ἀγαθῶς εὐτυχήσειν ὑπάρχῃ: Sed per quandã diuinam cauſam, his qui uerè fortunati ſunt, exiſtit. Exprimit igitur hoc loco, donari alterã ſapientiæ ueram partẽ à Deo, uidelicet naturæ bonitatẽ. Duplex enim ſapientia: altera contemplans, altera operans, mutuo connexa. Qui donat unã, donat alteram. Probitas ex notione rerum diuinarum et humanarũ: quibus bene perceptis, inſtituitur optimus uitæ curſus. Deinde dupliciẽ tradit Ariſtoteles eſſe ſapientiam. ἥντε γὰρ μάλις᾽ ἂν ὁ θεὸς ἔχοι, θεία τ᾽ ἂν εἴη καὶ πάσῃ ἐπιστήμῃ δῆλον, κἂν εἷς τις τῶν θείων ᾖ μόνη δ᾽ αὐτὴ τούτων ἀμφοτέρων τετύχηκεν. ὅτι γὰρ θεὸς δοκεῖ τῶν αἰτίων πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις, καὶ τοιαύτην ἢ μόνος, ἢ μάλις᾽ ἂν ἔχοι θεός. Hoc eſt, Quam maximè poßideat Deus, diuina præ cæteris ſcientia eſt, & quam, ſi quis maximè diuinius. Sola autem ipſa, utraq; hæc aſſecuta eſt. Nam & Deus uidetur cauſarum omnibus eſſe principium. Et talem uel ſolus uel maximè poßideat Deus. Repetit Sapientiam eſſe ſingularem Dei poſſeßionem: Et Sapientiam eſſe diuinam quandam, mirabilemq; ſcientiam, tum eam à Deo maximè poſſideri, id eſſe decus eius, poßideri etiam ab aliquo diuino homine. Quomodo autem diuino? nempe ex eo, quòd primam ſedem & originem habet in Deo. Erunt ergo diuini, quibus Deus dedit ſapientiam, quaſi participes eius, quod largißimum eſt & naturale in Deo. Deinde proſequitur: Iccirco, inquit, eſt in Deo ſumma ſapientia, et ſapientia eius eſt prima, nobiliſſima. Quoniam nemo eſt cui non uideatur Deus eſſe principium & origo omnium cauſarum. Aut hoc modo intelligas; Quia uidetur in omnibus rebus Deus principium cauſarum: Videtur earum origo cauſarum, quæ res produxerunt, & producunt: Videtur Deus cauſa cauſarum. Quoties apud Ariſtotelẽ inuenies, δοκεῖ, uidetur, ſcito non leuẽ, ſed euidentem apparentiã denotari. Videtur, id eſt, apparet, oſtenditur, claret, cognoſcitur Deus eſſe principiũ cauſarum omnibus rebus. Si cauſas igitur omnes Deus orditur, tanquam principiũ, ſcit omnia, moderatur, regit, quia ſuperiores cauſas fecit, propter res particulares. Vt exiſterent particularia, fecit uniuerſalia. Et ſi cauſas omnibus

rebus

rebus dedit, dedit etiam hominum, id eſt, ſingularem unum (ut Archytas dicebat et Pythagoras) hominem, à quo tota humana propago naſceretur. Ex hac igitur omni Ariſtotelis confeßione, ſequitur unum ſingularem eſſe Deum, quem ſingulariter nominat, non alias Intelligentias. Deinde ſequitur, non ſolum motum cœli ciere Deum, ſed etiam alia multa facere, gubernare res humanas, uerſari per mundum, ſcire omnia. Item fit hinc perſpicuum, cùm dicit principium cauſarum omnibus rebus, eum ſentire totum illum ordinem, quem dixit in Compendio. Nam ſi deducas omnia, orſus ab ipſo Deo, ad omnes uſq; cauſas & res ipſas, erit totius ordinis illius explicatio. Princeps origo cauſarum Deus. Prima cauſa cœlum, cœliq; motus. Qui mouet cœlum, reperit cœlum, ut ipſum moueret. Si datur enim origo cauſarũ Deo, certè datur non motus modò, ſed etiã corporis eius, in quo futurus eſſet motus. Quomodo enim eſſet origo cauſarum, ſi motus ſolius, non corporis moti fuiſſet inuentor? Duæ enim ſunt cauſæ: corpus ipſum quod mouetur, & motus ipſius. Motus ſine corpore eſſe non poterat. Multo igitur magis eſt corpus ipſum una maxima cauſa, quàm motus ipſius, qui ſine eo eſſe no potuiſſet. Hæc igitur eſt uera deductio. Si datur Deo cauſarum principatus, datur omnium eorum inuentio, & excogitatio. Non debet eſſe mouendi potens Deus, inueniendi non potens. Nam non eſſet principium cauſarum. Aliquas cauſas feciſſet, alias facere non potuiſſet: Sic'que non eſſet principium, & origo. Qui poteſt indefatigabiliter mouere, & ex motu tam mirabilem, tamq; uarium rerum ordinem conficere, tot formas generare, multo magis inuenire potuit unde talia fierent. Illud item obſeruandum eſt, duplex eſſe rerum genus, naturales, et humanas. Naturales ſunt corporeæ, quibus uiuitur corporaliter: Humanæ ſpirituales, multo fortaſſe quàm naturales maiores, quia naturales propter humanas. Si Deus igitur omnibus rebus & cauſis earum eſt principium, non ſolum naturalium erit, ſed etiam humanarum maioris ponderis. In quem enim earum principia, ſi non in Deum, referes? Iam uerò quomodo unam tantum cauſarum partem amplexus Deus, alteram tenere non potuit? Qui igitur inuenit cauſas ut res eſſent, inuenitq; res naturales propter humanas, utique fuit etiam autor humanarum, eadem eas regens poteſtate, qua creauit, cauſis earum excogitatis. Eo enim conſilio reperit res naturales, ut homines eſſent, & uiuerent. Quibus ſi prouidit hac parte, multo magis prouidebit ea, quæ pertinet ad animos, ad præmia, & pœnas, ad merita in hac uita, et in alia. Quod et Ariſtoteles eſt confeſſus, dicens Deos redamare, & remunerare probos. Si remuneratur, non utiq; his quibus corpus uiuit, paratis æque bonis et malis, ſed alio genere præmiorum: Et ut illic, & hic dixit, largitione probitatis & ſapientiæ: multisq; alijs, quæ Marcus ſuperius eſt confeſſus, cùm felicitates, & opes uim illam Dei inuiſibilem attuliſſe imperio dixit. Conſentiunt igitur ſapientes, ſuper re clariſſima, cuius confeſſionem natura extorquet ipſa nobis, impellitq; animum ad has uoces, ut niſi uelis ei reſiſtere, impetumq; eius retardare, non aliud ſis dicturus.

Ariſtotelem

Aristotelem miris laudibus efferre, qui menti rerum creationem tribuissent, in quo sit inclusa confessio creati mundi. De Mente dixisse eum quæ prior præceptor Plato. In his unius Dei confessionem esse. Cap. VIII.

VT apparuit Aristotelis illa confessione, Deum cunctarum causarum esse principium, quæ res quàm latè pateat, uidebunt sapientes, sic alio simili quodam testimonio sit perspicuum, creatricem illam Mentem, rerumq; principium, sicut Platoni, ut superius est ostensum, sic item ipsi, mirificè placuisse. Nam cum maiorum, et antecessorum suorum de rerum principijs proponeret opiniones, uariasq; sententias protulisset, hæc demum intulit. Cogor enim rememorare, quo sit sermonis aptus ordo. Mentem autem qui dixit esse, sicut in animalibus, & in Natura causam mundi, item & totius ordinis, quasi euigilasse uidetur ad comparationem eorum, qui antea temerariè loquerentur. Qui igitur hoc modo suspicantur, simul quod bene causam, principium esse rerum statuerunt, etiam talem constituerunt, unde motus rebus existeret. Sic Aristoteles. Visum igitur superius, ex Laërtio quæ sit Mens, quis Autor, uel Causa: nimirum opifex mundi, cui in secunda Epistola Patrem dat Plato. Duobusq; uerbis comprobat Aristoteles quod de Mente rerum Principio dictum fuisset ab Anaxagora, alijsq; multis. Primùm quòd ait eos quasi νήφοντας, sobriè, prudenter, uigilanterq; locutos. Deinde quòd καλῶς bene, rectè constituerunt Mentem, unde motus fuisset omnibus rebus. Recolas igitur quæ dixerat superius, Deum esse τῶν αἰτίων πᾶσιν ἀρχήν, causarum omnibus rebus principium. Illic Deum, hic Mentem, Causam. Illic omnibus rebus: hic animalium, Naturæ, mundi, ordinis omnis. Illic apparet, claret: hic καλῶς, bene, sobriè dicitur Mens esse Principium rerum cunctarum. Recordare quoque quæ Plato in Phædone loqui Socratẽ facit: ὡς ἄρα ἐγώ ὁ διακοσμοῦντε, καὶ πάντων αἴτιος ταῦτα δὴ αἰτίας ἥσθημαι, καὶ εὖ δόξε μοι τρόπου τίνα εὖ ἔχειν τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον. Hæc ex libris Enaxagoræ, quos de natura scripsit: Quòd scilicet Mens exornauerit, & omnium causa extiterit. Hac ego causa lætatus sum, uisumq; est mihi modo quodam bene habere, Mentem fuisse omnium causam. Vides mirum in modum cunctis placuisse inuentionem omnium rerum, & ordinum Menti adiudicari. Vides alium longè Deum, quàm illum, qui moueat cœlestem machinã. Nam iuxta superiores, etiam ipsam, quam mouet, reperit. Quippe Anaxagoras, quod ab Aristotele, et Platone approbatur, non præsentẽ tantùm rerum, continuatamq; per omne tempus generationẽ, Mentem sustinere docuerat, sed inuenisse aliquãdo et fecisse, quod faciat ad omne tempus, quod et Aristoteli, et Platoni, si bene dicta sua pensitare, secumq; meditari uoluerint, est confitendũ. Sed Plato quidem manifestè in Timæo, inducens Creatorem mundi, supernum altissimumq; Deum, at Plutarchus ait, cumq; appellans Opificem, quem Anaxagoras Mentem. Aristoteles autem paulò antè, dans principium omnium causarum ipsi Deo: nunc autem dans Menti causam mundi, Naturæ, animalium, totiusq; ordinis: et eos qui hæc confessi sunt collaudans, profectò sentit eundem Deum, ac Men

tem, cumq; omnium rerum Principiũ. Ac uerisimile est, eadem affectum lætitiã, & quiete mentis Aristotelẽ super concessa Menti rerum inuentione, qua lætatus erat Socrates apud Platonem. Aristotelesq; ipse bene fatetur eos Mentem causam stabuisse, unde motus rerum extiterit. Socrates autem ait, bene habere sibi uisum, dare Menti principatum. Hæc uera sunt, huc illi propensiores fuerunt. Quidquid alibi statuerint, aut aliò pertinet, aut tandem ueniunt huc omnia, si rectè resoluas. Atque ubi paulò pòst eodem libro coarguit Aristoteles Anaxagoram super Mente, coarguit, quòd cum rerum principium Menti dedisset, non ea utatur ad totam Cosmopœiam. Sed solum cum in dubitationẽ caderet, quare quidq; esset necessarium, eò Mentem trahebat: Quare cœlum moueatur, quia Mens, inquit, uoluit, quæ causa creauit animalia. Nimirum Mens reperit modos eorum serendorum ueros. Sic omnes rerum necessitates ad Mentem reuocabat. Faciebat enim quod perhibent eum fecisse Socrates, & ipse maximè comprobat dicens, Existimauiq; si Mens creasset mundum, τὸν δὲ νῦν κοσμοῦντα πάντα κοσμεῖν, & ἕκαστον τιθέναι ταῦτην, ὅπῃ ἂν βέλτιστον ἔχῃ: Ipsam creantem, omnia adornasse, & posuisse sic rem unamquanq;, ut optimum esset. Denique hæc item addit ibi diuina Socrates, ut rem totam cognoscas. Si igitur, inquit, causam reperire uolueris de unaquaque re, quomodo existat uel intereat, uel sit, hoc oportuisse dices de ea inuenire, quod ei optimum esset, uel esse, uel alio modo affici, aut agere. Ex qua ratione nihil aliud homini considerare conueniet, tum de se, tum cæteris rebus, quàm quod sit optimum, & utilissimũ. Sic necesse erit cognoscere quid peius. Eadem est enim de eis scientia. Hæc igitur pensitans, lætabar me præceptorem inuenisse, qui mihi causam omnium rerum assignasset, Anaxagoram, cur terra lata uel rotunda fixa esset: hoc asserto, dicturum illum, causam necessitatemq; putabam, quòd ita melius esset, & quòd præstiterit eam esse huiusmodi. Et cur in medio sit posita, nimirum quia melius esset eam in medio esse. Quibus ab eo assignatis, non eram aliam causam quæsiturus. Sic de Sole, Luna, cæterisq; astris, eorumq; celeritate, conuersionibus, aliisq; affectionibus, agere, et facere ea quæ esset præstantius. Neq; enim putabam eum, ubi Mentem ea exornasse dixisset, aliam causam superindicturum, quàm quòd optimum fuerit, ea sic habere, sicut habent. Cæteraq; persequitur Socrates, in quibus eam demum reprehensionem atque Aristoteles, adhibet, quòd cum Mentem pulcherrimè, sapientissimeq; principium fecisset, postea deserit eam. Vtunturq; Plato & Aristoteles eodem uerbo de Anaxagora. Plato progressus, inquit, ut uiderem et legerem, uideo hominem τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, Mentem nusquam utentem. Aristoteles, ἀναξαγόρας μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποΐαν. Anaxagoras uix utitur Mente, ac creationem mundi: id est, rerum creatarum post mundi ornatum. Ex hac igitur reprehensione apparet eis mirificè Mentis principatum placuisse, quæ sapienter omnia posuerit: sed cum displiceat, quòd non ubique Mentem, quod facit Moses, adhibuerit causam, etiam

palàm

palàm eſt, multo magis hanc eis cauſam placuiſſe. Moſes eadem ſemper dicit Deum feciſſe, creaſſe cœlum & terram, animalia, plantas, hominem, ubique Mentem rebus creandis præficiens. Quam Theologiam ſi Plato & Ariſtoteles uidere potuiſſent, quàm approbaſſent? Quorum hoc loco eadem eſt atque Moſis certè confeßio, à Deo cuncta generata, & facta, & diſpoſita: diſpoſitáq; ut melius fuiſſet, cum dicat ad unum quodq;, Et uidit Deus quòd eſſet bonum. Qua aßignatione Plato fatetur ſe eſſe contentum ut dicas bonum, quod Mens excogitaſſet. Sic quod audis apud Moſen, Feciſſe, deinde bonum ipſi uiſum eſſe, mirificè Plato approbaſſet. Quia ſi Deus, ſi Mens, ſapientia, conſilium, ſolertia fuit autor, & ſi ei bene poſita uidebantur, certè nihil eſſe melius poterat. Declarauit etiã Plato in Cratylo, illam Anaxagoræ Mentem, mirificè illi placuiſſe. Vbi Socrates rogat Hermogenem, Non ne, inquit, credis Anaxagoræ Mentem, & Animam eſſe, quæ exornet, & contineat omnium aliarum rerum naturam? Nil aliud, inquit, τιθὲ καὶ τὴ τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν οὐ πιστεύῃς ἀναξαγόρᾳ, νοῦν καὶ ψυχὴν εἶναι, ἥ διακόσμησεν, καὶ ἔχουσαν. Eandem, ut in primo libro uidiſti, uocat imperatricem, exornantem omnium, impermiſtam, ius uniuerſale, ſegregatam ab omni concretione mortali. Quàm autem hæc Mens, quam Anaxagoras celebrauit, placuerit Ariſtoteli, collaudauerit, adorauerit, ſuſpexerit, potes intelligere ex his, quæ ſcribit in undecimo poſt res naturales. De qua hæc ad uerbum. Quæ de Mente dicuntur, habent quaſdam dubitationes. Videtur enim omnium quæ cogitari poßit diuiniſſima. Quomodo autem ſe habens talis exiſtat, habet quaſdam difficultates. Nam ſi nihil intelligit, quæ maieſtas eius eſſet? Eſſet enim ſicut dormiens. Si autem intelligit, hoc autem eſſet aliud peculiare, non eſſet hoc, quod eſt eius ſubſtãtia, intellectio, ſed facultas, Certè non eſſet optima ſubſtantia. Nã quia intelligit, dignitas ei exiſtit. Inſuper uerò, ſiue mens ſit ſubſtantia eius, ſiue intellectio, quid intelligit? Aut enim ipſa ſe ipſam, aut aliquid aliud. Et ſi aliquid aliud, aut idem ſemper, aut aliud. Vtrum igitur differt aliquid, uel nihil, intelligere ipſum bonum, uel quiduis: uel & abſurdum eſt cogitare de nonnullis. Certum igitur quod diuiniſſima res, & pretioſiſſima, intelligit, & non mutatur. In peius enim fit mutatio. Et motus quidam iam, talis res eſt. Primum igitur ſi non eſt intellectio, ſed facultas, rationi eſt conſentaneum, laborioſum eſſe ei continuã intellectionem. Poſtea manifeſtũ, quòd aliud quid eſſet pretioſius, quàm Mens, res ſcilicet intellecta. Etenim intelligere, & intellectio exiſtent, et peßimũ intelligenti. Quocirca, id uitandum eſt. Quædam enim non uidere melius quàm uidere. Non eſſet certè res optima, intellectio. Seipſum igitur intelligit. Siquidem eſt, quod optimum. Hæc dicit Ariſtoteles, non de omni mente, humana, uel Angelica, aut Sphærarũ cœleſtiũ, ſed optima, et pretioſiſſima, et qua nihil ſit maius, quod ab ea intelligatur. Quia ſi quid præter ſe intelligeret, in quo cognoſcẽdo delectaretur, maius eſſet ipſa. Conſtat autem quàm latè pateat hæc Ariſtotelis confeßio. Videmus hinc eundem eſſe

Deum atq; Mentem, & hanc Mentem uidemus Aristotelem fatentem esse rerum Principium. Nam si dat Deo, ut claruit, omnium causarum principium, utique dat etiam Menti, quia Mens est ipse Deus. Quod non solum ex his, quæ dixit nunc de ea Philosophus, constat, sed his etiam, quæ in libris de Republica, & quæ in secundo magnorum Moralium. Etenim dubitationẽ dissoluit in libris post res naturales de Deo, quæ oborta in libris moralibus fuerat. Oborta autem fuerat de intellectione, uel cogitatione Dei. Vbi dicit hæc ad uerbum: Ea igitur quæ inter loquendum similitudo solet assumi de Deo, neq; ibi rectè, neq; hic esset utilis. Nõ enim si Deus est sibi sufficiens, & nullius indiget, ob id neq; nos ullius indigebimus. Est enim & talis quidam sermo, qui dicitur de Deo. Nam quoniam, inquiunt, omnia bona possidet Deus, et est sibi sufficiens, quid faciet? Non enim dormiet: speculabitur igitur, inquiunt. Hoc enim est pulcherrimum maximeq; proprium. Quid igitur speculabitur? Si enim aliquid aliud, melius certè aliquid se ipso speculabitur. Sed absurdum est, esse Deo quidquam melius: ipse igitur seipsum contemplatur. Sed & hoc absurdum. Etenim hominem, qui se ipsum cotnemplatur, solemus tanquam insensibilem reprehendere. Absurdum igitur est, si Deus, inquiunt, erit ipse se ipsum speculans. Quid igitur Deus speculetur nũc dimittatur. Hæc Aristoteles. Videmus igitur eum hanc dubitationẽ dissoluere, eandemq; rem repetere, in libris Philosophiæ primæ. In quibus affirmat, Deum contemplari se ipsum, non consequi autem ut sit insensibilis: Neq; enim easdem esse res diuinas, atq; humanas. His igitur locis considerare licet, eandem esse Mentem atq; Deum. Nam quam Mentem uocat in Philosophia, in Moralibus & in libris de Republica, Deum. Sic apparet illam Anaxagoræ Mentem esse Deum, esse Creatorem mundi, omnium ordinũ Inuentorem. Is per excellentiã dicitur Deus, huic datur uni Diuinitas. Nam intelligere seipsum, de Supremo solum, & qui uerè Deus sit, dictum apparet. Non sunt hic ullæ aliæ planetarum Intelligentiæ, neq; possunt esse. Hanc Mentem, quam in Timæo Plato uocat Opificem mundi, tum in eo ipso libro, tum in Phædone dicit esse Inscrutabilem, ut difficile possit inueniri: In Cratylo, αὐτοκράτορα, Imperatricem.

Quod etiam in Moralibus unum singularem Deum est confessius, rerum humanarum prospectorem: Et quod ad aliam, quam præsentem uitam prouidentia eius & quæ largiribonis eum ait Aristoteles, referantur. Cap. IX.

SVnt item alia plurima hinc inde sese offerentia indicia, non solas illas cœlestes Intelligentias Aristotelem Deorum nomine, & excellentia dignatum, sed uxta maiorum suorum religionem, meliorem quandam, absolutamq; ab incitatione cœlesti Diuinitatem, eum asseruisse. Illamq; astrorum diuinitatem ascititiam, peregrinamq; illi esse, & ad tempus prædicatam, cum non haberet quid de Deo clarius, & probatius tunc diceret. Cum autem alijs in locis humanæ naturæ ueros instinctus super confessione Diuinitatis sequatur, confitens Diuinitatem, quæ regit mundum, non solum machinam cœlestem mouens, sed etiam per omnem mundum inambulans, præcipueq; res humanas, propter quas sunt naturales, moderans,

rans, dicemus eum astrorum Diuinitatem, aut partem quandam Deorum statuisse, ut si quis aliquos Angelorum cœlo uoluendo præficeret: aut inconstantem faisse, & ubi contra Naturæ impetum uiolenter locutus esset, postea relatum, ab eodem Naturæ, cui resistere non posset, æstu, ueram Diuinitatem fuisse confessum. Nunquid inquit, in Moralibus, Fortuna, quasi Prouidentia quædam est Deorum? An potius id non est probabile? Quippe Deum cum dominus sit huiuscemodi rerum, arbitramur tribuere merentibus bona, & mala. Fortuna, uerò, & quæ à Fortuna sunt, uerè fortuito eueniunt. Quam rem si Deo tribuamus, iudicem improbum eum faciemus, aut inuitum: quod Deo non conuenit. Itaq; neq; bonam Fortunam, Prouidentiam, aut Beneuolentiam Dei esse, probabile est: quia improbis etiam datur. Deum autem curare improbos, non est probabile. Primum iuxta uulgares, plures Deos loquitur: deinde sese ad Philosophiam recipiens, unicum semper Deum, qui dominus, ac patronus sit omnium, quæ possident homines rerum. Ad hæc negat quæ Fortunæ bona dicuntur, ab eo proficisci, id est, dari certa quadã cura eius, & prouidentia, ac beneuolentia. Diuites, improbos, Deiq; contemptores esse. Præclaréque secum agi putare, quòd aliquem trucidarint, opes auexerint. Quorum à Deo nihil est. Non enim malarum rerum Deus est largitor, sed bonarum. À quo tametsi proficiscuntur omnia, uera tamen eius beneuolentia, ut Aristoteles ait, erga bonos duntaxat. Nec si Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, nullo discrimine id facit, sed propter bonos benefacit malis. Omninoq; Aristoteles sentit caducarum rerum, temerariamq; istam felicitatem, neminem debere diuinæ erga se beneuolentiæ ascribere: quia datur æquè malis, atque bonis: sæpius etiam malis. Quoniam, inquit, quæ uulgò putantur bona, & quibus apud plebem solent homines fortunati uocari, eueniunt sine discrimine bonis & malis, non sunt quibus ea contigerunt, amici, gratiq; Deo dicendi, ut sit eadem ratio conciliandæ charitatis diuinæ, atque consequendorum terrenorum bonorum. Ipse enim etiam dicit, Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit. Et, Odisti obseruantes uanitatem. Non amantur igitur improbi à Deo, inquit Aristoteles. Si non amantur, bona quæ sunt consecuti, non omnino eius beneuolentia sunt assecuti, sed ipso conniuente, & sinente. Multo enim largitur amicis suis meliora. Quos igitur fortunatos aspexeris, non continuo amicos Dei, & quibus Deus faueat, arbitreris, sed scito hæc accidere, fieriq; eo conniente. Subijcit Aristoteles, Bona & mala meritis à Deo dari. Hunc ordinem esse Prouidentiæ, ut dentur bonis bona, mala malis. Quòd si terrena bona, quæ dicuntur εὐτυχίαι, temerariè contingunt, id est, casu quodam, & fortuito, quid superest quod detur à Deo, certo discrimine bonis & malis? Nam largitio, inquit, rerum fortuitarum non est recta à Deo. Ergo quod dat Deus, maius sit quàm quæ sint in potestate Fortunæ, necesse est. In potestate Fortunæ sunt uires corporis, forma, opes, à bonis, & à malis æquè possessæ. Igitur quid mali dabitur à Deo ma-

lis, boni bonis, si sunt ea fortuita, & in potestate fortunæ? Et tamen Aristoteles fatetur: τὸν γὰρ θεὸν ἀξιοῦμεν κύριον τῶν τοιούτων, τοῖς ἀξίοις ἀπονέμειν, καὶ τὰ ἀγαθὰ, & τὰ κακά: Existimamus enim Deum, penes quem sint ista, meritis tribuere bona & mala. Nulla igitur supersunt mala & bona, quæ detur à Deo. Eadem siquidem ratione cum uideam bonis esse mala, dicam fortuito id fieri. Et cum dicas bene fieri bonis à Deo, uerum miseris & incommodis æquè atque improbi, sæpe magis, subiaceant boni, quid supereſt quod detur utriusque pro meritis? Cogimur ergo hæc ad alia bona & mala, quàm præsentia, quæ fortuito dantur, referre, maiora uidelicet, & æterna, quod Aristoteles quadam mentis diuinitate fortasse perspexit. Obserua etiam, quòd nefas esse dicit, ut Deum faciamus iniustum, aut improbum iudicem. Itémque obserua, quòd ait non esse uerisimile, Deum curare improbos: ergo ex aduerso est uerisimile eum diligere bonos: quod ipse euidentißimè confessus est in decimo, ut superius ostendi. Hic inquit, non est uerisimile, improbis Deum consulere. Deinde putamus eum tribuere malis mala. In decimo autem Moralium dicebat, Si Dij mortalia curant, ut probabile est, & euidens, uerisimile est bonos, beneq; & probè uiuentes eos redamare. Aperta igitur est ratio Prouidentiæ, clara'que confessio, Deum cuiusq; merita respicere, dantem bona bonis, mala malis, reijcienda in aliud tempus, diligentius'que iudicanda, quoniam præsentia ferè sine discrimine. Atque hoc loco, clarißimè non est Deus ille Motor cœli, aut ulla Planetarum Intelligentia, sed quidam uniuersalis Deus, non cœlum tantum mouent, uerumetiam respiciens, & intuens res humanas, ponderansq; merita cuiusque. Considera enim, Si negat Aristoteles fortuita bona debere referri in Deum, quoniam malis & bonis accidant, à motu autem cœli non datur nisi uita corporea, qua mali, & boni æquè fruuntur: certè si Deus, cœli motor non alia bona largitur, quàm corporea, & uniuersalia, non distinguens merita cuiusquam, sed uitam æquè suppetens omnibus, meritorum pondera attendat. Datur igitur aliud autore Aristotele in quo Prouidentia eius distinguatur, distinguantur mali à bonis. Super quibus æquè Sol lucet, pluit æquè. Motor igitur ille Deus, curat etiam alia longè maioris sapientiæ. Nam mouere Solem, & sidera, solum ad uitam corpoream pertinet. At in nobis non est solum corporaliter uiuere. Eoq; necesse est, non illam cœli Intelligentiam hunc Deum esse, quem nunc dicit: aut illum quidem, sed non cœlum duntaxat mouentem, uerum etiam humana gubernantem.

Ex eo quod Aristoteles de Nectare Deorum scripsit, probari & unius summi Diuinitatem, qui sibi & cunctis sit causa felicitatis: & Deos illos non esse uertentes orbes cœlestes. Virtutes, quæ possidentur à mortalibus, multo magis a Deo possideri. Cap. X.

QVod superius de Nectare Deorũ in Moralibus dixerat Aristoteles, Duo præclara, et Theologiam sapientia in eo deprehendes: Illam dico Theologiã, quam Aristoteles, præterquam de Intelligentijs cœlestes orbes mouentibus, aperte proposuit.

poſuit. Primum Deos eos nominat, qui non moueant orbes cœleſtes, deq; his ita loquitur, ut eandem de his, atque mortales omnes religionem prædicaſſe aperte conuincatur. Ad hæc nominat Nectar, ut Philoſophus, non ut uulgares, ſentiens uinum ſuauiſſimum, ſed uere ex Philoſophia diuinius, & incorporeum quiddam, quod perſpicuo exemplo demonſtrauit. Dicit enim eſſe nonnullos, quibus uoluptates omnes, generationes uiderentur, negantes uoluptatem eſſe bonum. Hoc autem accidit eis, inquit, quia ſolas corporeas uoluptates habent exploratas, haud alias eſſe putantes: ceu qui neſciunt Nectar, putantes Deos bibere uinum, quia non putant dulcius eſſe quicquam. At Nectar eſt incorporea ſuauitas. Cum igitur incorpoream uoluptatẽ, aut ſuauitatẽ ſentiat Ariſtoteles, qua Dij fruantur, ea profectò non eſt alia, quàm celebris illa apud Poëtas, quos Ariſtoteles ediſſerit, & quam dixit ipſe Deus, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Et, Amplius non bibam de genimine hoc uitis, niſi cum uobiſcum illud bibam in regno Patris mei. Qui bibunt igitur hoc Nectar, non ſunt planetæ, nulla cœleſtis Intelligentia rotando cœlo præfecta: ſed certè Dij illi, quos beatos in omne tempus cenſuit trium phare ſupra cœli uertigine corporibus liberatos, ſufficientiſſimam, copioſiſſimamq; bonis omnibus uitam agentes. Hi ſunt Dij, non Intelligentia Solis, Lunæ. Illud item conſiderandum eſt, quod ſecundo Moralium ſcripſit, cum de Heroicis, & ſupra hominem uirtutibus loqueretur. Eſt, inquit, quædam uirtus oppoſita ſeritati, quæ nullum habet nomen, quia οὐκ ἔστι θεοῦ ἀρετή. ὁ γὰρ θεὸς βελτίωι ἢ ἀρετῆς, καὶ οὐ κατ' ἀρετὴν ἐστὶ σπουδαῖος. οὕτω γὰρ βελτίων ἔσται ἢ ἀρετὴ τοῦ θεοῦ: Non eſt Dei uirtus. Etenim Deus eſt uirtute ſuperior & melior. Et non ſecundum uirtutem eſt bonus. Hoc enim modo uirtus eſſet Deo melior. Is igitur Deus, uirtute ſuperior quis eſt, & quid deſignat eum habere uirtute præſtantius? Si enim non uirtutes ipſas, quæ conſuetudine, documentiſq; acquirun tur, ſed excellentius, & naturalius quiddam poſſidet, utique cuncta bona, & omnem laudem, quam poſſidet homo, longè magis Deus poſſidebit. Hominum uirtutes ſunt fortitudo, modeſtia, temperantia, iuſtitia, liberalitas, charitas, hæc omnia Deus longè excellentius poſſidebit. Ergo ſi ſolent homines, cum proſpiciunt reipublicæ, cum humanè, iuſtè, moderatè, ſapienter, liberaliter, & clementer agunt, laudari, extolli, præferri, prædicari, non ne laudibus his Deus erit excellentior, magisq; eas uſurpabit? Si enim eſt uirtute ſuperior, is ſit neceſſe eſt quo beneuolentius, liberalius, clementius nihil poſſit eſſe: præ cuius æquitate, liberalitate, charitate, humana charitas ſit penè uitium, nedũ uirtus. Hinc igitur fit, ut Deus, quod omnis antiqua Theologia teſtatur, ſit bonorum effuſiſſimus largitor, eximia charitate & beneuolentia præditus, indulgentiſſimus, prouidentiſſimus, omnesq; item laudes omnem gloriam, abſolutiſſima quadam ratione poſſidens. Hæc autem omnia in unum competunt ſolum. Recordare hoc loco, quòd ait eſſe uirtutes quaſdam Heroicas nomine carentes, id eſt, diuinas quaſdam & eminentiſſimas, quas Heroicas dixit, quaſi ſimiles earum, quæ à Dijs, uel Heroibus poſſidentur.

Heroēs autem hoc loco ſunt Dij. Nam & ipſe Ariſtoteles dixit ibidem, hanc uirtutem Heroicā eſſe quandā, ac diuinam, ut feritas immane quoddam prodigioſumq; uitium. Ergo ſi quanto melius, laudabilius, rectius, modeſtiusq; agunt homines, Deo magis aſſimulantur, profectò neceſſe eſt eandē uirtutem eſſe in Deo, cuius in homine quædam ſit imago. Cum uerò nihil ſit liberalitate et clementia, charitateq; apud homines commendabilius, & quod magis prædicetur, extollatur, certè neceſſe eſt hæc eſſe in Deo præſtantiſſima, abſolutiſſima. Qui ſi careret Prouidentia rerum humanarum, ſi negligens eſſet ſalutis cuiuſquā, ſi non audiret cum inclamatur, ſi patrem tantum ex motu Solis ſuppeteret, multi mortales eo meliores eſſent. Nec hi cum eminentiſſimis factis inclareſcerent, Dei ſimiles dicendi eſſent, ſed Deus ſimilis eorum. Fatetur ergo Ariſtoteles in Deo quandā eſſe mirabilem uirtutem, eximiamq; prouidentiam, benignitatem, charitatem, uſq; eò præſtantē, ut intelligi quidem poſſit, nominari non poſſit. Incurruntq; omnia ad confeſſionem unius Dei. Memineris itē quæ Marcus ille Tullius ob ingenij diuinitatem ut diceret proiectus eſt: Verum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, uirtute præſtantem non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem. hæc qui faciat, non ego eum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Intelligebat ſapientiſſimus orator, eminētiſſimas in Deo quaſdam eſſe uirtutes, qualē mortales aliquando eſſent participes. Vbi clementia, liberalitas, ſi res humanas negligeret? quæ ſunt materia clementiæ. clementia autem ſine prouidentia non poteſt eſſe. Nam qui neſciat, quibus parcendum eſt, & ſi nullum cum eis intercedit ei cōmertium, nec offenditur, nec parcit, nec clementia præditus eſt. Rem igitur, quam Natura faciebat clariſſimam, Philoſophus eſt confeſſus, eamq; celare non potuit. Cuius ſi uocem audirent, ſi dicta ponderarent ruſtici tempeſtatis noſtræ Peripatetici, non tam pertinaciter ei confeſſionem Prouidentiæ, aut Diuinitatis, quæ non cœlum duntaxat, ſed alia agat plerāque digna maieſtate ſua, detraherent.

Admiranda Ariſtotelis Theologia de beatitate diuina: quæ ſit contemplatio: Eandem eſſe minorum Deorum felicitatem, Deū ſummum contemplantium. Ex quo ſumma unius mateſtas comprobatur. Cap. XI.

ARiſtoteles decimo Moralium, perfectam felicitatem probat actionem eſſe contemplandi ſemper, idq; ea ratione probat: Deos, ait, arbitramur beatos & felices. Sed cum nullas eis humanas actiones tribuere poſſimus, uiuere autem eos dicimus. Neq; enim fās eſt eos dormire, ut Endymion. Viuentu cui ſit omnis actio detracta, nihil ſupereſt, niſi θεωρία, ſpeculatio: inde fieri, ὥσε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα θεωρητικὴ ἂν εἴη: Vt actio Dei quæ beatitudine eſt præcipua, ſpeculatrix ſit. Omnis enim, ĩquit, uita Dijs eſt beata. Ex his eius uerbis, quæ quidē et alijs in locis, et in libris poſt res naturales eſt locutus, efficitur hoc omne. Principio totā hanc contemplandi, in quo beatitudinem uult eſſe, rationē, habere caput,

re caput, ubi ſiſtat ne procedat ad infinitum. Et primum quod dixerat de Mente, cuius ferebat felicitatẽ in contemplanda ſe ipſa, quod hoc loco aſſerit, præcipuè eſt uerum. Hæcq; erit Ariſtotelis Theologia: Deus cognoſcit, contemplaturq; ſe ipſum, ipſe ſibi felicitatis obiectũ. Cæteri ergo Dij contemplabuntur eum, inde beati. Nam ſi Deus aut Mens, quam diuiniſſimam, optimã, pretioſiſſimamq; prædicauerat, eximia in cognitione ſui fruitur felicitate, tantundem beata, quanta maieſtas ſua quam ſemper cognoſcens efficitur beata, etiam minores Intelligentiæ Deum intuentes felicitabuntur. Scilicet fit ex his neceſſariò, Deos minores fieri beatos in cognitione Dei: quoniã ratio quæ cogebat ne confiteremur Deum præter ſe in quo beatius ſit aliud contemplari, erat, quia quod contemplaretur, ex eo beatus exiſtens, eſſe maius ipſo Deo. Sed quoniã nihil Deo melius, & maius, neceſſariò ſe ipſum contẽplatur. Hæc inquam ratio non habet in Dijs minoribus locũ, ſed in contrariũ, quoniam Dijs eſt ſupremus quis, neceſſariò fiunt eo contemplando beati. Vt ſit ratio, Deus, quo non eſt melius, ſe ipſum contemplatur, ſe ipſum contemplando eſt beatus: Dij minores, quibus eſt melius, & ſuperius, illud ipſum contẽplantur, et in eo contemplando ſunt beati. Hæc igitur neceſſariò ſunt in hoc ordine, ut ſi Dij nihil aliud agentes, duntaxat contemplantur, eos neceſſariò Deum contemplari: Deũ autem contemplari ſe ipſum. Vt qui dat ſibi, qui maximus eſt, felicitatẽ in contemplatione ſui, longè facilius daturus ſit minoribus. Ex quo clariſſimè efficitur, quod Ariſtoteles in fine totius ratiõis poſuit. ὥστε εἴη ἂν ἡ νοήσεως νόησις θεωρίας τις. Quocirca felicitas erit quædã theoria, id eſt, contemplatio Dei. Græcè theos, Deus, oria, uiſio. Totaq; beatitudo erit contemplatio Dei: ut nec Dij minores, nec maximus ipſe Deus, in alio ſint beati, quàm in contemplatione Dei: Ex eodẽq; cæteri Dij beati, quo maximus Deus. Quanta igitur hic cũ religione concordia? Felices nos futuros oracula, cũ uidebimus eũ ſicuti eſt. Cum is igitur ſit contemplationis ordo, ut felicitas omnis ſit contemplatio Dei, eaq; non cuiuſcunque Dei, ſed maximi, & eminẽtiſſimi tantum, & qui uerè Deus ſit, hæc deinde ſequuntur, Huiuſmodi contemplationem non fieri in abſentia, Et Deos contemplantes oportere propius aſſiſtere, eodem in loco eſſe, in quo quem contemplentur: Haud aliter perfecta futura contemplatione. Ex hoc item ſequitur, hos Deos, quorũ beatitudinẽ dixit eſſe theoriam, uiſionem Dei, eſſe non poſſe Intelligentias cœleſtes, Solis, Lunæ, planetarum nimium à primo diſtantium, è cuius comtemplatione exuberat beata uita. Ex primo autem ſequebatur, ut ſi ex unius contemplatione omnis manat felicitas, illum eſſe optimum, maximum omnibus his, quos ſua præſentia efficit beatos, incommemorabiliter maiorem. Sic rationibus altera ex altera conſequentibus, Dijs eſt beati udo contemplatio: Non ſui, quoniam eſt excellentior, qui poßit eis eſſe obiectum contemplandi. Nam dicebat Ariſtoteles, Deus ſiue Mens eſt beata cognoſcendo: Aut ergo ſe, aut aliud. Non alium, quia maior eſſet qui cognitus et inſpectus eũ bearet.

Non admittit autem ratio Deo quidquam præſtantius. Ergo ex aduerſo, ſi Dij minores habent ſupremum, quia neceſſe eſt, ad unum caput uenire, quod & ipſe Philoſophus fatetur, in eo cognoſcendo ſunt beati. Hunc ergo contemplantes, propius adeſſe, intuentes eum neceſſe eſt. Quod ſi uerum eſt, aßiſtentes non erunt motores orbium cœleſtium, ſed aliud Deorum genus: Illi ſcilicet, quos in libris de Cœlo dixit extra cœli motus uiuere beatos. Hæc eſt autem eorũ beatitudo, quod cõtemplantur: Ratio autem docet, eos unũ primũ contemplari, qui ſit etiam ſibi cauſa felicitatis. Ex his igitur, ut omnes rationes ad epilogum reuocem, efficitur, ut hac parte ſapientiſſimè ſit Ariſtoteles locutus, proponens ſimilem noſtræ, quam ſuggerebat ei ratio, philoſophiam. Eſt hic clara primi Dei confeßio, cuius contemplatio felicitat Deos contemplantes, coramq; aßiſtentes: Hos orbium cœleſtium motores non eſſe. Cumq; hic de celeſti motu, & animatione orbium nihil loquatur, conſtet eum non ſemper in eo ſenſu fuiſſe, eſſe Deos, qui moueant orbes. Eſt deinde contemplatio Deorũ ipſum Nectar. Nam contemplatio & εὐδαιμονία, id eſt, felicitas ſunt idem. Nectar eſt pabulum Deorum: Dij non bibunt, non cõmedunt, non negotiantur, ſed ſpeculantur tantùm: Ergo Nectar eſt contemplatio, contemplatio beatitas. Hinc Poëtæ cecinerunt ad menſas, ab Hebe Nectaris huius plena pocula miniſtrari Dijs. Eſt enim Hebe iuuentus. Perpetuò iuuenes ſunt Dij, Deum æternum contemplantes. Merito Dij uocati, quia felicitas eſt & Diuinitas uidere Deum. Vt cui datum ſit uenire ad conſpectum illum, iam uerè ſit Deus beatus.

De beatitudine Deorũ: de unica, ſimpliciq; uoluptate, quam Deo tribuit Ariſtoteles. Conſenſus eius eũ ſacris literis, beatitudinem eſſe diuinam contemplationem. Cap. XII.

ITem Ariſtotcles ſeptimo Moralium ad Eudemum, alijſq; in locis aſſerit, non eadem nobis eſſe dulcia, iucundaq;, ut quod nonnunquam efficit hilaritatem, alias generet moleſtiam, quoniam non una ſimplexq; ſit natura nobis. Alioqui foret ſemper actio iucundiſſima. tum concludit, διὸ ὁ θεὸς ἀεὶ μιᾷ καὶ ἁπλῇ χαίρει ἡδονῇ: Quamobrem Deus ſemper una & ſimplici lætatur uoluptate. De quo nam Deo hoc dictum ſuſpicemur, quem ſingulari apellatione Deum appellat, natura in hanc nuncupationem rapiente, tum ei tribuit unam immobilem, æternamq; uoluptatem? Certè de unico illo ſingulariq; Deo, quem poſt res naturales, iuxta maiores, appellat Mentem, in moralibus Deum, cuius ferebat ſui, non alterius, eſſe contemplationem. Nunc eandem contemplationem dicit eſſe unicam, ſtabilemq; ipſius uoluptatem, beatitudinemq; Diuinitatis ſuæ, quam habuit ab æterno, in qua nulla fuit unquam mutatio, aut ſcilicet in deterius, aut melius, quippe quo nil melius. In deterius autem mutari, qui ſit omnipotens, incorruptibilis, ſimplex, unaq; natura, non poteſt. Hæc mirabilis, diuinaq; confeßio, in unum duntaxat ſpectat altiſſimum, naturalem, unuerſalemq; Deum: Quod & appellatio deſignat, & quòd ſimplicem, unamq; tribuit ei uoluptatem, ex una, ſimpliciq; natura naſcentẽ. Quæ ſi minoribus item Dijs adeſt, eatenus aderit, quo ſunt illi

illi primo similes, ut quemadmoum non natura, sed affinitate & assimilatione sunt Dij, sic una simplexq; uoluptas eis ex illo primo. Nam quoniam hæc uoluptas est contemplatio, Dij autem contemplantur, contemplantes sunt beati: ratio autem docebat eos contemplari maximum, qui sibi quoque se contemplanti sit causa felicitatis: efficitur necessariò, ut simplex illa, unaq; uoluptas sit illius primi, cuius intuitus, & ex intuitu uoluptas, in ipsum, et in minores Deos redundat. Vna est ergo, simplexq; Dei, Deorumq; uoluptas ac delectatio, contemplatio maximi Dei: quæ quidem ideo simplex est, & una, quia Deus est simplex, scilicet maximus ille. Ob id de solo Deo, cui sola uera Philosophia dat simplicem, singularemq; naturã, hæc prædicatio præcipuè uera est. Nõ est item Dijs ipsis ab hac uoluptate digressus, qui facti sunt immortales & immutabiles ab illo primo. Colligentes igitur Aristotelis hinc inde dicta, deprehendemus unum idemq; esse, quatuor hæc, Contemplationem, Beatitudinem, Nectar, Voluptatem. Nam superius probauerat, Deos, quos communi censensu fateamur beatos, cum nihil eos aliud agere fas sit, quàm contemplari, necessariò semper speculari. Ecce beatitudo, ecce speculatio. Iam dixerat Nectar esse suauitatem, uulgaribus incognitam suauitatem, non uini, ut illi crederent, qua Dij fruantur bibentes. Cum autem probauerit eos nihil aliud agere, quàm speculari (bibunt autem Nectar. Nectar non est uinum, sed est æterna immutabilisq; uoluptas) Nunc autem tribuit Deo uoluptatem unicam, & simplicem, & immutabilem. Ergo est illa contemplatio. Vt rationes sic coaceruentur: Deorum est beatitudo: Dij nihil agunt, nec eos agere par est: intelligunt autem, Sola igitur superest speculatio, quæ sit eadem beatitudo. Bibunt Dij Nectar: Deos dictum est solum speculari: Nectar bibere, est speculari: hoc autem, esse beatum. Deus item capit immutabilem uoluptatem: ergo uoluptas est Nectar, Nectar speculatio, speculatio beatitudo. Ex his igitur efficitur, ut sint uerissima in ueteri Philosophia tradita, non postea ex superstitione Chaldæorum, & Aegyptiorum inuecta, à Philosophis quibusdam approbata. Tradiderat prisca Philosophia, quod dixit Angelus Raphaël Tobiæ: Videbar quidem uobiscum manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus uideri non potest, utor. Is potus est Nectar, quod potant Dij, maximo Deo, ut idem Angelus est confessus, assistentes. Hunc potum inuisibilem dixit Angelus. Aristoteles autem uulgare, ait credere, Deos bibere uinum, quòd nesciunt Nectar. Hoc Nectar, hunc potum inuisibilem, et panem, uel Ambrosiam, prisca Philosopbia prodidit Deos in cœlo edere, & bibere. Aristoteles ut Philosophus perpendit, quis is sit cibus, & potus inuisibilis. Est, inquit, contemplatio Dei, ipsummet primum efficiens beatum, eoq; habet simplicem, unicam, æternam, immutabilem, de cognitione & aspectu naturæ suæ, felicitatem. Eadem cognita ab astantibus Dijs, efficit eos gaudijs ineffabilibus lætos. Hæc uoluptas & lætitia tanto maior & uberior est in Deo, quanto magis ipse seipsum cognoscit. Et quoniam nemo est, qui quoniã est infinitus, possit eum perfectè noscere, solus ipse perfectè, infiniteq;

infiniteq; de ſe ipſo beatus. Cæteri, quoad capax eorum natura eſt. Hæc omnia ſequuntur ex dictis Ariſtotelis. Hucq; ei deueniendum fuiſſet, ſi rationes nectere & perſequi totam rem uoluiſſet. Hoc uetus Philoſophia confeſſa. Aſtrorum autem Diuinitas Chaldæorum & Aegyptiorum fuit ſuperſtitio.

Ariſtotelem ſummum Deum affirmare cum Homero patrem eſſe Deorum, hominumq; eiuſdem eſſe generis cũ illis. Hinc creationem Deorũ, & ſolum Primum æternum demonſtrari. Cap. XIII.

DVas in Ariſtotele & Platone Mentes de Dijs ac ſummo Deo fuiſſe, aut non quidem duas, ſed unam tantum, reſipiſcentem, ab erroreq; euigilantem, quem prius natura pulſans ſemper conſcientiam, ab erroreq; ad ueritatem reuocans, ferre non poſſet, qui mentem ad ſcripta eorum legenda ſagacem, æquam, prudentem attulerit, agnoſcet. Accipimus autem, quæ mens euigilans, naturaq; ſtimulis & rationis exagitata profudit. Quid enim illud item eſt, quod in primo Politicorum dicit: Filiorum autem dominatus, regius eſt. Nam quod genuit & ſecundum claritatem, et ſecundũ dignitatem imperans eſt. Quæ ſpecies eſt regij principatus. διὸ καλῶς ὅμηρος τὸν δία προσηγόρευσεν εἰπὼν. πατηρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε, τὸν βασιλέα τόπων ἁπάντων. φύσει γὰρ τὸν βασιλέα διαφέρειν μὲν δεῖ τῷ γένει δὲ εἶναι τὸν αὐτὸν, ὅπερ πέπονθε τὸ πρεσβύτερον πρὸς τὸ νεώτερον, καὶ ὁ γεννήσας πρὸς τὸ τέκνον, Videlicet, Quocirca bene Homerus Iouem appellauit, cum dixit, Pater hominum, atq; Deorum, Regem iſtorum omnium. Natura enim uel ingenio Regem differre quidem oportet, genere autem eundem eſſe. Quod habet antiquius erga recentius, & genitor erga filium. Hæc Ariſtoteles dicens, & quæ locutus eſſet Homerus collaudans, approbansq;, nónne declarat ſibi quæ mens ineſſet, probatq; omnia antedicta? Appellat autem Homerus Iouem patrem hominum, atq; Deorum, qui ſit idem Rex eorum. Eò igitur ſpectat dictum Ariſtotelis, Iouem patrem hominum, atque Deorum, iure etiam Regem eſſe, quoniam pater erga filios regiam gerat excellentiam: Regem oportere eiuſdem generis eſſe licet ingenio et prudentia differentem. Bene igitur Homerus Iouem, qui ſit idem Rex Deorum hominumq; dixit eorum eſſe Patrem: Aut bene qui ſit pater hominumq; Deũmq;, Regem etiam eorum appellare. Quoniam pater erga prolem, regiam obtinet potentiam, quia & natura idem cũ filijs, & antiquior, ac uenerabilior, Pater igitur Deorum & hominum, eſt eorum merito. Rex appellatus, Et meritò dictus Pater eorum, qui & Rex ſit. Quòd ſi Homerus bene eſt locutus, & ſi uerum eſt Patrem, Regem eorum eſſe, quos genuiſſet: aut Patrem eorum quibus imperet: certè colligitur Iouem, qui Græcè duo habet nomina, ut Ariſtoteles ipſe dicebat in Compendio, Ζεὺς Διὸς, quæ copulata deſignãt eum, per quem uita eſt, genuiſſe Deos & homines. Eſt autem generare apud Philoſophos, creare, facere, ut Plato gignit tempus, aliaq; exempla innumera. Genuiſſe inquam autoremq; fuiſſe Deorum & hominũ: & quia genuit non ſolum eſſe genitũ antiq

tis antiquiorem, ſed etiam excellentiorem, et Regem: Deinde eiuſdem eſſe generis genitorem, ac genitos. Ergo eſt, quod dixit idem in Moralibus, Mentem eſſe Deo συγγενέσατον: Plato in legibus, οἰκειότατον: Moſes, ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuam fecit illum. Ex eodẽ genere ſunt Pater et filij, Deus et Dij, homines q; ſcilicet affinitas eſt cognatio, Aequales q; ſunt homines Dijs in cognatione: quoniam Pater idẽ utriſq; pariter ſatis, & ſimul ſub filiorũ nuncupatione cũ Dijs adſcriptis. Ipſe Deus omnium Imperator, inquit, eſt. Antecedit autem tempore & dignitate paternam retinens autoritatem. Ex his igitur omnibus hæc ſequuntur, bene, teſte Ariſtotele, Iouem eſſe regem Deorum, qui pater ſit: aut bene Patrem apellatum, qui idem Rex ſit, ut ſiue propter imperium nomen Patris ſit ſortitus, ſiue propter generationem nomẽ Regis, utrunque ſit uerum. Sequitur q; Iouem, apud antiquiſſimos Græcos & Latinos fuiſſe nomen ſempiterni Dei ſæpius oſtenſum, Patrem, & Regem eſſe Deorum & hominum, præcedentem eos antiquitate, id eſt, anterioritate, ut fingam nomen æquipollens. Eſt enim antiquus, ab ante, ſicut à poſt, Poſtiquus, præcedens itẽ regia autoritate. Sequitur q; dictorum ſuperioribus libris cõfirmatio, etiam Ariſtotele ſuffragium ferente. Eſt enim deus pater & Rex, non hominum tantum, ſed etiam Deorum. Si pater, utique autoritate, & tempore: cui paternitas dat regium principatum. Si Deorum & hominum, non ſolum humani generis, & generis diuini ſator & creator, ſed etiam eodem modo, eodem tempore ipſe antiquus, & æternus. Vt homines ab illo geniti aliquando, ſic Dij. Itaque apparet Ariſtotelem nunc ſentire, quod dixerat in Compendio, cum dixit Iouem eſſe nomen ſummi Dei, hunc autem eſſe ſupremum, altiſſimum, regentem omnia. Ibiq; de Dijs nihil, ſed de rebus naturalibus tantum: hic apertius de dijs. Apparet eum confirmare, quæ dixit in libro de Cœlo, de Dijs extra cœli motiones uiuentibus. Item eum nec primum, nec alios minores Deus orbibus affigere. Item Diuinitatis eum ſtatuere ordinem, quem & natura, et ratio, reuelataq; deſuper Theologia docet. Sicq; etiam nuſquam illæ planetarum Intelligentiæ, ſed Dij, quos creauit Deus æternus. Aeternus autem, nõ illi, quia pater ille. Nam ſuper æternitate paribus nulla paternitas, nullum imperium. Hæc ex Homeri, & Ariſtotelis, qui dicta probat eius, teſtimonio irrefragabiliter ſequuntur.

Deum ab Ariſtotele, ueluti generis humani Regem declarari, omni genere ſapientiæ maiorem, cui libenter omnes obtemperare oporteat. Cap. XIII.

QVis item erit è ſapientibus, qui non conſideret, admireturq; illud, quod Ariſtoteles item tertio Politicorum prudens & ſciens de ſingulari Deo eſt locutus? Nam cum de Republica, ciuibusq; quæreret, an quem uirtute præſtantem cæteris perſpicuum eſſet, præferri reliquis ciuibus oporteret: an æqualem locum, atque cæteros obtinere: reſpondet huiuſmodi uiros iniquè laturos, ſe ad æquales conditiones redigi, qui uirtute & ſcientia Reipublicæ inæquales ſint: ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις, εἰκὸς εἶναι τὸν τοιοῦτον: Huiuſmodi enim uirum, ſi quis ſit, ueriſimile

riſimile eſt eſſe tanquam Deum in hominibus. Quod quidē duobus poteſt ſenſibus intelligi: Aut talem uirum, uirtute præcellentē, fore inter cæteros, ut inter homines Deus: aut eū futurū ueluti Deum cæterorū. Quocunq; ſenſu concipiatur, primum ſingularis Dei clara nuncupatio: Exin munus eius præcellentiaq; ante omnes mortales. Talem, inquit, exiſtimandum eſt hominē ſapientem, cæteris q; longè eminentē, reiq; publicæ gubernandæ prudentē eſſe, qualis inter homines Deus. Deus igitur qui præſertur hominibus, qui prudentiæ dicitur poſſeſſione nobiliſſimus, quis eſt alius, niſi Deus uniuerſalis, gubernator humanæ Reipublicæ, ac moderator, cuius uirtus, & ſcientia, cæteros anteſtat uniuerſos, quos longo interuallo dicitur ſuperare. Quæ eſſet autem eius cum homine prudente comparatio, ſi non proſpiceret, ſi ſcientia reipublicæ moderandæ careret, ſi procul à gubernaculis mundanæ nauiculæ ſederet? Videbat igitur quodam mentis acumine, & ſuperiorum ſæculorum Theologia duce, ſingularem quendam Deum, qui perinde eſſet eminens, & omnes gubernans: ut (ſi parua licet componere magnis) uidemus interdum quoſdam mortales alios ingenio, dexteritate, prudentiaq; antecellere. Hunc in natura eſſe confeſſus eſt, longè humanam prudentiam præcedentem. Quòd ſi ſentis, talem uirum eſſe ueluti cæterorum hominum Deum, id item eò ſpectat, ut comparatio cernat cognationem gubernandi, reiq; publicæ moderandæ comunitionem. Quomodo enim eſt ut cæterorum Deus, niſi ſentias Deum, Naturam, uimq; rectricem, gubernatricemq; & quaſi regiam, ſic hominibus omnibus antecellentem, ſicut omnibus ille ſuis ciuibus? Vt ſit totus mundus quædam Reſpublica, ciues eius omne hominum genus, præſtans omnibus ciuibus ſuis, cui diſſimiles, atq; cæteris honores propter infinitam prudentiam, uirtutem debeantur, Deus. Ideoq; paulò pòſt adiecit Ariſtoteles, non debere grauari cæteros, ſi quem ſapientiorem agnouerint, eum ſibi præficere, eiq; ueluti Regi parere: Λείπεται τοίνυν ὅπερ ἔοικε πεφυκέναι, πείθεσθαι τῷ τοιούτῳ πάντας ἀσμένως, ὥστε βασιλέας εἶναι τοὺς τοιούτους ἀϊδίους, ἐν ταῖς πόλεσι. Supereſt igitur, quod uidetur natura comparatum, parendum eſſe huic ab omnibus libenter, ut hi Reges ſint perpetui in urbibus. Eiuſmodi Deum in hominibus decernit eſſe, qualis Rex in hominibus, decernit iudicatq; Deum eſſe Regem, huic eſſe parendum, quia ſic natura ſit comparatum, ut melioribus pareatur, honos deferatur, eorum conſilijs ſtetur. Nulla autem eſſet inter homines & Deos comparatio, ſi cœleſtes tantum uerteret orbes Deus, humanarum rerum, maioris, quàm naturales, ponderis, gubernaculis aut ſpretis, aut ea capere non potens. Nam qui moles cœleſtes indefatigabiliter, & æternis motibus cient, ideo cū humana prudentia comparari non debent, aut quaſi Reges nuncupari, quia nec habent rerum humanarum prouidentiam, naturaliter facientes quod faciunt, nec cognationem, affinitatemq;. Dixit igitur, quam ſuadebat inſtinctus, confirmataq; omnium mortalium conſenſu ſententia de Deo: Qui rex huma-

ni ge-

ni generis sit, prudentissimus, æquissimusq; rector, habitans nobiscum, similis atque nos naturæ, si rationem, prudentiam, consilium, beneficiendiq; cupiditatem, respicias, eminens inter nos omni genere sapientiæ, quem nos appellare Regem conueniat, si naturæ ueros instinctus, si rationem, & quod ipse dixit, ἐοικὸς, ueri similitudinem, deorum sequi uelimus.

Mentem, quam exterius uenire scribit Aristoteles, non nisi ab uno singulari Deo uenire posse. Quem Theophrastus eius discipulus confessus est omnium rerum originem. Cap. XV.

IN eo quoq; latitat admiranda suspiciendaq; unius Dei, Patris Vniuersitatis, auctoris q; apud Aristotelem confessio. Quã duobus uerbis expressisset, si uoluisset: sed cæteri expresserunt, explicato eo, quod ipse propter obscuritatem, reticuisset. Nam in libris de Generatione animalium, cum cæteras omnes animas à corporeis elementis esse, nasciq; cum corporibus atque immori statuisset, quia cum ex materia cooriantur, non possint sine corpore consistere, sicut nec ambulatio sine pedibus fieri, nec per seipsas possint ingredi in corpora, ueluti inseparabiles, esse enim semen uentris excrementum, concludit: λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον: Superest, solam mentem exterius aduenire, solam que diuinam esse. Hic igitur latitat unius Diuinitatis, quam superius Orpheus & Pythagoras, Archytas, cæteri que omnes exclamauerant, aperta, claraq; confessio. Nam si ingreditur extrinsecus anima, cum elementis, corporibusq; non habens commercium, præter elementum, mundumq; corporeum non est nisi natura diuina ab hac sola certè poterit animus aduenire. Si quis enim Aristotelem rogasset: Dicis exterius animam uenire, à quibus locis? neque enim ab aliqua corporei mundi parte. Igitur à Deo solum. Atque Aristotelem sensisse clarum est, quale dixit Marcus Tullius grauissimus orator & Philosophus: Neque inuenietur, inquit, unquam, unde uenire possint, nisi à Deo. Et quale apertè Moses, hominem terrenum, luteumq; hominis figmentum, exterius animatum à Deo, exterius à Deo animum infusum, & datum. Et quod dixit Lactantius proferens dicta Ciceronis: Marcus autem dixerat quæ prior Aristoteles. Qui si latius explicare ipsimet dicta sua uoluissent, eò tandem deueniendũ eis fuisset, quò Lactantius resoluta ratione tota peruenit. Sed et Marcus quidem expressè confessus est. Animal, inquit, hoc prouidum, sagax, quem hominem appellamus, præclara quadam conditione à supremo Deo generatum. Igitur non aliud loquitur Aristoteles tacendo, quàm quòd cæteri exprimendo, Moses & Marcus, et Lactantius. Sed maximè quod Pythagoras, qui Deũ uocans Ψύχωσιν, Animationem, ut superius uidimus, uitalem sensum cunctis animalibus eum tribuere confessus est. Et idem Marcus asseruit, Pythagoram censere Deum esse animum per omnes mundi partes intentum & commeantem, ex quo nostri animi carperentur. Ab isto igitur Deo necessariò cõfessus est Aristoteles qui fatetur exterius accedere

mentem,

mentem, animum noſtrum inſuſum. Ideoq; eum appellat, θεῖον, diuinum, id eſt, à Deo creatum. Cum igitur declarauerint ſuperiores omnes quod Ariſtoteles ſubti/ cuerat, nec poſſit aliud dici, certè confeſſus eſt tacitè uniuerſalem, naturalemq; De um, noſtrorum animorum ſatorem. Dixitq; quod Marcus, Animorum in terris nul lam originem inuenire poſſe: Et quod prior Pythagoras, Ab uniuerſali Deo ani/ mos decerpi: ut Philo ἀπόσπασμα θείου, νοῦς: Abſciſionem quandã diuinã eſſe mentem, quaſi particulam: Et quod antiquiſſimus Moſes, afflatum: Et quod oracu/ lum Apollinis, μίκρα δέ μερίς θεοῦ ἄγγελοι ἡμεῖς: Particula quædam Dei nos Angeli: Hoc Ariſtoteles inſtinctu Diuinitatis ſenſit. In quo eſt euidẽtiſſima Dei ſum mi, generisq; humani creatoris confeſſio. Elabiturq; Ariſtoteli creati hominis cæ/ terarumq; rerum confeſſio. Iſte quoq; Deus, nec Intelligentia Solis eſt, nec Lunæ, ullius q; planetæ, nec motor orbis primi, ſed eſt uniuerſalis Deus, potentiſſimus, ma ximus, non tam primi motor orbis, quàm præſidens ubiq;, ſupernum mundum, de/ preſſumq; gubernans. Qui igitur erat, eſtq; optimus, omnia uult bona. Quanta igi tur eſt apud omnes ſapientes concordia? Cum autem omnia dicat Theophraſtus uelle optima: illud primum, quid aut quomodo uoluiſſet, niſi creaſſet? niſi feciſſet, quod Moſes prodidit? Quod quidem etiam idem Theophraſtus eodem libro eſt elo cutus: θεία γὰρ πάντων ἀρχή, δι' ἧς ἅπαντα καὶ ἔστι, καὶ διαμένει: Diuina omnium rerum eſt origo, à qua uniuerſa ſunt & permanent. Hoc igitur omne cũ de uno Deo ſit Theophraſtus locutus, cui tantam maieſtatem tribuat, ut cum fatea/ tur omnia excedere, fateatur inſcrutabilem, eiq; omnium rerũ tribuat principium, profectò is eſt, à quo uenire, & dari noſtros animos neceſſe eſt Ariſtotelem dixiſ/ ſe. Quia dicit Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus, eum eſſe omnium rerum principi pium, per eum eſſe cuncta, et conſeruari. Quod ſi Ariſtoteles uenire exterius mentem, ſiue intelligẽtiam, qui eſt uerus homo, fatetur, profectò quoniam ab aliqua ori gine eam uenire oportet, non niſi ab iſta, cui tribuit omnium rerum autoritatem Theophraſtus. Sic apparet, Soleq; ipſo clarius perſpicitur, quid Ariſtoteles ſenſe/ rit, aut ſentire coactus fuerit, præſertim cum diſcipulus, quem ſenſa præceptoris te nuiſſe par eſt, perhibeat teſtimonium.

Appellari legem Deum ab Ariſtotele: imperium legis eſſe imperium Dei. Ex his ſequi, tacite fateatur legem hodiernam diuinam eſſe, cui maxime parendum ſit: in his eſſe Dei ſingularis confeſsionem, Cap. XVI.

ILlud item quàm mirabile, ſuſpiciendumq; apud Ariſtotelem, quàm clara de ſum mo Deo, Prouidentiaq; eius confeſsio, eaq; duobus uerbis, Politicorũ tertio. Nam cum leges laudaret, multaq; de earum bonitate diſſeruiſſet, præſtare dicens leges magis imperare, quàm homines, adiecit: ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύειν ἄρχειν δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς νόμους, ὁδὲ ἄνθρωπον κελεύειν, πονηρίδησι καὶ θηρίον, ἅτε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχον τας διαστρέφει, καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας: Quicunq; igitur legem iubet impera rare, uidetur iubere imperare Deum, & leges: quicunq; iubet hominem, addit & feram,

ferâ, quæ eſt ipſa cupiditas. furor quoq; principes peruertit, optimosq; ſæpe uiros. In his Ariſtoteles clariſſimè confitetur Deum quendam ſingularem, Deum ſimpliciter appellans. Deinde fatetur, Deum eſſe legẽ: Et quicunq; uelint leges, id eſt, rectam rationem imperare, uelle imperare Deum. Eſſe enim Deum ipſam legem. Si igitur Deus eſt lex, quia quicunq; uult imperium legis, uult Dei: lex autem eſt gubernaculum, eſt conſilium, prouidentia, rerumq; humanarum diſpoſitio: talis certè eſt etiam Deus. Eſt Deus moderamen, eſt lex Vniuerſi, eſt ordo, princeps omnium rationum. Perſpicuumq; Ariſtotelem hic ſenſiſſe, locutumq; eſſe, qualia à maioribus, & his ipſis Philoſophis accepta locupletauit, aperuitq; Marcus Tullius philoſophus inſignis. Qui, cum de legibus ſcriberet, Erat, inquit, ratio perfecta, rerum Natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans, quæ non tum denique incipit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tum, cum orta eſt. Orta autem ſimul eſt cum Mente diuina. Quamobrem lex uera, atq; princeps apta ad iubendum, & ad uetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Ergo ut illa diuina Mens ſumma lex eſt: item cum in homine eſt perfecta, eſt in mente ſapientis. Hæc Marcus Tullius diuinè dilatans, aperiensq; breue Ariſtotelis dictum, dicentis eandnm eſſe legem atq; Deum, ut qui uelit legem imperare, uelit imperare Deum. Marcus autem clarè confeſſus eſt rationem ſummi Iouis eſſe legem illam, diuinam Mentem legem eſſe. Patet etiam ſummũ Ioucm apud Marcum eſſe, quem Ariſtoteles dixit τὸν θεὸν, ipſum Deum, dictus à ueteribus Ioues, aut Iupiter, nomine præcellenti maieſtatis, æternæq; Diuinitatis ſuæ. Is ampliſſima lex, fons, origo legum omnium. Ab amplißima, uaſtaq; lege, ratione, Menteq; diuina, nati ſunt omnes ordines, natæ mentes hominum ſapientum, qui ſimiles artificis ſui leges confecerunt, deducentes eas ex illa ratione ad imaginem Dei creata. Deus maxima lex hominem creauit legis inuentorem, imitantem & ipſum rationem, æquitatem, prouidentiam'que ſuam. Lex eſt ipſe Deus, imperium'que legis eſt imperium Dei: omnis ratio prouidentiæ, gubernandi, regendi, eſt ſimilis magnæ rationi, à qua ratio, ordoq; omnis eſt profectus. Si gubernant homines Rempublicam, ſi iuſtè agere compellunt, multo facilius gubernat Deus Rempublicam ſuam, totum mundum, cum minor omnis ordo, minorq; ratio contineatur in maxima. Sparſaq; eſt per omnia æquitas diuina, cui leges, rectaq; rerum gerendarum omnes rationes obſequuntur, & ad eam referuntur. Si quis igitur prudenter dijudicet, omniaq; conferat, nec ſe à pertinacia, aut imbecillitate iudicij agi decipiq; ſinat, uidebit hic apud Ariſtotelem ſublimem quandam, eminentißimamq; Theologiam: Cognoſcetq;, quoniam legem eſſe Deum confeſſus eſt, multo magis ei confitendum fuiſſe, illam legem eſſe Deum, aut à Deo profectam, & fuiſſe diuinam, quæ & optima omnium ſit, & homines maximè doceat iuſtè, & ſapienter uiuere. Illud item ei confitendum erit, ut ſi lege imperante, Deus imperet, eò autem optimum ſit imperare leges, id eſt, ad præſcriptum, præceptumq; legis nihil non fieri in ciuitate, quia tunc Deus adſit

Imperator, neceſſariò legi parendum eſſe, ſtandumq; mandatis & dictis eius. Dicta autem legis diuiniſſimæ, & uniuerſalis, ac ſapientiſſimæ ſunt, mundum & genus humanum eſſe à Deo creatum, mandatis eius parendum, quoniam non in hac uita quietius, beatiusq; agemus ſolum, ſed ad meliorem uitæ conditionem peruenimus. Hæc dicit lex, hæc iubet credi, ut ad fidem actione ſequantur. Iubes autem tu ò Ariſtoteles, & cenſes in ciuitate omnem legibus honorem deferendum, Deiq; loco eas habendas: lex autem præſtans imperat, quia uerum eſt credere creatum à Deo mundum, qua fide ſublata, nec legibus honos erit, nec ipſi Deo: Sicq; deſtruentur decreta tua, quibus omnem honorem legibus decernis. Eoq; cenſes eas uenerabiles, quia ſint ipſe Deus. Neque uerò imperarēt ipſæ, ſi mendaces crederentur, ſi fidē apud audi ores non promererentur. In contrariū aūt tum maximè leges imperant, cum ueraces habentur, & incorrupti teſtes eorum, quæ decernunt. Cætera igitur quæ ſequantur, luce clariora ſunt. In his igitur confeſſionē Prouidentiæ, et alia multa bona uniuerſalemq; Diuinitatē tacitè deprehendes.

Quod Ariſtoteles dicens diuiniſsimum Reipublicæ genus Monarchiam, uiſus eſt unum Deum ſingularem, qui ſingulariter omnem mundum gubernat, confiteri. Cap. XVII.

ARiſtoteles item diuiniſſimum Reipublicæ genus fatetur eſſe βασιλείαν, Regnum, Monarchiam, πρώτην καὶ θειοτάτην, primum, & diuiniſſimum. Quid autem ex his ſequatur, ſapientes perpendent. Si enim Monarchia eſt prima Reipublicæ ſpecies, ac diuiniſſima, efficitur ut diuiniſſima ſit, quia ſimilis, & concors cum imperio diuino. Diuina enim dicuntur, quæ aut ſunt à Deo, aut ſimilia Deo. Si autem ſingularis principatus primus eſt, & diuinus maximè, ſanè eſt, quod ei eſt cum diuino ſimilitudo. Et id imperij genus in mundo maximè uigere par eſt, quod in Republica, & apud homines eſt primum & diuiniſſimum. Id autem eſt cum imperat unus: Sic maximè Deus unus in toto mundo debet eſſe. Et quoniam ideo Monarchia primum ac diuiniſſimum genus eſt Reipublicæ, quia melior & ſanctior huiuſmodi, certè credendum eſt eſſe in omni mundo. Aut ideo apud mortales Monarchia eſt diuiniſſima, quia diuino, ac ſummi Dei imperio maximè ſimilis, habens bonitatem, ac diuinitatem ex ſimilitudine cum imperio diuino, quo ſolebant dicerent Regem eſſe imaginem Dei uiuam. Hæc Ariſtoteles, etſi clarè, & apertè non dicit, dicenda tamen ei fuiſſent, ſi fuiſſet ulterius prrogreſſus, reſolutaq; omni oratione ad calcē peruenſſet: confeſſus item eſt in Metaphiſicis. Ex his autem efficitur hunc mundanæ Reipublicæ ordinē, non in ſolis uetertendis luminibus cœleſtibus eſſe, quorum motus, ad corpoream duraxat uitam ſpectat: ſed in gubernandis, & naturalibus, & humanis rebus. Neque enim aliter humana Reſpublica ſimilis eſſet diuinæ, niſi cuncta gubernacula, rationesq; amplexa proſpiceret ubique, & conſuleret. Si igitur eſt una Monarchia in toto mundo, totum utique mundum gubernat gubernans: per ſolum cœli motum non gubernat, quia motus cœli ſolum ad corpoream uitam ſpectat. Superſunt aliæ innumeræ

innumerabilia, ad quæ necesse sit prouidentiam se extendere. Itaque uniuersalis rerum cunctarum gubernatio per solum cœli motum, quia particularis est sola terrena mouens, animansq; & augens corpora, causis particularibus cuiusq; rei comitibus fieri non potest. Cœli motus est particularis: gubernatio Dei quia maxima, & prima Reipublicæ regendæ ratio, & quia similis est ei humana, uniuersalis: non igitur qui mundum gubernat, tantum cœlestes orbes concitat. Nam si quis Rex in aula regia prospiceret tantum, unde annona adueheretur, quibus ex locis carnes, pisces q;, & uectes importarentur, cætera, quæ uis humanæ societatis respiciunt, non curaret, uerus Imperator, aut Rex non esset, Tota ratione iuris et æquitatis, quæ maxima rerum pars est, neglecta, aut eo capere non ualente. Sed ut fieri non potest, cuius iussu fit earum rerum importatio, quin habeat potestatem iuris & æquitatis moderandæ, moderandorum morum, castigandorum scelerum, uirtutum prouehendarum: sic fieri non potest, qui mouet orbes cœlestes constantissimis & indefatigabilibus motibus, quin hominũ facta respiciat, ac moderetur, omnemq; gubernandæ prouinciæ moderationem amplectatur. Sed hæc quidem nobis clarissima, non ideo disputantur, ut fiant clariora, sed quia et super his loqui, ac meditari pulcherrimum est: & ueris rationibus deducuntur ex Aristotele, cui, positis illis, necessariò sunt & hæc confitenda, quæ naturaliter sequuntur ex illis.

Aristotelem pietatem collaudare, utilemq; esse fateri. Ex his deduci, ut pietatem, quæ uere Deum colit, creatorem mundi credit & fatetur, collaudarit. Cap. XVIII.

ILlud item, cui prudentia, iudiciumq; inesset, & qui statuisset exactè cuncta ponderare, & perpendere quæ apud magnos uiros reperiuntur, Aristotelem præcipuè, quem uera de Deo sententia caruisse contendunt perspiciet, uigilanterq; considerabit: Resoluta que tota sententia, cernet, quò necesse sit deuenire ei, qui primum aliquid statuisset. Nam Politicorum quinto cum de Imperatore aut Rege ageret, quibus moribus in republica moderanda eum esse oporteret, numeratisq; nonnullis alijs, adiecit: ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως. ἥττονται γὰρ βοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παρὰ νόμον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δ' εἶσι δεί μονα νομίζωσιν εἶν τὸν ἄρχοντα, καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν, καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς: Insuper, inquit, præstat eum uideri semper & præcipuè studere ea quæ pertinent ad Deos. Minus enim timent aliquid subire, & perpeti præter legem ab eis, si putauerunt principem esse religioni deditum, & curare Deos. Minusq; ei molientur insidias, quippe Deos habenti adiutores. Ex his igitur quid consequatur uidebunt sapientes. Laudat, probatq; uideri, nosci, intelligi Imperatorem colere Deos immortales, quòd hæc publica cognitio multa commoda pariet populo. Nam si quid illatum fuerit à Principe supplicij, præterquam quod à lege fuerit proscriptum, magis uerebuntur, arbitrantes

Dei consilio eum egisse, castigasseq; sceleratos nutu diuino: & minus ei insidiae intendent, quem Deos habere custodes & praesides arbitrabuntur. Si bonum est igitur uideri, melius est esse. Quidquid enim apparentia utile, multo magis essentia. Vt si utile est, & fructuosum hostibus uideri fortem, & inexpugnabilem, longè praestet talem esse. Et si conducit aliquem uideri probum, uirtutisq; colentem, quia diligetur, honores consequetur, caeterisq; bonis locupletabitur, multo magis haec ipsa consequetur, uerè probus. Similiter igitur si ficta uel apparens pietas est utilis principibus & omni populo, multo magis uera, & solida. Argumentum ab apparentibus ad uera. Deinde à contrarijs: Si pietas apparens est utilis, multo melior & utilior uera. Impietas igitur primo apparens noxia, solida uerò pestilentissima. Ad haec, Omnia, quae prosunt apparenter, aut uerè, non solum apparentes causas bonitatis habent, sed etiam solidas. Igitur pietas quoniam uel apparenter uel uerè prodest, semper solidas habet causas bonitatis. Pietas autem cum sit, ut Mercurius Trismegistus ait, cognitio Dei: qui possidere eam uelit, Deum noscat necesse est. prodest autẽ omni genere utilitatis pietas: proderit igitur nosse Deum. Cognitio autem Dei, & pietas non consistit, nisi putes & credas eum creasse homines & regere. Non potest igitur Princeps uideri colere Deum, nisi credat eum uniuersa condidisse, & prospicere. Est autem utile uideri & esse pium: utile igitur erit credere Deum omnia condidisse & regere. In contrarium, Vt noxium erit, & pestilens, neque esse, neque uideri pium, sic neque Deum noscere. Quoniam autem quae non apparentia solum, sed multo magis essentia bona & salutaria, sunt maximè naturalia, & uera, quia bonum, & ens conuertuntur, & ipse Aristoteles ait, οὐδὲν δὲ τῶν παρὰ φύσιν καλόν, Nulla res praeter naturam est bona. Ergo Deum nosse, & colere est maximè naturale. In contrarium, maximè non naturale, eum ignorare, & non colere. Ô Aristoteles igitur uide & considera. Si enim praestat Principes uideri pietatis studiosos, uideri autem non possent, nisi praese ferrent credere Deum super hominibus habere potestatem: Ideo enim populi timebunt, quia putabunt Deum cultori suo fauentem esse, & hoc bonum est. habere autem potestatem non posset, nisi creasset: cui etiam est adiunctũ, quia nisi creasset, non faueret, et prospiceret: neq; enim rei non suae prospiceret. melior est igitur et utilior, eoq; uerior, et naturalior Philosophia, quae putat Deũ creasse genus humanũ & regere, quàm quae negat. Contra igitur Philosophiã tuam nunc apertè pronunciasti, si negas, ut perhibent, mundum, et genus humanũ conditum: cum quo est adiunctum, nulla erga genus hominũ Deum affici charitate. Quam opinionem tu dicis esse pestilentem, quia contrariam eius, dicis Principi et populo utilem. Quae autem sunt noxia, et pestilentia, sunt minus naturalia, sunt deprauata etiã tuo testimonio, eoq; uitia Graecè dicuntur κακίαι, nocentia, labefactantia. Vitanda, quia noxia. Noxia, quia non naturalia. Quidquid enim corrũpit, tollit esse, & nasci. Impietas tollit bonum, et utile. Tollit igitur naturã, tollit ipsum esse, tollit

bene

bene esse. Minimè igitur naturalis. Si non naturalis, non uera: quia uerum, & esse, sunt eadem. Credere autem Deum non creasse mundum, humanum q; genus, perficit ut neque credatur hominibus prospicere, neque super eis habere potestatem. Hoc autem impietas, inutilis impietas, imò noxia, quia pietas utilis: execranda ergo & fugienda, tanquam inutilis & pestilens Philosophia tollens pietatem, ingerens impietatem. Hoc tu dicis, hoc tu apertè testaris. Nascuntur enim altera ex alteris. Ergo aut obliuiosus es, nec uidisti quid tandem ex dictis tuis deduci posset, aut animo diuerso sæpe fuisti. Recordare etiam quæ in libris de Cœlo dixisti, δεῖ δὲ ἕκαστον λέγειν τοιοῦτον εἶναι, ὃ φύσει βούλεται εἶναι καὶ ὃ ὑπάρχει, ἀλλὰ μὴ ὃ βιαίως, καὶ παρὰ φύσιν, Oportere unumquenq; id dicere, quòd è natura uelit esse, non quod præter naturam, & uiolenter est. Illud item perpendendum est, & deducendum, Si non decipit homo iustus, multo minus Deus. Iustus credenti sibi, fidemq; imploranti suam, aut in se speranti, non deerit. Multo minus igitur Deus fallere non poterit eum, qui se colat, & populorum fidem, uniuersalemq; omnium hominum consensum deludere, qui credunt Principes Deum colentes Deo esse curæ. Et id etiam Aristoteles superius est confessus. Laudauit igitur Aristoteles religionem, eamq; principes dixit colere oportere, utilemq; Esse. Et quod dixit præstare eum τὸ φαίνεσθαι, uideri, apparere, designat cerni, cognosci, intelligi, sentiri, ut denotent religionem perspicuam, exploratam, quam populus cernat, habeatq; perceptam, cuius exemplo fiat Princeps uenerabilior. Hoc enim est, quod superius dicebat, Deos curare res humanas.

De singularis Dei beatitudine, quam Aristoteles uidit uerèq; definiuit. Quod omnes Ordines mundanos confessus est a Deo factos, dicens eb eo contineri naturam: & quod is est Verbum Dei, ex Philone. Cap. XIX.

QVàm diuina quoque, quàm suspicienda, manifestaq; singularis & unius Dei duobus locis, Aristotelis confessio, qua nihil à nostra Theologia clarius, ac melius expectes, octauo Politicorum confirmans ea, quæ de Mente in libris post res naturales fuerat locutus, ut seipsam cogitet, contempleturq; : quæ retulit quoque in Moralibus, uocans ibi Deum, quem Mentem in libris illis. In octauo Politicorum hæc sui similis dicit: ὅτι μὲν οὖν ἑκάστῳ ἡ εὐδαιμονίας ἐπιβάλλει τοσοῦτον, ὅσον περ ἀρετῆς, καὶ φρονήσεως, καὶ τὰ πράττειν κατὰ ταύτας ἐστὶ σαφὲς ὁμολογούμενον ἡμῖν, μάρτυρι τῷ θεῷ χρωμένοις, ὃς εὐδαίμων μὲν ὄντι, καὶ μακαρίῳ, διὰ οὐδὲν ἂν τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν ἄλλο διὰ αὐτὸν αὐτὸς, καὶ ὃς πρὸς τὴν φύσιν: Quòd igitur tantùm cuiq; felicitatis adsit, quantùm uirtutis, et prudentiæ, & quantum secundùm has uirtutes agat, sit nobis in confesso, utentibus teste ipso Deo, qui fœlix est, & beatus, non ob ullum exterius bonum, sed per ipsum ipsemet, & quia talis est natura. Quantùm hic eminentissimæ, profundissimæq; Theologiæ? Primum dicitur hoc de summo, et uno, ac singulari Deo, quem uerò naturæ instinctu, Deum simpliciter uocat: non

conuenit ulli cœlesti Intelligentiæ, quarum nulla est beata per seipsam, sed per ipsum illum qui sibi quoq; est beatus. Huic ergo tribuit magnã infinitamq; beatitudinem, cui comes it omnium corona bonorum. Id enim est beatus per se. Audias quæ pòst eloquitur, simillima prorsus his, quæ sensit, & scripsit, in compendio. Nam cum ordinem, legemq; in moderatione, non excessu consistere probare, dixit, ὁ δὲ λίαν ὑ περβάλλων ἀριθμὸς οὐδύναται μετέχειν τάξεως, θείας γὰρ δὴ τοῦτο δυνάμεως ἔργον, ἥτις καὶ τὸ δὲ συνέχει τὸ πᾶν: Numerus, qui nimium excedit, non potest ordinis esse particeps. Is enim fuit diuinæ potestatis inuentum, quæ continet hoc Vniuersum. Duo admiranda, Numerum, quemadmodum Plato in Epinomide, esse diuinum opus, opus Dei, rem diuinam, rem repertam à Deo. Appellans numerum ordinem, concentum, harmoniam rerum, quæ tota in numero est & proportione, omnem hunc ordinem, hanc harmoniam, rerumq; mirabiles situs ac concentus fatetur esse diuinæ potestatis opus. Et quid aliud ei numerus, quàm quod Moses in creatione mundi, lux, cœlum, maria, terræ, herbæ, animalia? Deinde non inuenisse solum hunc ipsum ordinem dicit, sed conseruare, continere Vniuersum ordinibus, legibusq; numerosis à se repertis. Si Deus igitur continet Vniuersum, primum hunc esse singularem quendam Deum, qualem ipse uidetur describere, cui referat ordines, & situs omnes acceptos, oportet. Tum si continet Vniuersum, si numerus est opus eius, testatur id infinitam eius potestatem. Qui enim potest continere totum mundum, quoniam in mundo est, quidquid potest esse, necessariò potestate sempiterna præditus est. Nihil enim deest mundo, quod natura capere potuerit. Si qua igitur est potentia, quæ continet, sustinetq; Vniuersum, eam infinitam esse necesse est: quia sustinet quidquid esse potest: ut si hæc continet, possit etiam alia, si darentur. Verisimile enim est, si tribuas Deo cunctarum rerum sustinentiam, in quo maxima potestas cernitur, nefasq; ducis alterius quàm Dei, hanc esse potestatem, Deum, si adessent plura, continere posse. Eadem enim ratio faceret ut ad ea sese Deus extenderet, qua facilè continet hæc ipsa, quæ nunc sunt in mundo. Quoniam quæ ea facilè, & sine defatigatione continet, claret quòd multo plura continere posset. Nam qui facit aliquid sine labore, faceret etiam plura. Itaque efficitur, quod ipse dixit in Compendio, uirtutem diuinam esse indefatigabilem. Deinde si tantæ potestatis est, ut efficiat numerum contineat Vniuersum, facilius potuit ipsum creare. Imò nisi creasset, continere non posset, quia mundus non subijceretur ei, nec pareret, ut res æterna, ut nullum habens ab ea principium. Qui continet ergo, moderatur rerum concentus, efficit & ordinem, oportuit cum res ita moderasse, ut imperijs eius obtemperarent. Si conuincitur autem potestas eius immensa, quoniam sustinet Vniuersum, quo neq; est, neq; potest esse maius, arguitq; id potestatẽ infinitã, certè potuit et creasse, et creandi quoq; habuisse potestatẽ. Quomodo enim cœlos mouisset, nisi potestatem creandorũ habuisset? Nisi ad motũ corpora ipsa aptasset? Ad

hæc

hæc qui facit, creatq; numerum, cur non semel creauit? Si perpetua quædam huius modi creatio est, cur adimis ei non aliquando potuisse? Quandoquidem hoc aut æquale, aut maius illo. Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri. illa quoq; euidentißima consecutio, Si diuina potestas continet regitq; Vniuersum: in hoc Vniuerso sunt res humanæ. Nam Vniuersum constat è rebus naturalibus & humanis, est autem significatus continendi, quod amplectitur undequaq;, & sustinet, astringit, alligat, regit. Quo declaratur potestatem diuinam, uniuersum amplecti mundum, sustinere, conseruare, sicut dicebat in Compendio. Qui hoc facit, etiã res humanas in omni mundo meliores cõtineat necesse est. Igitur et has sic continebit & reget, ut dirigat, dispenset, quod est officij et potestatis suæ. Quòd si eas nõ cõtinet, nõ continet uniuersum. Aut etiã non potest, aut nõ uult. utrũq; absurdißimum. Probatur autem hoc testimonto, librũ illum, aut sententias illas in libro de Mundo, esse eius: quia similia hic, atq; illic de potestate Dei, qua contineantur omnia, loquitur. In eo autem libro prædicat Deum gubernare res humanas: in Moralibus, præcipuè bonos. Si conferas igitur omnia, uidebis ei ueritatem confessionem sui luculenter extorsisse. Post hæc omnia sequitur, quoniam Philo Iudæus, omnesq; quos antea uocauimus testes, Verbum Dei dixere concorditer, id est, creatricem illam Mentem, cuncta continere, necessariò & istum tacitè Aristotelẽ innuere. Audi igitur Philonem, similia in libro de Mundo atq; hic Aristoteles de Prouidentia, & rerum continentia requirentem, quid dixerit tandem continere hunc mundum: τὰς δὲ ἀνασπίας οὖν ἔτις ἀποδιδράσκειν βούλοιτο τὰς ἐν τοῖς διαπορηθεῖσι λεγέτω μετὰ παῤῥησίας, ὅτι δεῖν τῶν γε ὕλαις κραταιὸν ὄντως, ὡς τὸν κόσμον ἀχθοφορεῖν ἰσχύσαι. λόγος δὲ ὁ ἀίδιος θεοῦ αἰωνίου τὸ ὀλυρώτατον, & βεβαιώτατον. Quicunq; igitur, inquit, uellet ruborem euadere, qui solet in his, de quibus addubitatur, accidere, is intrepidè dicat, nullam rem corpoream adeò robustã esse, ut possit sustinere mundũ. Verbum aũt sempiternũ Dei æterni, firmißimã, ac stabilißimã sustentationem esse. Quod à medijs ad extrema, & ab extremis ad media pertinens, & stipans deducit inuictum Naturæ cursum. Vinculũ enim indissolubile Vniuersi, qui genuit ipsum Pater fecit. Iure igitur neq; omnis terra alluetur ab aquis, quæ finibus eius continetur, neq; ab aëre extinguetur ignis, neq; uicißim ab igne inflammabitur aër, Verbo diuino ipse medium interponente. Hæc Philo. Dixi autem alibi, locum esse mendosum in impreßis codicibus, ut legendũ sit non νόμος, sed λόγος. Quid igitur diuinius his, & mirabilius, & pro quibus magis Deo gratias habere debeamus? Aristoteles censet diuinam potestatem continere Vniuersum. Philon declarat hanc potestatẽ diuinũ Verbum, uinculum, & sustentaculum Vniuersi. Et Paulus, similiter diuinè, & cũ his omnibus maximè consonè, Portans omnia Verbo uirtutis suæ. Paulus, & Philo Verbum: Aristoteles, & Paulus δύναμιν, Virtus. Est ipse quoq; Potestas, ac Virtus Dei.

Aristotelem fateri Deum masculum & fœminam creasse ad generis humani
pereunitatem, cum Mose mirifice consentientem. Cap. XX.

Collectis igitur hinc inde multis, conflabitur ex Aristotele mirabile, pulcherrimumq; Theologiæ corpus: quam cum Deus postea præsens ipse docuisset, prius per oracula reuelabat: docebat item et suggerebat Natura. Nam cum in Oeconomicis de coniugio, quàm bonum esset, ac necessarium, disseret, dixit. ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταῦτα τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ οὐκ ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν ὃ διώκεται, ἀλλὰ κατ' εἶδος. ὅτω προοικονόμηται ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἑκατέρα ἡ φύσις τότε αὐξήσει, ἡ μὲν γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Quod est, Simul autem et Natura supplet hoc circuitu, ut si res semper, quia secundum numerum fieri non potest, sed secundum speciem. Sic prouisa fuit ab ipsa Diuinitate, uel Deo, natura utriusque, masculi scilicet & fœminæ, ad coniunctionem. Hæc Aristoteles, dignus, qui nunc inter primates Theologos teneat primum locum: quandoquidem Naturæ locutus est instinctu, quæ magnus Moses ex oraculo cœlesti, & antiquissimæ doctrinæ successione scripsit. Vt igitur Moses dicit, Masculum & fœminam creauit eos: sic audis dicentem hoc loco (ut mirabile sit) Aristotelem, à Diuinitate prouisum fuisse, ut esset masculus & fœmina ad coniunctionem, ut repareretur propago per continuam speciem, quæ per unum indiuiduum subsistere non posset. Quo loco multa considerandа. Primùm quòd hoc factum in præterito dicit, sicut Moses, ut det huius rei aliquod principium, in quo de utroq; sexu fuerit prouisum. Et quid aliud dicere possis, quàm quod semper Moses, Fecit, Creauit in principio? Si fuit autem istius rei principium, fuit etiam cæterarum. Et qui prospexit, & ordinauit, ut esset masculus & fœmina, certè totos eos etiam creauit: ut qui dedit eis sexus uarietatem, dederit etiam substantiam. Sic fuit is sator, & autor generis humani. Sic item creauit, sexumq; amborum distinxit, cætera quoq; non minus necessaria prouidebit. Si enim eousq; se extendit Prouidentia, ut corpora ad generandũ apta formaret, ut esset æterna successio, certè reliquas officij sui, prouidentiæq; partes non relinquet. Apparuit enim eam posse, quia potuit formare corpus, dare sexus uarietatẽ, maximæ potentiæ res. Quacharitate autem, & clementia duos sexus ad æternitatẽ excogitauit, eadem uolet alia ad genus humanum attinentia cernere, ac tueri. Quod autem opus sit prouidentia, nemo est qui non intelligat, nemo est qui non sit confessus. Deducitur etiam ex his, hunc Deum, quẽ generis humani confessus est Aristoteles creatorem, non esse Deũ illum affixũ uoluendo primo mobili, sed Deum, qui et cœlũ uertat, et cætera in mundo necessaria agat. Neq; enim si affixus erat orbi supremo, in terris esse poterat, distinguens duos ad perpetuam procreationẽ sexus. Deinde ubi sunt illi, qui negant Aristotelẽ Deo prouidentiã rerum terrestriũ dedisse, ne uiles ceret? Quid enim his clarius, minusq; amphibologiæ, deprauationiq; expositũ? Videbis igitur apud Aristotelẽ, admiraberisq; eandem, atq; apud Mosem de homine creato Theologiam, ut animũ, & corpus cum Mose dicat expressè à Deo creato. Eisdẽ uerbis,

bis, eadem ſententia, de animo et corpore. De corpore, ſicut Moſes, Maſculum & fœminam creauit eos, totidem & ipſe uerbis. De animo, ut Moſes dixit Deum exterius afflaſſe, mentemq; dediſſe, ſic ipſe in libris de Generatione animaliũ, mentẽ eſſe diuinã ac uenire θυραθεν, exterius, à foribus, à porta. Itaq; ſibi etiam probè cõſentiens, eadem aſſerit alijs in locis, quæ nunc de propagatione iuxta Theologiam Moſaicam ſcripſit. In libris de Generatione, & interitu: Nam cum, inquit, in omnibus Naturam appetere melius dicamus, melius autem ſit eſſe, quàm non eſſe: hoc autem in omnibus fieri non poſſit, quoniam à principio recedunt: τῷ λοιπῷ μένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς, ἐνγενεσιν ποιήσας τῆς γενέσιν: Reliquo qui ſuperat modo, compleuit Vniuerſum Deus, facta perpetua generatione. Moſes autem, Vnumquodq; iuxta genus ſuum. Ecce quod in particulari de maſculo & fœmina dixerat in Oeconomicis, hic de indiuiduis omniũ ſpecierũ. Loquitur item hic per præteritum, συνεπλήρωσε, ποιήσας, compleuit, fecit: In Oeconomicis autem προοικονόμηται:. Et Deum facit huius rei autorem illic, & hic, omnia Moſis ſimilis. Eadem, quadam ingenij diuinitate uidit & confeſſus eſt Marcus Tullius: Quid loquar ait, quanta ratio in beſtijs ad perpetuam conſeruationem earum generis appareat? Nam primũ aliæ mares, aliæ fœminæ ſunt, quod perpetuitatis cauſa machinata Natura eſt. Deinde partes corporis & ad procreandum & concipiendum aptiſſimæ. Et in mare, & in fœmina commiſcendorum corporum miræ libidines. Sic ille dicens in uniuerſum de animalibus, quod particulariter Moſes & Ariſtoteles de homine. Quòd autem quæ refert in Naturam, referat in Deum qui talem Naturam fecerit, apparet ubi concludit. Sic undiq; omni ratione concluditur, mente, conſilioq; diuinno omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium conſeruationemq; mirabiliter adminiſtrari.

Ariſtotelem cunctis in republica rebus præferre pietatem. Quæ cauſa iuſtiſſima, cur ſit pietas potior. Super hoc, Ariſtotelem præceptoris Platonis ſententiam fuiſſe ſecutum, Cap. XXI.

QVis non mirabitur item Ariſtotelem cum priſcis Philoſophis, cum ſapientibus omnibus tam mirificè, tam unanimiter, manibus, pedibusq; tendere in eum ſenſum, ac ſapientiam, quam noſtra ſemper ingerit religio? Deum oportere colere, primumq; regnum cœlorum eſſe quærendum. Hoc Ariſtotele aſſeuerante, quid aliud ſentire cogemur, & interpretari, quam eum cogitaſſe, ac ſenſiſſe pietatem omnium rerum optimam? cui multa alia neceſſaria cohærent. In libris igitur de Republica, cum de his ageret, quæ ſint in ciuitate & republica neceſſaria, primumq; alimentum numeraſſet, tum artes, tertio arma, quarto copiam aliquam pecuniarum, ſubijcit, τεμωτον δὲ & πρῶτον, τῆς περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν, ἣν καλῶσι θεραπείαν: Quintum & primum cultus Dei, quam religionem uocãt: Paulò pòſt, ὑπὸ γὰρ πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς θεοὺς, πρέπει δὲ τὴν τε θεραπείαν ἀποδιδόναι τοῖς θεοῖς: À ciuibus enim conuenit coli Deos. Et Conuenit cultum reddere Dijs. Primum, inquit, locum habeat in ciuitate

cultus Dei. Nam τὸ θεῖον, est numen: quod etsi in multos competat, ut sanctitas, est tamen præcipuum singularis Dei nomen, sicut Deus, & quemadmodum sæpissime locutus est idem. Quæro igitur ex eo primũ, cur cultus numinis sit ex his, quæ sunt in ciuitate necessaria, aut sine quibus, ut ipse loquitur res publica non possit consistere. Iam quid sit illud Numen, cuius in ciuitate cultus sit necessarius. Certum igitur Aristotelem dicturum, cum primum in republica fateatur esse cultum Dei, quod Christus dixit, Primum quærite regnum Dei. Siquidem & ipse cum de his loqueretur, quæ fiunt in omni uita humana, præposuit omnibus, ut quæreremus regnum Dei. Id omnis communi consensu pietatem sentiunt, & interpretantur. Hanc autem cum sentiunt omnes regnum Dei appellatam, palàm est ideo pietatem primum exercendam esse, quia per eam ad præmium cœleste peruenitur. Aut si non tam altè suspexit Aristoteles, superest ut primum in ciuitate locũ dederit pietati ob maximam aliquam æquitatem, ac iustitiam. Si colendus est enim, & qui eum colunt operantur iustissimè, faciuntq; id quod est præcipuum in ciuitate: Iustitia autem posita est in dando & accipiendo: ciues iubentur reddere, reddentesq; dicuntur agere iustissimè: necesse est pietatem siue cultũ Dei, maximo debito respondere, ob maxima beneficia. Quænã igitur alia hæc esse possunt, quàm ea, quæ superius dixit Aristoteles? quòd continet Vniuersum, regitq; Deus, quòd humana corpora creauit, inq; sexus uarietatem, ut nasceremur, distinxit, quòd animos exterius immisit Qui enim utrunq; sexum, ut nascerentur, qui postea nati sunt, aptauit, distinxit, is utiq; fuit autor, ut nati sint omnes, quicunq; postea nati sunt. Eiq; tanquam autori, et qui parauerit, ut nasceremur, omnes debemus perpetuas grates. Triaq; maxima beneficia doceo ipso autore nobis à Deo largiri: Quòd ab eo nati sumus, id est, prouidentia eius corpus efficitur: Quòd animi nostri exterius ab eo donati: Quòd alimur semper, & uegetamur. Id enim cœli motus præstat, quem à Deo esse sæpius ipse testatur. Deniq; quòd prouidemur ab eo, ut multis apparet locis Aristotelem fuisse confessum. Hæc illa maxima iustitia, ipsa Philosopho asserente, ob quã fit, ut primũ cultus Dei habeat in ciuitate locũ. Si negligat Deus res humanas, ut pertinaciter nõnulli Aristotelem suspicatũ contendũt, nullus deberetur ei cultus. Efficiturq; necessariò quod Marcus latius aperuit: Sin autem, inquit, Dij neq; possunt nos iuuare, nec uolunt, nec curant omnino, nec quid agamus animaduertũt, nec est quod ab his ad hominum uitã permanare possit, quid est, quod ullos Dijs immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autẽ fictæ simulationis, sicut reliquæ uirtutes, ita pietas inesse non potest, eũ qua simul & sanctitatẽ, & religionẽ tolli necesse est. Hæc ille. Nullus igitur ei cultus deberetur, si cum precamur, et colimus eum, nec animaduertit honores, religionemq; nostram, nec preces exaudit. Cum autem nulla uirtus nõ maximè naturalis, ac solidã, minimeq; fucata sit, nec possit esse laudabile, quod fucatum est: pietas cum non solum uirtus sit sed omnium uirtutum excellentissima: fieri non potest, ut sit simulata, sit de eo quod nõ est, falsa mendacio

Sed si

Sed ſicut fortitudini ſubeſt materia à qua uera laus fortitudinis exiſtat, cæteriſq; ſimiliter uirtutibus: ſic neceſſe eſt, circa qd' pietas uerſatur, et quo uirtus eſt eminẽtiſſima, maximè naturale, maximè uerum eſſe Id autem eſt firmiſſima perſuaſio, Deo cuncta bona homines accepiſſe, iugiterq; præſtari, quod aliquando dediſſet. Quæ perſuaſio ſi fālſa eſt, pietas ipſa uirtus inclyta, uirtutumq; princeps, uana, fālſa, inanis eſſet, uaniſſimoq; fundamento niteretur. Sed nulla uirtus eſt fālſa, quia naturalis eſt potius, & communi conſenſu laudatur, poſſidentesq; celebres facit & beatos ut neceſſariò ſit res ingens, ac ſolida, quod laudem gignit & beatitudinem: ſic pietas multo maximè habebit hæc omnia. Tum ſi nullum decorum, & honeſtum eſt fālſum contrà omne fālſum, aut fictitium, eſt inhoneſtum. Et ſi decorum cenſet coli Deos Ariſtoteles, certè hoc decorum eſt maximè uerum, habetq; uerũ fundamentum, ueras cauſas. Vt ſi decorum eſſet filium uenerari parentes, aliqua maxima cauſa id efficiat: ſic ſi decorum eſt homines uenerare Deum, ab aliqua ingenti cauſa depẽdeat neceſſe eſt. Hæcq; ab ipſa Natura cõprobantur. Apertè igitur, ut in pleriſque alijs, ſic nunc ſecutus eſt præceptorem Platonem Ariſtoteles, qui in Epinomide dicit: μεῖζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς πότε πείθη φλαύρας εἶν τῷ θνητῷ γένει, Nemo unquam nobis perſuadeat,

eſſe humano generi quicquam maius uirtute,

quæ dicitur Pietas.

FINIS LIBRI IIII.

AVGVSTINI

AVGVSTINI STEVCHI EVGV=

BINI DE PERENNI PHILOSOPIA LI BER QVINTVS.

In quo de ſingulari ac ſupremo Deo Philoſophia Platonis perpenditur.

Platonem unum ſingularem Deum aſſerere, quam cœlo perinde atq; Ariſto teles tribuat Diuinitatem, non ueram, ſupremamq; illi Diuinitatem, ſed creatam eſſe, factamq; ab illo ſupremo, Deum illum magnũ ac ſupremũ appellare Platonem ineffabilem, ex Theologia Triſmegiſti. Hũc ipſum, non corporis modo cœleſtis, ſed etiã animi affirmare Platonem creato rem. Vehementer eos errare, qui dicunt Platonem ſentire creationẽ per petuo manantem. Secutum eſſe Platonem Aegyptios et Chaldæos in de ſcribenda creationem mundi. Cap. I.

QVOD *in Ariſtotele fecimus, ut eius uel inconſtantiam, uel neceſſariã mentis mutationem ab ea ſententia, quam cõtra naturã uiolenter ſuper maieſtate ſingularis* Dei, *fictitiaq; illa tantũ luminum cœleſtiũ, quã in libris poſt res naturales confinxit* Diuinitate protuliſſet, *conuinceremus, eadem, & multo quidem luculentior, occurrit ex* Platone comproba/tio. *Quem eodem genere rationum uerbis illis ſuis recitatis eò deducemus, ut quando corpora, Intelligentiasq; cœleſtes deificat, uel inuitum, et* Chaldæorum, Aegyptiorum *que receptæ apud* Græcos perſuaſioni ſubſcriben/tem feciſſe monſtremus, aut non ueram, & ſolam, ut in Ariſtotele, illam cœli Diuinitatem, ſed aſcitiam, ac diuinum quiddam potius, quàm uerum, & uni/uerſale Numen confeſſum oſtendemus, productis his, quæ naturæ uel inſtinctu, uel iuxta maiorũ Philoſophiam, ſuper uero Deo, ſummáq; & naturali Diuinitate ſen ſit perſpicueq; prædicauit. Incipiam igitur ex Timæo, quo in libro mirabili conſen ſu ex Theologia uidelicet Moſis, & Aegyptiorum, creatorem omniũ rerũ inſcru/tabilem, ineffabilenq; Deum, non uiſibilium ſolùm, ſed etiam ipſorum animorum, ac Deorum maximè uerò Animæ mundi, id eſt, eius, qua cœlũ animatum putauit, confitetur. Nec reliquum eſt quicquam, quod ille non referat in illum omnium re/rum creatorem, Vt ſi quibus alijs locis, cœlum & ſidera deificat, aut inconſtantem eum cõfiteri oporteat, aut ita deificaſſe, proq; Dijs habuiſſe, ſicut item* Deos appel *lat ab ipſomet* Deo *maximo creatos. Vt non quidem uera æternaq; præditos eos, ſed quadam donata, factaq; diuinitate, ſenſerit: quale noſtris in literis non* Angeli *modò, ſed etiam uiri iuſti, ac* Principes, Dij *dicuntur, haud protinus ſuſpicantibus nobis eos ueros eſſe* Deos, *& non à ſummo, ac ſingulari* Deo *creatos. Hãc* Theolo *giam clarum eſt extare apud* Platonem, *totius item* Theologiæ *ſacratioris, quæ ma gnis myſterijs conſtat, receſſus, quos qui ſcrutatus fuerit, fabulis, & his, quæ ceu ſordes*

ſordes adhæſerunt (quia nox atra terris adhuc incubabat) ſepoſitis, cernet claram, uel inſtinctu Naturæ, uel priſca ſucceſsione editam Theologiam. Exordiens igitur creationem rerum, hoc diuino principio auſpicatus eſt, Marco Tullio interprete. Atq; illum quidem quaſi Parentem huius Vniuerſitatis inuenire difficile: & cum iam inueneris, indicare in uulgus, nefas. Hæc Tullius. Plato autem, τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Hoc præclarum Platonis exordium, diuinum, conſonumq; noſtræ cœlitus reuelatæ ſapientiæ. Quandoquidem & Moſes ſcribens de creatione mundi, nihil de creatore mundi, requiſiuit, ſcripſit, indicauit. Nimirum ea de cauſa, quam memorauit, quia ſit eum cogitare quidem difficile, in uulgus eſſerre, & pronunciare, impoſsibile, & nefas. His de cauſis expeditè pronunciauit uterq;, eum fuiſſe Patrem, aut Parentem Vniuerſitatis. Apud Moſen, Creauit cœlum & terram: Quod parentis eſt, & quaſi gignentis. Et quianon propriè genuit, Marcus eum, quaſi Parentem dixit. Vbi autem Hebraicè eſt Creauit, Septem interpretes uerterunt ἐποίησε, Fecit. Ecce igitur Creator, ſiue parens, ecce Factor. De quo ergo Moſes ſcripſit, In principio creauit Deus cœlum & terram, de eodem Plato dixit, quòd eum, qui fuerit Creator, & quaſi Parens Vniuerſitatis, id eſt cœli & terræ, difficile ſit cogitare, multo difficilius effari in uulgus. Progreſſus ulterius Marcus pro Platone: Rurſus igitur, inquit, uidendum ille fabricator tanti operis. Paulò pòſt, Atqui ſi pulcher eſt hic mundus, ſi probus eius artifex. Quando quidē neq; mundo quidquam pulchrius, neque eius ædificatore præſtantius. Oſtendens item unà cũ mundo à ſupremo Deo natos eſſe Deos, quo circa, inquit, ſi fortè de Deorũ natura, ortuq; mũdi diſſerentes, minus id, quod habemus animo cõſequimur, ut tota dilucidè, & planè oratio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat, haud ſanè erit mirum. Progreſſus inde, Quæramus, inquit, igitur cauſam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus ſit, ut originem rerum, & molitionem nouam quæreret: probitate uidelicet præſtabat. Probus autem inuidet nemini. Itaque omnia ſua ſimilia genrauit. Hæc nimirum gignendi mundi cauſa iuſtiſsima. Nam cum conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum mali nihil admiſcere, & cætera. Eadem totidem uerbis apud Platonem, pauſis interiectis: Quamobrem efficere moliens Deus, terram primum, ignemq; iungebat. Subijcit item Deus autem ait, & ortu, & uirtute, antiquiorem genuit animum, eumq; ut Dominum, atque Imperantem obedienti præfecit corpori. Paulo autem inferius de hoc ipſo. Animum igitur cum ille procreator mundi Deus ex ſua Mente, & Diuinitate genuiſſet, tum denique omne quod erat concretum, atque corporeũ, ſubſternebat animo, interiusq; faciebat. Hæc Plato interprete Marco. Eſt autem is Animus, ut dixi, Anima cœleſtis orbis, eſt Deus ille, qui animat orbem cœleſtem, id non Platonicis modò perhibentibus, ſed ipſo indicante Platone his uerbis: ſic animus à medio profectus, extremitatem cœli à ſuprema regione rotundo

tundo ambitu circuniecit, ſeſe ipſe uerſans, diuimæ, ſempiternæ, ſapientisq; uitæ induxit exordium. & corpus quidem cœli ſpectabile effectum eſt, animus autem oculorum effugit obtutum. In his omnis ambiguitas diſſoluitur, quam cœlo tribuat Diuinitatem Plato, cuius & animum & corpus fatetur à Deo creatum. Creatus eſt igitur animus cœleſtis, ſiue anima cœli à Deo, corpus uiſibile, anima inuiſibilis. Si det igitur Plato Diuinitatem cœleſti aut corpori, aut animo, cernis hic nec æternam Diuinitatem, nec uera, ac primam. Vt qui adoret animam cœli ſummo cultu, maximum apud Platonem faciat flagitium. Taliſq; eſt animus ille cœleſtis, de cuius creatione tam multa diſſerit Plato, qualis maximus quis Angelorum, uoluendo cœlo à Deo præfectus. Si creatus eſt igitur cœli totius animus à Deo, utique etiam particulares animæ ſtellarum. Ecce igitur quomodo ſit intelligendus In Epinomide Plato, cum cœlum Deificat, ita uidelicet, ut intellgas eum non ueram, ac primam Diuinitatem illi dediſſe, ſed factam, cretamq; aliquando à ſummo Deo. Eodem modo conſtat intelligendum eſſe Ariſtotelem, qui præceptorem Platonem danda cœlo Diuinitate fuerat ſecutus: ut, quemadmodũ exempla docuerunt, principalem ſempiternamq; Diuinitatem alibi ſtatuerit, aut oblitus ſuorum decretorum ſtatuere ſe non perſpexit, cum eam confitetur continere totum mundum, cum ſecus uarietatem feciſſe, cum regnare ſupra uertigine cœli, extra anni Solisq; uias, non uidelicet incluſum orbi cœleſti, ipſumq; animantem, prædicat. Illum igitur, qui cœleſte corpus impellit animator eius, non eſſe maximum, ſupremumq; Deum, ſed intelligentiam quandam à Deo creatam, cum qua corpus etiam creauit, aptauit arte mirifica, ut ſemper uerſaretur rotundo motu: unde uita eſſe perpetua, dogma Platonis eſt. Quare cœli ac Solis motum non animæ illi deberemus, ſed conditori magno, qui eam creauit. An autem ſit Animus is, nunc non diſputo. Tantum contendo Platonem ingenuè confiteri cuncta à ſupremo Deo creata, uel cœli uniuerſalem Intelligentiam, ſi qua ea ſit. Nam quemadmodum item Moſes aſſerit Deum creaſſe lucem, aut quarta die Solem & Lunam: ſic eiſdem pene uerbis Plato: Atque, inquit, ut eſſet menſura quædam euidens, quæ in iſtis octo curſibus celeritates, tarditatesq; declaret, Deus ipſe Solem, quaſi lumen accendit ad ſecundum ſupra terra ambitu, ut quammaximè cœlum colluceret. Ecce igitur Solis creator Deus, nihil eſt autem apud profanos Sole uenerabilius, cuius Intelligentiam Dei filiam dicat Iulianus. Sed quoniam totus liber eſt clariſſimus, quo & mundi exordium prædicatur, & omnia uiſibilia, & inuiſibilia ab uno Deo condita ſæpe referuntur, aliud ex eo libro ſuper hac ratione non addam. Nam Platonici illi, ut Proclus, & Alcinous & Simplicius, qui deprauari conati ſunt ſenſa Platonis, quòd creationem non aliquo temporis exordio cœpiſſe, ſed fluere manareq; in ſempiternum cenſuerit, ideo contemnendi ſunt, & irridendi, quia tum manifeſta, & ipſo Sole clariora obſcurare nituntur, tũ id ſunt cõati, ut idololatriæ, prophanæq; Philoſophiæ ſuæ labẽti ferrent opem, in qua nefas putabant, cœlum, quod adorabant, aliquando creatum,

aliquando

aliquando non fuisse. Sed cum totus liber sit planus, perspicuumq; sit Platonem in Timæo secutum fuisse Pythagoreos, hos autem Aegyptios, & Chaldæos, apud quos constáter traditur creatio mundi. Extat enim liber Timæi Locrensis de Creatione mundi, in quo ad alia ipse hæc: ἐωοίκσεν οὖν τὸν δὲ τὸν κόσμον ἐξ ἁπάσας τὰς ὕλας, ὅσον αὐτὸν κατασκευάσας τὰς τῶν ὄντων φύσιος: Creauit igitur hunc mundum ex uniuersa materia, terminum ipsum efficiens omnium Naturæ rerum. Multaq; eiusdem generis ibi Timæus, ut constet eum creationem uni Deo tribuere, materiam fateri sempiternã, de quo postea. Igitur quidquid Plato in Epinomide et in legibus de astrorũ Diuinitate loquitur, perspectum est qua ratione sit intelligendum. Nam quod paulò antè de Sole creato loquebatur, transferas licet, ad id quod de Legibus: Solis inquit, corpus nemo est, qui non cernat, animam autem minimè. Neque enim etiam cuiusquam corporis anima cernitur aut uentis, aut cum moritur. Sed magna spes prorsus, hoc quod non sentitur ullis sensibus inseruisse genus nobis. esse autem sola mente intelligibile, quæ sola cogitatione capiamus. Hæc, quæ de Sole Plato loquitur, habent eum sensum, ut si qua Soli sit, ut perhibet, anima, eam fatearis, ut in Timæo uidisti, à summo Deo creatam: Similiter quod paulò antè de Anima totius cœli eodem libro dixit: ὡς τ᾽ ἀρίσην ψυχὴν φατέον ἐπιμελεῖσθαι τὸ κόσμε παντὸς, καὶ ἄγειν αὐτὸν τ᾽ τοιαύτην ὁδὸν ἐκείνω: Optimum animum præesse omni mundo, ipsumq; agere euia, Ostendam autem eum inconstantem, sibiq; contradicentem, & commentitia ponentem, de fatu nostrorum animorum à Sole, nec quæram alium, à quo refellatur, nisi ipsummet testem. Sicut item commentitium est, de anima illa cœli Quomodo enim totum cœlum erit animatum, si cuique sideri sit anima? Esset ergo anima in anima, omnino que aliqua superuacanea. Sed hoc non sit nunc considerationis nostræ, nec magni referat. Quod item eodem libro scribit: De astris omnibus, Luna, annis, mensibus, temporibus que anni, quid aliud dicemus, quàm hoc ipsum, uidelicet, quòd quoniam anima quidem, uel animæ, horum omnium causæ fuisse noscuntur, bonæq; sunt omni genere uirtutis, Deos ipsos esse dicemus, siue in corporibus habitantes, cum uti animalia exornant omne cœlum, siue quouis alio modo. Deinde ut quispiam hæc confessus fuerit, num continere se poterit, quin fateatur omnia plena Deorum? Hæc plato de stellarum Diuinitate, animisq; eas inhabitantibus, quibus uti rerum terrestrium autoribus tribuit Diuinitatem. Vidisti igitur in Timæo quam diuinitatem, nempe factam, datam à supremo Deo, ut ob id uenerationem cultumq; minimè promereantur, sed animæ illæ habeantur quasi promẽtibus Angelicis. De quibus fortasse Deus apud Iob. Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Differetur autem aliâs de anima cœli. Cum igitur semper sint duo genera Deorum apud Platonem, sidera, corpusq; cœleste, tum Dæmones, constat utrunq; à supremo, ac singulari Deo confiteri eum fuisse creatos. Vnum autem duntaxat

Deum

Deum ineffabilem, inexplicabilem, omnium rerum creatorem, cui ſubiecta ſint uniuerſa, lolliq; ſempiternum agnoſcere. Ineptias autem recentium Platonicorum, Deos æternos prædicantium, autoritas ipſa præceptoris manifeſta reſellit. De qua re nihil nunc attingendum.

Non ſolum in Timæo, ſed alijs item locis, Platonem de Deo ſupremo egregie loqui: Eum cunctarum rerum, etiam Deorum, affirmare creatorẽ. Exemplum in libris de Republica, de facili Dei rerum omnium creandarum poteſtate. Platonem dicentem. Deum etiam ſeipſum gignere, quis ſenſus. Cap. II.

HVius item Platonem mentis, aſſeruiſſeq; unum omnipotentem uniuerſa creaſſe, etiam Deos, ut in illum unum eminentiſsimum, ſicut in noſtra eſt Theologia, cuncta uiſibilia & inuiſibilia creata referantur, qui fuerit autor, ut uon modò terreſtria & cœleſtia, ſed etiam ipſi Dij extiterint quemadmodum uidelicet tradidit in Timæo, alijs ex locis euidentiſsimè conſtat, præcipuè decimo & ſexto de Republica, quo nihil de ſuprema Diuinitate diſſerere potuit excellentius, ueræq; Theologiæ congruentius. In decimo igitur, cum de opificijs cuiuſcũq; opificij loqueretur, hæc dixit: Aſpice uero quemnam dicas δημιουργὸν, Opificem iſtum. Quemnam inquit? Illum, ait, qui facit omnia, quæcunq; ſingulus quiſq; opificum. Sapientem, inquit, dicis quẽdam, dignumq; admiratione uirum. Nondum iſtud, inquit. At forte potius dices, ait. Idem enim iſte artifex non modò omnia poteſt facere opificia, ſed etiam facit omnia, quæ è terra naſcuntur: & item animalia machinatur, cæteraq; omnia, etiam ſeipſum, γῆν, οὐρανὸν, καὶ θεοὺς, καὶ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐν ᾅδου ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἐργάζεται: Terram, cœlum, & Deos: Tum quæcunque ſunt in cœlo, & quæ in inferis ſub terra, hæc, inquam, uniuerſa efficit ille. Admirabilem quendam, inquit, dicis ſapientem. Forte non credis, inquam ego, Dic mihi, uidetur ne omnino tibi eiuſmodi opifex, aut aliquo quidem modo horum omnium ποιητὴν, creatorem fuiſſe, aliquo non? An non percipis, quòd etiam tu poſsis ratione quadam hæc cuncta facere? Et quæ, inquit, hæc erit ratio? Non difficile eſt, inquam ego, ſed uaria celeriter efficies. Celerrimè profectò ſi uoles ſpeculo accepto, eoq; circunacto in omnes partes, exemplo facies Solem & cœleſtia, mox etiam terram, mox etiam te ipſum, cæteraq; animalia, uaſa, arma, artificia, plantas, omnia deniq;, quæ paulò antè dicebantur. Ita, inquit, ſed apparentia, non ad uerum exiſtentia. Bene, inquam ego, & ut res poſtulat, loqueris. In hiſce enim huiuſmodi opificibus etiam pictor eſt an ne? Quî non? inquit. At dices, reor, eum non uera facere, quæ facit. Atqui, inquit, ratione quadam etiam pictor facit lectum, non ne? Ita, inquit, & is apparentem facit. Quid ipſe lecti faber? Nónne modò dicebas, non ipſam formam facere quam dicimus eſſe, id quod eſt lectus, ſed lectum quendam? Dicebam, inquit. Igitur ſi facit quod non eſt, certè, non faciat rem exiſtentem, ſed ſimile, quid, ut exiſtens, exiſtens autem nequaquam. Perfectè autem eſſe rem, opificem fabri lectum fabricantis, aut aliud id genus artificium, quiſquis dicat, apparet eum dicturum non uera. Non certè, inquit, ut cenſebunt hi, qui circa hæc uerſantur. Nihil igi-

hil igitur mirum, si & hæc obscura quædam res est respectu ueritatis. Non ne? Vis igitur, inquit, in his ipsis quæramus imitatorem huius, quinam sit? Si placet, inquit. Igitur tres lecti isti sunt, unus est in Natura, ἢ πῶς ἂν ὡς ἐγὼ μαιδεύοιμεν, γασταδὴ, ἢ τίνα ἄλλον οὐδένα οἰόμεθα. Quam dicere nos oporteat, ut ipse arbitror, Deum fecisse, aut ullum ne alium? Nullum, inquit, alium arbitror. Alter erit lectus, quem facit architectus. Ita, inquit. Tertius quem facit pictor. Non ne? In confesso sit. Pictor igitur, lectiq; faber, & Deus, hi tres præsunt tribus generibus lectorum. Tres inquit. Igitur Deus quidem, siue nolebat, siue aliqua necessitas aderat, ne plusquam una in natura efficeret lectum. Sic fecit unum solum lectum, ipsam naturam, qui est lectus. Duo autem tales, aut plures, neq; plantati sunt à Deo, neq; nascuntur. Quomodo? inquit. Quoniã, inquam ego, si duos solos fecisset, rursus unus apparuisset, cuius illi rursus utriq; formam haberent. Et esset sanè, quod est lectus ille, sed non duo. Rectè, inquit. Hæc igitur arbitror explorata habens Deus, uolens esse ueri lecti factor, uerè existentis, sed non lecti cuiusdam, neq; quidam faber lecti, unum natura duntaxat ἑνὶ φύσει, produxit. Vis igitur hunc item uitium consitorem uocemus, an quid aliud? Iustum planè, ait. Quandoquidem ex natura, et productione, & istud, & cætera omnia fecit. Et quæ sequuntur in eo libro, quæ uerba magis ad uerbum transtuli, ut esset, quod sentit, clarius, ac manifestius, quàm nitorem elegantiamq; sermonis attendens. Perspicuum igitur est hoc loco dogma Platonis, secum constantissimè sentientis in Timæo, & isto libro. Ecce enim nunc citra omnem ambiguitatem prædicat Deum omnium rerum artificem, rerum cœlestium & terrestrium, omnium quæ è terra nascuntur animalium, plantarum, omnium item quæ sub terra, denique etiam Deorum. Assumitq; pulcherrimum exemplum speculi: quo in omnes partes conuerso, sicut omnia ab eo, qui circumuertit, nascuntur simulatè, & apparenter, sic à Deo uniuersa creari uerè, & naturaliter, imò momento. Nullum est certè diuinius, luculentius diuinæ potestatis exemplum, quæ tam facilè possit cuncta exemplo producere, quàm facilè producuntur in speculo simulatè, & apparenter omnia. Hoc exemplo utitur ad probandum ei, cui tarda mens esset, facilitatem omnium creandarum rerum à Deo, si fortè quis esset, cui non uideretur fuisse, ab uno omnia condita. Deinde proponit exemplũ domesticum de tribus lectis, quorum unus in natura sit, alter in speculo, alter in pictura. Non eo quidẽ consilio, ut affirmet lectum, quod artis est, in natura esse: sed naturã nunc appellat ipsam rerum ueram existentiã. Lectus ergo, sicut omnis aliæ res, tres habet locos, aut gradus: Primus est uerũ esse, ueritas ipsa: alij duo sunt apparentiæ, simulationes illius ueri, alter in speculo, alter in pictura: Vterq; similitudo ueri. Sic Soles sunt tres: primus uerus ipse, & in natura Sol: alius in speculo: alius in pictura. Similiter fluuius, aut lucus alius uerus, alius expressus in speculo, alius in pictura. Vt autem per speculum, aut picturam fingere potest homo Solem simulatum, repræsentatum: sic Deus fingat Solem uerum, cuius est opus ueritas.

Ac Plato reſpicit nunc, ac proponit dogma Philoſophiæ cœleſtis, quæ prædicat creationem, ueramq; rerum productionem eſſe ſolius Dei, ſicut ſimulationes, imitationesq; mortalium. Quoniamq; tota natura, ueritasq; ipſa eſt ſolius Dei, conſentanea ratione eum uocat φυτουργὸν, arborum conſitorem: Sic omnium rerum uerarum artificem uniuerſalem. Ecce igitur ut in Timæo uocauerat eum δημιουργὸν, artificem mundi, cœli, & terræ, quorum complexu cuncta continentur, ſic ſui nunc ſimillimus, uniuerſæ ueritatis architectum, rerum cœleſtium, & terreſtrium, & ſubterranearum. Quidquid uel in cœlo, uel in terra, uel ſub terra ſit, etiam Deorum clamat eum creatorem. Deos autem illos nominans eum cœlo ſentit, ut arbitror. Intelligentias illas cœleſtes, de quibus in Timæo, in Epinomide, in Legibus, In Timæo, animam uniuerſalem totius cœli, particulares item aſtrorum creatos à ſupremo Deo fatebatur. Sunt, ut dixi, duo genera Deorũ apud Platonem lumina cœleſtia, id eſt, Intelligentiæ, lumina illa circumrotantes, & Dæmones, id eſt, Dij, ſiue Angeli corporibus aërijs, per urbes, totumq; mundum uagantes, duces, & principes rerum humanarum, ut ipſe & in Sympoſio, & in Legibus confeſſus eſt. Vtrunq; genus producit Platoni magnus Parens Vniuerſitatis. Hoc item in Critia ſiue Atlantico retulit. Quoties enim eo in libro, θεῶν γένεσιν ortum & fatum Deorum nominat? Si quis autem Ariſtotelem, totamq; ipſam aſſiciat Philoſophiam, tria ſunt genera Deorum, Dæmones, Intelligentiæ ſiderũ, Dij cœlicolæ cum ſummo Deo, extra cœli, Solisq; uias habitantes. de quibus magis locutus eſt Ariſtoteles, quàm de Dæmonibus. Sed de his ſuo loco. Conſentiente igitur Platone, & Ariſtotele, ſed clarius Platone, eſt unius magni Dei rerum inuentio, eas non modò in præſens ueluti à ſe manantes producentis, ſed qui ut prædicant clariſſimis in præterito uerbis, ἔφυσε, produxerit, Sicq; nunc creare ſemper, ſicut quondam dedit exordium: quod clarius explicat in Timæo. Illud item hoc loco mirabile eſt apud Platonem, quòd dicit Deum creare ſe ipſum. Recordare enim nomina illa apud ueuſtiſſimos Philoſophos αὐτόγονος, αὐτοτελὴς, αὐτοδέκτης, αὐτογενὴς, αὐτοφυὴς, per ſe, uel à ſe genitus, à ſe abſolutus, à ſe ditiſſimus, à ſe natus. Quibus nominibus, ut ſuperius oſtenſum, deſignatur æternitas. Quia ſic Deus naſcitur à ſe ipſo, nec uel à nihilo, uel ab alio naſci poteſt, neceſſariò ſemper fuit Deus, à quo Deus ipſe naſceretur. Si Deus eſt, non eſt natus ex nihilo, non ex aliquo alio: in æternum igitur fuit ipſe ſui cauſa. Oſtenditur igitur hoc dicto, ipſum ſuimet eſſe principium æternũ, à ſe habere quod eſt. Quæ res in ſeipſam reciprocans, æternitatẽ demonſtrat, & omnino genus aliud rei, ac ſubſtantiæ, quàm ſimus ipſi, qui pendemus ab illo, quem formarum naturaliũ potentiſſimum creatorem fatetur Plato: ut qui ſe ipſum gignit, qui eſt omnipotens, maior toto mundo, longè facilius poſſit cætera ſe ipſo in immenſum minora producere. Eò uocat eum θαυμαστὸν σοφιστὴν, mirabilem artificem, admirandæ ſapientiæ architectum. Vocat naturæ ἐργαστὴν, opificem. Et hæc ſunt nomina diuina, myſ

ſterijs, Theologiáq; fœcundiſſima apud Platonem, Cœli & terræ, Deorum, rerum cœleſtium, terreſtrium, infernarum Creator, καὶ φύσεως ἐργάτης, naturæ Opifex, αὐτοφυὴς ſui ipſius Genitor, ſibi ipſi Autor, ſibimet Principium, Verus rerum Procreator, Producens unam naturam tantũ, non plures, quia quidquid produxiſſet, ueritas ipſa, ipſa natura uera fuiſſet. Sicq; eodem reuoluitur res, unam tantum futuram ueritatem fuiſſe, ad quam omnia à Deo creata, reuocarentur. Simulatio autem, et mendaciũ duobus aut pluribus modis, fieri poſſet ab hominibus, naturam opificium Dei imitantibus. Sicut autem apud Moſem cœlum, & terram, animalia, plantas, ſidera, ſic Plato clarè confitetur à Deo cuncta hæc creata, eumq;, quoniam uniuerſalẽ naturam produxit, putat appellandũ φυτουργὸν, plantarum conſitorem, ſicut Moſes dat ei plantationem Paradiſi, productionẽ omnium ſtirpium, plantarum, arborum, herbarum. Quo mirabili, & diuino teſtimonio, ipſas ſacras literas intelligimus explicatas, cum Deo dant plantationem Paradiſi, ut non cogamur auxilio accire fictitias illas quorundã Ideas, pro Paradiſo uero, naturali, è ueris arboribus à Deo plantatis, qui ipſam naturam produxit, uanas allegorias, ubi non opus eſt, introducentiũ. Hunc locum apparet Platonem ſumpſiſſe ex Mercurio Triſmegiſto, è cuius ubertim fontibus potauit. Is ad Aſclepiũ hæc loquitur: ἔξεσι τοῖ ζωγράφῳ, καὶ οὐρανὸν ποιῆσαι, καὶ θεοὺς γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ ἀνθρώπους, καὶ τὰ ἄλογα πάντα, καὶ τὰ ἄψυχα. τῷ δὲ θεῷ ἀδύνατον αὐτὰ ποιεῖν. ὧ Ἅ πολλῆς ἀνοίας, καὶ ἀγνωσίας τὸ περὶ τὸν θεόν. τὸ γὰρ πάντων καινοτάτην παύχσιν οἱ τοιοῦτοι. τὸν γὰρ θεὸν φάσκοντες δύλογεῖν, τοῖ μὴ τὴν τῶν πάντων ποίησιν αὐτῷ ἀναδέναι, ὅτι τὸν θεὸν οἴδασι, πρὸς δὲ τοῖ μὴ ἀδύνατον, καὶ τὰ μέγιστα εἰς αὐτὸν ἀσεβοῦσι πάθει αὐτοῦ πρὸ ιπθέντες ὑπεροψίαν ἢ ἀδυναμίαν. εἰ μὴ γὰρ πάντα ποιεῖ, ἢ ὑπερήφανός ὅτι, ἢ μὴ δυνάμενός, ὅπερ ὅσιν ἀσεβές. ὁ γὰρ θεὸς τοῖ μόνου πάθος, τὸ ἀγαθὸν. ὁ δὲ ἀγαθὸς, ὅτε ὑπερήφανος, ὅτε ἀδύνατος. τοῦτο γάρ ὅστι θεός. τὸ γὰρ ἀγαθὸν ἢ πάσας δυνάμεις τοῦ ποιεῖν τὰ πάντα δὲ τὸ γεννητὸν, ὑπὸ τοῦ θεοῦ γέγονεν, ὅπερ ὅστι τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ τὰ πάντα δυναμένου ποιεῖν. Ἰδὲ πῶς αὐτὸς μὲν ποιεῖ, πῶς δὲ τὰ γινόμενα δύνεται, καὶ εἰ βούλει μαθεῖν ἔξεσί σοι ἰδεῖν εἰκόνα καλλίστην, καὶ ὁμοιοτάτην, ἰδὲ γεωργὸν σπέρμα καταβαλόντα εἰς τὴν γῆν, ὁτὲ μὲν πυρόν, ὁτὲ δὲ κρίθην, ὁτὲ δὲ ἄλλο τι τῶν σπερμάτων. ἰδὲ γὰρ αὖ ἄμπελον φυτεύοντα καὶ μηλέαν, καὶ τ' ἄλλα τῶν δένδρων. ὅτως ὁ θεὸς τὸν μὲν τοῦ οὐρανῷ ἀθανασίαν σπείρει ἐνδὲ τῇ γῇ μεταβολὴν, ἐνδὲ τοῖ παντὶ ζωὴν, καὶ κίνησιν. Quæ ſunt, Licebit pictori cœlum facere, & Deos, & terram, & mare, & homines, brutáq; omnia, & inanimata. Deo autem erit impoßibile. O dementiam, imperitiamq; incredibilem

erga Deum. Tales enim patiuntur rem nouam, & inusitatam. Nam cum asserant, se Deum benedicere, quòd ei non ascribant omnium creationem, neque Deum norunt, & præterquam quòd ignorant, etiam in eum peccant grauissimè, ei uel superbiam, uel imbecillitatem tribuentes. Si enim non creat omnia, aut superbus est, aut imbecillus, quod impium est. Deus enim unam solam habet affectionem bonitatis, Bonus autem neq; superbus est, neq; imbecillus. Hoc autem est Deus. Nam Bonum est uniuersalis potestas cunctorum creandorum. Omnis autem res creata, & generabilis, à Deo creata est. Quod est Boni, & omnia creare ualentis. Aspice uerò & quomodo ipse creat, & quæ creantur, quomodo fiant. Quòd si uelis, licet tibi pulcherrimum, simillimumq; cernere exemplum. Aspice agricolam semen iacientem in terram, alibi quidem frumentum, alibi uerò hordeum, alibi sementem alterius generis. Eundem aspice uitem plantantem, & malum punicum, cæteraq; arbores: Sic Deus, in cœlo quidem seminat immortalitatem, in terra uicissitudinem, in uniuerso uitam et motum. Hæc Trismegistus. Apud quem recognoscimus dogmata Platonica. Alterum in Timæo, de Bonitate creatoris mundi, quæ fuerit eius creati causa. Alterum in libris de Republica. Dogma de Bonitate creberrimum apud Mercurium, etiam uerò Platonem. Nunc ergo manifestò cernimus Platonem secutum Theologiam, rationesq; sermonis Trismegisti. Est apud Platonem exemplum speculi, rursum exemplum de tribus lectis, & de pictura. Apud Trismegistum est exemplum pictoris cœlum, terras, mare, Deosq; creantis: Est item de agricola uariam sementem in terram iacientis, eiusdem item omne genus plantas conserentis. Platoni ob eam causam Deus uocatur φυτουργὸς, plantarum conditor, quia naturæ repertor, quem Moses & Paradisum è terra, & omnes generatim plantas, & herbas produci iussisse refert. Est item Mercurio, quòd pictor creat Deos, astra scilicet cœlestia, quæ Deos, ut Plato refert in Cratylo, constat Barbaros uocasse, eos à cursu, concitationeq; sic uocantes. Sic etiam Deum, inquit, creare Deos, cui, qui detrahat hanc facultatem, grauissimè, planeq; impiè peccet. Similiter Platoni, Deus creat Deos. Est item apud Mercurium diuinum dogma, quòd omnis res generabilis, generationi subiecta, facta est sitq; à Deo iugiter. Est item, quòd nisi tribuas ei rerum cunctarum molitionem, aut superbiam, insolentiamq;, quippe qui res uti uiles aspernatus, suaq; diuinitate delectatus refugiat, aut imbecillitatem necessariò tribuas, qui uelit quidem, sed non possit. Arguitq; hoc suo testimonio uetustissimus Theologus eos, qui ne gerendis eis Deus uilescat, curam ei rerum humanarũ abnegant: Eos falli asserit, aduersaq; uia peragere, ueluti nescios ueritatis ruere: Nescire eos naturam Bonitatis, ac Diuinitatis. Item immortalitatem in cœlo fieri dicens Mercurius à Deo, sensit lumina cœlestia non corrumpi: & quod Plato, nostriq; cœlum esse ἀγήρω καὶ ἀθάνατον, citra senium, citra interitum, corpus incorruptibile: Nisi, ut idem ait, qui fecit, rescindat. Ex his igitur constat, Theologiam Græcorũ à Barbaris fluxisse, necessarioq;, nisi uelit

uelit à fonte diſsidere, eandem & apud Platonem & Ariſtotelem eam ſemper fo/
re. Quod ubique monſtrabitur.

Cur Plato in libris de Legibus magis aſtrorum Diuinitatem, quam ſupremi Dei obtulerit. Quod ſupremum Deum ſentit ac dicit ineffabilem, de quo caute ſit loquendum. Cap. III.

EX His item luce clarius conſtat, conſtabitq; magis, quidquid de Deo, uel Dijs ſtatuerit ſecus Plato, precipuè in Legibus, Epinomide, ubi muris laudibus tollit cœlum, aſtraq; cœleſtia, eaq; in numero Deorum putat habenda, quomodo debe at intelligi: ſcilicet uel ſibi ipſi eum apertè contra dicere: aut minorem quandã Di/uinitatem eis attribuiſſe: aut quoniam ciues ſuos aliqua manifeſtiore pietate uellet imbuere, oſtendiſſe eis manifeſtiora numina, à quibus inferiora gubernentur. Illum autem maximum, ineffabilemq; Deum idcirco non tam clarè adorandum propo/ſuiſſe, quòd nõ poſſet enarrari, & deſcribi qualis eſſet, & quomodo colendus. Conſeſſus eſt enim eũ tribus locis inenarrabilem, in Timæo cogitatu difficilẽ, dictu ineffabilem: Philo etiã cogitari, & intelligi non poſſe, nedũ proferri. Quoniã igitur hunc ineffabilẽ, inexplicabilẽ, quẽq; ſuperiores omnes Theologi, alij innominabi/lẽ, alij inuiſibilẽ, alij ſilẽtio colendũ, alij ἀζήτητον inueſtigabilẽ dixerãt, nõ eſt de eo in legibus locutus, cuius de cultu quicquã ſtatuere, quia nec nomẽ noſſet, nec na turã eius haberet exploratã, nõ poſſet. Sic etiã in Phædone, appellãs eũ Mentem, clamat, ἐγὼ μὲν τοιαύτης αἰτίας ὁ πώποτε ἔχει μαθητὴς ὅτου ἥδιστ' ἂν γνοίμην, ἐπειδὴ δὲ ταύτης ἐστερήθην, οὐ δύναμαι εὑρεῖν, οὔτε παρ' ἄλλου μαθεῖν οἵαστε ἐγνώμην: Ego quidem eiuſmodi cauſæ, id eſt, Mentis quæ nam natura ſit, libentiſsimè omnium didicerim. Sed quoniam ea priuatus ſum, neq; ipſe per me inuenire, neq; ab alio diſcere poterã, uerti me ad alia. Ecce nec ſe inue nire poſſe, quænam ſit ea Mens creatrix mundi, fatetur, nec ab alio diſcere potu/iſſe. In Epiſtolis ad Dionyſium cum de natura Primi idem dubitaſſet, nec ſibi ſatis antè explicatum dixiſſet, reſpondit ei, ut ſuperius oſtẽſum, per epiſtolã miſſam per Archedemum: φράσειν δ' ἥσοι δι' αἰνιγμῶν ἵν' ἄντι ἥ δ' ἕλτος, ἢ γῆς ἐμ πλυχαῖς πολτῳ, ὃ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ: Loquendum eſt tibi per ænigmata, ut ſi quid tabella ponto, uel terra fuerit perpeſſa, qui legerit non intelligat. Paulo autem inferius, cur hæc putet uitanda: ἐυλαβοῦ μήν τοι μήποτε ἐκπύσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους. χειλὸν γὰρ ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὅκ ὀξὺ τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς καταγελαστότερα ἀκούσματα οὐδὲ αὖ πρὸς τοὺς δυφυεῖς θαυ-μασότερά τε, καὶ ἐνθουσιαστικώτερα: Caue, inquit, ne quando excidant hæc in ho mines imperitos. Siquidem, ut ego cenſeo, nihil propè eſt quod magis irrideatur apud plebem, ſicut nihil apud eruditos, rectiq; iudicij, mirabilius, ac diuinius. Ha/bes igitur à Platone cauſam ueram, cur oporteat de primo ſilere apud uulgus, cur efferre nefas in uulgus Parentem Vniuerſi. Irrident enim non intelligentes, ueluti à populari cõſuetudine, craſsisq; auribus remota, quæ de eo dicũtur. Eoq; cũ de le/gibus loqueretur, quas populo publicare oporteret, magnũ illũ, et inſcrutabilẽ Deũ,

à quo nata omnia retulit in Timæo, & in Republica: in Epistola principium, medium, finem uocat, et circum quem et per quẽ, & propter sint omnia: nihil est quẽ locutus, proposito tantum cœli cultu, ut cui de certa religione loquendũ esset. Totaq; illa cœli apud eum Diuinitas est, qualis fluminũ, fontium, Hamadryadũ apud Poëtas. In alia quoq; Epistola ad tres amicos, Hermiam, Erastũ, Coriscum, ut primo libro ostensum est, longè alium Deũ proposuit quàm illã cœli felicitatem, poëticamq; Diuinitatẽ. Adiurantes, inquit, in amicitia τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμῶνα τῶν τε ὄντων, & τῶν μελλόντων, τὸν τε ἡγεμόνος & αἰτίου πατέρα. Omnium rerũ Deum, Principem, præsentiũ et futurorũ, et principis ac causæ Patrẽ et Dominũ. En Deus is magnus ille, quẽ dixit ineffabilẽ in Timæo, & in Phædone. De hoc admirãdo Deo tã stupenda, mirabiliaq; locutus est in ea Epistola, iam longæuus, iã senex, ut ipse in eadem testatur, καθάπερ γέρων ὤν: Et si senex sim. Credendũ autẽ senibus Aristoteles ipse testis: Quocirca, inquit, oportet seniorũ, et expertorũ, prudentiumq; etiã sine demonstratione pronũciatis sententijs et opinionibus adhibere fidẽ, non minus q̃ ipsis demonstrationibus. Vident enim principia, quoniã habent acumẽ et intuitũ experientia. Hæc omnia, quæ nũc ait Aristoteles, habuit Plato, ut summa fides ei sit habenda. Erat senex, erat prudens, erat peritus. Grauissimas igitur, et prudentissimas opiniones, et sententias eius, quas in extrema senecta protulit de Deo, seueriores, ac meliores omnibus, quas in omni uita retinuit putandũ. Ac credendũ est eum quòd nunc tam magnificè, ac diuinè de Deo pronunciauit, è fontibus Aegyptiorũ præcipuè Mercurij Trismegisti hausisse. À Barbaris enim, ut idẽ perhibet, ad Græcos, uenit Philosophia. Eiuscemodiq; multa apud Mercuriũ inuenies. Fuisse autẽ illam cœli Diuinitatẽ, quam apud eum et Aristotelẽ cernimus, non naturali ratione, sed superstitione potius inuectã, haustamq; ex erroribus Chaldæorũ, et Aegyptiorũ, quæ ab ipso Deo, per Prophetas suos coarguitur, idem ipse est testis in eodẽ libro, in quo fatetur primos Astrologiæ contemplatores fuisse Barbaros, loco peruetusto, semperq; sereno innutritos, quod Aegyptus in primis Syriaq; habeat, ob id claras semper stellas eos in apertis, & serenis cãpis spectare solitos, ὅθεν & παντα χόσε, & δι' εὖρος ἐξήκει βεβασανισμένα χρόνῳ μυριετεῖτε & ἀπείρῳ. Vnde per omnem mundũ, et in Græciã peruenerint, infinito tempore considerata, et expensa. Paulò pòst, Quoniã, inquit, Natura situ dedit nobis, non adeo clarũ, et lucidũ. ὕστερον αὐτοῖς παραδέδωκε τὸ τούτων τῶν θεῶν τὸ κόσμῳ κατανόημα: Effectũ est, ut posterius nobis ipsis horũ Deorũ, qui in mundo, id est cœlo, sunt, scientiã tradiderit. Sed quæ, inquit, Græci à Barbaris acceperũt, fecerũt meliora πολλὰ δὲ ἑλλήσι ἅμα & καλὰ κἀλλίω & λιπαιότερον ὄντως, ἅτε τῶν βαρβάρων ἑλδούσης φύσεως τε ἅμα & θεραπείας πάντων τούτων ζῶν θεῶν ἐπιμελέσεσθαι τοὺς ἕλληνας. Magna spes et pulchra, melius et iustius eã famã et cultũ, qui de his Diis uenit à Barbaris Græcos curaturos. Ecce fatetur apertè famã, et cultũ siderũ à Barbaris

baris ad Græcos peruenisse. Hæc illa superstitio, quæ damnatur, infamaturq; apud sacras literas, tanquam Aegyptiorũ, Assyriorumq; error. Hæc à Barbaris transijt ad Græcos. Philo idẽ confessus est de Abraam, qui genere Chaldæus fuerit, ex patre Astronomico, et ex his τοὺς ἀστέρας θεοὺς νομίζοντι, καὶ τὸν σύμπαντα οὐρανόν τε καὶ κόσμον, παρ' οὐδὲν ἐν καὶ τὸ χεῖρον φασιν ἀποβαίνειν: Qui astra Deos putant, et totum mundũ, ac cœlum, à quibus bene, et malè putant euenire. Clarius item Plato id confessus in Cratylo: Videntur, inquit, mihi priores Græci, solos Deos putasse, οὓς νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανόν: Quos nunc multi è Barbaris, Solẽ, & Lunam, et terrã, et astra et cœlũ. Vt autem à Barbaris meliorem quandam sapientiã Græci hauserunt: in omni autem professione sunt adulterina, & uera: sic superstitiones erant repudiandæ, sola meliore scientia recepta. Quare quæ post res naturales disseruit Aristoteles de cœli, stellarumq; Diuinitate, scito non naturali ratione dicta, sed ex superstitione Barbarorũ, apud quos etiam erat bona Theologia, à superstitiosis, Zoroaste, magisq; uitiata, et adulterata. Vt autem tametsi Assyrij & Aegyptij cœlestibus luminibus tribuebant Diuinitatem, militiamq; cœli adorabant, non tamen uerum Deum ignorabant, ut in primis libris apparuit, item non dederunt æternitatẽ mundo ob eam causam: sic Græci Philosophi errare in eo nõ debuerunt. Et Aristoteles, qui secutus est Platonem in deificatione cœlestium siderum, debuerat item in eo sequi, ut ea confiteretur à supremo Deo creata. Nihil igitur amplius dicam de his, quæ uel in Legibus, uel Epinomide de siderum Diuinitate disseruit, cum cœlestem ordinem, perennemq; constantiam ait ordinis Diuinitatem indicare Plato. Totus enim is ordo inuentum est maximi Dei, ipso teste: qui siue dederit animam diuinam cœlo, siue citra animam motum æternum, & constantem, quemadmodum cordibus animalium, rerumq; seminibus, ipse solus Deus, solus adorandus est. Quod igitur est in definitionibus eius de Sole, quòd sit ζῶον ἀίδιον, ἔμψυχον, animal sempiternum, animatum, palàm est ex Timæo, non de priore æternitate, sed posteriore dictum: de qua dubius etiam Plato fuit. Nam priorẽ sine controuersia cœlo non tribuit. De posteriore sic in Epinomide, De cœlo, inquit, et stellis, alterum de duobus necesse est statuere. Aut enim unamquamq; incorruptibilem esse, et immortalem, prorsusq; diuinam, aut aliquam uitam, quanta fas sit unicuiq;, & cui nihil amplius desit, uiuere. Huiusce modi tribuit Soli æternitatem Plato. Quorum alterum etiam Theologia uera confitetur: uel prorsus interitura ea lumina, sublatis hominibus è terra, quibus astra refulgent: uel usque in suprema seculæ futura, tunc uel remouenda, uel renouanda, uel uno in loco stabiliter figenda. Hæc autem opinatus & confessus est Plato hoc loco, & in Timæo, ubi magnus ille mundi architectus alloquitur Deos creatos, id est, animos cœlestes, & dæmones, prenunciatq; eos esse natura corruptibiles, nisi uoluntas sua resistat, quia principium aliquando habuissent. Idemq; Timæus Locrensis in sua Genesi: idem tot locis, quos ostendam, Plato. Nam eos natos aliquando eum arbitratum

apparet, quod in Epinomide dicit: καὶ τῶν μεγίστων σοφίας περὶ θεῶν γνῶ-
σεως ὀρθότατα ἐπιβαίνειν ἡμᾶς: Maxima, inquit, ſapientia rectiſſimè nos de ortu Deorum cognoſcere. Hic ſuccurrit expreſſa apud Platonem contradictio, ut ſentias, ea quæ eo in libro locutus eſt, inuitum, et, quaſi iocantem dixiſſe. In Timæo dicit Deum illum, maximum creatorem Vniuerſitatis iuſſiſſe ſideribus, & Dæmonibus, quos appellat Deos Deorũ, id eſt, ut interpretatur Cicero, eos qui Deorum ſatu orti eſſent, ut partem mortalem attexerent immortali, hoc eſt, animo humano, cuius initium, & ſtatus eſſet ab ipſo ſummo Deo, adiungerent corpus: quaſi magnus ille parens fuerit animi creator, corpus autem iuſſerit minoribus Dijs effingere. Cæteráq; ità animalia iubet formare Deos minores. At in Legibus à Sole dari genus nobis, ut ſuperius uidiſti, eſt confeſſus. In Epinomide perhibet animam mundi, uel cœli creaſſe animalia ignea, aëria, aquatilia, fortè etiam homines. Animalia autem aëria appellat Dæmones. Quomodo igitur creant Dæmones, & ſtellæ corpus humanum, cæterorumq; animalium, quæ cum cæteris unà creantur ab anima illa? Ex quo licet dogmatis incertitudinem cernere. Et, ut Ariſtoteles inquit, ueluti qui feriunt, imperiti pugnandi, & feriendi, dant ſæpe oportunas plagas: aut qui dubij partes uerſantur in omnes: tale quid perpeſſus eſt Plato. Sed ſine dubio meliora, quæ grauior ætas, quæ de Naturæ ſinu, non ſuperſtitionum felle, protulit.

Platonem de ſummo ac ſingulari Deo ſenſiſſe, quæ a maioribus audiſſet. Timæum Pythagoreum fateri Deum autorem mundi, itemq; temporis, & omnis cœleſtis ordinis inuentorem: quæ ſecutus ſit, maximeq; approbauerit Plato. Cap. IIII.

DE ſingulari Deo diuinè ueridiceq; ſenſiſſe Platonẽ, tum ſuperius allata loca demonſtrant, tum uerò multa alia, quibus aſperſa paſim eſt Philoſophia eius. Habuit enim ante ſe præceptores diuinos, præcipuè Pythagoreos, Timæum Locrenſem, Empedoclem, Triſmegiſtum. Eos norat Plato, totamq; eorum Philoſophiam indidit libris ſuis. Timæus igitur Locrenſis in ſua quaſi Geneſi, aut Coſmopœia dicit: τοτέων δὲ τὸν μὲν πάντ' ἀγαθῶ φύσιος οὔμεν, θεόντε ὀνομύναιδ', ἀρχάντε τῶν ἀρίσων. Ex his, inquit, cauſis, quæ mundum condiderunt, alterum fuiſſe dicit Timæus Locrenſis ipſius boni naturam, appellariq; Deum, principium rerum optimarum: Cæteras autem ſocias cauſas ad neceſſitatẽ adductas ab eo. Sic Timæus mundi præcipuam cauſam Deum confitetur, eumq; eſſe naturam boni, quæ eum impulerit ad creandum, formasq; rebus addendũ, accepta materia informi, & inordinata. ἀγαθὸς ὢν ὁ θεὸς, ὁρῶντε τὰν ὕλαν δεξομέναν τὰν ἀλλὰν, & ἀλλοιμέναν. Eumq; fatetur expreſſe mundum hunc creaſſe, tota illa aſſumpta, diſtributaq; materia, ſtatuiſſeq; corpus, & locum omniũ rerum, in quo res omnes continerentur, ipſum mundum. ἐποίησεν ὧν τόνδε τὸν κόσμον ἐξ ἁπάσας τὰς ὕλας, ὅρον αὐτὸν κατασκευάσας τᾶς τῶ ὄντος φύσιος. Deinde Deum uolentem facere prolem optimam, feciſſe hunc genitũ, ſiue factum, ſiue generabilẽ Deũ, δηλούμενος ὧν ἄρισον γέννημα τοιεῖν τόδε ἐτοί-
ς θεὸν γένναλον. In quo uides, quo genere Diuinitatis mundus ſit Deus, factitio

ſcili-

ſcilicet, & ab illo ineffabili, et ſupremo Deo, qualis aſtrorũ item, effecto. Eò quoq; pulcherrimè faſſus eſt à Deo mundum creatũ, quia ab omni cauſa ſit incorruptibilis, niſi uelit eum Deus ipſe diſſoluere, qui fecit & inſtruxit eum. ἐπόκα φθαρησόμενων ὑπ' ἄλλω αἰτίω, ἐξω τω αὐτὸν συντεταγμένω θεω ἐπόκα δ' ἂν λετο αὐτὸν διαλύειν. Sed quoniam non ſit improbi uertere ſe in perniciem rei pulcherrimæ, ob id eum incorruptibilem, immortalemq; permanſurum. Eſſeq; optimam omnium genitarum rerũ mundũ, quoniam ſit ab optima cauſa creatus. Animam quoq; mundi eundem admirabilem Deum, procreatam, à medio ad extremas partes duxiſſe, diffuſum per ipſum totum, temperatamq; ex forma indiuidua, & diuidua ſubſtantia, quæ eſt tota cœli compago, ex anima ſcilicet, & corpore perfecta, ut illi putabant, eiq; unam temperiem ex hiſce duobus, duas mouendi facultates ei adhibuiſſe. Pluraq; alia narrat de Anima cœli, à qua cœli motus eſt, à ſummo Deo creata, & ordinata, cui corpus etiam aptarit, corpus inquam diſſolubile, cum uelit ipſe. Temporis item partes, & tempus, circuitusq; cœli Deũ conſtituiſſe unà cũ mundo, ſicut etiã Moſes, fateatur. Neq; enim aſtra fuiſſe ante mundũ, ideo animũ neq; circuitus horarũ, & tempeſtatũ, quibus menſuretur mũdus iſte creatus. γόνω δὲ τὰ μέρεα, τὰς δὲ τὰς περιόδως λέγοντι, ἃς ἐκόσμησεν ὁ θεὸς σὺν κόσμω. ὁ γὰρ ἦν πρὸ κόσμω, ἄστρα. διόπερ ὅδ' ἐνιαυτὸς, ὅδε ὥρας περίοδοι, αἷς μέτρεεται ὁ γρόνος & κόσμος ὅτος. Poſt mundi uerò conſtitutionem, Deũ animaliũ mortaliũ generationem exorſum, animã humanam, ex ſubſtantia diuiniore, quam ipſi uocant ταυτὸ, inſecabilem, indiuiduam, inalterabilẽ, immutabilẽ eadem ſemper, creatam tradidiſſe alteri Naturæ, quæ corpus eſt. Nimirum ut Moſes ait, ſpiritum à ſe formatum in corpus inſeruiſſe. Notiſſimè concludit, mundi gubernaculum, qui plenus ſit Deorum, & hominum, traditum à principe Deo Dæmonibus, quos Angelos eſſe in ſacris literis, teſtis eſt Philo: οἷς ἀπάντων ἡγεμών θεὸς ἐπέτρεψε διοικησιν κόσμω συμπεπληρωμένω, ἐκ θεῶντε & ἀνθρώπου. Ecce principem omnium Deum fatetur, cui ſubiecti quoq; ſint Dæmones, id eſt, Angeli, qui mundum gubernent, præfecti ab ipſo, qui ſit omnium rerum princeps. Sicq; perſpicua eſt, altiſſima Philoſophia Platonis, claret quo loco mũdi, cœli, aſtrorumq; Diuinitas haberi debeat. Quibus etſi attribuerint Deificationem hi omnes, exerta tamen uoce fatentur ab uno ineffabili, ac præpotenti Deos ſatos. Vt potius pro ſuperſtitione barbarica, Diuinitas illa cœli ſit habenda, quàm ex uera Philoſophia profecta.

Exempla, quibus probatur Dei ſingularis & unius confeſsio apud Platonem, in cuius potentiam & autoritatem cuncta bona referat idem, confitens eum cunctorum quæ poſsidemus autorem. Cap. V.

SEd ſunt etiam perſpicua, & per totam Philoſophiam eius quaſi ſtellæ radiantia, teſtimonia, de ſummo, ac naturali Deo, ad cuius appellationem mens inſtinctu naturæ corripit omnes, quæ ſi diſperſa congregaueris, & ſub oculos poſueris, uidebis diuinam Theologiam. Principiumq; ab ipſa Epinomide, ubi cœlum deifica

tur, faciat. Ibi quærens quænam ars faciat homines ſapientes, peruagansq; & examinans omnes, accedensq; ad agriculturam, ne hac quidem inquit nos fieri, quia non arte aliqua ſapienti, ſed natura, & ſecundum Deum, id eſt, impulſu Dei, qui nos ad hoc inſtigauit, agriculturam exerceamus. οὐ γὰρ τέχνῃ, ἀλλὰ φύσει καὶ θεὸν πολίτες φαινόμεθα γῆν μεταχειρισθαι. Quid enim hoc aliud eſt, quàm quod Moſes perhibet? Deum miſiſſe hominem in terram, ut laboraret, ſudore uultus ſui pane ueſceretur: Et cum terræ maledixit, ut homini ſpinas, tribulosq; produceret. Qui hoc iuſſit, & ſtatuit, ut omnes homines terra colenda uictitarent, non ne fuit ille qui creauit omnia, protulitq; omnes è terra ſtirpes, & herbas, quibus homo ueſceretur, uiueret nutriretur? Vniuerſalis ſcilicet Deus, omnium rerum, ordinũq; repertor. Et hoc Plato dixit, ubi de cœli Diuinitate loqui inſtituerat. Progreſſus, datam confitetur nobis cognitionem, & ſolertiam, rationemq; à Deo, qua poſſemus præter cæteras animantes diſcere à patribus, quæ nobis illi tradidiſſent. Hoc primum Dei beneficium. Nullum autem animal eſſe cui data ſit hæc facultas & ſolertia, ut eſſet capax eorum quæ traderentur, præter hominem. παρὰ δὲ ἡμῖν τοῦτο αὐτὸ πρῶτον ἐνώκισεν ὁ θεὸς ὥστε ἐκανοῖς δ' ἀκνύμενον ξυνοεῖν. Non ne iſte Deus, eſt is qui apud Moſen ad imaginem ſuam fecit hominẽ, eiq; à ſe ipſo ſpiritũ, mentẽq; dedit, qua poſſet diſcere? Et ſicut perpetua ſerie, à patribus filij generantur, ſic ab eis, ab ipſo Deo inchoato hoc ordine, diſcant loqui, & ſentire, & numerare, multaq; alia. Ille dedit ingenium primus, & hoc inſeruit nobis, etiam primarum uocum, nominumq;, quibus res appellarentur, inſtitutor. Omnis igitur is ordo, à quo uniuerſa pependit ætas, principium habuit à ſummo Deo. Deinde eodem libro, ſicut Moſes docuit ſupremum, eminẽtiſſimumq; Deum fuiſſe cœli, luminumq; cœleſtium inuentorem, præcipueq; Lunæ, ad quam modò maiorem, modò minorem, modò apparentem, modè occultantem ſeſe, fierent tempora, dies, et anni: ſic Plato teſtatur hoc ipſum factũ à Deo magno, ut ex Lunæ hac uarietate uſque ad quindecim dies numeraremus, quod etiam perhibet de eo Laërtius: Vt enim inquit, numerare poſſemus tria, quatuor, multaq; alia, ex quibus unum numerum faceremus, Deus fecit Lunam, ὡς γὰρ καὶ τρία γὰρ ἦν τέτταρα. Nõne hoc quod Plato hic loquitur, eſt quod Vates diuinus? Fecit Lunam in tempora. Paulòq; inferius iterum Plato fatetur datam nobis naturam percipiendi, cognoſcendi, cum quo conuenit dies & annos, & tempus, Timæus à ſummo Deo repertos: Timæus. Temporis, inquit, partes, quas periodos, id eſt, reuolutiones reditusq; dicunt, Deus ipſe unà cum mundo conſtituit. Neq; enim erãt aſtra ante mundum, eoq; neque annus, neque horarum, ſiue tempeſtatum reditus, quibus menſuratur genitus iſte mundus. Hæc ille, prædicans ab eo neceſſariò tempora, dies & annos, & horas effectos, annuasq; reuolutiones, qui ipſum creauit cœlum. Non ergo cœli Diuinitas erit, ut ob id à Platone, uel Ariſtotele deberit deificari, ſed eius, qui cœlum molitus, ei talem ordinem dedit, quem à

ſe cœp

ſe cœlum habere ipſiſmet teſtibus non potuit. Neq; enim antequam Deus crearet mundum, inquit Timæus, erant anni, dies, horæ, conuerſionesq; temporum. Plato quoq; in legibus ſcribit: ὅτι ὁ θεὸς ἅμα γενητῷ περιόδῳ ἦν ἀριθμὸς περιλαμβανόμενος τέλεος: Eſt, ait, Diuinitate creatæ, aut rei diuinæ creatæ, conuerſio, quam numerus perfectus complectitur. Ecce nihil clarius, cœlum habere Diuinitatem genitam, factam, creatam. Talem aut debuit Ariſtoteles tribuere cœlo, aut ueri ſimile eſt tribuiſſe, Quare ſi de cœlo dceret ea Plato, profectò dignus eſſet, quem omnes, poſthabita ſolita erga eum reuerentia, irriderent uelut incōſtantem. Ordini enim illum Lunæ, Solis, dierum, noctiumq;, ob quem putat cœlum deificandum, probarem ex ore ipſius, & Timæi, quem expreſſit, non eſſe cœli, ſed eius, qui inuenit cœlum, cum cœlo tempus item, totūq; ordinem cœleſtem. Audi enim ipſum Platonem: Vt fieret, inquit, tempus, Sol, et Luna, et quinq; alia aſtra, quæ Planetæ, ſiue Errones cognominantur, ad diuiſionem, & cuſtodiam numerorum temporis facta ſunt. Quorum cum uniuſcuiusq; corpora Deus creaſſet, poſuit inuertigines. Non ne ita loquitur Plato? Ita certè, nihil addo ipſe, nihil concinno. ἵνα γένηται χρόνος, ἥλιός τε καὶ σελήνη καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα, ἐπίκλην ἔχοντα πλανήτας, εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γένοντο. σώματα δὴ αὐτῶν ἐκάστων ποιήσας ὁ θεὸς ἔθηκεν εἰς τὰς περιφοράς. Cur igitur ô grauiſſime Plato, quaſi oblitus tui, in Legibus, & Appendice legum, cœlum & aſtra, quia doceāt nos numerare, docuerunt rationes temporū, ſine quibus omnia confuſa & perturbata futura eſſent. Et quia beneficio nos afficiunt, faciunt nos uiuere, alunt, ſuſtinent, in Deos referre uoluiſti? Cur ô uir grauiſſimè non hunc cultum ad illū tranſtuliſti, qui te teſte, reperit admirabilem omnē hunc ordinem, Aſtrorū periodos excogitauit? Ea ſic poſita, ordinata, inſtituta, peragūt curſus ſuos æternos, quo uſq; autor ipſe uoluerit. Hæc enim omnia tu dixiſti. Quare cœlum ædificare non debuiſti, cuius, te teſte, te iudice, non eſt Diuinitas illa, quam ei in Legibus dediſti, ſed eius, qui reperit eam. Huic acceptam referre debemus uitam, quæ ſuppetit à cœlo, ſcientiamq; numerandi, temporū definitiones. Adorabo igitur horologium, ſiue ſolariū, quod mirabiliter modis machinis eius omnibus numeroſè, diſtinguit nobis horas, dat rerū agendarū tempora, autorē, & inuentorem non adorabo? Et Laërtius aſſerit Platonē tradidiſſe, ad horas efficiendas, & ut animalia numeris agerent omnia, accenſum Solem à Deo. Nolo igitur alium teſtem, non aſciſco Moſen, qui Platonem coarguat, Platonem Platoni oppono. Sed pergo ad alia ex Epinomide teſtimonia. Cum de Dijs, & Deabus loqueretur, quòd difficile de his foret definire, Perge modò, inquit, ſuplicaq; Dijs, dicq; de Dijs, & Deabus, quæ tibi ſuccurrūt. Faciā, inquit, ſi Deus ipſe nobis uiā aperuerit ἂν αὐτὸς ὁ θεὸς ἡμῖν ἀφηγήσηται. Quis iſte eſt Deus, quē cupit de Dijs locuturus, fauentem, ac propitium? Certè præpotēs ille autor & opifex toties apud Platonem Deorum. Hunc tanquam comunē præceptorem,

ceptorem, largitoremq; ſapientiæ inuocat de Dijs loquturus. Sunt enim oculis Dij, ut ipſe dixit, obſcuri. Progreſſus inde dicit fieri non potuiſſe, ut tanta cœli uaſtitas, tantus orbis ſemper moueretur, niſi Deus ipſe autor eſſet, neq; futurum unquã aliter. Nam animatum quidem præterquam διὰ θεόν, per Deum, ut nos oſtenderimus, nunquam futurũ fuiſſe. Hoc teſtimonio indicat ea Plato, quæ dixit in Timæo, animam datam cœlo à Deo animam potentem, diuinam, ipſum ſemper uertentem. Ritus item, quibus colendi ſint Dij, & de ſacrificijs, præcipuos in republica, ac primates, niſi Deus ipſe dux ſit, neminem fore qui doceat. ἀλλ' οὐδὲν διδαξόμενον ἐμοῦ θεὸς ὑφηγοῖτο. Quis deus iſte dux hominibus ad pietatem? Vera autem dixit, diuiniſſimeq; eſt locutus. Nam niſi Deus docuiſſet, quem colere homines oporteret, quæ religio, quæ pietas eſſe deberet, nullus unquam homo dicturus erat. Hoc Plato appellat μέγιστον κυριώτατον, Maximum, præcipuũ: ad quod cognoſcendum, & commonſtrandum, pureq; excercendum, opem Dei putauit neceſſariam: ſine qua, magna mortalium pars peccauit in eo. Poſtremò cenſet Plato tendendum ad diuinam pulcherrimamq; ſpectandam uiſibilium generationem, ὅσην ἀνθρώποις θεὸς ἐδώκε καταδεῖν: quantam dedit hominibus Deus aſpicere. Generationem uiſibilium dicit de luminibus cœleſtibus, quæ & generata fatetur, & perſpicua, claraq; hominibus, ad quorum generationem eundum ſit oculis animi, conſiderandã, cognoſcenda, perſpicienda eorum pulchritudo, Id enim Pythagoras monebat, φιλοσόφει τὸν οὐρανὸν ὁρῶν, Philoſophare, cœlum contemplans. Et noſter id contemplatus, Cœli enarrant gloriam Dei. Hocq; teſtimonio, & cœlũ genitum, ſiue factum, profitetur, & factum ut ipſum homines contemplarentur. Quis enim alius Deus is, niſi uniuerſalis ille, cuius magnitudo capiens omnia non recipit plures, & quem naturali conſenſu adiuramus, teſtemq; uocamus, tanquam exaudientem, accipientemq; omnia, & ubiq; præſentem?

Apud Platonẽ multa, nomine diuino appellari, ſed unum eſſe ſingularem, & ineffabilem creatorem omnium, atq; moderatorem. Cap. VI.

EX his omnibus licet in hunc definire modum, ſicut in ſacris literis eſt uerus Deus omnibus adorandus, ſuſpiciendus, colendus, pater, inuentorq; omnium: ſunt Dij minores, id eſt, Angeli, & uiri ſancti, qui & ijdem Dij dicuntur: ſunt Dij falſi, id eſt, nihil diuinum habentes, ſed nomen tantum Diuinitatis, inane, ſicut idola, quæ Dij dicebantur, & Dæmones uocantur Shadaim quod eſt nomen Dei: etiã apud Platonem, cæteroſq; Philoſophos tale quid inueniri: Primus, ac uerus æternus, ac ſempiternus Deus, Deus ante mundum, mundi, & cœli, & temporis potentiſſimus conditor: minores deinde Dij, ſiue natura diuinum quiddam, ſimuleq; Dei habentes ſiue opinione humana, & conſuetudine, licentiaq; Poëtarũ, quorum interdum Philoſophi teſtimonijs abutuntur. Prima Diuinitas ſola ſempiterna apud Platonẽ, & ſola uera. Eaq; eſt, quam ineffabilem in Timæo, creatricẽq; mundi, ibi & in Republica, multisq; alijs locis pronunciauit. Principiũ, mediũ, finẽ in Epiſtolis: Summũ Bonũ in Republica. Secundũ Diuinitatis genus ei multiplex,

& adeò

et adeò multiplex, ut nihil non ſit ei Deus. Tribuit enim cœlo, terræ, ſtellis, mundo, terræ, dæmonibus, animæ, menti, hominis, diuinitatis nomen. Nam in Timæo, ubi caput, præcipuusq; ſermo de creatore mundi, ſummo Deo, nominantur alij Dij, ab illo magno Deo ſati. Quin etiam ſunt ibi Dij Deorum, id eſt, Deorum ſatu orti, Ibi Terra, Oceanus eſt Deus, Deus etiam ipſe ſenſibilis Mundus. Sũt alij multi Dij. In Philebo Deo uoluptatis Venus. In Charmide Zamolſis rex Thracum, idem eſt Deus In Phædro Mercurius Triſmegiſtus, qui ab Aegyptijs dicebatur Theuth, eſt Deus ex antiquis Dijs. Eſt Deus Dæmonium Socratis in Alcibiade. In Legibus tota penè diuinitas, aſtrorum eſt. Ibidem parentes à filijs pro Dijs haberi iubentur. Illic mens humana eſt Deus, aſſociata animæ, quæ & ipſa Deus ſit omninoq; uaria, ac multiplex Diuinitas apud Platonem, ut nulli fermè rei inuideat hoc nomen. Sic Marcus dixit, Deum te eſſe ſcito. Et ueteri prouerbio, Homo homini Deus. In ſeptimo item de Republica, ciuibus iuſtis, qui ad inſulas beatas abijſſent, iubet Plato monimenta erigi, & publicè ſacrificari tanquam Dæmonibus, ſi minus, tanquam beatis & diuinis. quod in religione noſtra iuſtiſſimè fit ſanctis & diuis. In ſexto de Republica, Sol eſt Deus, natus tamen & factus à ſummo Bono, & datus illuminandos oculos, uiſionemq; faciendam, quemadmodum ipſum Bonũ ſummũ ad illunũnet mundum intelligibilem. Socrates iurat in Gorgia, per iocũ, νὴ τὸν κύνα, τὸν αἰγυπτίων θεόν: Per Canem, Deũ Aegyptiorũ. Et in Phædone, Eſculapio Deo gallus ſacrificatur. In Symposio, nõ Dionyſius ſolũ, ſed etiã amor eſt Deus: τῷ ἔρωτι τηλικούτῳ ὄντι, καὶ τοσούτῳ θεῷ. Amori tanto, ac tali Deo, nullũ Poëtam nũ feciſſe. Ibiq; paſſim Amor ut Deus prædicatur prædicatur antiquiſſimus, prætioſiſſimusq; Deorũ. Ibi quoq; ex Homero mõſtratur Ate, id eſt, noxa, Dea. Vtq; omnia bona accepta referuntur Amori, uti Deo, in Sympoſio, ſic Cœlum deificatur, ut bonorum autor, in Legibus. Amor autem non eſt Deus, ſed cupiditas uniuerſalis naturalis, ut cœlum, inanimatũ utrunq;. Eodem libro Amor, non Deus, ſed Dæmõ eſt, medius ſcilicet inter humanam, diuinamq; naturam. In Timæo quoq; terra eſt Deorũ antiquiſſima. In Cratylo ſunt iuxta Græcos et Barbaros, Sol, Luna, Aſtra, Terra, Cœlum, Dij. Ibidẽ ſunt alij præter hæc, quidam Dij. Ibidem omnis uir bonus, ſeu uiuens, ſeu mortuus, eſt Dæmon. In Apologia, Socrates Solem & Lunam Deos putat, ne à uulgari pietate diſſentiret. In quarto de Republica Apollo eſt Deus interpres, in medio terræ, in umbilico. In Timæo ſunt tres Dij, mũdus iſte uiſibilis, mundus inuiſibilis, quem ipſe uocat νοητὸν: Timæus Locrenſis, ἐνδιανικὸν, mundum exemplarem, aut archetypum, id eſt, Ideam mũdi, quam ab æterno Deus ipſe concepiſſet, tum ipſe opifex Deus. Quanquam diceret Philo illam mundi Ideam, mundumq; ipſum archetypum, non aliud eſſe, quàm ipſum Verbum opifex mundi. In Critia, qui liber mox ſequitur Timæum, orat Timæus Deum illum, qui olim re factus eſſet, nunc autem uerbo, id eſt, ipſum mundum, quem olim re uera Deus feciſſet, nunc autem uerbis creationem eius deſcripſiſſent, quaſiq; eum, loquẽdo ſe/

do feciſſent. Eodem libro ſunt Dij, qui olim inter ſe partiti eſſent omnẽ terram, non ex contentione, & ambitu, ſed, ut fas eſt, Deos ſcire Decorũ ſibi quenq; & homines uelut gregẽ ſuum duxiſſe, aluiſſe. Ex his aũt Dijs ſunt Vulcanus & Minerua. Ibiq; eſt, quòd ἡ θεὸς φυσις ἐως ἐπολλὰς γενεὰς ἐξήρκει, in multa ſecula Natura, uel Stirps Dei perdurauit. Ad poſtremũ ibi eſt, θεὸς θεῶν ζεὺς, Deus Deorũ Iupiter, Noſtræ literæ de ſupremo Deo. Deus Deorũ dominus locutus eſt, Agnoſcunt igitur et ipſe quendam Deum Deorũ, id eſt, conditorẽ, ſatorẽq; Deorũ, & regẽ, ut ibidem etiam aſſerit Plato. Is Deus Platone teſte, qui priſca ab Aegyptijs audita, ſed æui longinquitate deprauata, ſæpenumero memorat, Deus Deorũ, conuocatis omnibus Dijs in cœlo diſſerit in medio multa, de genere illo diuino corrupto, diluuio eos perdere decernẽs. Quod noſtræ quoq; literæ teſtãtur, ſed incorruptius, & apertius. Loquutus eſt etiã Latinus Poëta à Græcis audita, qui ea à Barbaris accepiſſent. In noſtrisq; literis inducitur, quòd Deus quaſi cũ alijs Dijs ſit locutus: Venite igitur deſcendamus, & cõfundamus ibi linguã eorũ: Eſt igitur apud eos Deus Deorũ is, quem in Timæo ineffabilem, & inexplicabilem confeſſus eſt, nominatq; eum, non habens hactenus aliud nomen, Iouem, ut ſæpe dictum, antiquiſſimum Deiueri ac ſummi nomen. De quo etiam Homerus inducẽs unũ è Dijs eum affantem:

Ὦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη ὕπατε κρειόντων.

Ô genitor noſter Saturnie, rexq; ſupreme.

Supremum imperantium uocat, quod Theologia, Rex regum, Dominus dominantium, Et Dominus Deus Sabaoth, id eſt, exercituũ cœleſtium, ordinũ, legionũ cœleſtium. Quos illi promiſcuè Deos uocant, noſtræ literæ promiſcuè quidẽ Angelos. ſed & κυριότητας, ἐξουσίας, θρόνους, dominationes, poteſtates, thronos: quod repræſentat illud Homeri à uetuſtiſſimis ſeculis ueniẽs, κρειοντας. Id enim eſt κυριότης, dominatio, κρείων, dominator. De hoc ipſo etiam clarius locutus alibi Homerus, inducens ipſum Patrem dicentem:

Ὅσσον ἐγὼ πρόβατ' εἰμὶ θεῶν, πρόβατ' εἰμὶ ἀνθρώπων

Quantum ego, præcedo diuos, præcedo homines q;.

Sic fit perſpicuum, tametſi Plato diffundat nomẽ Diuinitatis in multos, eum tamen id ſæpe iocando feciſſe, & quaſi poëticè. Nam Platonem perhibẽt mediũ inter poëtas, & oratores incedere, tum eum apertè fateri non poëticè ſolum, ſed naturaliter unum ſupremum, maximũ, Deorum hominumq; ſatorem, ac Regem. Et huic opera grauiſſima tribuere, creationem mundi, omniaq; maxima ponderis opera. Nam Iouem eſſe illũ uerum Deum etiam Paulus demonſtrat ex Arato, qui dixerat, Iouis omnia plena. Et quòd genus eius ſumus: Huius enim genus ſumus. Hæc dixerat Aratus de Ioue, quem uerum Deum, à quo genus ducamus, & in quo uiuamus, Paulus interpretatur. Errabant quidem attribuẽdo ſacroſanctũ Dei nomen tam uarijs, & indignis rebus, ſed apud Philoſophos, ſaltem Platonem. Nam de uetuſtioribus (clarũ eſt) eſt uerior ſenſus. Eadem peccat Ariſtoteles, dũ cœlo, ſtellisq; tribuit Diuinitatem,

uinitatem, etiã æternitatem, adeoq; cœleſte corpus deificat, ut omne genus laudis in ipſum effundat. Et ut eum arguit Marcus Tullius, licet in perſona Epicuri, quòd in tertio de Philoſophia libro (qui nunc non extat) multa turbet, modò menti tribuens omnẽ Diuinitatem, modò quendam alium præficiens mundo, eiq; eas partes tribuens, ut replicatione mundi quadam motum regat, atq; tueatur, Tũ cœli ardorem Deum dicat eſſe, non intelligentẽ, cœlũ eſſe mundi partem, quã alio loco ipſe deſignarit Deũ: Hoc ergo cogit eos incõſtantes fuiſſe, et in re certa nihil habuiſſe, q; pro ferrẽt. Aut ſi boni cõſulamus, & fortaſſe melius mentẽ eorũ interpretemur, dicemus eos ultro de uero, ac naturali Deo multa locutos, multa naturam ignaris extorſiſſe. Ac tametſi uaga ſit Diuinitas apud illos, eſſe tamẽ etiã uerã illam, ac ſingularẽ, quam & antiquitas ſuggerebat, & natura. Nã Iouẽ, ut ſuperius, uerũ illum, ac naturalẽ Deũ, non fabuloſè, & poëticè Platonẽ & Ariſtotelẽ cum multis alijs ſenſiſſe, apparet quòd eũ Ariſtoteles, ut noſtræ literæ, locat in uertice mundi, cuius per omnes mũdi partes tendat immẽſa, & indefatigabilis poteſtas. Plato aũt de eo dicit in Cratylo, quòd duo nomina, quibus eũ uocãt Ζῆνα & Δία, coniuncta declarant Naturã Dei, qua putamus omnia fieri, et peragi. Neq; enĩ eſſe nobis, et cæteris omnibus qui magis autor ſit uitæ, quàm is, qui princeps & rex eſt omnium. Hæc Plato, dicens de Ioue, certè ſentit illum uerũ Naturæ Deum, Principem, Regemq; omniũ, Cauſamq; uitæ, ut eſt in noſtris literis. Quodq; magis admirabere, quod in fabularum inuolucris dicitur, Iouem filium eſſe Saturni, audi quomodo id interpretetur. Hunc, inquit, filium fuiſſe Saturni, contumelioſum ſtatim uideatur audienti: εὔλογον δὲ μεγαλλυντικοῦ διανοίας ἔκγονον εἶναι τὸν Δία: Rationabile autem eſt, magnæ cuiuſdam Mentis filium eſſe Iouem. Nam inquit, cronos deſignat quaſi purißimam, incorruptãq; mentem, cuius filiam dicunt Iouem. Hæc ille. Declarauimus autem ſuperius prolem Dei uocatum Iouem, qui dictus eſt ab eſſendo: ipſe item Rex & opifex mundi, ipſe omnibus imperans, ipſe uita omnium, ipſe rex hominumq; Deumq;, ſicut apud noſtros. Aſpice etiam, an Iupiter, & Mens illa apud Anaxagoram ſint idem. Mentem autem probatum eſt ſæpe, eſſe ſecundum è tribus, eſſe poſt ſummum Bonum, eſſe eam, quam literæ Hebræorũ Sapientiam, Aegyptiorũ, & Hebræorũ λόγον, Interpretationem, aut Rationẽ uocant, nomina ob creationem mundi. Iouẽ teſtatus eſt in Cratylo, quòd ſit Cauſa uitæ, Princeps & rex omnium. in eodẽ autẽ libro de Mente, quòd ſit αὐτὸλ ρολτωρ πάντα κοσμῶν διὰ πάντου ἰὼν, Imperatrix, omnia exornans, per omnia pertinens. Eadẽ paulò antè tradit. Itẽ Laêrtio teſte uocat creatorẽ mundi Plato νοῦν, αἴτιον, Mentẽ, Cauſam. Vnus igitur, ut uides, eſt atq; idẽ, Iupiter atq; Mens, ille Rex, Princepsq; omniũ, Autor, Imperator, exornans omnia: ſicut ille Cauſa uitæ, ſic iſta per omnia cõmeans, et pertinẽs, quod Pythagoras de Deo, per omnes mundi partes intẽto dixit, ex quo noſtri animi carperẽtur. Ecce idẽ hæc omnia, Iupiter, Mẽs, Deus, Cauſa, quia tendunt per omnia, regnant per oĩa regunt omnia. Superius itẽ uidiſti,

πὰν ſον

πάντων αἴτιον τὸν θεόν, omnium autorem Deum. Confer Iouem in Cratylo αἴτιον δ' ζῆν, ἀρχουσα βασιλεία τῶν πάντων: Causam uitæ, Principem, Regem omnium. Item Mentem, quòd sit αὐτοκράτωρ διὰ πάντων ἰὼν, Imperatrix, per omnia commeans. Ecce sunt idem Deus, Iupiter, Mens, Autor, qui in Epistola secũda extat, habet patrem, ergo est filius: & is autor, teste Laërtio, est Platoni mundanus opifex. Ex quo efficitur, ut quicquid illi de Ioue loquerentur, de summo Deo sit dictum, licet indigna Deo multa, ut poëtarum fuit error, ad suum arbitrium de Diuinitate fingentiũ. À Platone repudiata, ab alijs allegoricè interpretata, quibus nisi allegoria subsit, ut ait Palephatus, omnium mortalium impijssimum confiteri Homerum necesse sit. Sed & apud hunc, & alios omnes Trismegistum, Sibyllas, Orpheum deprehendas fabulosa mista ueris. Nam & populari consuetudini nonnulla dabant, ut apud Platonẽ uisum, & sibi, ac sapientiæ, de rebus grauissimis differentes, item satisfaciebant. Itaq; & ueram, naturalemq; deprehendas apud eos sapientiam, & rursum populares, aut poëticos errores. Nos autem dicimus ab initio mundi natam ueritatem, quæ ex certa Dei conspecta præsentia habuisset initiũ, per omnes deinceps ætates descendentem, fuisse magis deprauatã, remanente semper aliqua luce: Solas autem apud sacras literas incorruptam esse ueritatem.

De summo Deo, quem summum Bonum uocat Plato, affirmans eũ rerum cunctarum cœlo ac terris autorem, à quo rebus omnibus adsit esse. Cap. VII.

SEd omnium nobilissimum, ac præclarissimum est testimoniũ de summo Bono, de quo mira, & ex intimis Theologiæ mysterijs eloquitur in libris de Republica Plato, cuiusmodi apud Theologos, præcipuè Paulũ, multa deprehendas. Hic Plato supra mortalitatis conditionẽ sublatus, tranauit cœlos mente, & ad ipsam summi Boni regiã progressus, uidit arcana Dei: uidit ineffabilem summi Boni diuinitatem: uidit luce & claritate maiestatis suæ, totum illuminari supernum mundũ: uidit eum Solem creasse, omnium rerum uisibilium & inuisibilium autorem fuisse: in eo omnem ueritatem esse, omnia bona: Nos autem respectu Diuorum, qui propius eum intueantur, tanquam in carcere esse, inter umbras, & simulachra. De hoc ipso igitur summo Bono, & Idea Boni, hæc loquitur in sexto de Republica. Hoc igitur, quod ueritatem præbet rebus, quæ cognoscuntur, & ipsi cognoscenti dat uirtutem, Ideam Boni dicito esse, etiam scientiæ, & ueritatis causam, ut quæ cognoscantur per mentem. Vtraq; autem, quæ usq; adeò pulchra sunt, id est, notione & ueritate, si quid aliud pulchrius existimaueris, rectè existimaueris. Scientiã autem & ueritatem sicut rectè lumen & uisionem, Solarem, non autem ipsum Solem credere rectum est: sic isto quoq; loco, utraq; esse ἀγαθοειδῆ, id est, similia ipsi Bono rectum est: Bonum autem arbitrari utrum eorum, non rectum, sed, ἔτι μειζόνως τιμητέον τῆς ἀγαθοειδείας, adhuc habitus Boni magis honorandus est, Inaudi tam, inquit, dicis pulchritudinem, si scientiam quidem & ueritatem præbet, ipsum autem est supra has pulchritudines. Neque enim dicis esse ipsum uoluptatem. Bo-

na uerba, inquam ego. Sed sic magis imaginem eius contemplare. Quomodo? in/quit. Solem his, quæ uidentur, non solùm præbere facultatem ut uideantur, reor, fa/teberis, sed & ortum, & incrementum, & alimentum, qui tamen res ipsa nata ip/se non sit. Quì fieri potest? inquit. Itaq; etiam his, quæ noscuntur, non solum adesse à summo Bono, ut cognoscantur: ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκεί/νου αὐτοῖς πρόσεστιν, οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐ/σίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος: Sed etiam & esse, & substan/tiam ab illo, eis adesse, cum ipsum Bonum non sit substantia, sed etiam excedens supra substantiam, dignitate & uirtute. Hui, inquit cum risu Glaucon, Hercules di uina excellentia. Tu inquam ego causa es, qui me cogis fari, quæ de ipso mihi ui/deantur. Nequaquam absistas nisi quid, sed similitudinem de Sole reliquisti. Re/linquo, inquit, sæpe. At ne minimum quidem relinquas. Etsi multum feci, inquit, ueruntamen quoad fieri poterit, in præsens non relinquam. Cogita igitur, inquam ego, sicut dicimus, ea duo existere, & imperare, alterum quidem τοῦ νοητοῦ γε νοῦς τε καὶ τόπου, τὸν δ' αὖ ὁρατοῦ, ἵνα μὴ οὐρανοῦ ἐπωνῷ, δόξωσί σοι φι/λόνεικα εἶναι περὶ τὸ ὄνομα. ἀλλ' ἔστω ἔχεις ταῦτα δύο τὰ εἴδη ὁρατοῦ, νοη/τοῦ, Generi, & loco intelligibili, alterum uisibili, ne dicens cœlo, uidear tibi circa nomen cauillari. Saltem habes has duas species, uisibile, intelligibile. Hæc & id genus Plato. Nouissimeq; quam Ideam Boni dixerat, uocat τὴν τῶν πάντων ἀρ/χήν, Principium Vniuersi. In septimoq;, qui statim attexitur dextro, deq; eadem re est sermo, hæc infert. Hæc igitur sic mihi uidentur. In intelligibili nouissima est Idea Boni, uix'que ea uidetur. Visa uerò considerandum est, quòd scilicet hæc sit omnibus omnium rectorum, & honestorum causa: & quæ in hoc uisibili lu/cem & dominum Ens peperit. In intelligibili autem, hæc domina est, quæ etiam ueritatem, & mentem præbet: & quòd oportet hanc uidere, qui pruden/ter aut priuatè, aut publicè uelit agere. Hæc Plato de Idea Boni, quæ quidem ma/gis ad uerbum, oratione Græcanica, non Latina protuli, ut dogma ipsum magis eluceret. Hic ergo effudit cœlestem, aureamq; orationem, adyta Diuinitatis ape/ruit. Confert Solem, & ipsum Bonum, proponit duo regna, duo genera rerum. Collatio prima Solis, & Boni, quòd quemadmodum Sol efficit ut omnia uidean/tur corporaliter, & in hoc corporeo uisibiliq; mundo, sic summum Bonum, in re/gno intelligibili, siue inuisibili, largissimam suæ claritatis spargit lucem. Hæc au/tem lux, non corporea, inquit, est, sed intellectualis, scientiæ, sapientiæ, cognitio/tionis. Quia Idea Boni, uel ipsum Bonum, est pelagus, & locus sapientiæ, est asy/lum, arx totius sapientiæ, est ratio uniuersalis. Qui hanc uidet, uidet omnia. Ab hac autem uasta sapientia, omnem mentem intelligentem manasse, tum omne lu/men mentis, id est, & ipsam facultatem, uirtutemq; intelligendi, quæ est ipsa mens, ab eo infusam, tum donari sapientiam, notionemq; omnium rerum dicit. Id enim clamant nostræ literæ, Sine illo nihil nos scire posse: &, Lignum uitæ

his, qui apprehenderint eum: &, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Et ipse uocatus est sapientia, ratio, forma. Hic omnia tanquam in sua Idea coniuncta bona. Duobus igitur modis potest intelligi quod det his, quæ cognoscuntur, & cognoscenti uim potestatemq; intelligendi: aut scilicet spiritualiter, & mentaliter, quòd ipse mentem creauit, & eam illuminet: aut refert ad mundum supernum, in quo regnet summum Bonum, immensa claritate sua dans illic se magis conspicabilem intuentibus, qui fecit eos, ut intueri, & cognoscere eum possent. Secunda, quòd quemadmodum Sol dat lucem, facit uisionem, non tamen est aut uisio, aut sparsa lux, sic summum Bonum, non est ipsa cognitio, radius, aut mens cognoscens, sed maius. Tertia, quòd quemadmodum Sol dat ortum, augmentum, alimentum uisibilibus, ipse autem non est γένεσις, generatio, res facta, sic Bonum, non solum præbet rebus, quæ intelliguntur, ut intelligantur, sed & ipsum esse, & substantiam Ipsum autem non est substantia, sed maius & melius, dignitate & potestate ultra substantiã. Quarta, de imperio, quòd quemadmodũ præest huic mundo Sol, & imperat, sic imperat ipsũ Bonũ mundo intelligibili. Quo loco cũ Platostatuat duo regna, duogenera rerum νοητὸν, ὁρατὸν, apertè noscitur sentire, & innuere ea, quæ summus Paulus: τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς τὰ ὁρατὰ & τὰ ἀόρατα: Quæ sunt in cœlis, & quæ in terra, Visibilia, & inuisibilia. Itaque quæ Philosophi appellant νοητὰ, intelligibilia, id est, sola ratione & mente comprehensibilia nostri inuisibilia dicunt, tum quia corporeis oculis, corpore carentia, uideri non possunt, tum quia sunt in loco, de quo cogitari potest, uideri non potest: Etiã quia intellectus sunt & mentes. Quæ autem sint ista inuisibilia, Paulus ipse docet, statim subdens: & τὰ ἀόρατα εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ εἴτε ἐξουσίαι. Inuisibilia, inquit, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. In hoc etiam primum adnumerauerat ipsum Bonum Deum, dicens Christum esse imaginem τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, Dei inuisibilis. Quare cum τὰ νοητὰ, id est intelligibilia, sint inuisibilia, hæc erunt ipse Deus & omnia genera Angelorum. Vtq; Paulus de his ait, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, Omnia hæc per ipsum Verbum facta sunt: sic Plato dicit, Bonum fecisse hæc ipsa inuisibilia, intelligibilia, quibus dederit ipsum intelligere, & intelligi, ipsum tamen esse longè præcellentius illis. Sic & Paulus innuit, ipsum antestare creata illa. Aitq; Plato ueritatem & notionem, qua illi cognoscunt, esse pulchras, sed longè pulchrius qui dedit hæc ipsa. Sic conferens ipsum cũ duabus rebus pulchris, scientia & ueritate, dicensq; ipsum esse uenerabilius, fatetur esse ἀμήχανον κεἀλλος, Inestimabilẽ pulchritudinem. Sic supra substantiã. Itẽ affirmat eum creasse Solem, esse omnium rerũ principium, creasse Dominum lucis. Sunt item apud Platonem duo regna, uisibile, & νοητὸν, intelligibile, siue spirituale, uel inuisibile. Duo genera rerum, ὁρατὸν, νοητὸν. Sic etiam νοητὸν γένος γὰρ τόπος, Gẽs inuisibilis, locus intelligibilis. Videbis autem hunc locum intelligibilem apud eum, esse patriam

triam cœlestem, regna beata, ut declarat exemplum in septimo de Republica, quo fingit habitantes in terra, quasi in subterraneo specu esse, qui à pueris assuerint illic uidere in pariete sola rerum simulachra ab aliquo lumine repræsentata: Sic nos inter umbras esse, ueritatis autem campũ, uerasq; res, uera bona apud superos esse, ubi est Idea Boni. Eodem libro dicit, τὴν δ' ἄνω ἀνάβασιν καὶ θέαν τῶν ἄνω, τὴν εἰς τὸν νοητὸν τόπον, τὴν ψυχῆς ἄνοδον, Ascensum ad supera, rerũq; supernarum contemplationem, esse animi ascensum ad locum intelligibilem. Quòd si quis contendat Platonem, Ideam summi Boni, aut ipsius Boni in uniuersum sensisse non Deum quidem, sed uniuersale totius Bonitatis, quasi uniuersalẽ speciem, sicut humanitas, multaq; id genus uniuersalia: Ecce tota oratio refellet eum. Nam uniuersalia neq; generant neq; generantur: at Idea summi Boni, genuit Solẽ: Tum ipsa est dominatrix in mundo intelligibili, in mundo mentali, uel inuisibili, sicut Sol in hoc mũdo, qui sic det nasci, esse, augeri, ali, uideri sensibilibus, sicut inuisibilibus ipsa Bonitas. Deniq; si Sol causa est rerum uisibilium, partus autem uel creatus est à summo Bono, ipsum autem summum Bonum, peperit alia non indigentia Sole, et ad quæ non se extendit eius potentia, utiq; fatetur Plato quod diuus Paulus, per ipsum facta uisibilia, & inuisibilia: quia fecit Solem causam uisibilium, inuisibilia quoq; ipse creauit: fecit luces quasdam, quædam lumina, dedit eis sentire, nosse. Eoq; luces in nostris literis uocantur. Et per Allegoriam, non proprietatem, creatio lucis, fuit creatio ipsorum. Deinde Idea bonarum rerum non est nisi Deus ipse exemplar, ut Philo ait, & Idea omnium Idearum, Idea maxima, id est, maxima ratio, maximus logos, uerbum, forma, ratio, exemplum, Mundus, ut idem Philo perhibet, νοητός, intelligibilis, plenus rationum, formarum sapientiæ, scientiæ. Hæc omnia sensit Plato. Suntq; hæc nomina summi Dei apud eum plena Theologiæ, τὸ ἀγαθὸν, ἰδέα τοῦ ἀγαθοῦ, βασιλεὺς τοῦ νοητοῦ γένους καὶ τόπος, τὸν ἥλιον γεννήσας, ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, τὸ παντὸς ἀρχή, ἀφ' οὗ εἶναι ὄντι, καὶ ἡ οὐσία τοῖς γιγνωσκομένοις, Ipsum Bonum, Idea Boni, Rex generis & loci inuisibilis, Genitor Solis, Vltra substantiam, Principium uniuersitatis, À quo est esse & substantia his quæ noscuntur. Denique qui genuit siue creauit Solem, sibi ἀναλογον, proportionatum, ut sic loquar, quia & ipse Sol est mundi inuisibilis. In quibus est tota Theologia, omnis sapientia.

Platonem fateri Deum omnium bonorum nullius autem mali autorem, optimum, pulcherrimum, ueridicum. Prodesse dare pœnas, & castigari. Dogma de Bonitate, sumptum esse ex Trismegisto. Cap. VIII.

Diuinè quoque locutus est de summo, ac singulari Deo, in secundo de Republica. In quo agnosces ea, quæ proponit in Timæo, de Creatore mundi, ac Bonitate eius, & item quod superius in sexto. Ibi apertè fatetur in Deo solam boni/tatem, autoritatemq; bonorum esse. In illum mala ulla accepta referri nec debere homines, nec posse, loquens in hunc modum: ἀγαθὸς ὄγε θεὸς τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον οὕτω: Bonus profectò est Deus, idq; confitendum est. Nihil

item quod Bonum eſt, eſt noxium, Ergo quod non eſt noxium non nocet. Sic quod non nocet, non afficit malo, ne mali quidem ſit autor. Eſt item ipſum Bonum, utile: αἴτιον ἄρα ἐυπραγίας: cauſa igitur eſt felicitatis, rerumq; bonarum. Non ergo omnium rerum, cauſa eſt ipſum Bonum, ſed bonarum tantùm, beneq; habentium. Malorum autem autor minimè. Non ergo Deus cum ſit bonus, omnium cauſa ſit, ut plerique loquuntur: ſed cum quædam det hominibus, aliorum nullam ipſe affert cauſam. Longè enim pauciora nobis bona, quàm mala ſunt. Ac bonorum quidem neminem alium fatendum eſt autorem: malorum autem alias quaſdam quærere cauſas oportet, ἀλλ' οὐ τὸν θεὸν, non Deum ipſum. Nouiſſimeq; addit: Mala, inquit, Troianis illata, aut Pelopidis, aut omittendũ ea referre in Deum uti autorem, aut ſi à Deo profecta ſint, inuenienda eſt his, qui hæc dicunt, ea ratio, quam nos item ueſtigamus, & dicendum quòd Deus iuſta & bona fecit: his autem profuit ſic caſtigari, ſed quòd uel miſeri ſint, qui luunt pœnas, aut quòd Deus hæc fecerit, poëtæ dicere non eſt concedendum. Sed ſi diceret, eis caſtigatione opus fuiſſe, uelut miſeris, quia mali eſſent, dantes autem pœnã, ὠφελοῦντο ὑπὸ τοῦ θεοῦ, beneficio affecti ſint à Deo, permitti debet. Malorum autẽ alicui autorem fuiſſe Deum dicere, qui bonus ſit, omnino prohibendum eſt. Igitur, inquit, omnium dicemus Deum autorem, ſed bonorum. Sic neque præſtigiatorem, ſimulantemq; uarias figuras Deum dicemus. Nam mutare formam ſuam in peius eum nefas eſt. ἀλλὰ μὴν ὁ θεός τε, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντα ἄριστα ἔχει. ταυτὴ μὲν τοι ἥκιστα ἄν τις πολλὰς μορφὰς ἴσχοι ὁ θεός. Atqui & deus, & omnia, quæ ſunt Dei ſunt undequaque optima. Itaque minime uarias figuras ſubeat Deus. Itaque cum Deus ſit ὡς ἔστι κε κάλλιστος & ἄριστος, ut apparet, pulcherrimus, & optimus, nefas eſt eum ad peiorem conditionem deſcendere. Denique concludit in Deo nullum eſſe mendacium: Κομιδῇ ἄρα ὁ θεὸς ἁπλοῦς & ἀληθὴς ἔντε ἔργῳ & ἐν λόγῳ: omnino igitur Deus ſimplex & uerus uerbo et re. Hæc igitur omnis prædicatio, etſi in omnes Deos æqualiter, ut Plato fortaſſe ſenſit, tendit, ex dogmatis tamẽ eius apparet, propriè, ac primo in illum congruere, quem idcam Bonitatis in ipſis de Republica libris dixit: & cuius bonitatem genitricem mundi fuiſſe confitetur: quæq; cum ſumma eſſet, fecerit mundum pulcherrimum, cuius pulchritudo non aliam habuerit cauſam, quàm ipſius opificis pulchritudinem, ac bonitatem, ut cui non placeant niſi pulchra, & optima, eoq; omnia crearit formoſa, pulchra, utilia. proinde dicit eum Moſes ad unamquamq; rem creatã uidiſſe eam eſſe bonam. Ad poſtremumq; uidiſſe cuncta, & ecce erant ualde bona. Excluditur enim, & exploditur etiam ab ipſiſmet Philoſophis, turpiſſima Manichæorum inſania, aliquid mali eſſe in hoc mundo, quod ab autore mundi habuerit principiũ, Quod illi uitare uolentes, in aliud abſurdius ceciderunt, in duas partes ſecantes autoritatem mundi creati, ut aliud à Bono, aliud à malo principe ſit factum. Sed quoniam confitentur omnes, ab uno factam totam rerum Naturam, dicenda eſt undequaque bona. Mala autem ab ingenio

ingenio humano, quæ propriè mala dicantur, habere originem. Ac diuinitus etiam Plato, sicut item in Gorgia, clamat, si quid cui acciderit mali, profuisse dare pœnas eum fatendum esse. Nam in eodem libro sæpe affirmat, τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι κάκιον: Peius esse inferre iniuriam, quam pati. Et, τὸ δίκην διδόναι, μεγίστου κακοῦ ἀπαλλαγὴ πονηρίας: Dare pœnas, esse liberari à maximo malo, nempe à scelere. sic nunc eadem asserens ueluti diuinus Theologus, si quid cui mali eueniat, quod à Deo fatearis accidisse, reuocandum esse ad bonum, quia melius sit castigari, quàm permanere in scelere: Posis, inquit, etiam si iustus inter/ficitur, si patrimonio multatur, si uestalis uirgo uitiatur, non referre hæc mala in uoluntatem diuinam, sed in illorum, qui faciunt, prauitatem, qui pœnas tamen dantes, uel in hoc mundo, quod Troianis ob adulterium accidit, uel alibi, proderit eis, & omni mundo, dum scelus expiatur, quod bonum est, cum iustitia redit in suum locum. Quæ etsi nocent castigato, prodest tamen alibi, quia labes elui, de medio tolli, pulcherrimum est. Hæc fermè Plato, asserens tum miseros appellandos non esse, qui dent pœnas, quia scelus eorum expiatur: tum hanc uoluntatem non esse rectè in Deum referendum, ut cueniant mala, quæ diluantur, uel quæ debeant co/ronare iustos, quibus melius sit pati quàm inferre iniuriam. Neque enim Deus quenquam beneficio affecturus noceret: alteri decernens castigari uel flagellari, iustum ab iniusto, ut is ascendat ad triumphos, ille descendat in Tartarum: sed in Deum non sunt referenda, tanquam ea nolentem, sed conniuentem. Interim ta/men melius est pati, quàm inferre iniuriam: & beatius est dare, quàm accipere be/neficium, ut dixit Dominus Iesus. Sic tria diuina dogmata sunt hic apud Plato/nem, πάντων ἄιτιον τὸν θεὸν, ἀλλ' ἀγαθῶν, Omnium Deum esse autorem, omnium rerum bonarum. Bonum autem & Ens conuertuntur. Item omnium ma lorum ἀναίτιον, non autorem. Tertium si malorum autorem dicas, id est, non sce lerum, non uitiorum, sed pœnarum, castigationum. Prodesse pœnas has perpeti. & quòd hoc fuit diuinum beneficium, effectum te meliorem, expiato piaculo tuo prodesse tibi & omni humano generi, detrahi superbis supercilium, quoniam ni/mia felicitas corrumpit, reddit ad uoluptates alacriorem. Virtus autem infirmitate perficitur, Hæc Plato sensit eo instinctu, quo creatus est homo ad imaginem Dei, eoq; sentit eadem atque Deus. Nostra autem religio est sensus Dei, est locutio Dei, Locutiq; sunt homines sæpe similia, præcipuè sapientes, quia sunt imago Dei. Ne/que adeò potuit unquam tenebris obrui mens humana, quin elucceret, quod diuus Paulus prædicauit, ueritas in terris. Denique infert Plato, ut nec malorum sit au/tor Deus, sic nec eum esse mendacem aut uersipellem, sed esse ἁπλοῦν, & ἀληθῆ rem simplicem, ueram. Itaq; hæc nomina supremi Dei, nunc apud Platonem sunt ἀγαθῶν αἴτιος, κακῶν ἀναίτιος, αἴτιος εὐπραγίας, κάλλιστος, ἄριστος, ἁπλοῦν, ἀληθὴς, Bonorum autor, malorum non autor, felicitatis, prosperitatis au/tor, pulcherrimus, optimus, simplex, uerus.

Hoc de Bonitate diuina ſumpſiſſe Platonem ex Triſmegiſto. Cap. IX.

HVnc locum haud dubiè ſumpſit Plato ex Mercurio Triſmegiſto, à quo tota fere Platonica Philoſophia, ubi myſteria attingit, defluxit. Nec potuit ab Angelo cœleſti dici de ſummo Bono quidquam diuinius, & excellentius. Duas cenſet uocas ſummi Dei appellationes, Patris, ac Boni, ſed eam, quæ eſt Boni, ueriorē: ὅθεν γὰρ θεὸν ὑνσι ταύτας ταῖς προσηγορίαις σέβεσθαι λέγει, ταῖς μόνῳ αὐτῷ προσωνειωμέναις, καὶ ἄλλῳ ὀδενί. ὅτε γὰρ τ' ἄλλων λεγομένων θεῶν, ὅτε ἀνθρώπων, ὅτε δαιμόνων τις ὑνατοι, κ' ἂν ὁπωσοῦν ἀγαθὸς εἶναι, ἢ μόνος ὁ θεὸς καὶ τοῦτ' ὄντι μόνον, καὶ ὀδὲν ἄλλο. τὰ δὲ ἄλλα πάντα χωρητὰ ὄντι τῆ ἀγαθότητος φύσεως. σῶμα γὰρ εἰσι καὶ ψυχή, τόπου δεόμενα χωρῆσαι ὑνάμεως τὸ ἀγαθόν. τοσοῦτο γάρ ὄντι τὸ ἀγαθόν. τὸ μεγιστον, ὅσον ὄντι ὕπαξις πάντων τ' ὄντων, νῆ σωμάτων καὶ ἀσωμάτων, νῆ αἰσθητῶν, νῆ νοητῶν, τοῦτ' ὄντι τὸ ἀγαθόν, τοῦτ' ὄντι ὁ θεός. μὴ οὖν εἴπῃς ἄλλό τι ἀγαθόν, ἐπεὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἄλλό τί ποτε τὸν θεόν, ἢ μόνον τὸ ἀγάθον, ἐπεὶ πάλιν ἀσεβεῖς. λόγῳ μὲν ὑπὸ πάντων. λέγεται τὸ ἀγαθόν, οὐ νοεῖται δὲ τίποτ' ὄντι, ὑπὸ πάντων. διὰ τοῦτο ὀδὲ ὁ θεὸς νοεῖτε ὑπὸ πάντων, ἀλλ' ἀγνοίᾳ καὶ τοὺς θεοὺς, καὶ τινας τ' ἀνθρώπων ἀγαθοὺς ὀνομάζουσιν, μηδέποτε δυναμένους, μηδὲ εἶναι, μήτε γενέσθαι ἀλλοτριώτατον γὰρ ὄντι τ' ἄλλων. καὶ τὸ θεοῦ ἄχωριστον. ὡς αὐτὸς ὁ θεὸς μὲν οἱ ἄλλοι πάντες ἀθανατοι τιμίενοι τῆ τοῦ θεοῦ προσηγορίᾳ, ὁ δὲ θεὸς τὸ ἀγαθὸν ὃ κατὰ τιμὴν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν. μία γὰρ ἡ φύσις τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν νῆ ἓν γένος ἀμφοτέρων, ἐξ οὗ τὰ γένη πάντα, ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἅπαντα ὄντι δι' οὗς καὶ οὐδὲν λαμβάνων, ὁ οὖν θεὸς, τὰ πάντα δίδωσι, καὶ οὐδὲν λαμβάνει. ὁ οὖν θεὸς ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἀγαθὸν, ὁ θεός. Quæ ſunt, Proinde duabus hiſce Deum appellationibus colere conuenit, quæ ei ſoli congruunt, alteri præterea nemini. Neq; enim ulli ex his, qui dicuntur Dij, aut homines, aut Dæmones, poſſunt ullatenus boni eſſe, niſi ſolus Deus. Et hoc eſt ſolum, & nihil aliud. Cætera uerò omnia ſunt capacia naturæ Bonitatis. Corpus enim ſunt & anima locum non habentia, qui poſit bonum capere. Tanta enim eſt boni magnitudo, quanta ſubſtantia omnium corporum, & incorporearum rerum, ſenſibilium & intelligibilium. Hoc eſt bonum, hoc eſt Deus. Ne igitur dicas aliud Bonum, quoniam peccas impiè, aut aliud quid Deum, niſi ſolum ipſum Bonū, Quia rurſum peccas impiè. Verbo quidem ab omnibus dicitur Bonum, non cognoſcitur aũt ab omnibus quid ſit. Propter hoc neq; Deus cognoſcitur ab oĩbus, ſed per inſcitiã & Deos, & quoſdã homines bonos appellant: qui neq; ſint, neq; potuerint eſſe. Alieniſſimũ enim eſt ab alijs, & à Deo inſeparabile,

cum

cum Deus ipſe ſit. Cæteri igitur Dij, omnes quidem immortales, hoc honore affecti, ut Dij appellentur. Deus autem eſt Bonum, non ſecundum pretium, aut honorem, ſed ſecundũ naturã. Vna enim eſt natura Dei, ipſa Bonitas, & unũ genus utriuſq; : Ex quo cætera genera: Nam bonus omnia dat, nihil accipiens. Deus igitur omnia dat, & nihil accipit. Ergo Deus eſt ipſum Bonum, et ipſum Bonum eſt Deus. Hæc Theologus Aegyptius. Quibus nihil diuinius, ad refellendã ueterem omnem idololatriam, Philoſophorũ, Poëtarumq; errores, ſi qui ſunt, aptius dici poteſt. Ex his, & à Chaldaicis oraculis, Platonẽ apparet, quæ de ſummo Bono in ſecundo, & ſexto de Republica diſſeruit, accepiſſe. Definiuit ergo, præſcripſitq; Mercurius de Bono ſententiã ueram, excellentemq; Bonitatẽ, et quæ à Platonicis uocatur τὸ ἀγαθὸν, ipſum Bonũ, ſiue αὐτ' ἀγαθὸν, per ſe Bonũ, ſoli ei congruere, quod ipſi etiam ſolent appellare ἐπέκεινα οὐσίας, Quod ſit ultra ſubſtantiã. Quod tanquã fontem omnũ rerum, etiã Mentis, et animæ, præferunt, anteponũtq; omnibus. Eoq; nomẽ Dei et Boni declarat Mercurius in illũ duntaxat unũ congruere: ut ſit impietas, ſiue Dei nomẽ, ſiue Boni, cæteris aut hominibus, aut qui dicuntur Dij, attribuas. Eſtq; apud eũ, ut maieſtatem priſcæ Theologiæ noſcas, ea quæ crebrò à Theologis uſurpari differẽtia quod ſit unus uerus, ſingularisq; Deus, cuius ſubſtantia, ac natura ſit ipſa bonitas, cæteros autẽ, quos uſus obtinuit ut Dij uocarentur, eſſe non natura Bonos, ſed τιμῇ honore, opinione, opinata quadã bonitate, & ab hominibus honoris cauſa tributa, non uera ſubſtantia Bonitatis. Atq; in hoc non homines modò, ſed Deos etiã recenſet, qui uerè neq; nomẽ Bonitatis, neq; Dei meretur. Ipſe igitur Mercurius ſeipſum uel refellit, uel declarat, omnesq; alios cuiuſuis diſciplinæ Philoſophos, ſiue Platonicos, ſiue Peripateticos, in appellatione Deorum. Vt enim ex ipſo Mercurio refellitur, uel declaratur Mercurius, cũ dicit in eo qui inſcribitur, Quòd Deus inuiſibilis ſit ex factis manifeſtus: ὁ ἥλιος θεὸς μέγιστος τῶν κατ' οὐρανὸν θεῶν, ᾧ πάντες εἴκουσι οἱ οὐράνιοι θεοί, ὡσανεί βασιλεῖ ὁ δυνάστης. Quod eſt, Sol Deus maximus cœleſtiũ Deorũ, cui cedunt omnes cœleſtes Dij, ueluti regi, ac Principi Et quod alio loco, χοροὶ δὲ δύο θεῶν, ὁ μὲν τῶν πλανωμένων, ὁ δὲ τῶν ἀπλανῶν: Duos eſſe choros Deorum, alterũ erranti alterũ non errantiũ. Et quod alio loco, quòd mundus ſit θεὸς ὑλικὸς, mundus materialis. Refellitur inquã Mercurius aut declaratur ſuis illi uerbis rectitatis, quibus dixit impietatẽ eſſe & inſcitiam, uel Bonitatem, uel Diuinitatem cæteris, ſiue hominibus, ſiue quos uſus obtinuit, ut Dij uocarentur, tribuere. Declaratur autem, quòd tametſi Solem, aſtraque, & mundum Deos uocet, aut ſequitur uulgi conſuetudinem, relinquens ſibi retinensq; ſenſum uerum, ac pietatem, aut quòd tametſi dixerit eos Deos, dixit quadam Diuinitate, quam ipſe uocat τετιμωμένην, appretiata, honorata, affecta hoc honore, non ex natura: affecta autem uel abhominibus, uel ab ipſo Principe Deo, Qui dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, & ut dedit aſtris Diuinitatem, id eſt, fecit nobiliſſima im-

mortalia corpora, niſi uelit ipſe abolere, ſic dedit hominibus, ut in numerum Deorum poſſent euadere, factis etiam alijs ac declaratis Dijs cœleſtibus. Ad hunc ergo modum Platonẽ, cuius Theologia prorſus ab hac Mercurij defluxit, eiq; ſimillima eſt, decet intelligere, Vt enim apud Mercurium audis, unius eſſe ueram Bonitatem, ac Diuinitatem, rurſus audis aſtra, Solem, cœlum, mundum Deos eſſe: Similem ſcito Platonem expreſsiſſe Theologiam. In ſexto de Republica agnoſcit, confiteturq; ueram Diuinitatem, in ſecundoq; Deos ait ſatos cum omnibus ab ipſo Deo. In eiſdem libris uocat cœlum θεῖον γεγενημένον, Diuinitatem factam. In Timæo mundanus Deus creat omnia, etiam Deos, aitq; omnia poſſe ab eo, qui ligauit, diſſolui. Rurſus audis in libris de Legibus cœlum, aſtraq; Deos, quin ipſum Solem iuxta ea, quæ Mercurius prior, maximum Deum eſſe. Hæc igitur eo modo interpretaberis, quo Triſmegiſtus totius Philoſophiæ princeps, præcipuè Platonicæ, docuit. Nec opus eſt confutationibus, cum ipſimet ſeipſos declarent, augustè fatentes, ac ſanctè Deum, Bonumq;, æternũ, conditorem omnium, unicum, ſingularemq;, imparticipabile, Bonitatis ineffabilis, cæteram factitiam, & uelnomine tantum, uel ſimulatam quandam, & honore affectam Bonitatem uel Diuinitatem. Eodem ſenſu oportebit intelligere Ariſtotelem: quandoquidem omnis apud eum Theologia, à maioribus Græcis, & Barbaris manauit. Vt cœli Diuinitatem, neceſſariò eo loco habeat, quo habuere, à quibus ipſe didicit, retinens ſibi ueram pietatem, uerioremq; Diuinitatem, à qua Diuinitas uenerit cœli, eo quo barbari docuere modo, nõ in æternũ pendens, generataq;, ſed facta à magna Bonitate, ac Diuinitate, rerum cæterarũ creatrice, cuius ſit tanta magnitudo, ut ſola potuerit, ſola meruerit eſſe ſempiterna, Cætera quoniam diſtant in immenſum ab ea noua Diuinitate, Bonitateq; fuiſſe donata. Hæc Ariſtoteles certè fateri cogetur, et quidẽ confeſſus eſt, ſiue illũ huc rapiente natura, ſiue animo ſuo ueriora cernente, reſpicienteq; ad eos, à quibus manabant ea, quæ ſcribebat ipſe. Eiuſdẽ etiam alibi confeſſus eſt Triſmegiſtus tantã eſſe, tam differentẽ ab omnibus maieſtatẽ, ut dicat potentiæ eius ὅτε τὰ ἀνθρώπεια, οὔτε τὰ θεῖα προβάλλοι ἄν τις μηδὲ ὅτε τῶν κάτω, μηδὲ τῶν ἄνω ὁμοιόυτι ἡ γήσηται τῷ θεῷ. οὐδὲν ὅμοιον τῷ ἀνομοίῳ & μόνῳ, & ἑνὶ, Neq; humana, neq; diuina eſſe cõparanda. Neq; quæ deorſum, neq; quæ ſurſum Deo ſimilia arbitreris. Nihil ſimile diſsimili, & ſoli, & uni. Ex quibus probantur ea, quæ noſtra Theologia clamat: Vnũ eum eſſe ſempiternũ, uerũ immortalẽ, omnibus diſsimilẽ: factos autem ab eo Deos, et homines, quoniã ille ſolus debet eſſe ſempiternus. Hæc eadẽ, de Bonitate Dei retulit item diuinè in Protagora Plato. Quo libro ex ſententia Simonidis aſſerit, hominẽ bonũ inueniri, perdifficile eſſe: fieri aũt poſſe, ut ad aliquod tẽpus. Sed cũ bonus fuerit, perſeuerare in bonitatis habitu, uirumq; bonum eſſe, ut dixit Plutacus, impoſsibile eſſe, minimeq; humanum. Sed ſolum Deum hoc honore præditum eſſe, hominem autem fieri non poſſe, quin ſit malus.

Deum

Deum creatorem omnium rerum dicere Platonem. Teſtimonia, quibus apparet eum Vniuerſi conditorem nuncupaſſe. Prolem diuinam autorem mundi eſſe Platoni, cui det Patrem in Epiſtola. Cap. X.

EAm mentem in Platone fuiſſe, Deũ ſicut à maioribus audierat, cœli & terræ, cũctarumq; rerum cœleſtium & terreſtrium, quæ prius non eſſent fuiſſe Creatorem, quòd in Timæo tam clarè, & in decimo de Republica confeſſus fuerat, declarant alia, per omnem Philoſophiam eius tanquam ſidera internitentia teſtimonia. Similia enim in libro, qui dicitur Sophiſta, locutus eſt de Deo creatore, atq; in decimo de Republica. Ibi cum de ueris rebus, ac fictis, ſimulatisq; diſſereret, hæc ait: Animalia quidem omnia mortali, & plantas, quæq; in terra ex ſeminibus, & radicibus producuntur, & quæcunq; inanimata terræ complexu tenentur, corpora liquentia, & non liquentia, num altero, quàm creante, & opifice Deo, dicemus poſtea extitiſſe, cum prius non eſſent, μῶν ἄλλα τινὸς ἢ θεοῦ δημιουργοῦντος φήσομεν ὕστερον γίγνεσθαι, πρότερον δὲ ὄντα: aut multorum dogma, aſſertionemq; ſequemur, naturam ex quadam fortuita cauſa, & ſine conſilio, producente hæc ipſa genuiſſe? An cum ratione & ſcientia diuina à Deo extitiſſe? Hæc Plato. Huic autem altiſſimæ quæſtioni Theætetus, quòd adoleſcens eſſet, non reſpondet, ſed uertit oculos ad Zenon, ſiue hoſpitem, expectans quid ille pronuntiet: Quanquam arbitror, inquit, te dicturũ hæc ex Deo extitiſſe, idq; ipſe arbitror, κἀγὼ τοῦτο λαμβάνω οἴεσθαί σε ἐκ θεοῦ αὐτὰ γίγνεσθαι, ταύτῃ καὶ αὐτὸς νεύω μᾶλλον: Tùm uerò pronuntiat ipſe: Sed ſtatuo, inquit, res quidẽ naturales factas, ſiue fieri arte diuina: quæ aũt ſunt ex his, fieri ab hominibus. Innuit ſcilicet artẽ: Deinde multo magis idem hoſpes: ἡμεῖς μὲν τὸ καὶ τἄλλα ζῷα, καὶ ἐξ ὧν τὰ περφυκότα ἐστὶ, πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ τὰ τούτων ἀδελφὰ θεοῦ γιγνόμενα παῦτα ἐσμὲν αὐτὰ ἀπεργαζόμενα ἕκαστα: Nos quidem, tum cætera animalia, tum ea è quibus exiſtunt, quæ nata ſunt, ignem, & aquam, cæteraq; id genus, Dei ſcimus eſſe opera. Hæc Plato diuinus, eadem atq; in libris de Republica, loquẽs de arte, & inuentione diuina, cuius ſint res ueræ, ac naturales, quas humana ars imitetur. Sicut Moſes incipiens à cœlo, & terra, ſcribit plantas, herbas, arbores, animalia diuinitus effecta, tribuens unicuiq; operi diem certã, gradumq; naſcendi. Sic Plato perſequitur unamquanq; rem, uniuerſales primum res, tum particulares, quas Sapientia diuina perfecerit, elaborarit. Ac quanquam nunc potius loquatur in præſens, ut innuat præſentem, ac continuatam rerum productionẽ diuina Sapientia ſuſcitari, ſuſtineriq; natura perenniter generante: claret tamen cum oſtendere nunc diuinitus fieri, quod aliquando diuinitus habuerit principium, ſicut declarauit in Timæo, & ſicut teſtatur Diogenes Laërtius Platonẽ ſenſiſſe, poſuiſſe, eum duo principia θεὸν, καὶ ὕλην. ὃν καὶ νῶν προσαγορεύει καὶ αἴτιον, Deũ et Materiã, quem & Mentem appellet, & Cauſam. Ecce enim quemadmodum idem eſt Deus, Mens, Cauſa, Opifex apud Platonẽ, ſic apud Moſem, Deus Creator, Spiritus, id eſt, Sapientia. Vides enim hic artificem diuinum, cuius ſapientia ueras res eduxerit. Vt

autem eſt in Theologia, per Sapientiam diuinã creata omnia: ſic affirmante Laërtio apud Platonem idem eſſe Deũ Opificem mundi, atq; νοῦν αἴτιον, Mentem, Intelligentiã, ac cauſam. intelligimus hũc eſſe prolem Dei, magnamq; illã, infinitãq; Sapientiam. Accipe enim & confer loca inter ſe diuulſa, & iunge ea adinuicem. Appellatur teſte Laërtio mũdanus Opifex ille à Platone νοῦς, αἴτιος, Mẽs, Cauſa: ipſe tibi declarabit Plato, ſi capias ſecũdã Epiſtolã ad tres amicos, Hermiã, Eraſtũ, Coriſcum. In cuius calce eſt ut in amicitia uera & ſtabili adiurent τὸν τῶν πάντων θεὸν, ἡγεμόνα τῶνδε ὅλων, & τὸν μελλόντων ἔτι ἡγεμόνος, & αἰτίου παντὸς κύριον: Deũ omniũ rerũ præſentiũ, ac futurarũ Principem, tũ principis et cauſæ ſiue autoris Patrẽ Dominũ. Si igitur Plato memorat Patrẽ τὸ αἴτιον, eũq; Dominũ appellat: iſtũ aũt αἴτιον Laërtius fatetur à Platone dictũ mũdanum illũ Opificẽ: profectò cognoſcimus hũc autorẽ, creatorẽq;, ut noſtra, ac Aegyptiorũ Chaldæorũ quoq; prædicabat Theologia, Filiũ eſſe, ac Prolem Dei. Eſt enim αἴτιος is, qui habet Patrẽ, in Epiſtola: & is Platoni eſt Opifex mũdi teſte Laërtio. Clarũ igitur apud Platonem ab altiſſimis generis humani initijs & per omnes ætates delabens dogma, θεὸν γεννήματα πάντα, cuncta eſſe creaturas Dei, non ſolum in principio temporis, ſed etiã ſemper et perpetuò, nõ ſolũ perpetuò, et ſemp, ſed etiã aliquo temporis primordio, nata cũ prius nõ eſſent, diuinæ arte reperta, et reperi ſemper (reiecto Democriti, Leucippi, quos ſecutus eſt Epicurus, dogmate) ex ſortuita cauſa cuncta conſtitiſſe. Nã q; iſti ingeſſerunt, ab antiqs ſeculis nõ eſt profectũ, ex eorũ capite, quod & Atomos ſomniauit ortũ. Sicq; claret ſententia Platonis de ſummo Deo, Opifice mundi, cui tot locis uocaliſſimè dat creationẽ, dat cunctarũ rerũ natarũ, ac naſcentium ſapientiã, ac cauſam adpellans Naturã, Artẽ diuinã, Inuentionẽ ingenij diuini. Is eſt Deus, quẽ, ut phibet Laërtius dixiſſe Platonẽ, ὅπως ἀπάλλος τῶν ὡρῶν ἦ ἀριθμὸς, νῦ μετάσχῃ τὰ ζῶα ἀριθμοῦ, τὸ τῆς λίκης φῶς αὐξάνειν χρὴ θεοῦ: Vt manifeſtus eſſet horarũ tẽpeſtatũq; numerus, ca perẽtq; numerũ animalia, Solis lumẽ accẽdit. Eoq; ſunt oĩa creaturæ Dei. ſic enim bene uideor interpretari γεννήματα, quoniã creauit rerũ formarũq; corporearũ autorẽ Solẽ. Eoq; Moſes teſtatur eũ poſt inuentã maſſã, et chaos, extuliſſe lucẽ, per quã naſcũtur oĩa corporea. Ac in eius creatiõe aſſignãda mirabiliter cũ Moſe conſentit Plato. Neq; enim etiã Moſes alias, quas affert lux utilitates aſſignat; ſed temporũ tantũ, horarũ, dierũ, noctiũ diſtinguendorũ. Poſuit, inquit, ea in firmamẽto cœli, ut lucerent ſuper terram, & ut eſſent in ſigna & tempora, dies, & annos. Plato autem ad diſtinguenda tempora, numeroq; certo res ſeparandas, accenſum eſſe ſolis à Deo iubar in cœlo. Cæteras autem utilitates tacitè demonſtrat Moſes, dum primã cunctarũ rerum lucẽ ſcribit à Deo creatã, nimirũ ut eius auſpicijs cætera coorirentur. Horum igitur omniũ Plato ſanctiſſimè diſtinctè, ſeparatim, clarè refert inuentionem in unum ſingularẽ, unicumq; Deũ, quem clamat iubar Solis inſiammaſſe, ingenio ſuo, omnes rerum ſpecies extuliſſe. Hunc appellat Deum, Mentem, id eſt ſapientiam, Intelligentiã, appellat Cauſam, in Cratylo αὐτὸν, αὐτοφυῆ νοῦν, regiam,

regiam, imperatricem Mentem. Etiam Regem, Principem, uniuerſalẽ, pẽr omnia commeantem, naturam rerum, ut ſuperius uidiſti, producentem. Is autem eſt diuina proles, diuina ſapientia, cui Patrem tribuit in Epiſtola.

Aliis locis creatorem cœli, ordinumq; cœleſtium moderatorem Platonem dicere Deum, qui diſtribuerit ad gubernacula mundi Angelos ſuos, creator mundi, bonorum omnium repertor. Cap. XI.

EAdem affirmat in eo, qui inſcribitur Politicus, in quo Regem deſcripturus, qualem eum eſſe deceat, repetit fabulam ex Atreo, & Thyeſte, qua dicitur antea Solem diuerſa ratione atq; nunc oriri ſolitum, fuiſſe enim Solis occaſum, ubi nunc ſit ortus. Hæc autem etſi fabula ſit, ut idem fatetur, poſita tamen eſt, ut ex ea uerior quædam deſcriptio depromatur. Ibi igitur ſæpenumero repetit cœlum à Deo creatum: concitationem, conuerſionemq; eius, Dei opus eſſe, regi ab eo & circumuerti: poteſtatis eius eſſe, flectere in quam uelit ipſum partem: in hunc ortum, & occaſum, & in hanc formam, qua nunc ſit, poſitum à Deo. Ac dicit: τότε δ' ἂν μαρτυράσας ἄρα ὁ θεὸς ἀτρεῖ, μετέβαλεν αὐτὸν εἰς τὸν νῦν σχῆμα: Tum uero conteſtatus Deus Atreo, mutauit ipſum ſcilicet Solem, in præſentem figuram. Paulò pòſt: Vniuerſum hoc aliquando Deus ipſe regit circum actum, flectitq; circum, aliquando dimittit, cum reuolutiones numerũ temporis ei congruum iã habuerunt. Hoc autem iterum ſponte ſua in contrarium flectitur, utpote animal, & rationem, ac prudentiam ſortitũ ab eo qui à principio ipſum conſtruxiſſet. Hæc Plato. In quibus Deum gubernatorem cœli, motusq; eius præſidem fatetur, cuius maxima, & uniuerſalis incitatio poſit, flecti, circumagi, ſiſti à Deo. Qui poſit cœlo ſic imperare, ac quaſi dicere, Siſte gradum, aut, Flectere in aduerſum, motusq; tuus, qui nunc tendit, in occaſum, flectatur in ortum. Deinde dicit cœlum rationem accepiſſe ab eo à quo à principio factum fuiſſet. In quo ſunt tria dogmata, quæ etiam in Timæo propoſuit, quòd cœlum eſt à Deo conſtructum, compoſitum, coaptatum, quòd id factum ſit κατ' ἀρχὰς, ab initio, in principio, ſicut eſt apud Moſen, In principio creauit Deus cœlum & terram. Tertio quòd tametſi rationem, intelligentiamq; cœlum habeat, habuit tamen ab eodem atque homo conditore ſuo. Homo mentem, rationemq; ſortitus ab eo, qui creauit rationem: ab eodem, Platone teſte, cœlum, factum eſt rationale. Quocirca ſicut non meretur homo Diuinitatẽ, id eſt, diuinos honores, ob rationem & ſapientiã, tanquam ipſe rationis & mentis ſuæ ſit autor: ſic non meretur, nec mereri debuit apud Philoſophos cœlũ, ob rationẽ, certamq; ſapientiã, ordinisq; Diuinitatẽ. Sed exclamandũ fuerat, quod ille longe ſapientior, Cœli enarrant gloriam Dei. Huic honores diuini, huic laudes, hymniq;, non cœlo debebantur. Quod aũt de reuolutione loquitur Plato, & quid ueri habeat, quandoquidem toto illo loco diſſerit de reditu ad alteram uitam, declarabitur alio oportuniore loco. Proſequitur Plato, qui totis ſuis libris ab Heraclito duo genera rerũ ſemper memorat, quod ſemper eſt, et quod nunquã, fitq; ſemper, cœlũ dicit eſſe ex primo genere: ὃν δ' ἐγὼ ὁρῶν ὁ κόσμον ἐπονομάζειν, πολλῶν μὲν & μακαριον παρὰ τὸν γεννήσαντος μετείληφεν:

Quod

Quod, inquit, cœlum, & mundũ nuncupauimus, multa quidem, et beata ab eo qui eum creauit accepit. Factum dicit cœlũ beatum à Deo genitore ſiue creatore ſuo, factum incorruptibile, inſeneſcibile, ut dixit in Timæo, eoq; eodem ipſo loco acceſſe fatetur immortalitatem ἐπισκευασλὼ πρὸς τὸ δυμιεργὸ, aduentitiam, factitiamq; à conditore, ab opifice. Id eſt, non ueram immortalitatem, qualis ipſius opificis, ſed factam quandam, excogitatamq; ab ipſo, qualis animorum ab ipſo repertorum, qui potuit creare res æternas, & corruptibiles, ut uellet. Hic Plato quoque perhibet in illa παλινγενεσία, reuiuiſcentia, renaſci terrigenas & ex terra, ex humo conſurgere, eos duntaxat, ὅσους μὴ θεὸς αὐτῶν εἰς ἄλλην μοῖραν ἐνώσμησε; Quos non Deus ipſe in aliã ſortem diſpoſuerit. Quo docet, & cœli cõuerſionẽ, et illã regenerationẽ diuino nutu adminiſtrari, De quo poſtea diligentius. Proſequitur loquens de ſeculo illo aureo, cũ ſponte ſua tellus ferret oĩa nec raſtros patiebatur humus, non uinea falcẽ eã ſeculi felicitatẽ nõ fuiſſe ſub hac cœli cõuerſione, motuq; hodierno, ſed alia. τότε γὰρ αὐτῆς πρῶτον ἦ κυκλήσεως ἡνίχεν ὅλης ἐπιμελὸμενος θεὸς: Tunc enim eius conuerſionis primũ Deus præſes erat, & princeps. Autor, inquit, ipſe fuit felicitatis eius, cœlum uertebat ipſe, præerat ipſe cœli reuolutioni ille. Eodem loco tantam huius Dei maieſtatem fatetur, quemadmodum Timæus Locrenſis tradidit in ſua Geneſi, ut affirmet eum uniuerſo mundo præfeciſſe Dæmones, id eſt, Angelos, ut Philo interpretatur, qui regãt tanquam ductores gregum, totum genus humanũ, iuxta diſtributiones ſuas, quas aſſignarit eis Deus, θεὸς ἑνέμεν αὐτοὺς. Paulò inferius, ὁ παντὸς κυβερνήτης, Vniuerſi gubernator. Ibidem, θεὸς ὁ κοσμοποιήσας, Deus creator mundi: Et quod paulò ſuperius mundum ſiue chaos inordinationis, confuſionisq; antè plenum fuiſſe, quàm in hodiernũ ordinẽ redigeretur. παρὰ μὲν γὰρ ὁ συνθεὶς πάντα καλὰ: Ab eo enim, qui cõpoſuit, omnia bona, aut pulchra. Id ſcilicet quod Moſes: Et uidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Sicq; ad omnia opera ſex dierum, Quòd eſſent bona. Tandem, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, quòd erant ualde bona. Nam cum Ideam Boni, uniuerſalem, magnamq; Bonitatem attribuit Deo, ut uidiſti, tum eum uerè Bonum duntaxat eſſe iuxta ſacras literas affirmat. Siquidem in Protagora qd'à Simonide didicerat, perpetuã aut uerã bonitatẽ homines poſſidere non poſſe, ſed ſoli Deo hoc decus eſſe. In quo & uetuſtæ Theologiæ, quæ in Simonide apparet, dignitatem admirari licet. Quippe & diuinam hanc Sapientiam Plato dicit, & eã, uel à Simonide cœpiſſe, uel eſſe etiã uetuſtiorẽ. Agnoſcis inquã uetuſtæ Sapientiæ, ac Theologiæ maieſtatem, quæ ſoli Deo perfectam adiudicat Bonitatem. Eſt enim hoc quod ipſa Progenies Dei apud nos, Nemo bonus niſi ſolus Deus. Et, Omnis homo mendax.

Varia teſtimonia, quibus ſingularis Dei apud Platonem probatur confeſsio: quem & creatorem mundi fatetur, & ei bona cuncta accepta refert. Cap. XII.

SVnt aliæ per totam Platonis Theologiam, de ſummo, ac ſingulari Deo, mundi, rerumq;

rerumq; omnium autore clarißimæ uoces, quas qui conſideret, uidebit eandem ſem per apud ſapientes fuiſſe magni Dei, quem Natura docuit ipſa, confeßionem. Eas ſi quaſi per epilogum ſub oculos poſueris, ueriſſima, quæ dico probabis. Laërtius Diogenes creatorem mundi Platonem aſſerit Deum ſenſiſſe, quod Marcus noſter perhibet: Qui in Timæo, inquit mundum ædificauit Platonis Deus. Idemq; paulò pòſt, Si hæc nata ſunt, ut Platoni uidetur. Et Ariſtoteles in libris de cœlo καὶ γενόμενον, ἄφθαρτον διατελεῖν ὥσπερ φησὶν ἐν τῷ τιμαίῳ. ἐκεῖ γάρ φησι τὸν θεὸν γενέσθαι τὸ μὴ φθαρτόν. Et Laërtius à Deo factũ mundũ ſenſibilem, & chaos indigeſtum, reuocatum ad ordinem à Deo, Platonem dixiſſe, Deumq; ei uidere incorporeum: Iuſtitiamq; eſſe legem Dei. In Apologia, adeo Deũ colendũ obſeruandumq;, & ob amorem eius, nunquam iuſtitiam uiolandam, ut fateatur Socrates ab antiquis Philoſophis acceptum, ſe Deo potius obſecuturũ, quàm hominibus omnibus: πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. Id eſt, nempe quod ueri, ac ſancti Theologi, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Ibidem ſe datum à Deo ſuæ ciuitati gloriatur, qui mores eorum corrigeret, oſtenderetq; ſolam uirtutem eſſe colendam: ὅτι δὲ ἐγὼ τυγχάνω ὢν τοιοῦτος οἷος ὑπὸ τοῦ θεοῦ τῇ πόλει δεδόσθαι. Is Deus eſt, qui per omnes ætates dedit aliquos meliores, miſit Prophetas, & Sapientes, & Scribas, ſingularis, prouidus, humanus, creator, proſpector rerum humanarum. In eo, qui ſcribitur Phædon, apertè prædicat eum curare res noſtras, λυσιτελοῦντα ἔχει, θεόντε ὄντα ἐπιμελεῖσθαι ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς τε κεκτῆσθαι. Id eſt: Rationabile eſſe, & Deum curare, ac prouidere nobis, & nos eſſe poſeßiones, aut peculium eius. Hoc Ariſtoteles eſt in moribus ſecutus. Ibidem ſe cogniturum paulò pòſt, quæ poſt hac uitam ſequãtur, ſi Deo placuerit, ait Socrates. In Cratylo, eum per quem uiuamus, eſſe naturam τοῦ θεοῦ, Dei. In Theæteto quid dicturus, more piorum loquitur σὺν θεῷ, cum Deo, cum Dei adiutorio, ſi Deo placuerit. Eodẽ libro ſtatuit ab hoc mundo quamociſſimè fugiendum: φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ δυνατόν. Fugam autem eſſe fieri Deo ſimilem pro uiribus: innuens quod Moſes, Ad imaginem Dei fecit illũ. Similitudinemq; eſſe, ſanctum, ac iuſtum eſſe cum ratione, & prudentia. In Politico præter ſuperiora, uocat Deum ποιμένα ἀνθρωπίνης ἀγέλης, Paſtorem gregis humani. In Parmenide, ſolum Deum poſſidere abſolutiſſimam ſcientiam, qua poſſit etiam res humanas cognoſcere: ἆρα ἄλλου τινὸς μᾶλλον θεὸν ἔχομεν τὴν ἀκριβεστάτην ἐπιστήμην, διότι ἐστὶν ὁ θεὸς τὰ παρ' ἡμῖν γινώσκειν. αὐτὴ γὰρ ἐπιστήμη ἔχων. Et quòd apud Deum ſit hæc dominatio omnia noſcendi. Quod Ariſtoteles in Metaphyſicis. In Philebo, poſuiſſe in mundo infinitum, & definitionem τοῦ θεοῦ τὸ μὲν ἄπειρον λέγειν τῶν ὄντων, τὸ δὲ πέρας. Ibidem præter alia ſuperius oſtenſa, Veras eſſe uoluptates, quæ uirtute pendentes, Deo ſint comites. In Phædro,

dro, Deum esse θεὸν ἀθάνατόν τι ζῶον, Animal immortale. Ibique optat ut ea, quæ disserit, sint Deo placita, ταῦτα, μὲν δὴ ὅσῳ θεῷ φίλον. Ibidem Iupiter est magnus Dux ac Princeps, ut apud nos, Rex exercituum, quem sequatur exercitus Deorum, & Dæmonum, ut est in nostris literis, Currus Dei multiplex millia lætantium. pro quo Græce, Currus Dei μυριοπλάσιον, multarum myriadum. Et pro Lætantium, sunt Angeli. Sic Plato: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεὺς ὠτίνον ἄρμα ἐλαύνων, τῷ δ' ἑπονται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων: Magnus princeps in cœlo Iupiter currum alatum inagitat, sequiturq; eum Deorum, ac Dæmonum exercitus. Et quod ait, an possint inueniri qui intueantur in ipsum Vnum aut multa, θεὸς οἶδε, Deus nouit. Et cum rogat ibidē, an noscat quomodo Deo rem gratam possit facere, de oratione agens, uel loquens, ὅπως θεῷ μάλιστα χαριῆ. Et in Alcibiade, cum quid dicturus ait ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, Si Deus uoluerit. Similiter, ὅ, τι ἂν θεὸς ἐθέλῃ, Quodcunq; Deus uoluerit. Et cū ibidem tastatur, quòd cognoscens quis Deum & sapientiam, sic etiam noscet se ipsum, θεὸντε καὶ φρόνησιν, οὕτω καὶ ἑαυτὸν ἄν γνοίη μάλιστα. Et cū in Theage Socrates fatetur, Theagem multum augendum, ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον, Si Deo gratum fuerit. In eo qui inscribitur Laches, postridie promittit se uenturum Socrates, Deo uolente. Simile in eo qui dicitur Hippias maior, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ. In eo qui appellatur Lysis, Deum amicos facere, quos iuxta Homerū, associet ad inuicē. Quid uerò illud in Gorgia, Quantum temporis uiuendum nobis sit non debere uos sollicitos esse, neq; uitæ nimio amore detineri, sed super eo Deo relinquendā curam, credendumq; mulieribus, neminem esse qui diem constitutam subterfugiat. Itaq; considerandum diligenter, ut hoc quidquid temporis est, iustè, & laudabiliter transigatur. Et illud quod est in septimo de Legibus, Deum quidem esse omni beato studio dignum, hominem autē esse opus eius. Et cum in decimo, de anima locuturus affirmat Deum inuocare oportere. Et in quinto, quòd Deus dedit eis ut nouam conderent rempublicam. Socrates item in Phædone, Deum, inquit, arbitror, & ipsam uitæ speciem, & si quid aliud est immortale, omnes cofitentur nunquam interire. Omnes per Iouem, inquit, homines, & longè magis, ut ipse arbitror, Dij. Hic plato monstrat omnium hominum, ac Deorum esse confessionem, Deum esse sempiternum, separans Deum à Dijs, quorum confessione Deus sit immortalis. in eo autem qui dicitur Ion, ait Deum ablata uatibus mente, eis uti ministris, positis scilicet in excessu: Quale nostris Prophetis usu ueniebat. Sunt alia plurima, quæ si quis sapienter consideret, cernet profectò ualido naturæ, & ueritatis impulsus in omni actione, cogitationeq; uitæ ad inuocationē singularis Dei. Atq; hanc Platonis uariam naturalemq; Theologiam, quam Naturæ formabat ipsa, apud omnes, sed præcipuè uetustiores inueniet, qui libros eorum diligenter dictáque perspiciet Similiter enim locuti sunt, ut uidimus, Pytagorei, Tales, Empedocles, Parmenides, Anaxagoras, Euripides, Aeschylus, Theognis, Phocylides, Pindarus, Hesiodus, Demosthenes, Homerus.

AVGVS-

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER SEXTVS.

Quod recentiores Philosophi, qui post Platonem & Aristotelem floruerunt, Theologiam maiorum uenerati imitatiq́, mirifice cum Theologia cœlesti consenserint, unum singularemq́ Deum appellantes, omniaq́ de eo prædicantes, quæ sunt in libris sacris, Testimoniumq́ Theophrasti, & Alexandri de Deo. Cap. I.



Mnium seculorum consensus, & omnis per uniuersa tempora linguis humanis consonè celebrata diuinitatis cõfessio declarat uel illam à rerũ exordio lucẽ ueritatis, per omnes ætates progressam, nunquam penitus caligasse, uel ipsam sese attollentem naturam, semper ad notionẽ, confessionemq́ Dei iter hominibus aperuisse, instigassèq́ eos, ut eũ non modò singularem ubiq́ nominarent, sed eas quoq́ uoces ederẽt, quibus in ueris literis, cœleste Numẽ à Prophetis exaltatur. Vt appareat unam eandemq́ esse sapientiam, uel quam Natura, uel quam oraculum cœleste reuelauit. Ita demum fieri, ut lux postremis seculis allata terris, ea sit, quæ fuit semper, quamq́ uelut naturalem, ueramq́ & unam, multorum ratio, præcipuè sapientũ, consentiens uidit, asseruit. Nullamq́ esse, si quis cunctas ad unum fontẽ, ex quo fluunt omnes, reuocet hominũ sententias, in uita degenda, in asserendis principijs ac finibus inter omnes discordiam. Nisi quòd obscuritate priorum seculorum fulgore magnæ lucis illustrata, iter quod erat tenebrosum, & ambiguũ ad ueram sapientiam apertum est. Factumq́, ut audacius de rebus diuinis posteriores Philosophi, & maiore nobiscum consensu disseruerint. Sed unde fulgor ille ueniret, eorũ pleriq́ fateri noluerunt. Ordiamur igitur à Theophrasto, & quid de summo, & incomprehensibili Deo senserit, audiamus, ut ex discipulo præceptorẽ Aristotelem, omnemq́ scholã agnoscas. Is in libris de Metaphysica scribit de primo principio: τὸ γὰρ πρῶτον καὶ θεῖον, καὶ πάντα τὰ ἄριστα βούλομενος. τάχα δὲ τοῦτο μοίρᾳ ὑπερβαίνοντες καὶ ἀκριβοῦντες: Nam id quod est primum, & diuinissimũ, omnia optima uult esse. Fortasseq́ id est exuperans omnẽ scientiã, & inscrutabile. Quid altius dici et ueræ Theologiæ cõgruentius potuit? Hæc Theologia illa magnorũ Philosophiæ nostræ principũ: Ô altitudo diuitiarũ sapientiæ, et sciẽtiæ Dei, q̃ incõprehensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit

sensum

ſenſum Domini? Dicitur idem à Theophraſto, dicitur excedens, ſupergrediẽs, nem
pe mentes humanas, omnem cogitationem, cui non liceat unquam ad ſupremam il
lã aſpirare Naturã. Sic quoq; uocatur à Dionyſio ὑπερεσσίαος, ſuperſubſtantia
lis. Vocat Paulus ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, inueſtigabiles uias eius. Theophra
ſtus ἀζήτητον, inſcrutabilem, inuentu impoſsibilem naturam eius. Eſt item in Theo
phraſti Philoſophia hac, illa Moſaica, quæ per omnia ſex dierũ opera declaratur,
ad quorum unumquodq; Dicitur Deus uidiſſe quod eſſet bonum. Vidit bona, quæ
conſilio uoluntateq; ſua bona, imò uerò optima naſcebantur. Sic Theophraſtus cõ
firmat eum uoluiſſe, uelleq; optima cuncta, nuſquam ut uitio, malitiæ detrimento ſit
locus. Hæc in mundo formoſa, uenuſta teſtari artificem, optima uoluiſſe. Definitur
igitur, et uocatur à Theophraſto prima Natura θεότατον, diuiniſsima, ὑπερβα
τον tranſcendens, ſupereminens. Quod Plato in Republica ἐπέκεινα τῆς οὐσίας,
Vltraſubſtantia. Noſtræ literæ, ὕψιστον, altiſsimũ. Mercurius & Acmon, uel Am
mon, & Plato, ut uiſum ſuperius, σκάνκτυφον, obſcurum, clauſum undiq;, cogita
tu difficilem, dictu ineffabilem. Tria nomina Naturæ diuinæ apud Theophraſtum,
θειότατον, ὑπερβατον, ἀζήτητον, diuiniſsimũ, ſupergrediens, inſcrutabilis. Ad
de cũcta uolens optima. Eodẽ libro Theophraſtus hæc ex intimis Philoſophiæ my
ſterijs: θεία γὰρ πάντων ἀρχὴ, δι' ἧς ἅπαντα καὶ ὄντα, καὶ διαμένει: Diui
num Principium, per quod omnia ſunt, & permanent. Quo Moſes ore loquitur
alio? quid clamat aliud Philoſophia cœleſtis? Ex ipſo, per ipſum ſunt omnia, diuus
Paulus ait. Sentitur idem ab utroq;, altero cœlitus inſtructo, alterum erudiente natu
ra & ratione, quæ nonnunquam relicta regione terreſtri, nubes & ſidera tranat.
Eruit item in lucem demerſam in profundo ueritatem. Non aſſero, quanquam for
taſſe poſsim, latitare ſub hoc Theophraſti de diuino Principio ſermone creatiõem
mundi, Si per ipſum ſunt & permanent omnia, Sunt, referri ad originem, cum nata
ſunt: Permanent, ad conſeruationem iam rerum conditarum. Sed hæc ſapientiſsimo
cuiq; cogitanda relinquo. Poſt hanc Theophraſti, qualis ac quanta manat Alexan
dri Aphrodiſei ab ore Theologia? quod etiam Theologis Græcis mirũ in modum
placuit. Is de diuina prouidentia ad Antonium Pium Imperatorem ſcribens, & ſin
gularem illum, magnumq; Deum nominauit, & adeſſe præſentem rebus humanis
uidentem, luſtrantemq; mundum, conſtanter aſſeruit, nihil à noſtris diſſentiens:
τὸ δὲ λέγειν μὴ βούλεσθαι τὸν θεὸν, τῶν ὑπ' αὐτὸν προνοεῖν, παντελῶς
ἄλογόν ἐστιν θεοῦ. φθόνος γάρ τινος, καὶ παντὸς ἀπόπτου φύσεως, τὸ τὰ
βελτίω μὴ ποιεῖν δυνάμενον, ἐπειδὴ δὲ ἑκάτερον τούτων ἀλλότριον θεοῦ,
ὅτε μὲν ἄμφω εἶναι πρὸς αὐτὸν, ὅτε θάτερον. εἰ δὲ βούλεται καὶ δύναται, δῆλο
ν ὡς καὶ προνοεῖ: Dicere, inquit, nolle Deum, rebus quæ ſunt hic, proſpicere,
omnino eſt à Deo alienum. Inuidiæ etenim, & prorſus iniquæ naturæ eſt, meliora,

cum

um poßis, facere nolle. Et quoniam utrunq; alienum eſt à Deo, neq; utrunq; ſit in eo, neq; alterum. Quòd ſi uult & poteſt, uiiq; etiam proſpicit. In his non modò ſingularis ille Deus nominatur, uerum etiam is Deus, qui non ſolùm moueat cœleſtes orbes, aut primum Mobile, quod Ariſtoteles ſentire uidetur, uerum etiam per omnem mundum diffuſus, cuncta proſpiciat, præcipuè res hominum, quas æternis regit imperijs. Abſoluitq; eum Alexander (quanquam Peripateticus) ab orbe primo, cuius concitatione fit totius cœli conuerſio. Neq; dedit ei, quemadmodum ſentire Peripatetici hodierni aſſeuerant Ariſtotelem, duntaxat machinæ cœleſtis motum. Neq; enim ſi Deus proſpicit, quod neceſſarijs rationibus colligitur ab Alexandro, prouidentia eius ſolo cœli motu conſtabit reliquis alijs multis, quibus nulla cum cœleſti motu ſit cognatio. Neq; ſolùm corporaliter more beſtiarum uiuitur, neq; frugibus legendis, carpendis fructibus motu cœleſti maturatis conſtat hominum uita. Sunt aliæ actiones, ad quas oculos ſuos intendere prouidentiã oporteat, alioqui non efficiatur quod colligitur ab Alexandro. Ecce igitur Deum uerum, uniuerſalem, totam mundi regionem complentem, uſq; in intimas cogitationes penetrantem propoſuit Alexander nobis, non Deum mouentem duntaxat primum orbem, aliud præterea nihil agentem. Cui ſi gubernaculum, ſi prouidentia, rerumq; adminiſtratio tribuitur, non ſolus cœli motus profectò tribuitur, qui corporeus eſt omnis, animans mundum corporaliter, ſed tribuitur item cura rerum meliorum, ſpiritualiũ, actionum humanarum, diſpoſitio regnorum, animaduerſio malorum, prouectio bonorũ, quibus conſtat prouidentia. Hoc teſtimoniũ Alexandri ſufficit pro cunctis peripateticis, quorum poſt Theophraſtum nemo æquè nobilis. Fremat licet Auerroës, reſpiciam meliores uetuſtioresq;, quorum autoritas ſubſecutos pudefaciat. Sed ego qui poſt Theophraſtũ, ſeculorum ordinem reſpectans, è noſtris eos, qui non longius ab eo ſecuti ſunt, accerſire debuerã, qui luces quoq; ſuas, muneraq; Naturæ nobis oſtenderent, Alexandrũ inieci propter familiæ cognationem. Hinc iuxta Theophraſtum duos ex his nobiliſſimos ſtatuamus, Marcum Tullium, & Vergilium, & alios nonnullos, qui de deo præbebunt eadem teſtimonia.

Theologiam Romanorum agnoſcere, fateri nominare Deum unum ſingularem, proſpicientem omnibus, ubiq; præſentem, mundum omnem implentem, immenſæ ſapientiæ, rerum creatorem, animorum largitorem, Mentem Vniuerſi, iuuiſibilem, ex operibus agnoſcendum. Variaq; de eo Marci Tullii Philoſophia. Cap. II.

SImilis igitur horum quoque atque Græcorum Theologia eſt, ſi quis uoces eas capiat, quas ex illo inſtinctu protulerunt, quo non ſuperſtitioſi, ſed homines & ſapientes erant, ex illa progenie nati, quam Deum creaſſe eumq; creantem & louentem, uidiſſe, audiſſeq;, doctrina cœleſtis declarauit. Iam primum audi Vergilium, qui & ſingularem, unum iuuenalemq; Deum iuxta Homerum, omneq; genus hominum nominauit, exinde quædam propius è Theologiæ fontibus manantia deſcripſit: ut illud, Dabit Deus his quoque finem. Is Deus, qui finem laboribus impoſuit, recreat afflictos, quis alius, niſi is, de quo Pſalmus, Dominus erigit eliſos, ſoluit

t compeditos:

compeditos? Non utique quiſquam ex illius tempeſtatis poëticis Dijs, Nominatur enim per excellentiam Deus, qui res humanas attendat, Deus Vniuerſitatis. Naturalis, non natus è Saturno, aut fictitius quiſquam. Is ille quem Prophetæ ſemper celebrant, & nouiſſimis ſeculis omnium per ora uerſatur, oblatus à Natura prius, dein manifeſtè reuelatus: quem ratio, Naturáq; ſuggerit animis, & ad eum nominandum linguam impellit. Eundem poëta reſpexit, Numero Deus impare gaudet. Reſpicit enim hic harmoniam, rationemq; mundanorum numerorum, quos repertos à Deo, factosq; ut inuicem continerent, in quo imparitas eſt, eáq; harmonia, id eſt, conſonantia, congruentia, etiam Ariſtoteles teſtis, ut ſuperius claruit. De eodem ſcripſit apertius ex ſententia Pythagoreorum:

–Deum nanq; ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum,
Quemq; ſibi tenues naſcentem arceſſere uitas.

Is Deus Vniuerſi, fons animorum, quia creator, origo, unde petunt animas omnia naſcentia, uitam hominum gubernans, finemq; laboribus, & incommodis imponens, omnia faciens numeris imparibus conſonare. Eundem deſcripſit, Naturamq; magnam, per omnem mundum diffuſam, fundentem uitas omnes, mundum animantem, alentemq; omnia nominauit:

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Hæc de magno Deo, quem Pythagoras Ψύχωσιν τοῦ παντὸς, animationem Vniuerſi dixit, imitatusq; eſt eum Poëta. Hunc itẽ Ouidius ſingulariter uocat, & mundanæ creationis autorem confitetur. Qui chaos inuolutum, confuſum expedierit, elementorumq; litem compoſuerit,

Hanc Deus & melior litem Natura diremit.

En quod Ariſtoteles, Philoſophiq; ſolent in diſſerendis, explicandisq; Naturæ rebus, aſſociare ſemper Deum ac Naturam. Videlicet quia Naturæ princeps, autor, moderator, quo ſi uacaret, in cineres Natura, nihilumq; abiret, omniaq; in chaos reuerterentur, chaos in nihilum, tenebrasq; priores. Hanc ob cauſam Deus & Natura coniunctim nominantur, ut nauis & gubernator, ut hortus et conſitor, ut currus & auriga, opifex et opificium: Rex et regnum. Eundem pulcherrimè Philoſophiæq; ex theſauris nominauit, deſcripſit, aperuit alius Latinus Philoſophus Seneca. Quid eſt, inquit, Deus? Mẽs Vniuerſi. Quid eſt Deus? Quod uides totũ, et quod nõ uides totũ. Sic demũ magnitudo illi ſua redditur, qua nihil maius excogitari poteſt. Sic ſolus eſt omnia, opus ſuũ, & extra, et intra tenet. Quid ergo intereſt inter Naturã Dei et noſtrã? Noſtri melior pars animus eſt, in illo nulla pars extra animũ, totus

totus ratio eſt. Hæc definitio Dei apud Senecam, oſtendit eandem omnium genti/
um cum Theologia cœleſti ſuper appellatione, ſcientiáq; ſummi Dei, concordi/
am. Hebræi, Græci, Latini conclamãt unicum, omnipotens, magnumq; Numen,
cuius magnitudo ſuperet omnia. Quid enim aliud hoc Philoſophi Latini, atq; quod
apud Hebræum Vatem de ſe prædicat Deus? Cœlum & terram ego impleo. Ec/
ce Latinus quoque affirmat, tunc illi magnitudinem ſuam reddi, maieſtatemq; ei/
us uero exemplo demonſtrari, cum circunſpiciens cœlum ac terram, talem ac tan/
tum cogites eum, qui fecit hæc omnia: maiorẽ quoq;, quoniam eſt quod uides, &
quod non uides. Non modò uidelicet æquè atq; uiſibilis mundus, ingens, ſed ingen
tior item, inuiſibili noſtris oculis magnitudine. Quæ ſi uideri poſſet, uideremus eum
non modò cœlum ac terras æquantem, ſed inæſtimabili interuallo ſuperantem. Eſt
igitur Deus, quod uides, & quod non uides. Eſt ſcilicet quaſi mundus, ſed mundus
inuiſibilis, mundus ſapientiæ, ſcientiæ, rationis, uniuerſitas incomprehenſibilis, ani
mi uaſtitas. Nihil illic non animus, non ratio, tam unicus, quàm magnus. Immenſi/
tas uniformis, non corporis autem, non elementi, non ignis, aquæ, uel aëris immen
ſitas, ſed ſapientiæ, rationis, conſilij, prudentiæ, bonitatis. Cernitur autẽ in hoc mun
do uelut opifex in opere ſuo, cum iudicamus ex opificijs opifices. Sic magnitudo di
uina æſtimatur ex operis ſui magnitudine, cuius quidem mens eſſe dicitur, nõ quod
corpus Dei ſit, mundus, ſed quòd opificium regiur, aliturq; ab opifice ſuo, perin/
de ſi dicas, mentem nauis eſſe gubernatorem. Item omnia, dicitur eſſe, quoniam per
ipſum facta ſunt omnia deq; theſauris ſuis proruperunt, nec ſine ipſo fieri quic/
quam potuiſſet. Item de immatura morte diſſerens, Non intelligis, inquit, autorita/
tem, ac maieſtatem iudicis tui rectoris orbis terrarum, cœliq; & Deorum omni/
um Dei, à quo iuſta numina, quæ ſingula adoramus, et colimus, ſuſpenſa ſunt. Item
in exhortationibus: Hic cum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, et hoc
ordiretur, quo neque maius quicquam nouit Natura, nec melius, ut omnia ſub du/
cibus ſuis irent, quamuis ipſe per totum corpus ſe intenderat, tamen miniſtros reg
ni ſui Deos genuit. Hæc Seneca, quæ etiã à Lactantio proferuntur. Omnis ergo lin
gua confitetur Dominum. Inciſa enim fuit ea lex in natura, quam nulla peruerſitas
unquam obliteret, qua ſurſum rapitur ignis, aqua labitur deorſum. Sed ad Philo/
ſophiæ Romanæ inter omnes facile principem reuertor, huc uſque uolens utro/
que prolapſus. Apud hunc, magnam Naturæ facibus illuſtratatam lucem ue/
ritatis deprehendas, haud ei diſſimilem, quàm cœleſtes in terris uoces intonu/
erunt. Modoque eum uim immortalem, inuiſibilemque appellat, modò crea/
torem mundi, ſæpe quoque ſingulariter, quemadmodum ſuperiores, nomu/
nat. Ac quanquam erat cum cæteris Romanis, ſub uanis natus & educatus
ſuperſtitionibus, quæ non ingentem modò Deorum plebem colerent ac nominarẽt,
ſed eorum etiam Deorum, quos ubique Natura repudiaret, ſæpe tamẽ ad unicum
illum Naturæ totius Deũ conuerſa mente, ſingularem Diuinitatis appellationẽ ei

uendicat. In Quæstionibus Academicis primum referens ſententiam Philoſophorum, Nam cum dicatis, inquiunt, uiſa quædam mitti à Deo. Item, Quærunt quonam modo falſa uiſa quæ ſint, ea Deus efficere poſſit probabilia. Et, Si tale uiſum obiectum eſt à Deo dormienti, ut probabile ſit. Et ſub perſona contradicentium, Quis enim tibi dederit, aut omnia Deum poſſe, aut ita facturum eſſe, ſi poſſit? Et, Neque tam quereret cum Deo, quod parum longè, quàm quod falſum uiderem. Item, Plato ex materia in ſe omnia recipiente, mundum eſſe cenſet à Deo factum ſempiternum. Item, Cur Deus omnia noſtri cauſa cum faceret, (ſic enim uultis) tantam uim natricum uiperarumq; fecerit? Et ex Epicuro, Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim poteſt, cum exiſtimet à Deo ſe curari, non & dies, & noctes diuinum Numen horrere? Et in Legibus. Ad Deos adeunto caſtè, opes amouento: qui ſecus faxit, Deus ipſe uindex erit. His conſtat Philoſophos uti caput, ſummamq; omnium conſiderationem & ſcopum, ad quem totus de natura ſermo dirigatur, autoremq; rerum omnium, de quibus dicendum eſt, Deum proponere, cui & factionem mundi, & rerum humanarũ procurationem, uniuerſalemq; autoritatem decernunt. Eadem eſt Philoſophorũ nuncupatio Dei, omniumq; rerum attributio in libris de Natura Deorũ. Ac quanquam Marcus iuxta uulgi conſuetudinem nonnunquam plures Deos de rebus diſſerens aſciſcat, errore tamen abiecto, mens, linguaq; redit ad unum. Et in ſecundo de Natura Deorum, Non eſt igitur natura Deorum præpotens, neque excellens. ſiquidem ea ſubiecta eſt ei uel Neceſsitati, uel Naturæ, qua cœlum, maria, terraq; regantur. Nihil autem eſt præſtantius Deo. Ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi. Nulli igitur eſt Naturæ obediens, aut ſubiectus Deus. Omnem ergo regit ipſe Naturam. In his Marcus cum Deos ac Deum appellet, cum ſummum aut ſupremum Deum, ſæpe cæteris in libris nominauerit, ut oſtendam, & cum hic nihil Deo præſtantius affirmat: qui præſtat autem cæteris, unum ſit neceſſe eſt: neque enim præſtaret, ſi multos æquales haberet: certè coarguitur uanitas eſſe, Deum non ſemper, ut nonnunquam, aſciſcere. De eodem. cum Philoſophi res admirati, cœpiſſent philoſophari, Sic Philoſophi, inquit, debuerunt, ſi fortè eos primus aſpectus mundi conturbauerat, poſtea cum uidiſſent motus eius finitos & æquabiles, omniaq; ratis ordinibus moderata, immutabiliq; conſtantia, intelligere ineſſe aliquem non ſolùm habitatorem in hac cœleſti ac diuina domo, ſed etiam rectorem & moderatorem, & tanquam Architectum tanti operis, tantiq; muneris. Hæc conſideratio reſpicit unum ſingularem, iuxta ea quæ tradiderat Plato, quem libenter ſequitur Marcus. Nam architectus operis tanti, quem Græcè Plato uocat δημιουργὸν, unus ſit neceſſe eſt, & unus à Platone nominatur. Habitatorem quoque mundi, ſi bene reſpicias, appellat, quem maiores animum mundi, mentem Vniuerſitatis, animationemq; dixerunt. Quam uim, inquit in Academicis, animum eſſe mundi dicunt, eandemq; eſſe Mentem, ſapientiamq; perfectam, quem Deum appellant.

appellant. Vnus igitur mundi Architectus ô Tulli, non plures esse possunt: sic una Mens, non plures, unus animus, una sapientia. Cur ergo dicis nonnunquam Deos, non semper unum? cuius magnitudo impleat cœlum & terram, Deos habens uti ministros. Eundem de Natura Deorum innuit, cum ait, Quam, inquam, id est, rerum per omnem mundum uarietatem, si ut animis, sic oculis uidere possemus, nemo cunctam intuens terram, de diuina ratione dubitaret. Appellat diuinam rationem, quam in Academicis dixerat à Philosophis appellatam Mentem, sapientiamq; perfectam, eamq; esse Deum. Eundem quoque, respicit, autoremq; generis humani, quemadmodum Moses, omniumq; ad uitam degendam commodorum largitorem, prædicat in secundo. Ad hanc, inquit, prouidentiam naturæ tam diligentem, tamq; solertem, adiungi multa possunt, è quibus intelligatur quantæ res hominibus à Deo, quamq; eximiæ tributæ sint, qui primum eos humo excitatos, celsos & erectos constituit, ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent. Et Cotta referens eadem in tertio, Sed à Deo, inquit, tantum rationem habemus. Quid amplius est in Theologia cœlesti? quòd hominem ad similitudinẽ suam fecerit, præesse cunctis animantibus uoluerit. Id enim est, celsos eos & rectos fuisse constitutos, ut cognitionem capere possent, non Deorum, quorum enim Deorum? sed eiusdem, qui celsos eos & erectos constituit. Ex quo cœlum intuentes, exclamarent, quod ille diuinus, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius nunciat firmamentum. Quem enim alium decet homines agnoscere, & fateri, colere, & uenerari, admirari & suspicere, quàm eum, de quo Marcus idem sic locutus est, ut si uates quis Hebræus esset, in secundo de Diuinitate: Et esse, inquit, præstantem aliquam, æternamq; Naturam, & eam suspiciendam, admirandamq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœlestium cogit confiteri. Hæc ille. Vna igitur præstans, æternaq; Natura, cuius pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœlestium fuit inuentum, suspicienda & cognoscenda ex intuitu cœli, non Dij. Quos enim Deos sentiam, si una est præstans, admirandaq; nobis Natura? Innuit ergo singulare unicumq; Numen, de quo quasi diuinum fudit oraculum in tertio de Legibus, de lege & imperio loquens: Sine quo, inquit, nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, et huic obediunt maria, terræq;, et hominum uita iussis supremæ legis obtemperat. Ecce igitur, ut ipse loquar, Deus ille uerus, uniuersalis, unicus: quem terra, pontus, æthera colunt, adorant, prædicant: cui parent motus cœlestes, cuius potestati nihil resistit: Sic ab his prædicatus, quos in eius admirationem natura, consideratioq; trahebant, sicut ab his, quos paterna traditio usque ab origine mundi, famaq; cœlestis commouebat: Eumq; sensit, maiestatemq; eius inuisibiliter in omni mundo præsidentem, quæ Romanas opes auxerit, confessus est pro Milone, uelut Theologus: Nec uerò, inquit, quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam uim cœlestem existimat Numen ue diuinum.

Quem neque imperij uestri magnitudo, neq; sol ille, nec cœli, & signorum motus, nec uicißitudines rerum, atq; ordines mouent, neq; id quod maximum est, maiorum sapientia, qui sacra, qui cerimonias, qui auspicia & ipsi sanctißimè coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt. Et est profectò illa uis, neq; in his corporibus atque hac imbecillitate nostra inest quiddam quod uigeat & sentiat, & non inest in hoc tanto Naturæ tam præclaro motu. Nisi fortè idcirco non putant, quia non apparet, nec cernitur, perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua prouidemus, qua hæc ipsa agimus ac dicimus, uidere, aut planè qualis, aut ubi sit sentire possimus. Ea uis, ea est igitur, quæ sæpe ineredibiles huic urbi felicitates, atq; opes attulit. Et de Aruspicum responsis Latinæ Philosophiæ facilè princeps, ex ea Natura, quæ, ut idem ait, sine doctrina notitias paruas ingenuit rerum maximarum: Nulla maior res atq; Deus, cuius ingenuit sine doctrina, notitias ingentes Natura nobis. Vt minimè mirum fieri debeat, eos de Deo sensisse, locutosq; esse talia, quos Philosophia nunc magnũ sparsa per orbem, non erudijsset. Præstò enim erat alia minor quidem Philosophia, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expreßimus. Ad quam non docti, sed facti, non instructi, sed imbuti sumus. Hæc aperit os nobis ad confeßionem magni Dei. Eoq; dux fuit eidem Ciceroni, ut item singularem Diuinitatem nominaret, eamq; uerißimè definiret in Tusculanis: Nec uerò, inquit, Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi Mens soluta quædam & libera, segregata, taq; ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaq; prædita motu sempiterno. Agnoscis quod noster Vates introducens eum loquentem, Cœlum & terras ego impleo. Et, Leuate in excelsum oculos uestros, & uidete quis creauit hæc. Deus sempiternus, Dominus qui creauit terminos terræ, & non deficiet, neq; laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Et, Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël, saluator. In hac igitur Marci definitione, omnia sunt, quæ literis sacris continentur, nomina diuina. Primum, Mens immortalis, incorruptibilis sapientia, perennis, incorporea, omnia sentiens. Spiritus enim, id est, Sapientia Domini, repleuit orbem terrarum. Per omnes spiritus penetrans, ut idem Salomon ait. Quem quodam mirabili consensu uidetur Marcus expreßisse. Vt enim Marcus asserit Deum esse Mentem omnia sentientem & mouentem, segregatam ab omni concretione mortali: sic sapiens ille, quisquis fuit, πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερος σοφία, διήκει δὲ & χωρεῖ διὰ πάντων, διὰ καθαριότητα: Omni motu uelocior est Sapientia, penetrans per omnia, & commeans ob puritatem. Videspuritatem, quod ille suis uerbis, segregatam ab omni concretione mortali. Et quem dixit omnia sentire, sapiens ille παντεπίσκοπον, omnia circunspicientem. Et εὐκίνητον, τρανὸν, ἀμόλυντον, mobilitate uigentem, penetrabilem, incoinquinatum. Is igitur si mouet omnia, solus etiam mouet orbes cœlestes, non aliæ Intelligentiæ. En igitur eandem exhibet Natura Theologiam, atque reuelatio diuina.

Eundem

Eundem singulariter Marcus appellauit, rectißimeq; sensit eum inuisibilem ex operibus suis agnoscendum. Vt, inquit, Deum non uides, tamen ut Deum agnoscis ex operibus eius. Et, Illud modò uideto, ut Deum noris, etsi eius ignores & locum, & faciem, sic animum tibi tuum notum esse oportere. Et, Certè & Deum ipsum & diuinum animum corpore liberatum, cogitatione complecti non posßimus. Eundem affirmat creatorem animorum. Nec inuenietur, inquit, unquam unde ad hominem uenire posßint, nisi à Deo. Ab eodem ait denunciari excessum è uita, sicut animi creatorem asseruerat. Nos uero, inquit, si quid tale acciderit, ut à Deo denuntiatum uideatur, ut exeamus è uita, læti & agentes gratias pareamus. Et, Vetat enim dominans ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Et, Nec tamen illa uincula carceris ruperit (Leges enim uetant) sed tanquam à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocatus, atque emissus exierit. Eundem singulariter respexit & nominauit, cum ait in Legibus de eo, qui cœlum, terras, maria, omnemq; rerum naturam perspexerit, ipsumq; ea moderantem, regentemq; penè prehenderit. En moderatorem, regemq; cœli ac terræ, naturæq; eum consalutat. Eundem creatorem hominis in legibus sentit & nominat: Nunc quoniam, inquit, hominem, quod principium reliquarum rerum esse noluit, generauit, exornauit Deus. Et paulò antè, animi satorem: Animum, inquit, esse ingeneratum à Deo. Agnoscis Theologiam Mosaicam: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit omni terræ, principium scilicet reliquarum rerum. Et de afflatu animi: Est, inquit, quoniam nihil est ratione melius, eaq; & in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis societas. Et, Parent huic cœlesti descriptioni, Mentiq; diuinæ & præpotenti Deo. Et, Itaq; ex tot generibus nullum est animans præter hominem, quod habeat notitiã aliquam Dei. Déq; ipsis hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Et in Tusculanis: Sic mentem hominis, quamuis eam ut Deum, non tamen ut Deum agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omniq; pulchritudine uirtutis uim diuinæ Mentis agnoscito. Hic & unum Deum fatetur, & per ea quæ facta sunt, quæ opera eius dicit, putat eum agnoscere oportere. His omnibus igitur constat, uera esse, quæ Theologi nostri, primi religionis præcones, prodiderunt ex omni Natura cunctas nationes discere Deum potuisse, nisi superstitionũ agmen terras occupasset. Sed enim multos tibi segregauit Deus, qui non incuruassent genua coram Baal. Hi ex operibus eius, & per ea quæ facta sunt, inuisibilem eum agnouerunt, & asseruerunt. Videre autem ex his licet, quantum ab hac Latinorum grauissima Theologia desciuerit Plinius, quem laudes Diuinitatis, quas inuisibili Deo cæteri decantarunt, corporeo mundo non puduit uendicare: Quòd sit Numen æternum, immensum, nec genitum unquam, neque interiturum: Aeternus, immensus, totus in toto. Sed eum mundi, cuius omnes de-

creuerat explicare partes, longius extra decorum prouexit amor, in numerum Philoſophorum planè non ponendus, uerùm eorum duntaxat, qui promiſcuè alio/rum placita referentes, iudicium ſuum adhibere uel noluerunt, uel non potuerunt.

Senecam unum ſingularemq; Deum ore pleno nominare Autorem mundi, & rerum humanarum Præſidem ſæpius prædicare: Ei cuncta in terris bona accepta referre. Cap. III.

SEd cum me neceſsitas abſtraxerit, ut in declarationem Spiritus eius, ſiue Mentis, quam ſublimis Vates per omnes mundani corporis artus infuſam dixit, duobus Senecæ teſtimonijs Tullianam Theologiam præueniens uterer, nunc à Tullio digrediens, ad Stoicum Romanæ Theologiæ maximum, eminentiſsimumq; antiſtitem reuertor. Huic Spiritus ipſe, qui per ætates & gentes omnes inambulans, ſæpe multorum pectus impleuit, dedit ut ſingularem Deum (quanquam Philoſophus, quanquam Romana idololatria florente natus) ſæpe nominaret, rerum creatorem moderatoremq; agnoſceret, fateretur omnia tribuens ei, quæ litera cœleſtes indefeſſè clamant. Vt hinc ſit perſpicuum, uerisſima eſſe, quæ noſtri dixerunt: Vnus Dominus, unus Deus, una tandem fides, una religio. Is igitur primum in libro de uita beata, alijsq; libris, ſic unum ſingularemq; Deum ueneratur, appellat. Hæc, inquit, qui contemplatur, quid Deo præſtat? Ne tanta eius opera ſine teſte ſint. En fatetur in mundum ueniſſe homines, ut opera diuina contemplarentur, appellans opera eius, cuncta quæ ſub contemplationem noſtram cadunt. Et teſtes operum diuinorũ Philoſophos appellato ſermonem aureum. Eodem libro: In regno nati ſumus, Deo parere libertas eſt. Vides quid dicat. Nunquid aliud in religione uera? Libertate qua nos Ieſus Chriſtus liberauit, inquit diuus Paulus. Et ipſe Deus, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Regnum uocat Seneca, diuinis parere mandatis. Eadem retulit in Epiſtolis: Philoſophia, inquit, adhortabitur, ut Deo libenter pareamus, ut fortunæ contumaciter reſiſtamus: hæc docebit, ut Deum ſequaris, feras caſum. Hic ſingularem Deum toties appellat, felicitatem appellat, huic uni parere. In libro autem de Prouidentia. Ipſis inquam, Deus conſulit, quos eſſe quàm honeſtiſsimos cupit, quoties illis materiam præbet, aliquid animoſè, fortiterq; faciendi. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet, Eos autem, quibus indulgere uidetur, quibus parcere, molles uenturis malis ſeruat. Hæc non´ne eſt Philoſophia Chriſtiana? quam quidem non quòd libros noſtros legerit, licet legiſſe potuerit, arbitror Senecam effudiſſe, ſed ex animi & rationis bonitate. Audis, ſingularem Deum. Tum quæ Deus ipſe in Apocalypſi: Ego, inquit, quos amo, corrigo & caſtigo. Ibidem: Quid mirum ſi duræ generoſos ſpiritus tentat Deus? Digni uiſi ſumus Deo in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati. Et hoc eſt propoſitum Deo, quòd ſapienti uiro oſtenderet hæc quæ uulgus appetit, quæ reformidat, nec bona eſſe, nec mala. Hæc ab illo dicuntur, quem par eſt, cum cæteris Romanis ad templa Deorum adire ſolitum, quenquam iam fulgor Euangelij Romam

mam afflauerat. Sed mihi crede, dicebantur ab eo tanquam ethnico, tanquam Philoſopho, non plebeio, non uulgarium errores attendente, natura duce, diuino Spiritu duce, quo ducimur omnes. Proſequitur: Quare tamen bonis patiatur aliquid mali Deus fieri? Ille uerò non patitur, omnia mala ab illis remouit, ſcelera, & flagitia, & cogitationes improbas, auida conſilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam. Ipſos tuetur, aut uindicat. Numquid hæc quoque à Deo aliquis exigit, ut etiam ſarcina ſeruet? Remittunt ipſi hanc Deo curam. Democritus diuitias proiecit, & onus, illas bonæ mentis exiſtimans. Quid ergo miraris, ſi id Deus bono accidere patitur, quod uir bonus aliquando uult ſibi accidere? Puta itaque Deum dicere. Quid habetis quod de me queri poſſitis, uos quibus recta placuerunt? Alijs bona falſa circundedi, & animos inanes ueluti longo, fallaciq; inſomnio luſi: auro illos, argento, & ebore, adornaui. In his boni nihil eſt. Iſti quos pro felicibus aſpicitis, ſi non quà currunt, ſed quà latent uideretis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida, & ſyncera felicitas, cruſta eſt equidem tenuis. Vobis dedi bona certa, manſura. Quando magis uerſaueritis, & undique inſpexeritis, meliora maioraq; permiſi uobis, metuenda contemnere, cupiditates faſtidire. Non uulgetus extrinſecus. Hæc ille in confeßione ſingularis uniciq; Dei, qui ſolus ſit, qui res aſpiciat humanas, bonis et malis cõſulat, ſed malis tribuat qd' in literis ſacris eſt, Recepiſti mercedẽ tuã. Eiuſmodi mercedẽ Deum clamat Stoicus improbis dediſſe, quos auro fulgere, diuitijs affluere dederit: probis autem dediſſe lõgè maiora, ſi quis rectè decernat, bona, ſanum, prudentem, fortemq; animum, caducorum contemptorem, ſcelera ab eis flagitiaq; auertiſſe. Hæc eſt omnis ſacrarum literarũ doctrina. In Epiſtolis autem de eodem dicit, quod noſter Theologus Ioannes, Deum nemo uidit unquam. Seneca uerò ad Lucilium, Nemo nouit Deum, multi de illo malè exiſtimant, & impunẽ. Et ad eundem, Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit. Et, Craſtinum ſi adiecerit Deus, læti recipiemus. Ibidem, Agamus Deo gratias, quòd nemo nos in uita tenere poteſt. Et, Bonus uir ſine Deo, eſſe nemo poteſt. An poteſt quiſquam ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus, exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & recta. Audi etiam quæ decima epiſtola: Audacter, ait, Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Quibus omnibus, qui Deos Romanorum cum multitudine coleret, apparet, dũ philoſopharetur, dum mentem in rerũ obſeruationẽ immitteret, unum nominaſſe operum mundanorum autorem, humanæ uitæ cuſtodem ſenſiſſe, grauiter & ſæpe cum ſuperioribus ſeculis, cum origine mundi, cum religione ſancta, quæ totum mundum feliciter occupauit, aſſeruiſſe.

Senecam exordium mundi fateri à Deo fuiſſe, qui ſingula diſtinxerit, loca rebus, ſitus q; aſsignauerit. Antiquior mundo, lucis creator, operis ſui ſpectator, per Vniuerſum diffuſus. Ventorum moderator, largitor, proſpector, cuius decreto cũcta fiant, qui mare diffuderit ad beneficium noſtrum, benignus Pater, bonorum amantiſsimus. Cap. IIII.

PRopius autem ad Theologiam diuini uiri, ſub profanis cultibus Deorum nati ac ſedens, uidebis uera eſſe quæ libris his oſtendere conamur, nullos unquam erro res, nullas ſuperſtitiones, nullam tam ſæuam fraudẽ efficere potuiſſe, ut uerus Deus, uera Philoſophia eius, qua ſenſerunt homines eum patrem generis humani, cœli, terræq; artificem, moderatorẽq; omniũ, caligaret, aboleretur ex hoc mundo. Audi igitur profundiſſimam eiuſdem de ſummo ſingulariq; Deo, tum qua ſempiternus eſt ante mundum, tum qua condidit mundum, autorq; eſt, ut omnia uigeant, nullo caſu ſuccumbant, Theologiam. Qualẽ Ariſtoteles, qualem Plato ratione pandente uiam, deprehendit Deum, talem Seneca naturam ſecutus, indicauit expreſſit. Principioq; ait de uita beata: Vt inquiſitio tranſeat ex apertis in obſcura, et aliquid ipſo mundo inueniat antiquius, unde iſta ſidera exierint, quis fuerit Vniuerſi ſtatus antequam ſingula deſcenderint, quæ ratio merſa & confuſa diſiunxerit, quis loca rebus aſſignarit. Hæc quidem ille, per ſpeculationes, & argumenta, ad eum per ueniens, qui fuit ante mundum à quo exierunt ſidera. Non quem quaſi per tanſenam reſpicit nunc Seneca, is eſt, de quo Dauid canit, Ante Solem permanet nomen eius. Et Moſes ſcripturus de mundo, clarè locutus eſt, tribuens ei cuncta, quæ Seneca philoſophatus. Mundo enim antiquior eſt is, de quo Moſes, In principio creauit Deus cœlum & terram. creauit, quia prior fuit. Neque enim creaſſet, niſi præfuiſſet. Exiſſe autem ſidera ab ipſo iſto, Moſes apertè in operis ſui ueſtibulo monſtrauit: Et dixit Deus, fiat lux, Et facta eſt lux. Exijt igitur ab eo lux aurea mundi, Sol lucis omnis pater. Hunc ipſum cum mundo antiquiorem Moſes oſtendiſſet, merſa, & confuſa ſeparaſſe probauit, cum terra permiſta aquis, in quarum congerie, rerum confuſarum multitudo latebat, facta eſt imperante Deo ſeparatio, nataq; ſunt è terra terreſtria, ex aquis aquatica, rebusq; cũctis aſſignata loca. Inde eſt, quod addidit eodem libro Seneca: Hæc qui contemplatur, quid Deo præſtat? Ne tanta eius opera ſine teſte ſint. Opera Dei, quæ teſtibus nobis, & ſpectatoribus oſtendit, mundanos ordines cum Moſe uocat. Eodemq; libro uocat mundum opus Dei. An multa, inquit, Deus corpora eiuſmodi ſparſerit, continua ſit omnis, & plena materia, ex qua cuncta gignuntur, & ſolidis inane permiſtum ſit, Deus ſedens opus ſuum ſpectet an tractet, utrum ex trinſecus illi circunfuſus ſit, an toti inditus. Audis iterum mundũ opus Dei, qui ſit uel per eum omnem intẽtus, quemadmodum Pythagoras, ipſis Philoſophis teſtibus, cantabat, aut extrinſecus circunfuſus, uelut celſa in puppi, mundi gubernacula torquens. Aequè bene Natura hæc docente, quàm cœleſtibus oraculis. Alio autem loco, Nam mundus, inquit quoque complectens, rector que mundi Deus, in exteriora quidem tendit, & redit. Ecce rector mundi, quale canitur in ſacris literis, Trinam regentem machinam. In quæſtionibus naturalibus perſtat in eadem confeſione: Non ad hoc Prouidentia, ac diſpoſitor ille mundi Deus, aëra uentis exercendum dedit, & illos ab omni parte nequid eſſet ſitu ſqualidum, effudit, ut nos claſſes

partem

partem freti occupaturas compleremus milite, hostem in mari, aut post mare inquireremus. In his dispositor mundi, superius creator, rector, Ventorum largitor, illud quod in sacris literis, Qui producit uentos de thesauris suis, & omnibus eis nomina uocat. Qui apud Mosen creat quod Hebraicè dicitur, chamaim, nempe aërem, qui per omnes mundi partes diffusus, aleret omnes quiescens, motus autem nauigijs cursus dirigeret. Ibidem: Non tantum, ut paulò ante dicebam, queri possumus de autore nostri Deo, si beneficia eius corrumpimus & ut essent efficiamus. Dedit ille uentos ad custodiam cœli, terrarum que temperiem ad euocandas, supprimendas aquas, ad alendos satorum, atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum alijs causis adducit ista iactatio. En gloriosa Philosophorum cum sacris literis confessio, de autore nostri Deo singulari, qui non creavit modò genus humanum, sed uentos dederit, quibus excitæ cœlestes aquæ, terras grauidarent. Quid amplius est in Psalmis, prophetis & Mose, quod ad hoc attinet? Res naturales, ipsumq; omnem mundum docuit, asseruit inuentum, dispositum, regiq; à Deo, humanas autem docuit, & docet similiter ab eodem administrari. Tertio eiusdem operis de rebus Naturæ: Nunc cum maximè Deus alia extollat, alia submittit, ac molliter ponit, aut ex fastigio suo nullas habituras reliquias iactat. Fatetur moderatorem rerum humanarum Deum summum, confitens eum facere, quod prophetæ indefessè conclamant: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Dei, & transiui, & ecce non erat. Et, Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat Et, Suscitans à terra inopem, & de sterco re erigens pauperem? Vnde concordia, nisi quia ueritas nullo loco non adest? Eodem loco Seneca: Quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi uolueris accidere. Debuisses enim uelle, si sciuisses omnia ex decreto Dei fieri. Sic denique nihil est, cuius non fateatur Deum autorem, cuius consilio fieri cuncta refert. Nam in Suasorijs: Non in hanc, inquit, conditionem Deus fudit æquora, quàm ne omnis ex uoto iret dies. Quidquid fuit extra iussum Dei, tutum fuit adultero mare. Superius: Qui mundum condiderit, disposuerit. De Prouidentia quoque sic, Cum præesset, inquit, Vniuersis, Prouidentia probauerimus & interesse nobis Deum. Ibidem, Inter uiros bonos ac Deum amicitia est conciliante uirtute. Amicitiam dico, imò etiam necessitudo, & similitudo: quoniam quidem bonus tempore tantùm à Deo differt: discipulus eius, æmulatorq; ex natura proueniet, quem parens ille magnificus uirtutum, non lenis exactor, sicut seueri patres, durius educat. Bonum uirum in delicijs non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. Eodemq; libro, Paternum Deus habet aduersus bonos uiros animum, & illos fortius armat, & operibus, doloribus, ac damnis exagitat, ut uerum colligant robur. Paulo infrà, Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos, atque excellentissimos uult fortunam illis, cum qua exercentur, assignat. Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo. In quibus omnibus qualis

in li-

in literis diuinitus ſcriptis conſonat Theologia, ſiue qua cum Deo nobis eſt ſimilitudo, ſiue qua patrio nos ille complectitur amore. Aut quòd nos eum oporteat æmulari, ad quod ipſe nos inuitat: Diſcite, ait, à me quia mitis ſum, & humilis corde. Audimus etiam parentem magnificum uirtutum, amantiſſimum bonorum. Non ne Stoicus item confeſſus eſt, quòd ipſe generis humani magiſter, nos docendo declarauit, ut precaremur, Pater noſter? Seneca uerò, Paternum Deus habet ad uerſus bonos uiros animum. Quibus probatur omnium gentium, quas ex uno fonte natas ſenſus, rationisq; ſimilitudo ſociauit, fuiſſe ſemper in unius ueri, ſingularisq; Dei maieſtatem, laudesq; omnes eius, ora propenſa. Denique de moribus Seneca dicit: Optimus ergo animus, & pulcherrimus, cultor Dei eſt. Et, Quid eſt dare beneficium? Deũ imitari. Et, Poſt Deum, ueritatem colendam, quæ ſola homines Dijs proximos facit. Quid illud item quod in libris de beneficijs? Eunt'que, inquit, tua cauſa, etiam ſi maior illis alia, prior cauſa eſt. Quanto ſatius eſt, gratum aduerſus præceptas uoluptates, non aliorum annos computare, ſed ſuos benignè æſtimare, & in lucro ponere? Hoc me dignum indicauit Deus. Hoc ſatis eſt, Potuit plus, ſed hoc quoque beneficium eſt. Nihil igitur relinquit, ut ipſe loquar, ſapientiſſimus, & grauiſſimus Philoſophus, quod altitudinem Theologiæ ueræ ante oculos ponat. Nihil illi ratio, & Natura negauit, quod benignitas diuina, melius oraculis ſuis declarauit.

Deſignatio diuinę Naturę apud Senecam: quod ſit ratio incorporea, rerum magnarũ opifex: per omnia diffuſa, cuſtos, rector uniuerſi, Dominus, & artifex: cauſa cauſarum: Natura rerum ex qua nata ſunt omnia. Quomodo ſit ipſe mundus, aut pars maxima mundi. Qui ſit plenus Ideis æternis, ad quas formauit mundum. Fundator mundi: & quod ipſa Natura. Cap. V.

De ſubſtantia uerò diuina, quoniam præclara quædam Philoſophorumq; digna penetralibus mirabili cum noſtris ſimilitudine ſcripſit Seneca, ea libens, uolensq; cunctis oſtendam, ut fiat perſpectum unum fuiſſe Romanorum, uel cum idola colerentur, cunctarum que gentium atque Hebræorum Deum. In libro de Conſolatione: Quocunque nos mouerimus, ſequetur natura communis, & propria uirtus. Id actum eſt, mihi crede, ab illo, quiſquis formator Vniuerſi fuit, ſiue ille Deus eſt potens omnium, ſiue in corporalis ratio, ingentium operum artifex, ſiue diuinus Spiritus, per omnia maxima, ac minima, æquali intentione diffuſus, ſiue fatum, & immutabilis cauſarum inter ſe cohærentium ſeries. Id in quam actum eſt, ut in alienum arbitrium niſi uiliſſima quæque non caderent. Hæc ille. Principio fuiſſe mundi formatorem confeſſus, quem quidem tribus appellationibus, ſed in eundem congruentibus appellat: Nam ſi percuncteris quid ſit Deus, optima erit & ueræ Philoſophiæ apta definitio, Ratio nempe intellectus, ingenium, mens, ſapientia in corporalis, ingenium operum artifex. Item diuinus Spiritus per omnia maxima, ac minima diffuſus: Nuſquam ſcilicet non præſens. quod in ſacris literis pariter dicitur, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Quartã uerò nun

cupationem

cupationem Fatum, non alium quàm hunc ipſum deſignare ipſiuſmet Senecæ ſermone docemur. Nam cum in confeſſo apud grauiſſimos Philoſophos ſit, idem eſſe Fatum, atq; Naturam, ut quod ait Poëta:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

Is idem confitetur apertè, idem eſſe Deum atq; Naturam. Si Natura igitur & Fatũ idem: Deus autem & Natura idem, Idem ergo Deus et Fatum. In quæſtionibus igitur libro ſecundo, Eundem inquit, Ethruſci, quem nos, Iouem Intelligunt, cuſtodẽ, rectoremq; Vniuerſi, animum, ac ſpiritum mundi, huius operis Dominũ, & artificem, cui nomen eſſe conuenit. Vis illum Fatum uocare? non errabis. Hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo ſunt omnes cauſæ cauſarum. Vis illum prouidentiam dicere? rectè dicis. Eſt enim cuius conſilio, huic mundo prouidetur, ut inconcuſſus exeat, & actus ſuos explicet. Vis illũ Naturam uocare? non peccabis. Eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu uiuimus. Vis illum uocare mundum? non falleris. Ipſe eſt totum quod uides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens, & ſua. Et ſui ſimilis ubiq;, uocans rectorem mundi, & artificem, Spiritum ſimiliter, atq; in libro de Conſolatione. Eundemq; ait appellari Iouem, qui non modò fuerit operis huius artifex, ſed nunc quoque Dominus, & cuſtos. Hunc ipſum dicit appellari Fatũ, quia cauſa cauſarũ, ab eo pendentium princeps, à quo totus ordo cauſarum dependet. Ex cuius decreto dicebat ſuperius omnia fieri. Mirabilis quoq; eſt, et è Philoſophiæ deprompta theſauris Naturæ nuncupatio. Magna ueritatis explicatio. Declarantur enim quæ ſæpe cum multis, ac magnis alijs Philoſophis Ariſtoteles uſurpat, cum Philoſophantes, & per rerum uaſtos campos contemplando delati ſociãt Deum, atq; Naturam, Nihil agere fruſtra Deum ac Naturam dicentes, omnia opera, mirabilesq; rerum ordines utrique ex æquo tribuens, ſed priorem Deum nominantes. Declarant enim Naturam eſſe motum, artemq; Dei, quòd à Deo moderatè, ſolerter agitur, excitatos ordines, circumq; actos, & in hoc ſpiritu, uitaq; conſeruatos à Deo. Quòd autem ait illum appellari poſſe Mundum, idem eſt atque Naturæ nomen. Non ſcilicet hoc mundanum corpus. Quomodo enim, ſi ſuperius Deum docebat, rationem incorpoream? Primo quoque Quæſtionum naturalium, Quid eſt Deus? Mens Vniuerſi. Quid eſt Deus? quod uides totum, & quod non uides. Vult igitur Deum appellari poſſe Mundum, quemadmodũ Naturam. Eſt enim Natura mundum omnis, cunctæ res, quibus conficitur mundus, quarum mirabilem uitam perennesq; motus, uocamus Deum, uelut opus diuinum, diuinam ſapientiam, ſolertiam. Nam quòd non ſentiat Deum hæc corpora, perſpicuum inde eſt, quòd appellet eam, Mentem, Rationemq; Vniuerſi. Ratio uerò, ac mens incorporeæ. Seuocat igitur eum à corporibus, ſuperaddens, uocari poſſe Animationem Vniuerſi, ſapientiſſimeq; ſtantes ordines nomine rerum ab ſe repertarum. Rectorem igitur, artificemq; mundi uocauit nomine operis ſui, propter ſapiẽtiam in ipſo opere apparentem. Non ſcilicet opus ipſum corporeum: Nam ſuperius quærebat mundo antiquiorem,

orem, à quo iſta ſidera exierint. Erat igitur ille anteaquam eſſet opus ſuum. Non eſt igitur ipſum opus: Nec id uult Philoſophus. Rationes ergo, ingeniũ, ſapientiamq; apparentem in opere mundano, Deum clamauit. Eodem ſenſu intelligendus eſt, ta taq; Philoſophia declaratur, cum ait in Quæſtionibus, Neq; enim omnia Deus hu manis oculis nota fecit. Quota oculis pars tãti operis committitur? Ipſe qui ipſa tra ctat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, dediteq; circa ſe, maiorq; eſt pars operis, ac melior, effugit oculos, cogitatione uiſendus eſt. Multa præterea cognata Numini ſummo, & uicinam ſortita potentiã, obſcura ſunt. Paulo infrà, Cum maxima pars mundi Deus lateat. Hæc Philoſophus. Vides ut primum fatetur Deum inuiſibilem, effugientem oculos. Si inuiſibilis, ſi fugiens obtutum, certè ne corpus quidem mun danum, quod uidetur & tangitur. Sicq; declaratur quod poſuit ſuperius. Quid eſt Deus? quod uides totum, & quod non uides. Si Deus inuiſibilis, non eſt quod uides totum. Ergo ſolertiam operis, ac Diuinitatem deſignauit. Quòd autem dicit Deum maximam mundi partem, tenens quo modo ſit intelligendũ. Maximã ſcilicet rem in mundo, inter omnes res, inter omnes animos principẽ. In ipſo enim exordio do cebit: Qui, inquit, condidit, qui totum hoc fundauit. Si condidit igitur, & ſi totum fundauit, certè fuit ante fundamentum. Fuit totus ipſe. quo modo igitur pars eius quod condidit & fundauit? Imò toto opere ſuo, ſed alia magnitudine, maior. Nam ſuperius dixit, Deus eſt ratio incorporalis, ingentium operum artifex. Ergo eũ di cit, Deus eſt maxima pars mundi, ſentit, Deus eſt maxima res in mundo, omnibus ſubſtantijs, ſimul aggregatis maior. Vna res in mundo, ipſo mundo maior, mundi nunc appellatione ſignando, quicquid ubiq; eſt. Quod aũt dubitãs, et inquirens lo quitur in Quæſtionibus naturalibus, Quis autor ſit, aut cuſtos: quid ſit Deus: totus in ſe intendat, an ad nos aliquando reſpiciat: Faciat quotidie aliquid, an ſemel fece rit: pars mundi ſit, an mundus: Liceat illi aliquid ex lege Fatorum derogare, an ma ieſtatis diminutio ſit, & confeßio erroris, mutanda feciſſe. Neceſſe enim eadẽ pla cere cui niſi optima placere nõ poſſunt. Nec ob hoc minus liber et potens eſt. Ipſa enim neceßitas ſua. Hæc omnia, quæ nunc diſiungendo, inquirendoq; proferuntur, habent ſuas alijs locis reſolutiones, aſſeuerando probatas. Quis enĩ autor ſit et cu ſtos, et an ſemel fecerit. Et an bonis ſuis delectatus, à nobis oculos auertat, ſæpe cõ feſſus eſt, autorem eſſe Deum, nec autorem modò, ſed nunc quoq; cuſtodem. Hunc ipſum ſuperius fatebatur, ſemel hæc omnia feciſſe, Qui condidit, inquit, qui totum hoc fundauit. Fundatio autem exordium machinæ deſignat. Mille locis autem uidi mus eum ſuperius fatentem, Deum res humanas attendere. An autem ſit uel pars mundi, uel mundus, ſuperius declarauit, mundum, rationes appellans, rectos ordi nes, leges æternas in mundo: Et has Deum largißimè appellatione diffuſa, nuncu pauit, deſignans ea eſſe ſolertiam, inuentionemq; diuinam. Declaratum quoq; non poſſe Deum uocari ab eo mundum, ſi mundum corpus mundanum ſentis: quia di cit, Deum nunc Mentem Vniuerſi, nunc Rationem incorporalem, ingentium ope rum

rum Artificem. Oſtenſum quoq; quomodo Deus ſit pars mundi, ſcilicet res in omni numero rerum, qui dicitur mundus, maxima, eminentiſſima. Maior ſcilicet, quàm omnes homines, cœlo, et terra quoq; maior. Sentit autem Seneca, cum Deum uocat partem mundi, rationem, mundum gubernantem, à corpore mũdano ſegregatam, uelut animum à corpore. Non uult autem ut cuipiam fortaſſe uideretur, mundum, eſſe quaſi corpus Dei. Deum autem animum ipſius mundi. Scit enim et fatetur artificem mundi, mundo longè antiquiorẽ, condidiſſe, & fundaſſe hoc omne, ſegregatum ab ipſo ſemper. Sed cum Deus ſit inuiſibilis, à quo mũdus uiſibiliter regitur, dixerũt Deum eam rationem, qua regitur, agiturq; mundus, uelut à ratione corpus. Quod autem inquirit, an ex lege fatorum ei liceat aliquid demutare, ipſe declarat, ubiq; confitens in manu Dei eſſe Fata, quia ipſe Fatũ eſt, ipſe Princeps Cauſa. Facit quod uult, & non uult niſi optima. Non poteſt ab hac uoluntate mutari, ut uelit ali quando non optima, nec tamen minus ob id liber, & potens. Impotentia eſt, poſſe uelle non optima. Ea uerò pulcherrima, ſacraq; Philoſophia apud eũ de creatione mundi, de cauſis, de toto ordine creandi, explicãtem quam probabat Philoſophiam Platonis. Hæc, inquit ad Lucillum, exemplaria rerum omniũ Deus intra ſe habet, numeros uniuerſorum, quæ agenda ſunt, & modos mente cõplexus eſt. Plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, indefatigabiles, innumerabiles. Non procul inde, Cauſa efficiens Deus eſt. Forma hæc eſt habitus, et ordo, quem uidemus, exemplar ſcilicet, ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit. Propoſitum, propter quod fecit. Quæris quid ſit propoſitum Dei: bonitas eſt. Ita certè Plato ait, quæ faciẽdi mundi ſit cauſa. Bonus eſt, bona fecit. Bono nulla cuiquam inuidia eſt. Fecit itaq; quàm optima potuit. Paulo inferius, Quærimus, inquit, quæ ſit cauſa: ratio ſcilicet faciendi, id eſt, Deus. Ita non ſunt multæ et ſingulæ cauſæ, ſed ex una pendẽt ea que faciunt. Progreſſus inde, Et non quæram, ait, quæ ſint initia uniuerſorum, quis rerũ formator, qui omnia in uno merſa, et materia inerti conuoluta diſcreuerit. Non quærã quis ſit iſtius artifex mundi: Quadratione tanta magnitudo in ordinem, & legẽ uenerit: Qui ſparſa collegerit, confuſa diſtinxerit. In una deformitate iacentibus faciem diuiſerit: Vnde lux tanta fundatur, ignis ſit, an aliquid igne lucidius. Ego iſta non quæram. Ego neſciam unde deſcẽderimus. In fine autem, Nempe uniuerſa ex materia & Deo conſtat. Deus iſta temperat, quæ circunfuſa rectorem ſequuntur et ducem. potentius autem eſt, ac pretioſius quod facit, quod eſt Deus, quàm materia patiens Dei. Quem locum in hoc mũdo Deus obtinet, hunc in homine animus. Hæc omnis Philoſophia Senecæ maximè cõformis Moſaicæ, de mundano primum opifice, de maieſtate eius, de exordio mundi, de Ideis, rerum ſcilicet ſeminibus affluentiaq; ſempiterna. hæ ſunt enim Ideæ, di uino Verbo, nempe opifice mundano, contentæ. Hæc rerum ubertas, diuinæq; ſapientiæ fœcũditas, qua grauidus erat Deus. Ex hac magna, inenarrabili, nata ſunt omnia. Secunda pars Philoſophiæ eius, & ipſa Moſaicæ conformis eſt, qua dicitur à

Moſe

Moſe Terra inanis, & uacua, à Græcis interpretibus inuiſibilis, & incompoſita. Ea erat terra & aqua conuolutæ, iactæ ad fundamentum mundi, in quibus omnes terreſtres, & cœleſtes formæ latebant. Ibi erant ignes ætherij, puræ cœleſtium orbiũ ſubſtantiæ. Ibi aëris globus, illic animantes terreſtres, & aquaticæ plantæ quoque et herbæ. Ecce autem ut opifex, qui terras et aquas fundauerat, admouit potentes manus. primum puriſſima lucis orbiſq; cœleſtis, qualis nubium candentium educta eſt & extricata ſubſtantia. Sol cœpit rotari per orbem, aquas exhauſit, aërẽ abſtraxit, ſiccauit terras, mari ſubſedente. Terræ madentes, herbas, arbores, animalia genuerunt. È terra madenti, lutulenta, ſumptum corpus humanum. Hæc cum dixerint Prophetæ, Seneca ex uetuſta fama apud Philoſophos audita, confirmat. Vocat rerum formatorem, Deum illum Moſaicum. Hunc optima dicit feciſſe, quemadmodum Moſes, qui ad unamquanq; rem creatam facit Deũ uidiſſe aſſeruiſſeq; bona. Erant omnia in uno corpore terræ, & aquæ ut embryone merſa, et conuoluta. Tunc opus ex pulchris, & bonis factum, apparuit pulcherrimum. Venerunt q; omnia in ordinem, legemq;. Ab illo formatore nos deſcendimus. Ipſe quidem inuiſibilis, regnans imperansq; in mundo, & ubiq; præſens, licet inuiſibilis, quemadmodũ animus in corpore. Talis eſt Senecæ diuina Philoſophia, partim ex ſucceſſione ſeculorum, partim luce rationis oſtenſa. Nomina, quibus Deus ab eo uocatur, ſunt, Formator, Opifex mundi, Ratio incorporalis, Mens Vniuerſi, Animus in mundo, Fatũ, Cauſa cauſarum, Vnica rerum Cauſa, Natura, id eſt fons rerum & ordo, Spiritus per omnia diffuſus, Fundator, Conditor mundi, Prouidentia, Temperator, Dux ordinis omnis. Vt autem finem faciam, audi tantum diuiniſſimam eius uocem, qua docẽt nihil eſſe Naturam niſi Deum, in libris de Beneficijs: Natura, inquit, hoc mihi præſtat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare nomẽ Deo? Quid enim aliud eſt Natura, quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo, & partibus eius inſerta? Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, ſed Naturæ. Quia nec Natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine Natura, ſed idem eſt utrunq;, nec diſtat. Si quid à Seneca acceperiſſes, Anneo te diceres debere, uel Lucio, non creditorem mutares, ſed nomen. Sic ille.

De ſummo & ſingulari Deo, ex Plutarcho, Philoſopho inſigni, omnes ferme de eo laudes canent, quæ in ſacris literis habentur. Hunc unum adorandum eſſe, nõ elementa mũdi huius, Solẽ, Lunã q;, eſſe ſigna quibus diuina maieſtas, innoteſcat: Ea eſſe organum, artemq; Dei. Deum eſſe creatorem mundi, qui ſit templum facerrimum, in quod ſpectator operum diuinorum introducatur homo. Mundum eſſe tanquam theatrum, in quo nobis ſpectatoribus Deus inſignes opes ſuas oſtentat. Deum creaſſe Solem, qui ſit quædam lucis æternæ ſuæ per mũdum decurrens imago. Diuinam naturam eſſe, ac felicitatem, uirtutis excellentiam.

Cap. VI.

NEmini dubium erit, qui ſapientiores Philoſophos conſuluerit, quin omnes qui uanis ſuperſtitionibus populo relictis, ſe per campos totius Naturæ ferri paſſi eſſent, unum, ſingularemq; Deum, omnium rerum autorem, parentemq; didicerint, & hunc ſolum adorandum, ſuſpiciendumq; confeſſi fuerint, eiq; meritas laudes

laudes attribuerint. Audi igitur quàm diuina, excelsa, de fonte ueritatis hausta, locutus sit Plutarchus, in eo qui inscribitur de Iside & Osiride: ἀγαπητὸν οὖν, οὐ ταῦτα τιμῶντας, ἀλλὰ διὰ τούτων, τὸ θεῖον, ὡς ἐναργεστάτοις ἐσόπτροις, καὶ φύσει γεγονόσιν, ὡς ὄργανον, ἢ τέχνην ἀεὶ τῷ παντὶ κοσμοῦντος θεοῦ νομίζειν καλῶς: Debemus, ait, lætari, conquiescere, non hæc elementa mundi uenerantes, sed per hæc, ut clara exempla, & specula, ipsam Diuinitatem, quæ cum natura nascantur, tanquam instrumentũ aut artem omnia semper ornantis Dei, arbitrari præclarè habet. Ò uocem penè Apostolicam, Prophe-ticam. Non est, inquit, cur Solem, Lunam, Cœlum uenerari, & adorare decere te putes, sed per hæc uenerare ipsam Diuinitatem, & hæc tanquam exempla clara maiestatis eius agnosce, tecumq; reputa, nihil uniuersam Naturã aliud esse, quàm instrumentum, aut artem summi Dei, omnia semper exornantis, & pulcherrimos hos, quos sursum deorsumq; cernis, concentus rerum efficientis. Nimirũ quod sapientißimus alius, qui & ipse popularibus superstitionibus contẽptis, ueriora quærebat: Et esse, inquit, præstantem aliquam, æternamq; naturam, & eam suspicien-dam, admirandamq; hominũ generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœlestium cogit confiteri. Aspicis ad unam ueritatem mortales concurrentes, maiestatemq; diuinam ex aspectu rerum docentes? Cogit, inquit, fateri etiam inuitos ordo rerũ cœlestium, mundiq; pulchritudo, esse præstantem æternamq; naturam, quam suspicere, et admirari, colere, uenerari, non ea quæ fecit ipsa, non pulchritudinẽ ab ea effectam, mortales debeant. Idemq; in Legibus: Nam et hic mundus Deo paret, et huic obediunt maria, terræq;, & hominum uita iußis supremæ legis obtemperat. Asserit hic, quod illic ex argumentis colligebat. Argumenta igitur et exempla diuinæ maiestatis, est ornatus mundi. Non ne & noster Theologus? τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης. Quod est: Nam inuisibilia, inquit, eius, scilicet maiestas eius (quod paulò pòst explicat) à creatura mundi, id est, à re creata in mundo, ab hominibus qui sunt creatura mundi, in ipsis rebus factis apparens conspicitur. Conspicitur inquam æterna potestas, diuinitasq; eius in τοῖς ποιήμασι, rebus effectis: Hæc autem sunt quæ Tullius dixit, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœlestiũ: Et quòd huic obediunt, maria, terræq;. Verè igitur ipsorummet uoce refellitur, coarguitur, exibilatur omnis idololatria. Ecce si quid popularibus superstitionibus dabant, alius in pectore sensus residebat. Veritas una semper est et fuit. Sed prosequor Theologiam Plutarchi, dictis diui Pauli uehementer consonantẽ, In eo quem inscripsit De hilaritate animi, & quòd considerata mundi pulchritudo, nos in omni semper lætitia retinere debeat, uisibilia, exempla esse inuisibilium, opera diuina, quæ tanquam spectacula, theatraq; nobis aperuit: ἱερὸν μὲν γὰρ ἁγιώτατον τοῦ ὅλου κόσμος ἐστὶ καὶ θεοπρεπέστατον. εἰς δὲ τοῦτον ὁ ἄνθρωπος εἰσάγεται διὰ γενέσεως, οὐχὶ προμήτορι, οὐδὲ ἀκινήτῳ ἀγάλματι θεᾶς

τὴς, ἀλλ' οἷα νῦς θεῖος αἰδητὰ νοητ μιμητά φησιν ὁ πλάτων ἐμφυζον ἀρχὴν ζωῆς ἔχοντα καὶ κινήσεως ἔφυγεν. ἥλιον καὶ σελήνην ἠ ἄστρα καὶ ποταμοὺς, νεὸν ὕδωρ ἐξιέντας ἀεὶ, καὶ γῆν, φύτοις τε καὶ ζώοις τροφὰς ἀναπέμπουσαν. ὧν χὴ βίον μύησιν ὄντα, καὶ τελετὴν τελειοτάτην δυθυμίας δεῖ μεσὸν εἶν, καὶ γάντας, οὐχ ὥσπερ οἱ πολλοὶ, Κρόνια καὶ Διονύσια, καὶ παναθήναια καὶ δικύντας ἄλλας ἡμέρας πρυμνήσιν, ἵνα πάθωσιν, καὶ ἀναπνεύσωσιν ὠνητὴν γέλωτα μίνοις καὶ ὀρχησαῖς μιθὸς τελέσαντες, εἶτα ἐκεῖ μὴ δύφημοι καθήμεθα κοσμίως δλεῖς γὰρ ὁλύρεται μυθμὸν, δὲ θρηνεῖ πύθια θεώμεθ. ἢ πεινῶν χὴ λοιμοῖς. ἃς δὲ ὁ θεὸς ἑορτὰς ἡμῖν χορηγεῖ, χὴ μηχαγωγεῖ, καταλυνύσιν χὴ ὀδυρμοῖς τὰ πολλὰ & βαρυθυμίαις χὴ μεριμνεῖν πόνοις διατρίβοντες. Quæ sunt, Templum sanctissimũ, sacerrimumq; est mundus. In hunc introducitur homo per generationẽ, non quidẽ imaginum, quæ manibus fit spectatur, sed quæ diuina illa Mens, ut ait Plato, sensibilia ad exemplũ intelligibilium, insitũ uitæ & motus principium habentia proposuit: Solẽ & Lunam & astra, & flumina noua semper aqua exuberantia: Terrã quoq; plantis & animalibus alimentũ suppetentẽ. Horum uita cum quædã arcana ini iatio, perfectissimáq; teleta sit, decet eam plenã hilaritatis, gaudijsq; semper esse. Non quemadmodũ pleriq; Saturnalia, Dionysia, Panathenæáq;, & id genus dies expectãt, ut hilarescant, respirentq; emptitiũ risum, mimis, saltatoribusq; mercede soluẽtes. Exinde sedemus ubi compositè, incomptisq; uocibus abstinentes. Nemo enim lamentatur cum initiatur, neq; deplorat qui Pythia spectat, aut cũ esurit in Saturnalibus. At quos Deos festos dies nobis apparat, et largiter quotidie primus actor celebrat, quasi nos ad initiões suas cõuocãs, deformamus lachrymis plerunq;, curis operosis, mœroribusq; nos dedentes. Sic ille. Ecce igitur Deus, Solis, Lunæ, totius cœlestis ordinis autor: & quoniã à sanctissimo repertus, & compositus opifice, & plenus diuinæ pulchritudinis, supremæq; uenustatis, nihil ineptum, incompositè uagãs, nihil exorbitans, & errans continet, Ecce mundus templum sanctissimũ, sacerrimũ, alma lux, lux sacra diei. Ecce quoque rerum tantarum inductus homo contemplator, ut cœlum suspiceret, opera magni Dei diligenter attenderet, inde coleret, suspiceret, manibus ad cœlum tensis exclamaret, Ô rerũ creator optime, dignus quem ob infinitã sapientiam, benignitatemq; immensam ueneremur, In his hymnis noctesq; diesq; agamus. Hæc sint nostra spectacula, è terra tanquã theatro cuncta contemplantes, hinc omne lætitiæ genus animis infundamus, diuinos ordines, incredibilemq; uarietatem in Theatro totius mundi, uarijs animalibus, arboribusq;, fontibus, et fluminibus pleno, aspiciẽtes. Hæc sunt spectacula, hi festi dies, celebritates, panagyris, ad quas Deus diuitias gloriæ suæ monstraturus, inuitat: Quarum spectacula, nisi se corrumperet, inficerẽtque animus, uberrima lætitia se pasceret. Tanquam diuini templi antistitem,

ſtitĕ, ait Lactantius ſpectatorĕ operum rerumq; cœleſtium, fecit hominem. Hæc illi prædicabant, non Chriſtiani, nō illa, quæ noua et magna mundo ſuperuenit, attactu luce, ſed illa duntaxat, quā Deus ad imaginē ſuam creans animū, infudit ei. Eadem memorat Plutarchus in eo quem ſcripſit aduerſus Principem imperitū: Qualĕ, inquit, ἐνίδρυσε, poſuit, pulcherrimū ſuimet in cœlo ſimulachrū, Solem et Lunam Deus, tale eſt in urbibus exemplū, et lumen, Princeps, qui Dei ſimilis, iuſtitiā ſequatur, nimirū cuius animo ratio inſideat diuina. Hac deſcriptione Plutarchus docet ſimulachrū Dei eſſe Solĕ, uelut ſcilicet Solem maximum, radiantiſſimū, ſed ut is corporeus, ſic incorporeus ille, incorporabiliterq; nitens. Declarat etiam & fatetur, Deum Solis, Lunæ creatorĕ, qui locauerit, fixerit faces illas in ſublimi congruenſ undequaq; cū Moſe, qui dixit, Et poſuit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli. Plutarchus ἐνίδρυσε, locauit: Addens hæc quaſi Diuinitatis eſſe ſimulachra, per quæ, ut diuus Paulus, ipſeq; idem, ſuperius, uelut imagines, peruenias ad ſcientiam creatoris. Proſequitur idem offerens multa, quibus intelligas, quæ ſit Natura diuina, qualĕ nos eam cogitare deceat, uelut quis è cœleſtibus Theologis eodem libro: Indignatur, inquit, Deus in eos, qui tonitrua ſua, fulmina, fulgetras, radiorumq; iactationes imitantur: ſed his qui uirtutem eius, & probitatem æmulantur, ſeq; ipſos ad honeſtatem, humanitatemq; eius componunt, delectatus auget, participesq; eos æquitatis, & iuſtitiæ, ueritatis, manſuetudinis, qua ipſe præditus eſt, fecit, quibus diuinior neq; ignis eſt, neq; lux, non ſolis rotatio, conuerſio, non ortus, obitusq; aſtrorum: οὐ τὸ ἀίδιον, καὶ ἀθάνατον. οὐ γὰρ χρόνῳ ζωῆς ὁ θεὸς εὐδαίμων, ἀλλὰ ἀρετῆς τῷ ἄρχοντι, τοῦτο γὰρ θεῖόν ἐστι, καλὸν δ' αὐτῆς, καὶ τὸ ἀρχόμενον: non æternitas, atque immortalitas. Neque enim diuturnitate uitæ Deus eſt beatus, ſed excellentia uirtutis. Hoc enim eſt Diuinitas, hæc pulchritudo eius, & principatus. Sic Plutarchus ore diuino locutus, uberrate cœleſti completus: Ecce igitur Natura diuina, magnitudo Bonitatis eius. Ecce beatitudo, quòd inæſtimabiliter bonus, uirtute, iuſtitia, manſuetudine, clementia ineffabili. Eó que miſericordia eius plena eſt terra. Hæc creationis cauſa, ut ait Plato. Nam cum ea natura eſſet Deus, nemini bonitatem ſuam, ac lucem, ſciens etiam ac proſpiciens fore malorum ingratorumq; innumerabilem in mundo, quem creabat multitudinem, inuidit. Hinc quo manſuetiores, placidiores, benigniores que ſumus, hoc ei ſimiliores. Ex eodem fonte & cauſa eſt, quod idem in eo qui eſt de Theologia Aegyptiorum: οἶμαι δὲ ὁ Πλαίωνίας ζωῆς, ἣν ὁ θεὸς εἴληχεν εὐδαίμων εἶναι, τὸ τῇ γνώσει μὴ προλιπεῖν τὰ γιγνόμενα: Arbitror, inquit, & ſempiternæ uitæ, qua Deus fruitur, beatitudinem eſſe, præoccupare ſcientia, ea quæ fiunt. Sic ait. Nam magnitudo ſapientiæ, facit excellentem uirtutem, ac bonitatem. His conſtat unum eundem que ſingularem Deum Naturæ luce, eos agnouiſſe, euḿ que ſingulariter nominaſſe, ſummaś que dotes ei tribuiſſe, quæ crebrò in ſacris literis canuntur.

Sic apparet eadem omnium ſcientia, religio, idololatriæq; fictitiorumq; Deorum exibilatio.

Item ex Plutarcho Deum in pelago ſanctitas habitantem, cuncta recte moderari: Solem in cœlo uelut exemplum ſui collocaſſe. Eſſe eum uirtutis omnis ſimulachrum & Ideam, quam homines oporteat imitari quoad fas eſt. Principes eſſe diſtributores bonorum, quæ largitur Deus. Principem eſſe imaginem Dei uiuam. Præcipuum inſignemq; Dei cultum, eſſe, imitari bonitatem eius. Ad uirtutes acquirendas opem eius eſſe neceſſariam. Res Romanas creuiſſe, Deo uolente. Deum eſſe regem mundi, Bonorum largitorem. Cap. VII.

SImilia de Diuinitate ſcripſit Plutarchus eodem libro de Principe, ſæpe & ſingularem, unicumq; Deum, ac naturalem habens in ore, & Theologiam mirabilem, ſacroſanctam de eo profundens, ut clareat quemadmodum omnes ſumus filij eius, ſic omnes Patrem ſuum duce Natura, licet oculis inuiſibilem, ratione ſibi aperiente uiam, recognouiſſe. Neque enim, inquit, ueriſimile eſt, neque decorum, quemadmodum Philoſophi nonnulli aſſeuerant, Deum miſtum eſſe cum materia, cuncta patiente, neceſſitatesq; et fortunas, mutationesq; innumerabiles recipiente: ἀλλ' ἡμῖν ἄνω πρὸς πόλει τῷ ἀεὶ ἡγεῖ ταῦτα ὅτω φύσιν ἔχοντι, ἱδρυμένον ἐν βάθροις ἁγίοις ἢ φησι Πλάτων βυθέα πεφαίνει ἡγεῖ φύσιν πόλυπορεύομενον. οἷον δὲ ἥλιον ἐν ὀρανῷ μίνυμα πόλι καλλὲς αὐτ, δι' ἐσόπτρου ἀναφαίνεται τοῖς ἐκείνον ἐνορᾶν δι' αὐτ δυνατοῖς: Sed nobis deſuper defixus, ſtabilisq; ea natura, quæ ſemper eodē modo permanet, immutabiliter ſanctus, ſiue roboribus ſanctis ut ait Plato, recta peragit per omnem naturā inambulans, quaſiq; præclarū ſuæ maieſtatis indicia, Solē locauit in cœlo, per quē ut ſpeculū apparet his qui eū per ipſum intueri poſſunt. Hic iterū Plutarchus Solē dicit à Deo uelut ſpeculū et exemplū ſuæ claritatis collocatū in cœlo. Eſt enim Deus Sol iuſtitiæ, Sol inuiſibilis, incorporeus, luminoſiſsimus, per hunc apparentē oculis, cerni poſſe nō apparentē. Eū eſſe in natura ſtabili, uniformi ſemper, à Philoſophis appellata κατὰ ταῦτα, rubore, aut fundamento ſancto, cuius ſcilicet firmamentū, ac fundamentū, ſtabilitas æterna, ſancta, Deus, inquit, fundamētis ſanctitatis ſubnixus, per omnē naturā inambulat: non quaſi materiæ miſtus, ſed in excelſo throno diuinitatis ſuæ, mirabili modo regnans in cœlo, et per omnia diffuſus, uelut Sol flammis terrarū opera omnia luſtrās. Sol eſt exemplū inuiſibilis claritatis eius. Quàm magis Solē intueris, tā magis deluſus cœcatusq; diſcedas: ſic oculis temerè in Solā illū defixis æternū, periculum ſit, ne tenebris offuſis, non modò cognoſcendo nihil promoueas, ſed noua caligine obuoluaris. Parte alia, poſsis ex Sole uiſibili, inuiſibilē noſcere, ſi claritatē, ſi uniuerſalē præſentiā, ſi cauſam cur eo uideant et uideātur omnia, cōferas. Pluraq; alia. Plutarchus itē in eo, quē inſcripſit de his qui ſero à Deo puniūtur, ſæpe ſingularē, naturalemq; Deū appellat, et ei mirabiles, ſuſpiciēdasq; Theologiæ laudes uēdicat, quas in noſtris literis audimus ſæpe cōſona re: κατὰ πλάτωνα, ὡσαυτῶς καλῶς, ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἐν μέσῳ παράδειγμα δείκνυσι, τῇ ἀνθρωπίνῃ ἀρετῇ, ἐξομοίωσιν ἀμωγέπως πρὸς αὐτὸν

τὸν ἐνδίδωσι, τοῖς ἑπομένοις δυναμένοις. Iuxta Platonem, inquit, omnium bonorũ honestorumq́; Deus in medio, seipsum proponens exemplũ, uirtutem humanã his qui possũt sequi, cõcedit assimilationẽ esse sibi. Sic ille. Non ne hæc est Theologia nostra? Imitamini, inquit ipse, Patrẽ uestrũ qui Solem suũ oriri facit super bonos et malos. et idẽ clamabat, Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde. Et alius de eo, Omnis Christi actio, nostra est instructio. Sic Plato & Plutarchus, humanã uirtutẽ fieri, nasci ex assimilatione, et imitatione bonitatis diuinæ, quoad fas est. Neq; enim sentiunt nos ad infinitam bonitatẽ eius, quantumuis conemur, labores plusquã Herculeos exantlemus, aspirare posse: sed dicunt quantũ humanæ uires procedant, usq; quò naturæ datũ. Hunc igitur uirtutũ fontem respicias, in eũ uelut speculũ ac specimẽ contuitus te formes, componas. Respice si parcit hostibus, an sit beneuolentissimus, bonorũ suorũ effusissimus largitor. Agnosce puritatem, candorẽ, cæteraq́; quæ sacris libris decantantur. Hæc imitare. In libro quoque aduersus Principẽ imperitũ, sic singularẽ, naturalemq́; Deũ nominat, ut ei dicat seruire Principes ad curã, salutemq́; hominum, ut ea bona, quæ largitur hominibus Deus, partim distribuãt, partim adseruẽt: ἀληθέστερον δ' ἂν εἴποι, τοὺς ἄρχοντας ὑπουργεῖν θεῷ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν & σωτηρίαν, ὅπως ὧν θεὸς δίδωσιν ἀνθρώποις, τὰ μὲν νέμωσι, τὰ δὲ φυλάττωσι. Hæc autẽ ab eo dicũtur, qui Christianæ, Mosaicæq́; religionis uix nomẽ audisset, solo Naturæ lumine superiorũq́; Philosophorũ bonorũ, eodẽ naturali iudicio, ad ueritatis ueros fontes deuectus: Seruire Deo principes ceu distributores, conseruatoresq́; bonorum, quæ Deus largitor hominibus effudisset. Hinc magnus Theologus noster dixit, Qui potestati resistit, Deo resistit. Fatetur cuncta bona, quemadmodũ nostri, cœlitus descendere. Omne datũ optimũ, et omne donũ perfectũ, descendit sursum à Patre luminũ, inquit ille noster. Plutarchus autẽ, dari à Deo bona, honesta, quæ per Principes uelut ministros eius, distribuãtur, et conseruẽtur. Idẽ imaginẽ ornantis, moderantisq́; cuncta Dei, Principẽ dicit, cui non sit opus Phidia aut Polycleto, uel Myrone sculptoribus, sed ipse seipsum ad similitudinẽ eius per uirtutẽ cõponat: ἄρχων δὲ εἰκὼν θεοῦ τὰ πάντα κοσμοῦντος, οὐ φθονῶν ἀπόμενος πλάττοντος, οὐδὲ πολυκλείτου, οὐ μύρωνος, ἀλλ' αὐτὸς αὑτὸν εἰς ὁμοιότητα θεῶν δι' ἀρετῆς καθιστὰς. Hinc toties singularis Dei nominatio, hic illa Theologia, quòd ab eo cũcta moderentur, componãtur, quòd omnia bona ipso largitore contingant. Demũ quòd imago eius sunt Principes, qua de re uocantur etiã in diuinis literis, Elohim, Dij diuini. Illum Principẽ, pulcherrimã imaginem sui uel statuã erigere, qui se diuinis uirtutibus reddiderit, insignẽ, respectans archetypũ suũ. Principẽ quidem imaginem Dei dicit, quòd imperat, dominatur, moderatur, componit. homines item sentit nihil maius assequi posse, quo frui Deo queant, & quasi ex Diuinitate eius delibare, quàm ut uenerantes persequentesq́; bona quæ ab eo possidentur, ad uirtutes contingant. In eo, Qui sero à Deo puniuntur: οὐ γὰρ ἔστιν ὅτι μεῖζον ἄνθρω-

τῶ ἀπολαύειν θεοῦ πέφυκεν. ἢ ὄψ τιμήσει, καὶ διώξει τῶν γὲ ἐκείνῳ καλῶν καὶ ἀγαθῶν, εἰς ἀρετὴν καθίσασθαι. Sed breuiter summa quæque persequar, quæ uelut uerus, naturæque apprimè narus Theologus idem Plutarchus scripsit & sensit de summo Deo. In eo, Qui sero à Deo castigantur, patientiam sustinentiamq; diuinam (ob quam uocatur in sanctis litteris μακροθυμος) exempla esse debere uirtutis nostræ, & quos moueant dicta, factaq; magnorum uirorum, iramq; nonnunquam retundant, multo magis debere θεὸν ὁρῶντας, Deum respicientes, quem neque metus sollicitet, nec pœnitentia mutet, serò & cunctanter ad pœnas procedentem, fieri meliores, putantes partem diuinam esse mansuetudinem, ἣν ὁ θεὸς ἐνδείκνυται, quam Deus claram ostentat. Hic enim commendatur celeberrima illa in sanctis literis patientia: dicitur esse diuina uirtus, procedit etiam ad alias Diuinitatis ueræ laudes Plutarchus, non esse, ut ait Hesiodus, humanæ sapientiæ animorum latebras perspicere, ἀλλὰ θεοῦ, sed Dei. In eo autem quem inscribit, Quomodo se quis citra inuidiam laudare possit, uitari posse inuidiam, si bene facta referas in Deum, nonnunquam Fortunam. Emendat etiam sententiam Euripidis, dicentis, Deus magna curat, parua relinquit: ἐγὼ δὲ τῇ τύχῃ οὐδὲν οἶμαι ἐπιτρέπειν: Ego uerò Fortunæ nihil arbitror permittendum. Quanquam alio loco id mulcet interpretando. Siquidem & in nostris est literis, Nunquid Deo curæ est de bobus? Magna autem quæ curat Deus, sunt res humanæ. Illud in eo quoque præclarum, quòd arbitratur ad uirtutes obtinendas, opem diuinam necessariam. Mansuetudinemq; & æquitatem animi, quæ prius aspera, duraq; uideretur, experientiam ipsam auxiliante Deo docere, et ostendere, nemini, quibus cum degas adeò dulcem, gratumque esse, ac iucundam, atq; ei qui possidet. ὅθεν οἶμαι καὶ θεοῦ πσυλλαβόντος ἐλαβόνισεν ἡ τοῦ ρεᾶτ) λεγόσιν ἐκείνῳ, ὅτι τὸ ἥλεων τὸ τοῦ, καὶ πρᾶον καὶ φιλάνθρωπον, ἅδλενὶ τ συνόντων ὑμῖν ἥδιον οὕτω, καὶ φίλον καὶ ἄλιπον, ὡς αὐτοῖς τοῖς ἔχουσι. Sic quoque in eo, quem inscripsit, De fortuna Romanorũ, quem admodum Plato, exigne & aqua, uelut ad mundi constitutionem necessarijs ac primis, ut posset uideri ac tangi, opus fuisse, sic tempus post Romã conditã insecutum. μετὰ θεοῦ, τύχην καὶ ἀρετὴν ἐκέρασε, καὶ συνέξευσεν: Cum Deo, fortunam, & uirtutem temperasse, & coniunxisse. Primis quoq; seculis illis, urbe crescente uehemẽter, quòd nec fames, nec pestilẽtia desæuisset, nõ humanũ consiliũ, sed fortunã diuinã fuisse, tempora illa gubernãte: ὡς οὐκ ἀνθρωπίνως εὐβουλίας, ἀλλὰ θείας τύχης ἐπιτροπευούσης τ καιρῶν ἐκείνων. In his apparet omnigena Theologia, siue qua conditionis rerũ maiestas, siue qua imperiũ, administratioq; pertinet, omnia summæ sapiẽtiæ cõsona. Idẽ in eo, qui est De doctrinã Reipu. gubernãdæ, ait Principẽ ad maxima, potissimaq; debere respicere: ὡς τὸ κόσμο βασιλεὺς τ ἄγαν γὰρ ἄσχολεται θεὸς, τὰ δὲ μικρὰ εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ: Quemadmodũ Rex mundi. Deus enim magna, ingentiaq; curat, parua Fortunæ relinquit. Hic Regem mundi uocat, ut cernis, Deum. Quemadmodum no

dam noſter, Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria. Parua autem dicit ea, quæ non ſunt ullius momenti. Quanquam et ea, cum uult, reſpicit, ut idem ſuperius. In eo autem, qui eſt De non fœnerando, oſtendit nihil nobis deeſſe diuinitus: οὕτως ἡμῖν ὁ θεὸς δίδωσι ξυλίνην τράπεζαν, καὶ κεραμέαν λεκάνην, καὶ τραχὺ ἱμάτιον, ἐὰν ἐλεύθεροι ζῆν θέλωμεν. Sic, inquit, dat nobis Deus ligneam menſam, peluimq; teſtaceam, rigidamq; ueſtem, ſi liberi uiuere uoluerimus. His oſtendit, nihil à Deo nobis defuturum, modo placeat libertas, nullis nos malis dedere.

Affirmare Plutarchum omnia facienda in Republica, honoris diuini cauſa: Deum eſſe Patrem hominumq; Deumq;, creatorem autem mundi. Hunc priſcos fateri totius ordinis, harmoniæq; autorem. Principium iuſtitiæ. Viuens æternum, optimum. Dæmones malos eum non feciſſe: ex inordinatione ordinem feciſſe. Optimum artificem, plenum artificij, immortalem, beatum, beneficum, uidentem uniuerſa. Cap. VIII.

SEd ea quoque mira, peneq; de noſtris cœleſtibus fontibus manantia, aut uerius de fonte naturæ, qui & ipſe fluxit à cœlo. Sint, inquit in eo quem De politicis documẽtis edidit, diſtributiones, largitionesq; primùm gratis. Ita enim deuinciunt, detinentq; accipientes. Tum ex occaſione, ciuilem, honeſtumq; prætextum habente μετὰ τιμῆς θεοῦ πάντως ἀγούσης πρὸς εὐσέβειαν: Cum honore Dei, ducente prorſus ad pietatem. In generatur enim ſimul multis ualidus affectus & opinio, eſſe Diuinitatem magnam, & uenerabilem, cum quos ipſi honorant, magnoſq; arbitrantur, ſic largiter & prompte uiderint περὶ τὸ θεῖον, erga Deum profuſos, accenſos. Hæc Plutarchus, non Chriſtianus quidem, ſed rationem tantùm Natura ſuggerente, in Republica, in regno, quæ fiant, principio uertenda eſſe ad cultum, honoremq; Dei. Populos enim uidentes Principem, pietatis colentem, liberalemq; in omni religione, & cultu, arripere de maieſtate eius, ſanctitateq; perſpectiorem ſententiã. Hoc religionis noſtræ fundamentum: hoc principes, qui ſunt paſtores populorum, iubentur: hic rerum humanarum uertitur cardo. Agnoſcit Plutarchus, fatetur, prædicat omnia munera, dignitates, honores, largitiones, pompas apparatus, priuatim & publicè, ad honorem Dei, quemadmodum fecit Dauid, Solomon, uertenda, unde pietas in populo naſcatur. Videatur, conſtet, quic quid honoris, magnificentiæ impenditur in Republica, ad honorem Dei fieri à Principe, aut qui aſsidet gubernaculo. Hic igitur & ſingularis Dei eſt nomen, & uult, quod noſtræ ſemper literæ clamant, haberi certã, firmamq; de maieſtate eius ac ueneratione ſententiam: Omnem largitionem referri ad honeſtationem eius, eamq; celebrem, magnificam, cum magnifica, liberaliq; pietate. Has trahit è pectoribus hominum Natura uoces, Si nulla etiam afforent oracula. In eo quoque, quem De quæſtionibus Platonicis prætitulauit, quærit cur Plato uocet Deum πατέρα πάντων καὶ ποιητήν, Patrem omnium ac creatorem: reſpondetq; Patrem eſſe θεῶν τῶν γεννητῶν, genitorum Deorum, atque hominum, ut Homerus appellat: creatorem autem ratione, uitaq; carentium: & Pater mundi Deus,

quia mundus animal, plenum uitæ. motus. Hic habes et Deos genitos, nempe creatos, non æternos, & Iouē apud Homerū, ac Philosophos esse uerū singularemq; Deum, Patrem hominum atq; Deorū: Sic Deorum, sicut hominū: Hominū autem uti factor, opifex, non procreator. In eo quoq; quē De primo frigido cōposuit, moderatorē Vniuersi Deum dicit: καὶ ὅσα διακοσμῶν, ἡγεμονικὸς καλεῖται ἡγεμονικός. Quæcunq;, inquit, moderatur gubernatq; Deus, ob quæ uocatur Harmonicus, Musicus. Qui fuerint autē hi, qui Deum Musicū, harmoniæq; autorem fāterentur, declarat in eo quē inscripsit De Musica: τῆς γὰρ ὅλων ὄντων φορᾶς, καὶ τῆς τῶν ἀστέρων κινήσεως οἱ περὶ τὸν Πυθαγόραν, καὶ Ἀρχύταν, καὶ Πλάτωνα, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀρχαίων φιλοσόφων. οὐκ ἀνευ μουσικῆς γίγνεσθαι, καὶ συνεξᾴδειν ἔφασκον, πάντα γὰρ κατ' ἁρμονίαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ κατασκευάζεσθαι φασίν. Quæ sunt, Nā rerū omnes motus, siderumq; conuersiones, Pythagoras, Archytas, Plato, reliquiue priscorū Philosophorū, non citra musicā fieri, ac constare dicere solebant, omnia per harmoniā, à Deo constructa contendentes. Agnoscis uoces uetustatis? Vides priscam pietatme, naturalem de Deo Philosophiā, celebrē semper, quo magis in priora sæcula respicias? Quē dixere condidisse, fabricasse mundū, tanta harmonia, tanto ordine, concentuq; rerū, ut emerserit opus indissolubile, nullis casibus interiturū unquā, nisi solus ipse resoluat, qui solus ubi sint uincula, quibus ligauit Vniuersum, cognoscit. Hunc omnes omnipotentē, omnium bonorū fontem, ordinum, iustitiæ, ueritatis originē agnouerunt, ut mirabilis sit, quo modo persuaderi potuerit hominibus olim cultus hominum bestiarum. Nam Chrysippus eodem autore Plutarcho (quod in Legibus imitatus est Marcus Tullius) ὁ γὰρ ὄθεν εὑρεῖν τὸ δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν, ἢ ἄλλην γένεσιν ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διός, καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως: Neq; enim est inuenire aliud iustitiæ principiū, atq; ortum, nisi à Ioue, & à communi natura. Hanc Chrysippi sententiā Marcus sic expreßit. Orta autē simul est cū Mente diuina. Quamobrē lex uera atq; princeps, apta ad iubendū, & ad uetandū, ratio est recta summi Iouis. Iouē, ut uides, uocat Mentem diuinā, creatorēq;, ut uisum superius, omniū: Hunc ordinis harmoniæq; cuncta repleuisse, quia fons ipse iustitiæ & æquitatis. Eum Antipater eximius Stoicorū, autore eodē Plutarcho eodē libro, quasi secutus Aristotelē definiebat: θεὸν νοῦμεν ζῷον μακάριον, καὶ ἄφθαρτον, καὶ ὑποιητικὸν ἀνθρώπων. Deum, inquit, sentimus rem uiuentem, beatam, & immortalem, hominumq; beneficam. Aristoteles autem in Metaphysicis: φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῷον ἀΐδιον, ἄριστον, ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ, τοῦτο γὰρ θεός. Dicimus Deū animal sempiternum, optimū. Quocirca uita, et æuū perenne, ac sempiternū, inest Deo. Hūc ipsum cū Chrysippus præfecisse dixisset Dæmones malos ad clades & calamitates, Plutarchus redarguens Chrysippū, bonū, Regē, omnipotentēq; sic prædicat: τὸ δὲ φαύλοις

λους δαίμονας ἐκ προνοίας ὧδε τὰς τοιαύτας ἐπιστασίας καθίστασθαι πῶς ἂν δόξαι ἄγκλημα τῷ θεῷ, καθάπερ βασιλέως κακοῖς καὶ ἐμπλήκτοις σατράπαις καὶ στρατηγοῖς, ἀοικήτως ἐπιτροπεύοντος, καὶ περιορῶντος ὑπὸ τοῦ ἀμελουμένους, καὶ παροινουμένους ἀρίστους: Esse aũt ex prouidentia Dæmones malos, ad has prouincias delegatos, nõne crimẽ est Dei, ceu Regis, q Satrapis improbis, uecordibusq; gubernacula permittat, sinatq; ab his optimos negligi, et in eos debacchari? Hoc loco Plutarchus primũ nõ Stoicos modò, id est, Chrisippũ, sed etiam Platonem, seq; ipsummet reprehendit, siquando Dæmones hominibus curandis præfectos à Deo dicunt. Secũdo dicitur Deos moderator Vniuersi, qui bonos benignosq; præfectos, non improbos adhibuerit. Tertio dicitur Deus non permittere malos improborum Dæmonum potestati. In eoq; reprehenditur Chrysippus, huius dogmatis assertor. In eo quoque carpitur Chrysippus ab eodem, prædicatur autem diuina maiestas, quòd cum Chrysippus diceret rebus necessitatem admistam: καὶ μὴν, εἰ πολὺ τὸ ἐξ ἀνάγκης μεμικται τοῖς πράγμασιν, ὅτε κρατεῖ πάντων ὁ θεὸς, ὅτε πάντα, ἢ τὰ πολλὰ ἐκείνης λόγῳ διοικεῖται. Atqui, inquit, Si multum necessitatis, rebus est admistum, neque regnator omniũ est Deus, neque cuncta ad rationem nutumq; eius gubernantur. Ex his admiranda multa, & contra nonnullorum Philosophorum etiam ipsius Plutarchi sententiam colliguntur, de materia prima, quam Plato, secutus Timæum Locrensem, quosdamq; alios superiores, Platonem secutus Plutarchus, arbitratus est sempiternam ante creationem, eiq; motum quendam inordinatum affuisse. Stoici causam malorum, Deoq; resistentem dixerunt. Hæc cum ratio doceat uanissima, puerilesq; suspiciones esse, tum uerior autoritas eorum, meliora sequentum, animoq; ueriora cernentum destruit, & refellit. Quanta enim uanitas duo principia dicere, si Deus solus æternus, solus omnipotens, cuius omnipotenti manu fieri cuncta poterant? Si datur huic ratione docente uniuersale rerum gubernaculum, uniuersalis potestas, etsi Deo parent cœlum, ac terræ, eiq; obediunt omnia, cunctis id unanimiter fatentibus, cur etiam supra materiam primam non datur ei potestas, ut eam quocunque uellet, duceret? Cumq; docuerit eum ratio omnipotentem, ut cui pareant omnia, cur hæc ipsa rerum uniuersalis obedientia, non docebit eum cuncta, quæ parent, creasse. Si paruit materia, paruit quia talis ab eo, quæ parêret, facta fuit. Si Deus materiam non fecisset, sequeretur, quod inducit Plutarchus, multum necessitatis uiolentiæq; rebus inesse. Hinc Deum omnipotentem magistrumq; omnium, et dominum non esse. Verum Plutarchus in libro de Ψυχογονίᾳ, non suam, sed Platonis referebat sententiam. Hic Deum fatetur omnipotentem, nullam rebus inesse resistentiam, uiolentiam, omnia ad nutum eius fieri. Similia scribit in Symposijs, Deum magnum ex inordinata, confusaq; rerum congerie, ordinem fecisse, mundum edidisse, omnia suis locis disposuisse, pulcherrimumq; mundum, ex deformissimo

reddidisse: τὸν τὸν μέγαν θεὸν ὑμεῖς τὸ φατὲ, τὴν ἀκοσμίαν, τὴν ταξίαν μὴ ταβαλεῖν εἰς κόσμον. ὅτε ἀφελόντα τῶν ὄντων τὸ δεῖν, ὅτε προσθέντα, τὸ δεῖν ἔχειν. ὅτι τὴν προσήκουσαν χώραν καταλαβόν, τὸ κάλλιστον ἐξ ἀμορφωτάτου σχῆμα πρὸς τὴν φύσιν ἀποργασάμενον. Hoc dogma, ut sæpe monui Mosaicum est, & Trismegisti: sed cum Græci causa discendi in Aegyptum profecti, non penitus intellexissent, quod facile fieri potuit, alieno sensu in Græciam sparserunt. Moses ante pulcherrimum mundum, ante lucem, aërem, plantas, animalia, fuisse terram dicit inanem & uacuam. Hoc ergo sic tempestate illa Græci cum multis, forteq; etiam Aegyptijs, non rectè quid ualeret, intellexerunt, quemadmodum Christianorum tempore malè fuit intellectum à Manicheis, credideruntq;, Terra erat inanis & uacua, tempus æternum, quo terra ante mundum inanis & uacua, & chaos, formis, decore, cultoribus, uacua, in creatione, ad mundanos ordines reuocata esset. Hoc igitur prauè intellectum est. Non enim Moses dixit, in æternum uacuam terram anteceßisse, sed anteceßisse ratione certa, uelut exordium, massam, cõgeriem, codẽ artifice massæ, atque ordinum. Sed satis est eos unum singularem Deum, magnum, præpotentem, creatorem mundi, omnis boni, tatis, pulchritudinis inuentorem nobiscum agnouisse. Similia refert eisdem libris: καὶ γὰρ θεὸν ὁρᾷς, ὃν ἀρίστεχναν ἡμῶν ὁ Πίνδαρος & προσεῖπεν, οὐ παντὸς χιῦ τὸ πῦρ, ἄνω τὰ ἄλλα τὰ κάτω τὴν γῆν, ἀλλ' ὡς ἂν αὐ χρείαι τῶν σωμάτων ἀπαντοῦσι. Deum quoque uides, inquit, quem optimum artificem Pindarus noster appellat, non ubique in superna regione ignem posuisse, infernaq; terram, sed ut usus corporum posceret. Sic nunc dispositorem, ordinatoremq; elementorum, Deum, quantum foret usus, appellat. Hos ordines, quos cernimus in omni mundo, eius unius esse. Eundem in Symposijs ingeneratum, sempiternumq; Deum, artificem mundi, omniumq; genitarum rerum appellat. Audio, inquit, Platonem, πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦτε κόσμου, καὶ τῶν ἄλλων γεννητῶν, τὸ ἀγένητον, καὶ ἀίδιον θεὸν, ὀνομάζοντος, οὐ δι' ἀσπέρματος & λήθω γονώμενον, ἀλλ' ἄλλῃ δὴ δυνάμει τὸ θεοῦ, τῇ ὕλῃ γόνιμον ἀρχὴν, ὑφ' ἧς ἔπαθε, καὶ μετέβαλε, ἐντεκόντος. Patrem artificem mundi & omnium genitarum rerum, ingenerabilem, & sempiternum Deum nominantem, non per semen quidem generantem, sed alia uirtute diuina (à quo patiebatur ipsa materia mutabaturq;) ipsi genitale principium inserentẽ. En Deus sempiternus, rerum non sempiternarũ, sed factarũ opifex, et genitor. Genitor inquã nõ quemadmodũ animalia, plantæq; per semẽ prolificum, sed alia uirtute diuina, qua fecit omnia fœcunda, uirginem, primordialemq; terrã illam fœtibus omnigenis gra uidauit, fecitq; uirtute diuina sua, cuncta quæ uoluit. Hæc de causa ferunt à Platone dictum, eodem autore, γεωμετρεῖν τὸν θεὸν, ordinibus certis, mensurisq; ponderasse cuncta Deum. Quod declarans, & quo sensu concipi deceat, prosequitur ὁ γὰρ τίμιος καὶ θεὸς δεῖται μαθήματος, οἷος ὁ γεωμέτρης σχεφοντος

ἐπὶ

ἐκ τῶν γιγνομένων, καὶ προσδεόμενον τῶν ὄντων, ἵνα διὰ τούτων γένηται ἐκείνῳ, καὶ σὺν αὐτῷ, καὶ πρὸς αὐτόν, Neque enim Deus mathematica indiget, uelut organo, quod agat & conuertat mentē à genitis, factisq;, ad ea quæ sunt. Est enim in illo ipso, & cum ipso, & circa ipsum: uel sunt ipsa entia. Hoc magnum in Plutarcho sacramentum, nostrarum literarum sacerrimum mysterium, per ipsum, & cum ipso, & in ipso esse omnia. Quia fœcundum omnium principium, & ut ait Plato, & idem Plutarchus, πέλαγος τὸ καλόν, pelagus bonitatis. De eodem sapienter omnia moderante, in pondere, & mensura disponente eodem loco: ταύτην ὁ θεὸς ἐπάγει τὴν ἀναλογίαν τοῖς πράγμασι δίκην καὶ νέμεσιν προσαγορευομένην καὶ διδάσκουσαν ἡμᾶς τὸ δίκαιον ἴσον ἀλλὰ μὴ τὸ ἴσον δεῖν ποιεῖσθαι δίκαιον: Hanc Deus inserit rebus analogiam, siue proportionem, quæ Iustitia, Nemesisq; uocatur, docetq; nos, oportere facere iustitiam æqualitatem, non æqualitatem iustitiam. Hoc est, quòd æquitas subiacet iustitiæ. Idem eodem loco, quomodo creauerit Deus: οὔτε θεὸν ἐτέρῳ τινὶ τρόπῳ κοσμοποιεῖν, ἢ περατοῦντα τὴν ὕλην ἄπειρον ὄσαν ὑπὸ μεγέθει καὶ πλήθει, δίχα δὲ ἀταξίαν καὶ πλημμέλειαν αὐτῆς, τὸ ἄρρυτον, καὶ ἄπειρόν τε ἄπειρον εἰωθότων καλεῖν τὸ παλαιῶν: Neq; Deū alio modo mūdū creasse, quàm finientem terminantemq; materiam infinitam, non magnitudine, et multitudine, sed propter inordinationem et errorem eius, quod erat ei optimū, sed interminatum infinitum solitis priscis nuncupare. Hæc ille. Sed docuimus, quomodo (neq; enim ueritatē prorsus agnouerūt) de materia sentire deceat eis æterna, nō creata. Fuit error, si fuit in Prisca Philosophia, manans ex libris Trismegisti, dictis que Mosis haud sapienter intellectis, Terra erat inanis & uacua. Non erat in æternum. Quanquam duos habet sensus, ut liquet ex fonte. Inanis & uacua, aut penitus nihil, priuatio non formarum modò, Sed ipsius etiam materiæ, uanitas omnimoda in æternum. Nihil enim erat ante terram, primordium, fundamentum que rerum. Quòd si nihil ante primordium, ne etiam ante ea, quæ ex primordio. Alter sensus, ut superius, fuit prius seminarium confusum, congeries ex terra & aqua: Verum non in æternum, fuit ut fundamentum naturaliter antegrediens omnem subsecutam creationem. Sed hæc toties exagitata mittamus. Singularem quoque Deum Plutarchus nominat, & ab eo precari mortales bona dicit: καὶ ὅσα μὴ παρ' ἡμῖν ἐσὶν, εὐχόμεθα τὸν θεὸν δίδυναι, ῥόσους μαλακοὺς, καὶ εἰλήσεις ὑπὸ πνεύματι μετρίως, ὡς ἀεὶ τὸ ἀπολειπόντος ἀναπληρωσιν ἡ φύσις ἔχει διατηροῦσα τὴν γένεσιν. Quæcunque, inquit, quæ non sunt apud nos precamur Deum, ut largiatur molles rores moderatosque turbines, ut semper reparet Natura, quod deficit, seruans temperiem. His constat mortalium uota, precesq; olim, etsi colebant portenta, simulachra, in unum singularem Deum spectasse semper, Natura, quo nihil est rapacius, sic ad id rapiente, quemadmodum nemine docente, ad

cibos,

cibos, Veneremq; accurrunt animantes. À Deo reparare fœtus Naturam, nouisq; semper seminibus fœcundari. Idem in eo, quem De facie quæ uisitur in Luna, inscripsit Περὶ θεῶ δὲ ἡ τάξις τῶν ὄντων προσήκει: Deo, inquit, rerum ordinatio, dispositio conuenit. Hic enim, quanquam non erat Christianus Plutarchus, & Deos Græcorum colebat, unum tamen Deum appellat, & moderatorem rerum fatetur, Natura docente. De quo uult etiam Homerum ubique scribere: μαρτυρεῖ δή μοι καὶ ὅμηρος, αἰτίας μὲν αὐτὸ θεοῦ ὀδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν ἐπιστάμενόν & περαινόμενον, ὃ μὴν πρὸς πάντα, χρώμενον ποιῶν θεὸν, ἀλλ' ἑκάστῳ, καθ' ἥν ἕξει τέχνην ἢ δύναμιν: Attestatur, ait, mihi etiam Homerus, nihil sine causa Dei, ut sic loquar, perfici demonstrans. Sed non ad omnia faciens Deum uti, sed unoquoque secundum quam habet artem, ac facultatem. Hæc ille. Vult etiam Homerum nomine Iouis designare uerum, naturalemq; Deum, quanquam etiam Fortunam, & Fatum: quæ tamen & ipsa sunt diuinitas. In eo, Quomodo debeat adolescens audire poëmata: πολλῶν δὲ ὄντων λεγομένων, ἐλλέναι δ' ἔι, καὶ μνημονεύειν, ὅτι Διὸς τὸ δ' ἰὸς, καὶ Ζηνὸς ὀνόματι, ποτὲ τὸν θεὸν, ποτὲ δὲ τὴν τύχην, πολλάκις δὲ τὴν εἱμαρμένην προσαγορεύουσι: Sed cum multa dicantur, inquit, scire operæpretium est, & admoneri, quòd nomine Iouis, interdum Deum, nonnunquam Fortunam, sæpe Fatum uocant. His constat Iouem non hominis primam appellationem fuisse, sed cum priscis esset nomen æterni Dei, prauis moribus inualescentibus, ad mortalem corruptibilemq; hominem fuisse tralatum. De quo sæpe dictum fuit. Fatum quoque & Fortuna, quæ nomine Iouis arbitratur appellata, sunt ipse Deus, quoties operatur occultè: Fortuna, quoties rerum consequentium necessitas aspicitur, Fatum nuncupatus. Naturam quoque diuinam Plutarchus, iudicio naturali cernens, quod oraculis patuit cœlestibus, definit in libro contra Stoicos: ὃ γὰρ ἀθανάτου καὶ μακαρίου ἀλλὰ καὶ φιλανθρώπου, τὴν κηδεμονικὴν ὠφέλιμον πολαμβάνεσθαι, καὶ νοεῖσθαι τὸν θεόν. Quod etiã apud alios: Neq; enim, inquit, duntaxat immortalis ac beatus Deus credendus sentiendus q; est, uerumetiam humanus, procurator, utilis. Hæc omnia, quæ Natura suis uocibus homines eruditi, si aspexeris, sunt ea quæ toties resonarunt uocibus ætherijs. Senties in sacris literis prædicari, Misericordia domini plena est terra. Nemo bonus, nisi solus Deus. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Pupillum & uiduam respicit, et alta à longè cognoscit. Non ne hoc est id, qd' ex Platone et Aristotele, alijsq; Philosophis producit idẽ Plutarchus contra Epicurũ ὅτι δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάντα ὁρᾷ. πέλας γὰρ ἐστὶν ὁ θεὸς ἐγγύθεν βλέπει: Est, ait acer oculus iustitiæ, qui cuncta cõtemplatur. Haud procul Deus cõsistens, proximè respicit. Vides eandẽ Philosophiã, et quã Natura docuit, & quã noua lux irradians terris reuelauit. De summo quoq; Deo, illoq; supremo

Ioue,

Ioue, Plutarchus idem contra Stoicos. ὁ δ' ἐ πατρῶος καὶ ὕψιστος, καὶ δημόσιος Ζεὺς, καὶ ἀριστοτέχνας περὶ πίνδαρον, ὁ δημιουργὸς μέγας, καὶ ποικίλος, καὶ πολυμαθὴς, δημιουργὸς οὐ τοῦ κόσμου, ἀλλὰ θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἅπου κοινὸν συννομισθέντων μετὰ δίκης, καὶ ἀρετῆς, ὁμολογουμένως, καὶ μακαρίως: At patrius, inquit, & ſupremus, iuſtiſſimuſq; Iupiter, & ut ait Pindarus, optimus artifex, non modò fecit hunc mundum, opus ingens, uarium, artificioſum, ſed etiam uelut urbem communem hominum atque Deorum, qui iuſtè, beatè, cum uirtute conſenſuq; in eo habitarent. Quanta, quæſo, quàm multiplex his Plutarchi dictis Theologia ſubeſt? Deus ſupernus patrius, quia nos ut pater tuetur, optimus opifex, conditor mundi, Deorum, hominumque genitor, qui tanquam ex una ſtirpe nati, in hac ingenti, decora, præclara ſocialiter urbe, degerent. Factus igitur à Deo mundus, non ſibi, ſed Dijs & hominibus: Cœlum, cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Dijs, id eſt, Angelis, datum cœlum, hominibus terra. Sed Dij diligunt homines, ſæpeq; uentitãt ad eos: homines eos uenerãtur. Sic una urbs omnũ, conſenſus unus, & pater idem. De quo perhibet ſentire Stoicos: αὐτοὶ δ' ἐ τῶν καλῶν ἀρχὴν ἀγαθὸν ὄντα τὸν θεὸν ποιεῖσι: Ipſe, inquit, Principium bonorum, Deum bonũ faciunt. Et contra eoſdem, qui cenſerent pleraq; Deum uolentem prudentemq; mala feciſſe: πρῶτον μὲν τὴν κακίαν γεγονέναι περὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρόνοιαν ὥσπερ τὸ φαῦλον ἐπίγραμμα γέγονε περὶ τὴν τοῦ ποιητοῦ βάλησιν, πᾶσαν ἐπίνοιαν ἀποπίας ὑπερβάλλει: Principio, inquit, extitiſſe ex diuina prouidentia, malum, malitiam, nequitiam: ceu ſi malum epigramma, poëta uolente, extitiſſet: nihil abſurdius poteſt cogitari. Ô Plutarche diuine, duæ monitiones, caſtigationeſq;, in te, Philoſophoſq;, ex his dictis tuis colliguntur de Dæmonibus, de materia prima: Cum in confeſſo ſit, Dæmones eſſe malos, autoreſq; malorũ, non fuiſſe, cum crearentur, naturæ huius, quia ſuperat te teſte cunctas abſurditates, mali alicuius fateri Deum autorem. Secunda, nõ eſſe malam, ſiue maleficam materiam primam. Siue enim Deus eam creaſſet, non malam creaſſet: ſiue non creaſſet, quod abſurdum eſt, tanta tamen bonitas eius fuiſſet, ut euincere malitiam eius, & abolere potuerit.

Deum feciſſe hominem animal placidum, ſociabile, Amore patrio eum hominum res attendere. Omnia circum mare & terras proſpicientẽ, omnibus conſulentem, Voluãtate eius, pulcherrima quæque fieri. Animam eſſe inſtrumentum eius. In eo ſempiternam eſſe præſentiam. Hominem ad cognoſcendum feciſſe. Cap. IX.

SVnt alia multa, quæ neq; religio, quippe qui coleret Deus Græcorum, nec reuelatio, ſed Natura duntaxat ſuggeſſit, de ſingulari, naturaliq; Deo dictat Plutarcho, è quibus eſt in eo, quem De diſcernendo adulatore inſcripſit, de ſuauitate amicitiæ loquens, ſicut ſit iucunda lux, οὕτω τῷ βίῳ μίξας τὴν φιλίαν ὁ θεὸς, ἅπαντα φαιδρὰ, καὶ γλυκέα, καὶ προσφιλῆ ταύτης παρούσης, καὶ συναπολαυούσης ἐποίησε: Sic admiſta Deus humanæ uitæ charitate, & amicitia, cuncta læta, dulcia, chara, præſente ea uerſanteq; nobiſcum, reddidit. Hic Plutarchus

cur

cur homo ſit animal placidum, amicabile, ſocietatis amans: cur amicitia, charitatiſq; uigeat, agnoſcit Deum autorem. Tacitéque illam Moſaicæ Theologiæ partem confitetur, qua retulit hominem ad imaginem ſuam, Deum fecíſſe. Ea enim imago Dei cum primis fuit, quod quemadmodum Deus eſt placidus, mitis, bonus, amoris: beneuolentiæq; cupidus, tenax, amator, amans, & amari cupiens, ſic animal creare ſui ſimile decreuit. À ratione uerò, ſenſu cognitione naſcitur amor. Veritas enim eſt non cognoſcentium. Ergo fecit animal prouidum, ſentiens, qui facere beneuolum, ſociabile, mite decreuerat. Is autore non Moſe ſolùm, ſed his etiam, qui nec Moſen legerunt, nec ullum Numinis præſentiam cœlitus habuerunt, ſed unam Naturam ducentem ſequebatur, Deus fuit: Qui charitate beneuolentiaq;, pectoribus humanis inſpirata, ingenijsq; placidis, ſimulibusq; ſui nobis conceßis, humanam uitam alacritate, iucunditatéque repleuit. Eundem ſingularem Deum nominat, eique prouidentiam humanarum rerum attribuit, qui patrio genus humanum gubernet amore, in eo, quo conſolatus eſt Appollonium: τὶς γὰρ οἶδεν εἰ ὁ θεὸς πατρικῶς πρόεισλως, καὶ κηδόμενος τοῦ ἀνθρωπείου γένους προορώμενος τὰ μέλλοντα συμβύσεσε προξωγει τινὰς ἐκ τοῦ ζῆν, ἀώρους: Quis, inquit, nouit, an Deus paternè proſpiciens & conſulens humano generi, & prouidul aſpectans quæ poßint accidere, ſubducit immaturos aliquos è uita? Hic et prouidentiã, paternamq; charitatem erga genus humanum, & gubernaculum, rerum item futurarum proſpectum Deo uendicat. Optimam quoq; rationem conſolandi proponit relatis omnibus ad prouidentiam diuinam, cuiuſmodi celebris eſt in ſacris literis. Ibidem quoque Deum ſingularem nominat, de quo ſæpe mortales iniuſtè querantur: Qui, inquit, fortunam lamentantur, poſſet in eos dici, θεὸς λέσοι πρὸς οὐδένα, ἀλλ' αὐτὸς σύ σοι: Deum iacturam tibi nulla, ſed ipſe met attuliſti tibi, per ſocordiã et imprudẽtiã, quia ferre neſcis aduerſa. In Sympoſio quoq; referẽs Orionẽ uectũ ſuper Delphinibus incolumẽ, quẽ iniuſtè nautæ in mare demerſiſſent, Cœlum ſtellis ſerenũ ſuſpicientẽ eũ, conſideraſſe, ſecũ, ὡς ὄκ ὄξυν εἰς ὃ δ' ἕνας ὀφθαλμὸς ἀλλὰ πᾶσι τόδις ἐπισκοπεῖ κύκλῳ ὁ θεὸς τὰ πρατόμενα περὶ γύντε καὶ θάλαττας: Quòd non unus duntaxat ſit oculus iuſtitiæ, ſed omnibus his præſidet, Deus proſpectans circum, quæ terra & mari gerantur. Aduectumque incolumem, αἰσθέσθαι θεοῦ κυβερνήσει γεγονέναι τὴν κομιδήν, Senſiſſe, Dei conſilio, uectionem illam Delphinum fuiſſe. Is Deus Plutarchi, eſt Deus, cuius conſilio Iona Propheta præceps actus à nautis in mare, exceptusque uentre Ceti, tertia die in littus eiectus eſt incolumis. Prædicatur Deus, omnium quæ toto in mundo, mari, terriſque gerantur, proſpector, cuſtos, cuius non unus ſit oculus. Sic nullis mortalibus fuit unquam obſcurum, quin unus eſſet ſingularis Deus, humanorum operum contemplator, quem nihil, quocunque loco fiat in mundo, lateat, tam cernentem maria, quàm terras. Rex item Aethiopum eodem libro dicit, ὠφελιμώτατον θεὸν, Vtiliſſimũ omnium Deus.

Cui reſpon-

Cui respondit Thales, πρεσβύτατον θεὸς ἀγέννητον γάρ, Antiquissimam rem esse Deum: Ingeneratum enim: In his apparet confessio singularis Diuinitatis. Suæ Deo ueræ dotes tribuuntur. Dotes maximæ bonitatis, & incommunicabilis æternitatis. Deus antiquissimus dicitur, quia solus æternus, præterea nihil. Solus ille ingeneratus: cætera genita, uel facta. Damnatur eorum imperitia, qui uel materiam sempiternam, antiquissimam, uel mundum quoque antiquissimum, id est, æternum dixerunt, plusquam unum antiquissimum inducentes. Speciosa deceptio patet eorum Philosophorum, qui unum quidem antiquissimum, sed mundum, cui dantæ ternitatem, idcirco non antiquissimum dicunt, quia in æternum pependit à Deo. Formosus imposturæ color: Sensus clarus Antiquissimi nunc est, non quòd antecedat natura, graduq; e uniuersa, sed quòd tempore, æternit ate. Id enim sonat Antiquissimus, & eo sensu protulit Thales priscus Theologus. Eodem libro dicitur, Haud mirum esse, ἐ τὰ κάλλιστα περαίνεται θεοῦ γνώμῃ: Si pulcherrima quæque ex Dei sententia perficiãtur. Esse enim instrumentũ animæ, corpus: θεοῦ δὲ ἡ ψυχή, Animã instrumentũ Dei. Et quemadmodũ corpus, multos à seipso motus habeat, plurimos ac pulcherrimos ab anima, sic rursum animã à seipsa motã, plurima operari:, τὰ δ' ἐ τῷ θεῷ παρέχει χωμένῳ κατευθύνειν καὶ τρέπῃ ἑαυτὴν, ἢ βούλοιτο: Multa Deo cedere utenti, ut dirigat flectatq; quocunq; uelit, quæ sit omnium instrumentorum sibi aptissimum. Neque enim æquum esse, si ignis quidem & uentus, aqua et nubes, & hymbres instrumentum sint, δι' ὧν πολλὰ σώζειτε & τρέφει, πολλὰ δ' ἀπόλλυσι, καὶ αὐαίρει, ζώοις δὲ χρῆται πρὸς ὁδὲν ἁπλῶς, ὁδ' ἑπῶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ γιγνομένων, ἀλλὰ μᾶλλον ἐξηρτημένων ἢ τοῦ θεοῦ διανοήσεσιν ἢ σκύθαις τόξα, λύραι δ' ἕλλησι, καὶ αὐλοὶ συμφάθσι: Quibus multa conseruet, & alia multa quoque perdat, & interimat, animalibus ad nullam omnino rem utatur, quasi quæ non fiant ab eo, sed ea magis ex potestate diuina pendentia, seruire & consentire motibus Dei, quemadmodum Scythis arcus, lyræ tibiæ que Græcis obsecundent. Hæc è penetralibus Theologiæ ueræ, intimisq; Philosophiæ thesauris, in potestate Dei motus animorum esse. In sacris literis, Scrutatur renes & corda: Intellexisti cogitationes meas de longè. Quocirca Thales priscus Theologus rogatus, ἐ λήθοι θεοὺς ἄνθρωπος ἁμαρτάνων ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος ἔφη: An lateat Deos quis peccãs? Sed ne cogitãs quidẽ, inquit. Hæc etiã sunt quæ nostri, Templũ Dei istis uos. Habitat in uobis Deus. Quid illi minus, pandente Natura uiam, senserunt? Idem in eo, quem inscripsit, Ignis ne, an aqua sit utilior: διότι τέτταρα μοιχεῖα, θεῷ καθάπερ τεχνίτῃ πρὸς τὸ ὅλων ἐργασίαν ὑποκείμενα: Quocirca, inquit, quatuor elementa, Deo uelut opifici subiacẽt ad operandũ. Nullas igitur uel absente lege Mosaica, uel ante diuinũ Euangelij iubar, natura uoces non dabat, inuitans omnes ad cogni

tionem

tionem ſcientiamq; creatoris ſui. Quas cum clarius nonnulli, cæteri obſcurius animaduerſſent demum uenit creator Naturæ uerus, omniumq; ambagum, apertis myſteriorũ abſtruſiſſimis theſauris, reſolutor: Quo ueniente, uulgata ſunt omnia bona, corroborata uerarum rerũ ſcientia. Plutarchus item in eo, quem inſcripſit de eo quod erat Delphis, Tu es, de Natura diuina altiſſimè philoſophatur, Nefas eſſe, ut de eo qui eſt, dicatur fuiſſe uel erat, quæ mutationes quædã, declinationesq; eius ſint, qui in eſſendo nequeat conſiſtere: ἀλλ' ἐσί θεὸς, χρὴ φᾶναι, ⓒ ἐσί κατ' οὐδένα χρόνον, ἀλλὰ μήτε τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον, μὴ ἄκρον μὴ ἀνέγκλιτον, μὴ ὃ πρότερον ὀδὲν ὄϛι, ὀδ' ὕϛερον, ὀδὲ νεώτερον. ἀλλ' ἑὶς ὢν ἑνὶ ⓒ νῦν, τὸ ἀεὶ πεπλήρωκε, μὴ μόνον ὄϛι τὸ τ' ὄντως ὄν, ὀ γεγονὸς, ὀδ' ἐσόμενον, ὀδὲ ὀδὲ ἄρξαμενον ὀδὲ παυσόμενον: Sed eſt Deus, oportet dicere: et eſt, nõ ſecundũ tẽpus, ſed ſecundũ immobilẽ intẽporalẽ et indeclinabilẽ æternitatẽ: Cuius neq; prius ſit, neq; poſterius quicq̃, neq; recentius: ſed unas exiſtens, una præſentia, ſempiternitatem repleuit: et ſolum eſt quod uerè exiſtit, non præteritum, aut futurum, neq; quod cœpit, aut deſinet. Hæc apud Plutarchum philoſophia, myſterij totius Moſaici declaratio, quod dixit Deus de ſe, Ego ſum qui ſum. Nec poſſit hoc myſterium apertius explicari. Declarat enim Plutarchus præſens illud in Moſe deſignare totius æternitatis præſentiam, cui neq; futurum, neq; præteritum ſit admiſtum. Eſt enim præteritum tempus earum rerum, quæ præterierunt: futurum earum, quæ non ſunt, aut quæ non habent uel ætatis, uel alterius rei, quod habitura ſunt. At Deus habet, quod ſemper eſt habiturus. Habuit etiam ſemper, idq; immobile, indeclinabile. Quocirca cum regnum eius, cum diuinitatem, & beatitudinem, cũ aliquo ætatis fluxu cogitamus, innoteſcat nobis, nos metiri diuina cogitationibus rerum fluentium, miſcere nõ miſcenda, fãlli quemadmodum febricitãtes, quibus amaror linguæ cuncta reddit amara. Illud quoq; præclarum de Natura diuina teſtimonium, uelut è theſauris Philoſophiæ cœleſtis depromptum: quo maximmè probatur, nunquã non claram lucem mortalibus obtuliſſe Naturam ad cognitionem ueri Dei. Idololatriam autem fuiſſe uulgi ſuperſtitionem. Contra Epicurum Plutarchus probans quam uiam ad uoluptates, iucundamq; uitam putaret ſe aperuiſſe, auertiſſe potius à magnis gaudijs: Eſſe autem magnam iucunditatem in cognitione, certaq; ſcientia ueri Dei, qua pijſſimi quiq; fruantur. Quantis, inquit, quamq; ſynceris uoluptatibus fruitur genus hominum meliorum ac pijſſimorum ſuper conſideratione Dei? Vt ſit omnium bonorum Princeps, Pater omnium honeſtorum, omnis pulchritudinis: Qui nihil improbum poſſit facere, aut pati. Bonus enim eſt. Bonum autem nulla de re incidit inuidia, aut metus, aut ira, uel odium. Neque enim calidi eſt frigefacere, ſed calefacere. Sic neque boni nocere. Ira quoq; à benignitate, iracũdia à manſuetudine, ab humanitate & clementia perturbatio & truculentia, longiſſimè naturæ lege diſtat. Hæc enim ut uirtutis ſunt ac roboris, ſic ea imbecillitatis & impotentiæ. Itaque Diuinitas neque iracundiæ, neque gratificationibus ſubiecta eſt. Sed

quod

quod benefaciendi, auxiliandiq; naturam habet irasci, maloq; afficere minimè potest. Magnus autē in cœlo Iupiter, inambulat per terras componens, curansq; omnia. Cæterorum autem Deorum alius est Largitor: alius Milichius, benignus: alius Alexicacus, malorum depulsor: omniaq; Deorum sunt, iuxta Diogenem, amicorumq; omnia communia. Amici autē Dijs sunt boni. Itaq; amicū Dei, uel non esse fortunatū uel modestum & iustū, impossibile est. Hæc Plutarchus. Quibus intelligimus, paucis demptis, eandē esse scientiā Dei, quam capacē ueritatis hominē propter similitudinē Dei Natura docuisset, atq; eam quam suis Deus oraculis demonstrasset. Eundē singularē Deum autorē, ut homines nascerentur, & ad cognoscendū nascerentur, fatetur in eo, qui est, An rectè dictū sit Viuēs latita. Δοκῶ δὲ ἐγὼ, καὶ τὸ ζῆν αὐτὸ, καὶ ὅλως τὸ φῦναι, καὶ μετασχεῖν ἄνθρωπον γεννήσεως εἰς γνῶσιν ὑπὸ θεοῦ δοθῆναι: Videor, inquit, etiā ipsam uitā, omninoq; ipsum nasci, & quòd generationis homo particeps factus sit ad cognoscendū, à Deo fuisse datū. Fatetur à Deo lucē, uitā, natales homini datos, datos autē ad noscendū: omniū autem notionū, Dei nobilissima. Hæc potior igitur, ad hanc conditus homo.

Ex alio Philosopho, qui dicitur Epictetus, Stoicus autem fuit, non Christianus, de Natura diuina, de qua deprædicet quæ sacræ literæ concelebrant. Eandem esse naturam bonitatis ac Dei. Substantiam diuinam esse Sapientiam, perfectamq; rationem. Deum cunctis prospicere, mundum gubernare. Hominem esse opificium eius. Ad unum Deum respiciendum esse. Ei pro beneficijs grattas haberi oportere. Cap. X.

SEd dimisso Plutarcho, diuinus eiusdem tempestatis alius Philosophus audiendus Epictetus, non ille quidem Christianus, sed Philosophus, tamen & uir bonus, qualis Plutarchus. Bonus autem Philosophus, et qui oblatā ueritatis à Natura lucem, intueatur, eamq; sequatur, adeò congruet cum hodierna Theologia, quia non commentitia, sed plena rationis est, ut id putem, quemadmodum mihi fuit, plerisque mirum. Is igitur Arriano autore, uelut Oraculum, uelut Propheta sic diuino pectore fatetur: ὁ θεὸς ὠφέλιμος, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀγαθὸν ὠφέλιμον. εἰκὸς οὖν ὅπου ἡ οὐσία τοῦ θεοῦ, ἐκεῖ εἶναι καὶ τὸ ἀγαθόν. τίς οὖν οὐσία θεοῦ; σάρξ; μὴ γένοιτο, ἀχρὸς; μὴ γένοιτο, φήμη; μὴ γένοιτο, νοῦς, ἐπιστήμη, λόγος ὀρθός. ἐνταῦθα τοίνυν ἁπλῶς ζήτει τὸ οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ. Deus est utilis. Sed et bonū est utile. Veri igitur simile, ubi sit substantia Dei, illic esse & substantiam bonitatis. Quæ igitur est substantia Dei? Caro? Absit. Ager? Absit. Fama? Absit. Mens, Scientia, Recta ratio. Hic igitur simpliciter quære substantiam Boni. Hæc quidem ille dixit, quem fortè iam toto orbe coruscans Euangelium ad hanc tam sublimē, præstantemq; pietatem prædicandā adiuuerat. Sed etiam potuit à Platone, multisq; alijs Philosophis Naturam hanc diuinam didicisse. Vides igitur quid ei, qui non Christianus esset, ueritas obtulerit. Primum Naturam diuinam esse naturam, substantiamq; Bonitatis. Id enim etiam docuit Christus: Nemo bonus, nisi Deus. Eadem superius Philosophatus est Plutarchus. Sed ante omnes antiquissimus Trismegistus. Ad hæc, non carnem, non corpus, nihil eiusmodi esse

Diuinitatem, ſed mentem, ſapientiam, ſcientiam, rectam rationem. Magnitudinem, maieſtatem, regnum, opesq; eius eſſe ſapiendo, noſcendo, recta uolendo. Has eius diuitias, nobilitatem, robur eſſe, quòd tam incomprehenſibiliter eſt ſapiens, quàm inæſtimabiliter bonus. Eoq; eſt inuiſibilis, perinde ut noſtra ratio, magnæ illius ueluti ſcintilla. Tanta igitur Theologia dictis hiſce ſubeſt, ut ſtupor ſit ab eo religione ueram tantopere cognitam, qui fortè eam uel neſciebat (Niſi quòd Galilæorum ſermel meminit) uel lucem eius procul uelut albeſcente Aurora aſpexerat. Omnis ergo lingua confitetur Dominũ. Addit idem, Monſtrant ait philoſophi, ὅτι μαθεῖν δεῖ πρῶτον μὲν, ὅτι ἐστὶ θεὸς, εἶτα πρόνοιαν ἔχων ὅλων, εἶτα οὐκ ἐστὶ λαθεῖν αὐτὸν, οὐ μόνον πράττοντα, ἀλλὰ οὐδὲ διανοούμενον, ἢ ἐν ἀνομοιώμενον, Hoc primum diſcere oportere, quòd Deus ſit, & proſpiciat uniuerſis, & non eſt qui latere poſſit eum, non modo operans, ſed ne cogitans quidem ac mente reuoluens. Hæc ille dixit, quem Philoſophi ueritatis hoſtes, dico Proclus, Simplicius, Lucianus uenerabantur, dicta eius uelut oracula ſuſpiciebant, cœleſtem Prophetam putabant locutum: Eſt enim grata, dulciſq; ueritas animis, niſi priuatus affectus, ut ſæpe fit, guſtum deprauet, oculorumq; aciem hebetet. Si dicunt igitur, Epicteto teſte, præcipiuntq; ea Philoſophi, quis reſiduus eſt ueritatis inimicus? Quia dicebantur à ſuo, gaudebant, mirabantur: ſi dicerentur à noſtris, fortaſſe non æquè. Probat igitur ratio, niſi quid priuatũ prohibuiſſet, futuros omnes tales ea tempeſtate, quales nunc omnes fermè gentes. Sed proſequar alia cateruatim ex Epicteto, quibus ad unam pietatem ſemper animos ſapientum inclinaſſe, hoc unum pro ſumma ſapientia ſummoq; Bono habuiſſe, uoces hic eorum demũ conquieuiſſe, noſcas. Nec Græcis ubiq;, ne ſim inuiſus, utar: Τί ποτε ἔστιν ὁ κόσμος, τίς αὐτὸν διοικεῖ; &c. Quid, inquit, eſt mundus, quis eum gubernat? Nemo. At quomodo urbs, uel domus permanere ne ad exiguum quidem tempus poſſunt ſine gubernatore & præſide, fabrica uerò tam ingens, et tam pulchra, temerè et ut caſus tulerit, inordinatè gubernari? Eſt moderator, aliquis, & certa ratione gubernat, nos autem quidam ſumus ὑπ' αὐτοῦ γεγόναμεν, ab ipſo facti ad aliquod opus. Habemusq; coniunctionem & habitum cum eo. Hæc ille, appellans ubique ſingularem, & ut uera religio, creatorem mundi, moderatoremq; creati. Habere nos cum illo ſocietatem, affinitatem, uelut origine noſtra ex eo pendentes. Eoq; iubet nos in eum reſpicere, cum angimur, omniumq; bonorum agnoſcit autorem: κύριε ὁ θεὸς, Domine Deus, quomodo uexor. Stulte non ne manus habes? non ne tibi fecit eas Deus? Non ne dedit tibi fortitudinem, non ne magnanimitatem, non ne uirtutem? tot manus habens, quæris etiam qui te emungat? Audè reſpectans πρὸς τὸν θεὸν, ad Deum, dicens: Vtere me ad quæcunq; uelis, tecum ſentio, æquanimus ſum. Nihil eorum detrecto, quæ tibi uideantur. Quocunque uelis age. Si uis, adde ueſtem. Vis me imperare, in priuata uita degere, exulare, pauperem eſſe, diuitem? Ego tibi pro omnibus his apud homines aſſentiar. Totidem uerbis ab eo Græcè dicuntur.

Quod

Quod etiam ſit homo ſimulachrum, Similitudo Dei, iuxta Theologiã Moſaicam, delibatio, haustus, his confitetur: σὺ ἀπόσπασμα εἶ θεοῦ, ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου. Τί οὖν ἀγνοεῖς σὸν τὸ συγγενές; Tu, inquit, es abſciſsio, delibatio Dei. Habes aliquam in te ipſo partem eius. Cur igitur ignoras affinitatem tuam? Cur neſcis unde ueneris? Non uis meminiſſe cum comedis, qui ſis qui comedis, et quem nutris: cum in congreſſu es, qui ſis, quis utaris. Cum in colloquio, in exercitatione, cum diſſeris, neſcis quòd Deum nutris, Deum exerces, Deum circumfers. Miſer & ignoras. Videris me dicere argenteũ quendam, uel aureum extrinſecus. In te ipſo fers ipſum, ipſum coinquinans non ſentis, impuris quidem cogitationibus, ſœdis autem operationibus. Et imagine quidem Dei præſente, non audeas horum quicquam facere: ipſo autem præſente Deo exterius, et aſpiciente cuncta, exaudienteq;, non erubeſcis hæc cogitare? Hæc ad uerbũ ille. Cum partem diuinam hominẽ appellat, deſignat afflatum, ſimilitudinẽ, ex æterna luce ſcintillam. Eſt autẽ homo Deus factus à magno, uero Deo, paruus ipſe, ſimulachrumq; ueri. Quemlibet pudere debeat fœdis aut factis, aut cogitationibus inquinare ſacrũ illud exemplum, partemq; diuinam. Manifeſta igitur in his Moſaicæ Theologiæ confirmatio, tum de nata, diuinitusq; nobis donata mente, tum cũ creatore ſimilitudine. Repetit eandẽ creati hominis à Deo prædicationẽ, reor ex ſapientia Moſis, cuius ubertate Philoſophorũ omnium aucta eſt doctrina: τοῦτο δὲ δημιουργὸς κάλλιστον ἄγαλμα ὤν, καὶ αἰσχύνῃ σαυτόν. Huius opificis opus cũ ſis, dedecoras ipſum. Quid quòd non modò te fecit, ſed & tibi ſolũ te credidit, et commiſit. Neq; id modò non recordaris, uerum etiam dehonestas mandatum. Si autem Deus orphanum quem tibi commiſiſſet, ſic ſanè negligens eius eſſes, tradidit te ipſum tibi, neq; poſſim dicere fidelius te ipſo. Hunc mihi aſſerua οἷος πέφυκε, qualis natus eſt, modeſtum, fidelem, excelſum, ſine ſtupore, ſine morbis, ſine perturbationibus. Hæc de conditione ſenſit, prædicauitq; hominum, Philoſophus bonus, ut ſi quis æquus, iuſtusq; arbiter eſſe uelit, uideat omnes ſapientes ueræ Theologiæ reuerenter aſſurgentes: Hodiernã Sapientiam, non priuatam quandam, ſed uniuerſalem, humanam ipſam, à Naturaq; in pectoribus hominum inſitam, atq; inuſtam Sapientiam: Audi de pietate, de uirtutum origine, quàm ſentiat nobiſcum, & fugandorum penitusq; extirpandorum uitiorũ quis ſit modus: Peſtes, inquit, has ταῦτα δ' οὐκ ἐστιν ἄλλως ἐκβαλεῖν, ἐὰν πρὸς μόνον τὸν θεὸν ἀποβλέποντα, Nõ eſt aliter eiiicere, niſi ad unũ Deum reſpiciendo, uni illi cohærendo, rebus eius ſanctificatum. Si, inquit, aliud uolueris, lugens & gemens, ſequeris fortiorẽ, extrà requirens ſemper felicitatem, καὶ μηδέποθ' εὑρεῖν δυνάμενος. ἐκεῖ γὰρ ζητεῖς αὐτήν, οὗ μή ἐστιν, ἀφεὶς ἐκεῖ ζητεῖν ὅπου ἐστί, Et nunquam inuenire potens. Illic enim quæris eam, ubi non eſt, omiſſo inquirere, ubi eſſet. Quid hac uoce præclarius, magnificentius, qua uel inuiti, quanquam non inuiti, confirmant, collaudant, in cœlum ferunt Philoſophi Sapientiam hodiernam, cuius eſt omnis cura, ad

ueros felicitatis fontes, hos ipsos, quos Epictetus uidit, homines adducere? Hinc simi lis Theologi nostri exclamatio: Irrequietum est cor meum Domine, donec requie/ scat in te. Prosequitur idem de hoc ipso fine: Nulla, inquit, causa est cur fortunæ de/ ploremus unquam iniquitatē, sed beati potius haberi debemus omnibus de causis: μαλιστα δὲ διὰ τὸν θεὸν, τὸν ἐπὶ τοῦτο ἡμᾶς κατασκευάσαντα: Cum primis autem propter Deum, qui nos ad hoc creauit. O diuinam attestationem, quam nunquam reor effudisset, (quanquam similia Plato locutus est) nisi lux illa noua, tenebris superiorum seculorum fugatis, in mentes omnium clara illuxisset. Sed ingrati Philosophorum nonnulli, & Aristotelis decretis corrupti, quod non ita contigit Epicteto, agnoscere noluerunt. Repetit idem aduentum nostrorum animorum à Deo, cunctorumq; cum ipsis bonorum comitatum: Quapropter, in/ quit, optimus quisque memor, & quisnam sit, & unde uenit, & à quo factus est: in id unum duntaxat incumbet, ut locum suum modestē & εὐπειθῶς τῷ θεῷ, Deoq; parendo tueatur. Vis me esse ut liberum, ut ingenuum, sicut tibi placitū est. Tu enim me sine impedimento creasti. Sed amplius usum mei non habes. Tibi obse quens mansi, eidem parens decedo. Hæc & id genus ille referens, omnia iuxta Theologiam ueram, in uoluntatem diuinam. Ideo prosequitur, in carcerem trudit, non odio te habens. Absit. Quis enim optimum inuisum habet famulum? Neq; ne gligens, ὃς οὐδὲ τῶν μικροτάτων τινὸς ἀμελεῖ, qui ne minima quidē ne/ gligit, sed exercens, & teste te apud alios utens. Non ne ego totus ad Deum, καὶ τὰς ἐκείνου ἐντολὰς, καὶ προσάγματα, ταῦτα ἔχων ἐν χερσὶν ἀεὶ, καὶ τρίβων, Et mandata eius ac præcepta hæc habens in manibus, & terens semper intentus sum? Audis Philosophorū uoces, ueritati quam colit omnis mundus accla mantes? omnes ei mortales deferre cogentes. dū nullas omittunt, quas ei laudes non decantent, dum rerum finem eundē, uitæq; ordinem eundem agnoscunt, suspiciunt, summissis animis adorant, Natura monstrante uiā, scopumq; hunc tantum non o/ stendente manu. propterea subdit Epictetus: ὁ θεὸς μελεῖ τῶν ἑαυτοῦ ἐπὶ γῆς μάρτυρων, τῶν διακόνων, τῶν μαρτύρων, οἷς μόνοις χρῆται παραδείγμασι πρὸς τοὺς ἀπαιδεύτους, ὅτι ἔστι: Deus ne, inquit, negligit opera sua, mini/ stros, testes, siue, ut Græcè dicuntur, diaconos, martyres, quibus solis utitur exem/ plis apud imperitos, quòd sit, & quòd bene cuncta moderetur, qui res humanas non spernit? Ex his uidere est, Epictetū lucem Euangelij iam toto orbe radiantem, non ut Christianus (Fuit enim Philosophus Stoicus) sed ut is, cui ueritas non inuisa, sed grata esset, & cui certū esset, nullius hominis autoritatē tantopere uenerari, ut iudicium ueri obtunderet: adorasse eos, quibus inaudita tormenta à crudelibus in/ fligebantur, ceu diuinitatis testes credidisse. Commendans igitur & comprobans quod eos tempestate sua facere audiebat, sic clamat: τοῦτο τὸ ἔργον ἦν, ὑμνεῖν τὸν θεὸν: Hoc erat operæpretium, inquit, laudare Deum, & ipsum in meipso, et apud unū et plurimos. Non multa mihi largitur, non copiosa, non uult me luxuria

ri. At q;

ri. Atque ita εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ, ἐφ' οἷς δεῖ εὐχαριστεῖν: Gratias agimus Deo, ob quæ decet habere gratias. Liberatus ſum à Deo, cognoui mandata eius. Melius enim cenſeo, quod Deus uult, q̃ quod ego. Adhærebo ei miniſter et aſſecla. κρεῖττον γὰρ ἡγοῦμαι ὃ ὁ θεὸς θέλει, ἢ ἐγὼ, προσκείσομαι, διάκονος καὶ ἀκόλουθος ἐκείνῳ. Proſequitur ibidẽ diuiniora: Mihi, inquit, ſatis eſt, ſi poſſim ad Deum tendere manus, dicens quòd quas abs te occaſiones accepi, ut moderamen tuum agnoſcerem & ſequerer, has non contempſi. Egoq̃ habeo, cui me placere oporteat, cui me ſubijcere, cui obtemperare. Nempe Deo, & his qui poſt eum. Ille me mihi ipſi commendauit, ſubiecit electionem mihi uni, traditis regulis ad uſum rectum. Addit etiam, Pugna tecum pro libertate: Μέμνησο, ἐκεῖνον ἐπικαλεῖσθαι βοηθόν: Memento Dei, illum implora adiutorem, & aſſidentem, quemadmodũ Dioſcuros, in tempeſtate. Beatos etiam appellat, εἰς τὸν θεὸν ἀφορῶντας ἐν πάντι, καὶ μικρῷ, καὶ μεγάλῳ: Qui Deum attendunt in omni re, parua et magna. Quàm præterea clara totius creationis, prouidentiæq̃ confeßio, cum ait: Fruſtra igitur tibi Deus oculos dedit, incaſſum ſpiritum eius tam acrem, artificioſum, ut procul expatians, rerum uiſarum formas apprehenderet adiecit? Quis nuntius adeò uelox, & diligens? Incaſſum ne aërem in medio tam clarum, & pellucidum dedit, tanquam artificioſum, ut per ipſum traijceret uiſio? Fruſtra lucem creauit, qua non præſente, nullus erat cæterarum rerum futurus uſus. Ô homo neque ingratus eſto, neque immemor ſupremæ poteſtatis. Sed pro uiſu, & auditu, & quidem mediusfidius pro ipſa uita, & quibus ea ipſa ſuſtinetur, pro fructibus maturis, pro uino, & oleo εὐχαριστεῖ τῷ θεῷ, gratias agas Deo. Memineriſq̃ quòd aliud excellentius q̃ hæc omnia tradidit tibi, nimirum quòd his ipſis uteretur, probaret quantum quidq̃ ualeret. Hæc Epictetus. Ô ſapientiam, cum uera germanaq̃ eſt hominum ſapientia, ubiq̃ ſui ſimilem, radijs ſuis omnium paßim mentes colluſtrantem. Quid aliud ſonat Theologia Moſaica, & hodierna, cultum, memoriamq̃ Dei, ſemper inculcantes? Ecce uox Naturæ, uox cœleſtis. Quæ dixit oraculum ore Prophetarum, dixit etiam Natura ore Philoſophorum. Denique ſubijcit: Coruus crocitans tibi quid portendit. Non coruus eſt, qui portendit, ſed Deus. Quòd ſi quid ſigni datur humana uoce, non ne fecit idem Deus loqui, quo ſcires poteſtatem diuinam alijs ſic alijs alio modo ſignificare? περὶ δὲ τῶν μεγίστων & κυριωτάτων διὰ καλλίστου ἀγγέλου σημαίνει: De maximis autem ac potißimis per pulcherrimum Angelum ſignificat. Hæc ad uerbum ille. Ad poſtremum ait, Digreſſus hinc tecum dicito, Hæc mihi non Epictetus dixit. Vnde enim ei? Sed Deus quis propicius, per illum: Neq; enim ſuccurriſſet Epicteto, hæc effari non ſolito. Agè igitur, τῷ θεῷ πιστεύσωμεν, ἵνα μὴ θεοχόλωτοι ὦμεν Deo pareamus, ne diuinæ iræ ſubiecti ſimus. His omnibus non modò ſingulariſ, uniuſq̃ Dei confeßio, hominis quem Natura duceret, ore prædicatur, ſed cunctа ſermè Theologia confirmatur.

Eadem de summo ac singulari Deo sensisse subsecutos Philosophos. Iamblichũ affirmare, Deum principium, medium, finem, in eo respiciendo & sequendo felicitatem esse. Eum esse Dominũ omnium bonorũ, principium beatitudinis, finemq; omnis Philosophiæ. Felicitatem esse, sequi mandata eius. Cap. XI.

EAdem fuit Philosophorum, qui successerunt, Theologia, idẽ sermo, nisi cum uel per allegorias fabularum, incerti uagarentur, & commentis aures adhibentes, à Naturæ documentis audiendis, auerterentur, uel hominis uniꝰ, ei quasi addicti & consecrati, decreta pertinaciter tuentes, tam non æquo iudicio mortalem illum quàm fabulas poëtarũ illi admirarentur. Sed siquando sese à coactis impositoris exemissent, & ad ueram Philosophiæ uiam reuersi Naturam, cœlumq; omne conspexissent, tum uerò senties mirabiles eis uoces excidisse, tacitamq; ueritatem in eis uires exercuisse suas. Videbis eos alios, quàm prius cum in cogitationibus suis euanuissent, et quales spiritus mẽdaces, qui fãlsis oraculis editis, sæpius etiam miranda ce cinerunt, ueramq; Theologiam aperuerunt, animos, quos superstitiones raperent, ad se ueritate reuocante. Ex his Iamblichus sæpe Platonicorũ more multos Deos nominare solitus, poëticis item fabulis, Aegyptiorumq; superstitionibus interdũ implicitus, euigilãs, oculosq; ad sidera tollẽs, & quasi supra regione terrestri leuatus, ex antiquioribus Philosophis ceu flores decerpens, uelutq; è Prophetis ueris unus, super uno singulariq; Deo super omni cœlesti Theologia uoces admirandas edidit. De secta Pythagoreorũ hoc primũ: θεῖα αἰτία ἀρχὴ, τέλος, μέσον, οἷς θεῖον τέχεσθαι τοὺς μέλλοντας εὐδαιμονήσειν: Diuina causa, est principiũ, finis, medium, cui adhæreant necesse est, qui uolunt esse beati. O uocem magnam, cœlestem, Angelicam, non hominis, sed naturæ uocem. Hoc prior Orpheus dixerat, confirmatum dein à Pythagoreis, maximè uerò Archyta, & Philolao, tum Platone & Aristotele. Prosequitur: ἐπειδὴ γάρ ἐστι θεὸς καὶ οὗτος παντων κύριος & δεῖν ὁμολογεῖται παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ αἰτεῖν. πάντες γὰρ ὃς ἂν φιλῶσιν. καὶ οἷς ἂν χαίρωσιν τούτοις διδόασι τὰ ἀγαθὰ, πῶς οὖν δὲ ἐναντίως ἔχουσι, τὰ ἐναντία. Nam cum sit Deus, & is sit omnium Dominus, in confesso est, oportere à Domino bona petere. Nam quos quidem diligimus, quique iucundi nobis sunt, eis beneficio præstamus. contrà solemus in eos affici, qui non diligunt. Hæc ille. Quid igitur supereſt, quo minus sit fueritque semper una pietas, religio, scientiáque Dei, unáque ad eum semper animorum propensio? Cernis à uera uia seductos exoptatum demum lucem respexisse: quibus autem ueritatis oppugnatio placuisset, tenebris obortis bellum suis dictis intulisse: Spes suas in una demum, quæ lucet hodie, ueritate quenque posuisse. Dum finis, qui nunc ostenditur, est is quem cuncti concorditer prædicauerunt, respexerunt. Infert enim Iamblichus eodem libro: πάσης ἀληθείας καὶ εὐδαιμονίας, οὐσίας τε καὶ τῶν ἀρχῶν, ὁ θεὸς ἔξαρχεῖται: Omnis ueritatis & felicitatis, substantiæ, & principiorum, Deus est princeps. Vnde splendor iste mentes eorum subijt, qui ueræ religionis exortes fuerunt? À Natura certè, à qua, si desit oraculum, ueritas hauriatur. Qua duce, hæc quoque mirabiliter fudit Iamblichus idem:

τέλος

τέλος πάσης θεωρίας, ἑνὸς θεωρητικὸν, ἀνάγειν ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ πλήθους εἰς τὸ ἕν: Finis omnis contẽplationis, eſt contẽplatio Vnitatis, attollere ſeipſum à multitudine ad Vnitatẽ. Sæpe declaratũ eſt, Vnitatẽ antiquiſſimis Philoſophis fuiſſe nomen ſummi ac ſimpliciſſimi Dei. Multitudinem dixerunt res omnes propagatas ab ipſa. Ecce igitur beatitudo uera noſtræ religionis, aſpirare contemplando ad rerum fontem, uidere illum ſicuti eſt. Hic terminus hæret omnis felicitatis, totius Philoſophiæ, quemadmodũ ſacris oraculis reuelatus, ſic à Philoſophis, natura teſtimonia petentibus agnitus. propterea propius hæc explicans, et conſtens Iamblichus: ἡ μὲν γὰρ ἀμείνων ψυχὴ, μετὰ θεὸν οἰκεῖ, καὶ πρὸ πορεύεται κατ' οὐρανόν. Anima, inquit, melior, habitat cũ Deo, et per cœlũ cũ eo deſpatiatur. Teſtatur idẽ, Pythagoreos omnẽ uitæ degendæ rationẽ direxiſſe ad conſeſſionẽ, τὸ θεῖον, Diuinitatis: ἡ ἀρχὴ αὐτή ἐστι, καὶ βίος ἅπας, συντέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ θεῷ: Et hoc eſſe principiũ, omnẽq; uitã coordinatã eſſe ad ſequendũ Deũ. Sentis philoſophorũ uoces cũ ſacris literis conſonãtes, eas reuerenter affirmãtes? Quid eſt, quod ſeparet eorũ Philoſophiã à Chriſtiana ſapientia, quam quidem coluerunt, ſed alijs nominibus deprædicantes, animis eiſdem reſpexerunt, cum lumen pietatis noſtræ terras intrauit. Tunc enim Philoſophi os aperire cœperũt, audaciusq; aſſerere, quæ prius magnis ambagibus occultabantur. Quo circa ſubijcit Iãblichus: Certũ eſt, inquit, ea ſolũ agenda eſſe, οἷς τυγχάνει ὁ θεὸς χαίρων, ταῦτα δὲ οὐ ῥᾴδιον εἰδέναι, εἰ μήτις ἢ θεοῦ ἀκηκοὼς, ἢ θεὸς ἀκούσῃ, ἢ διὰ τέχνης θείας πορίζηται, Quibus delectatur Deus. Hæc autẽ nõ eſt facilè noſſe, niſi quis aut Deũ audierit, aut arte diuina cõparet ipſe ſibi. Hæc cũ dixerit Iãblichus, nõne pro philoſophis omnibus teſtis erit, eã deniq; religionẽ, ſolã uitæ magiſtrã, artẽq; uiuẽdi uerã, mortalibus apparuiſſe, quæ Deũ audiuit, cognouitq; ex ore eius, quæ grata forẽt illis? Philoſophi proteſtãtur neminẽ quæ placita Deo ſint, facilè cognituruũ, in quo totius Philoſophiæ uertitur cardo, niſi Deũ audierit. Quis aũt Philoſophorũ Deum audiuit, qui partim oracula, partim indicia Naturæ ſecuti, loquebantur? Quo fit, ut illic ſolũ uigeat perfecta cognitio bonorũ, ubi diuinæ uoces auditæ ſunt, cognitaq; Deo placentia. Ea fuit Philoſophia Chriſtiana ſolùm, etiam uerò Hebraica, ſed ea magis, quoniã quæ præſentia ſua corporaliter Deus in ea geſſit, in Hebraica per internuntios ac legatos ſuos. His & alijs conſtat Iamblichum cum cæteris Philoſophis, ſingularem Diuinitatem, Principem mundi, Reginam rerum, Principium cauſarum cognouiſſe, ſuſpexiſſeq;, creationis autorem, & à quo totius felicitatis, beatitudinis ducatur exordium, prædicaſſe.

Porphyrium, ſingularem, unicumq; Deum commemorare, cui rationabili ſacrificio, caſtiſq; cogitationibus ſit litandum. Eum eſſe omnipotentem, omnis uirtutis autorem. Cap. XII.

HAud ſecus cæteri Philoſophi, Porphyrius, Damaſcius, Proclus, Simplicius, Olympiodorus, de quibus minus fortaſſe mirum, quòd Euangelio coruſcante, cuius ad eos nitor ueniebat, licet ingratos, floruerunt. Omnium quidem horum

Philoſophia ſuperſtitionibus eius temporis eſt contaminata, ſed ueritas tamen ſuo/gore ſuo ſuperior emerſit. Principio Porphyrius in uita Plotini teſtatur oraculum ab Apolline non de ſe, ſed uero Deo, ſic editum:

Οἶδα δ' ἐγὼ, ψάμμοντε ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,
Καὶ κόφα ξυνίημι, καὶ ὃ λαλέοντος ἀκούω.

Eſt mihi perceptus cumulus numeroſus harenæ.

Audio quid mutus loquitur, & uerba ſilentũ. Hoc oraculum ſimile Pro/pheticis oraculis, Dæmones enim credunt & contremiſcunt. Si tanta eſt igitur di/uina ſapientia, ut poſsit harenæ numerũ cogitatione complecti, quæ fuit dementia, ne dicam impietas, eorum, qui prouidentiã eius intra certos limites incluſerunt? Et ſi longè & incommemorabiliter maior eſt harenarũ numerus numero hominum, habet autẽ capillos illos omnes, licet perexiguos, in numerato, non longè facilius noſcet ſingulũ quenq; hominũ? Igitur uel tacentes, uel arcanũ animi exaudit ſilen/tiũ. Idem Porphyrius de ſummo ac ſingulari Deo, in ſecundo de Abſtinentia, oſten/dens quo ſacrificio ſit colendus: Sacrificemus, inquit, etiã nos, ſed ſacrificemus ut decet, θεῷ μὲν τῷ ὑπὲρ πᾶσι ὡς αὐτὸς σοφὸς ἔφη, μηδὲν, μήτε ῥυπῶν/τες, μήτε ἐπονομαζοντες ὀδὲν γὰρ ὅλως ἔνυλον, ὃ μήτε τῷ ἀνωλέτῳ θεῷ ἀκάθαρτον. διὸ ὀδὲ λόγος τότῳ, ὁ ἡμῖν φωνὴν οἰκεῖος, ὅτε ὁ ψόφος, ὅταν πάθει ψυχῆς ἢ μεμιασμένος. διὰ δὲ σιγῆς καθαρᾶς, & τῶν περὶ αὐτὸ καθαρῶν ψοιῶν, θρησκεύωμεν αὐτόν: Deo quidem, qui eſt ſuper om/nia, quemadmodũ inquit uir ſapiens, nihil neq; euaporantes, neq; acclamantes. Ni/hil eſt enim materiale, quod non mox ſupremo Deo ſit pollutum & immundum. Quocirca neq; oratio exterior, neq; interior cum fuerit affectu animi polluta: Sed puro ſilentio, caſtiſq; de eo cogitationibus colamus ipſum Porphyrius uirum ſa/pientem reor appellat Paulum, cuius eſt celebre dictum, Deus qui eſt ſuper om/nia Deum ſupremum, altiſsimum nominat, ſentit ſolis puris cogitationibus ei ſa/crificandum, quas habet, ut oraculum dixit, exploratas, cæteris ſacrificijs ſuperſe/dendũ, maieſtati ſummæ eius non congruentibus. Diceremus quidẽ ipſi, primum, præſtans, uerũq; ſacrificiũ, quo Deus, qui Mens eſt, pura mente colitur, ſi quid ex/terius offeratur, eſſe puræ mentis illius indiciũ. Quid igitur ô Platonici ſupererat, qui Deum ſupremũ nominabatis, uenerabimini, piè celebrabatis, quàm ut eam ue/ram religionẽ declararetis, quæ ſuperſtitionibus, numinibusq; falſis damnatis, co/leret tantùm Deum ſupremũ, eiq; ſola pietate, ſapientia, caſtiſsima ueritate litaret, Tũ ſi ſupremus, eminentiſsimusq; à uobis inducebatur, cur non hunc unũ, inepta poëticorũ Deorum turba irriſa, non approbata, toto Philoſophiæ regno exturba/ta colebatis, non colentes amplectebamini, nõ hos unos ſapere cẽſebatis? Solus ille ſupremus rationi notus erat, ſeq; exorari uolebat et ſinebat, cæteri nõ poterãt, quos ratio, & natura negabat. Sunt alia generis eiuſdem apud Porphyriũ: ſed mihi ſatis eſt, è Philoſophis ceu flores decerpens, quos mentes ſuperſtitionibus liberatæ, ſo/lamq;

lumq; ad ueritatem intentæ non rapido errorum æstu longius abstractæ sparserunt, docere semper decus hodiernæ uiguisse ueritatis, cunctis philosophorum suffragijs comprobatũ. Simplicius igitur, qui se Philosophorũ in numerũ, professionem Christianæ pietatis refugiens, ponebat, incredibili miraculo ea de summo sentit et docet Deo quæ sacræ literæ, quarum ille maiestatem dissimulabat agnoscere, perpetes cõ celebrant. È quibus est quòd omnem refert hominum, rerumq; mundanarũ constitutionem in illum unũ, quem singulariter appellat ubiq; Deum: ut quòd si peccet animus, minimè sit accusandus Deus qui liberum, suiq; iuris eum creauerit. Et quòd libertas electionis & arbitrij ad utilitatem ὑπὸ θεοῦ γίνεται, fit à Deo. Et mirabilem fuisse Dei molitionem, animam inter æterna caducaq; fecisse, quæ se quocũq; uellet siue sursum, siue deorsum flecteret, & quodcunq; uellet, eligeret. Et quòd ip se fecerit eiusmodi uirtutem, ut maneret immotus animus, quoad ipse uellet. Eamq; esse propriè cum Deo similitudinem, qua nihil hominibus beatisq; animis sit melius. Quippe Deus habet robustissimam potentiam, omnis potestatis autor, itemq; optimam uoluntatem· ὁ γὰρ θεὸς δύναμιν ἔχει τὴν ἰσχυροτάτην παύσης δυνάμεως αἴτιος ὑπάρχων, καὶ βέλησιν τὴν ἀγαθοτάτην. ἀγαθὰ μὲν πάντα, φαῦλον δὲ μηδὲν εἶναι βουληθείς: Qui bona cuncta uoluerit, prauũ autem nihil, quoad fieri possit. Aequata uoluntate ac potentia, omnia bene efficiat, quatenus cuiq; fas sit, participẽ esse bonitatis eius. Et quòd animus humanus, cui nõ sit superna potestas, quia tamen, βούλησιν δὲ ἔσχεν ἀπὸ θεοῦ αὐτεξούσιον, uolũtatem habuit à Deo liberam, qua posset cuncta bona uelle, cum certum id ei fuerit, iure hac parte, Deo maximè assimilatur, cum uoluntatis utitur omni iure suæ.

Item ex Simplicio profunda Theologia, de uno bonitatis fonte, unico rerum, singuricq; principio. à quo causæ cunctæ, cunctaq; principia dependeant. Et quod se se ad ferendam miseris opem inclinet. Cap. XIII.

ILLA uerò è profundis hausta Philosophiæ mysterijs, quæ contra uesaniam eorum, qui duo principia, Bonum & Malum, è Zoroastris impietatibus constituebãt, Simplicius disseruit. Vnitas, inquit, necessariò præcedit multitudinem, cunctaq; ex participatione Vnitatis extiterunt: ἀπὸ γὰρ τοῦ θείου, καὶ ἀρχικῶς καλοῦ, πάντα τὰ καλὰ πρόεισι, καὶ ἀπὸ τῆς πρώτης τῆς θείας ἀληθείας, πᾶσα ἀλήθεια καὶ ἀνάγκη καὶ τὰς πολλὰς ἀρχὰς, εἰς μίαν ἀρχὴν ἀναστέφεσθαι. ὅτινα μεσιτικὴν ἀρχὴν ὅσπερ ἐκείνην, ὥσπερ τῶν ἄλλων ἑκάστην, ἀλλ' ἀρχῶν ὑπερέχουσαν πασῶν, καὶ ἐξηρημένην, καὶ πάντας εἰς ἑαυτὴν σωζούσαν. À diuina enim & principali pulchritudine cuncta pulchra proueniunt. Et à prima diuina ueritate, ueritas omnis. Necessarioq; omnia principia, ad unum principium rediguntur, quod quidem non sit aliquod particulare principium, quemadmodum reliqua omnia, sed principium cuncta principia supergrediens, seseq; superattollens, & omnia principia, ad se colligens. Omnibusq; principijs præbens à se ipso principalem dignitatem, ut cuiusq; naturæ congruit. Hinc igitur absurdum est, duo uel plura omnino quàm Vnum, prima principia dicere. Coguntur q; duo principia

Vniuersitatis asserentes Bonum & Malum, & Bonum qui dicitur ab eis Deus, nõ amplius omniũ autorem dicere, neq; uero omnipotentem, iure laudare: neq; supremam ei potestatẽ uendicare, sed totius autoritatis dimidiũ: Quod si uerum sit, neq; omnia beneficio afficere, illuminareq;, τὸν λεγόμενον ἀγαθότητος & φωτὸς, Qui dicitur fons bonitatis & lucis. Hæc ille præclara super Epictetũ. In principio uerò operis, longè quàm ferè cuncti Philosophi diuinius, decerpens ex illis, et lumẽ Christianæ religionis quod iam toto terrarũ orbe relucebat, ob oculos habẽs, sic scribit, Omniũ rerũ, fons & principium est τὸ ἀγαθὸν, ipsum Bonũ. Nã quod omnia concupiscunt, id omniũ est principiũ & finis. À seipso quoq; Bonũ cuncta producit, prima, media, et extrema. Sed prima et sibi proxima, quæ sola seipso producit Vna Bonitas multas bonitates, Vna simplicitas & unitas, quæ super omnes multas unitates, & unum principium, multa principia, Idem est Vnitas et Principium, et Bonum, et Deus. & γὰρ θεὸς ἡ τὸ πρῶτον, & πάντων αἴτιον: Etenim Deus quidẽ est ipsa prima, et omniũ causa. Necesse uerò est primũ, simplicissimũ itẽ esse quoniam quod compositionẽ habet ullam, et multitudinẽ, iam non unũ, sed Vnitate posterius est. Omnis autem multitudo, & omne quod non est bonũ, Bonum desiderat, ut quod ipsa superemineat. Et quod non est principium, à principio sit oportet. Necesse quoq; supremã, omnemq; habere potestatẽ quod omnia producit. Quocirca Vnum principiũ, multa principia, multasq; bonitates, simplicitatesq; proximè ex se producit, inter se distantes, ad unum cuiq; propriũ principium reuocatas. Vtq; omnia pulchra in mentibus, animis, & corporibus, ad unum fontẽ pulchritudinis rediguntur: sic recta, uereq; omnia principia & fontes, ad unum fontem et principium. πᾶσαι οὖν αἱ μερικαὶ ἀρχαὶ ἐννίδρυνται τῇ ὅλῃ: omnia igitur principia, in uno uniuersali sunt defixa. In Vnitate numerus, in una Bonitate, multas bonitates. Illudq; Principium non particulare est, sed principiorum Principium. Hæc Simplicius, non Christianus, sed merè Philosophus, quod ad alia uel inde constat, quod Philosophorum more, & quo discrimine distat Philosophia cœlestis à terrena, admiscuit quædam non uera, quasdam per se bonitates αὐτοαγαθότητας, numero multo constituens, quæ per se beatæ semper, non indigeant fontali Bono. Sentit autem Ideas æternas, ad quarum singulas uti fontales & supremas, rerum series rediangtur. Ad fontalem pulchritudinẽ, omnis pulchritudo. Ad cõcinnitatem supremam, quæ dicitur ab eis συμμετρία, concinnitas omnis. Verũ una est Idea fonsq; supremus omniũ, una per se Bonitas, cui subiacẽt bonitates omnes. Bonitates aũt dico, nõ Ideas illas fontales, sed omnia tam in animis, mundoq; intelligibili quàm corporibus bona. Fuit autẽ ea Procli, quem secutus is est, de Ideis, uti rerũ genetricibus, sententia. Nos autem meliora secuti, probamus eis ueritatem, confessionemq; singularis Dei, licet superstitiosis, cõmentitiorumq; Deorum cultoribus, placuisse, si quid essent aduersus sententiam cœlestis sapientiæ prolocuti, resipuisse, pectoribus eorum insinuantem sese mentẽ meliorem, ueros sensus nescijs,

cum

cum uenit uſus, ſuggeßiſſe. Quorum aliquando latratibus decus ueritatis eſſet imminutum, retrorſum reflexis uocibus, demum ad ſidera proiectum. Progreſſus autem Simplicius hæc quoq; ſupperaddit: Quos, ait, honores offeremus, Deus hominibus declarauit, quemadmodum hiſtoriæ teſtantur, ut & nos per ipſos cum eo familiaritatem aſſequamur. Suntq; nobis quæ ſunt extrinſecus uberrima, utiliaq;, diuina irradiatione fluentia. Quemadmodum enim animam cuius autor ipſe eſt, offerimus ei, & conſecramus, expiantes eam diuinis de eo conſiderationibus, & cum naturaliter uiuimus: ſic opus eſt etiam corpus ab ipſo datum, offerre purgantes. Hæc Simplicius, agens de ſacrificio, quo primum animum & corpus expiatum puraq; in ueſte ſacrificamus, & cum primitias eorum, quæ Deus elargitus eſt, damus, Sanctum eſſe, iuſtumq; his qui dediſſent offerre: Non quòd his indigeat Deus, ſed ob gratificationem, gratiarumq; actionem. Quid quòd ait eſſendi patrem fuiſſe cauſam μετὰ θεὸν, poſt Deum, & eſſendi, beneq; eſſendi, quemadmodum Deum, parentes autores fuiſſe, referens ſcilicet in Deum diuinarum literarum more cuncta? Et cum dicit eum præſidijs humanis deſtitutos proſpicientem miſereri magis, ac deſenderc: ἐρημον γὰρ ὄντα ἐπικουρίας ἀνθρωπίνης, ὁ τοὺς ξένους ἐφορῶν θεὸς, ἐλεεῖ μᾶλλον ἢ μᾶλλον ἐνδικεῖ. Et cũ ait Deum ubiq; eſſe cum diuinis ſuis omnibus uirtutibus: ὁ γὰρ θεὸς, ἅμα παντα χοῦ πάρεστι μετὰ πασῶν αὐτοῦ δυνάμεων. Et quòd cum cum multa ſunt à Deo producta, etiamq; humana ſpecies. Et omnia, lapides, arbores ſecundum uirtutem cuiuſque, ἐπείγεσθαι πρὸς τὸν θεὸν, uertuntur ad Deum. Quin etiam ſeparationem ſpecierum futuram nunquam fuiſſe, niſi ὁ τοῦ κόσμου δημιουργὸς ὁ θεὸς, opifex mundi Deus, ſecundũ ſeparatas in ſe cauſas, eas produxiſſet. Et quòd cuiuſque formæ eſt priuata cauſa, uſque ad extrema, αἱ δὲ πολλαὶ ἀρχαὶ πάντως ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἔχουσι τὸ πρὸ ἀρχῆς ἀξίωμα. οὕτω δὲ αἴτιον αἰτίων, καὶ θεὸς θεῶν, καὶ ἀγαθότης ἀγαθοτήτων: Multa porrò principia, prorſus ab uno Principio, principij dignitatem habuerunt. Sicq; Cauſa cauſarum, Deus Deorum, & Bonitas bonitatum eſt ipſe Deus. Quodq; magnum miraculum eſt, quemadmodum Moſi dixit Deus, Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? Et Triſmegiſtus cum Sibyllis aſſeruit nullum poſſe ſummo Deo nomen coaptari. Sic Simplicius: ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπιστήσαι χρή, ὅτι τοῦ πάντων αἰτίου ὑπὲρ πάντα ὄντος τὰ ὄντα, οὐδὲν ἔστιν οἰκεῖον ὄνομα. Adhuc, ait, cõſiderare decet, quòd cauſæ, quæ cuncta ſupereminet, nullum eſt proprium nomen, Nam Deus autore Platone, priſcis fuit aſtrorum à curſu, rotationeq; cœleſti nomen, exin ad intelligibiles ſubſtantias, ſed apprimè priorem tralatum. Cætera quoque nomina, quibus Diuinitatem deſignamus, ſunt ex his, quas notas habemus, rebus aſſumpta. Hæc ait Simplicius.

Ex eodem Simplicio, Deum eſſe abſoluti boni noſtrorũ animorum principium finemq; in quem unum ſit reſpiciendum, cui quandiu cohæſerit animus, ſua radice hæreat, diuulſus marceſcat, Quòd mundum Deus creauerit. Cap. XIIII.

Quàm

QVam illa quoq; admiranda, ſuſpiciendáq;, quibus apparet ex quo lux magna ſuperis conceßit ab oris, eam Philoſophos aſpicientes obſtupuiſſe, lætosq; in laudes eius os aperuiſſe, confirmaſſe, non ut Chriſtianos, quod eis nomen propter inſcitiam inuiſum fuit, ſed ut Philoſophos. Dicit enim: Διότι πάσης ζωῆς καὶ τελειώσεως ψυχικῆς ἀρχὴ καὶ τέλος ὅδε ἐν θεῷ ἀνάτασις, διάτε τῶν ὁρθῶν πρὸς αὐτὸ πολὺ ψέρειν, ὅτι τε ὄδε, καὶ προνοεῖ καλῶς, καὶ δικαίως τὰ πάντα κατευθύνει: Omnis beatæ & perfectæ uitæ, inquit, in animo principium & finis, eſt ſuſpectus ad Deum, & amplexus, & inclinatio, tum rectis de eo ſenſibus, quòd ſit, & proſpiciat rectè, tum quòd iuſtè cuncta gubernet: Tum obſequendo, obtemperandoq; libenter his quæ fiunt ab eo, ut ab optima ſententia proficiſcentibus. Nam tametſi ſui iuris ſit, motusq; anima ſuos in poteſtate, principiáq; habeat bonorum & malorum, at à Deo talis creata fuit, quæ ſeipſam moueret: Διὸ ἕως μὲν ἐρρίζωται τοῦ ἑαυτῆς αἰτίου, καὶ σώζεται, καὶ τὴν ἑαυτῆς ἕξει τελειότητα, μεθ' ἧς αὐτὴν ἐποίησεν ὁ θεός. ἀποστάσα δὲ ἑαυτῆς, καὶ ὅλον ἐφ' ἑαυτῆ ἀποῤῥιζώσασα ἐκεῖθεν μαραίνεται καὶ φθίνει. αἰσχρὰ καὶ ἀδένης γινομένη. ἕως ἂν πάλιν ἐπιστραφῇ, καὶ ἑνωθῇ πρὸς τὴν αἰτίαν, καὶ ὅτως ἀπολάβῃ τὴν ἑαυτῆς τελειότητα. Quocirca, dum ſe radicibus altis cum autore ſuo tenuerit, conſeruabitur, ſuamq; perfectionem obtinebit, cum qua creauit eam Deus. Simul uerò ut ſe diuulſerit, totamq; illinc ſeſe abſciderit, marceſcet, & diffluet turpis, ac debilis effecta. Vſque dũ rurſum conuerſa fuerit, ſeq; cum cauſa coniunxerit, ſicq; perfectionem ſuã receperit. Ô uerba cœleſtia, miraculũ Philoſophos in pectore ſenſus hos habuiſſe, tum pias uoces profudiſſe, cunctos in hodiernã ſapientiã conſenſiſſe, quæ Philoſophis, quantũ uelint diſſimilent, aditũ ad hanc ueram ſapientiam, ad hos profundos diuinos ſermones aperuit. Addit idẽ Simplicius, ὅτι πᾶσα ἡ ἀνθρωπίνης ψυχῆς τελειότης εἰς τὴν πρὸς θεὸν ἐπιστροφὴν, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν σύνταξιν ἀποκορυφοῦται, Omnis animi humani perfectio, eſt ut ſeſe ad Deũ cõuertat, ſeq; ad eũ ſupremo coordinet. Refert itẽ cũcta in hunc ſingularẽ ac ſupremũ: Vt quòd nõ diuturnã uoluptatẽ, quoniã exitialis ſit deus fecerit. Et iudiciũ πᾶσα ἀνθρώπου θεοῦ, cũcta ſciẽtis Dei. Et quòd hũc finẽ pœnitentiæ reſpicit, ut animus omni prorſus cogitatiõe ab antea factis abhorreat: Πᾶλιν καὶ ἐκ τοῦ καὶ τὸν θεὸν εἰς τὸ τέλος ὁρᾶν ἡ καθάρσεως. Et quòd à pijs munera Deus accipiat: ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς ἐνσεβούντων θεραπολλάκις ὁ θεὸς ὑποδέχεται. Et quòd quales uoluerimus eſſe, in noſtra ſit à Deo poteſtate, qui cauſas uoluntatibus noſtris reliquerit, facultates eligendi permiſerit: ad minimas operationes uſque. Et quod mirabilius, καὶ οὐκ ἄπαξ ταῦτα μηχανησάμενος ἐν ἀρχῇ τινι χρόνου ἔπεσκηψε τοῦ προνοεῖν, Nunquam deſtitit proſpicere Deus his, quæ machinatus eſſet in aliquo temporis exordio, & in eo cunctarum rerum creationem. Clariſſima enim nũc fatetur uoce temporis exordium & in eo cunctarum rerũ creationem, quam in commentioni-

bus Philoſophiæ ſiluiſſet. Neque enim, inquit, principium temporis habet Bonitas Diuina, à quo bene cuncta ſiunt. Neque Deus aliquando adeſt, aliquando abeſt. Hæc enim corporea ſunt. Sed ipſe ſemper adeſt omnibus, ab omnibus ſegregatus: Et prouidẽtia eius, quia ſemper ipſe et ubiq; eſt, et bonus eſt, omnibus rebus infundi tur, ut quodq; meritum eſt. Et quemadmodum à lumine Solis omnia irradiantur: aliaq; uident, alia uidentur, alia germinant, alia proſeminantur: aliaq; albeſcunt, alia nigreſcunt: alia denſantur, alia diſſoluuntur, unumquodque ut aptum eſt, uni/ us ac magnæ bonitatis ſuæ, ſine labore cunctis dante portionem, neq; horum ad ali quod laborante ſole, & de ſua beatitudine detrahente: Sic multo magis, bonitatis diuinæ, quæ & τῷ κόσμῳ τοῦ ἡλίου ἀλωρησαμένῳ, Solem mundo donauit, omnia participant ſine labore, benefiuntq; ſecundum menſuram bonitatis eorum, nihil in eo laborante Deo, & ſeſe diſtrahente. Neque enim, quemadmodum res na turales, recipit offenſam. Neque aduentitiam, peregrinaq; habet bonitatem, ne for/ te abſumpta fatiſcat. Neque aliud eſt è natura eius operari: ut ad multa noſter ani/ mus, ſic is ad prouidentiam mundi fatigetur, aut ad illam boni contentionem, quod excedit omnẽ mundum, debilitetur. Nam ſi perfectus animus humanus, et εἰς θεὸν ἀναχθεῖσα, ad Deũ cõtentus, dicitur in ſublime ferri ac uagari, omniq; mũdo de/ ſpatiari, quãto magis ὁ τῆς ψυχῆς ὑποστάτης θεὸς, animi cõditor Deus, ſine de fatigatione rebus ab ſe creatis proſpiciet? Hæc Simplicius de Natura diuina, de pro uidentia, de animi creatione. Repetensq; rationem prouidentiæ, Haud, inquit, pe/ ior hominibus ſit Deus, qui una eademq; arte partes curant, & uniuerſum, & par tes quidẽ propter ipſum totũ. Neq; uerò, inquit, uile peculiũ Dei eſt homo, ut eum Deus negligere debeat: οὐδ' ἐντελὲς ἐστὶ τὸ θεῖον κτῆμα ὁ ἄνθρωπος. Naturã quoque diuinam in eos, qui de prouidentia eius dubitant, definit. Nam cũ τὸ θεῖον Diuinitas, inquit, ea Natura ſit, habens abſolutiſſimam ſcientiam, fortiſſimam pote/ ſtatem, optimam uoluntatem, omniaq; à ſe ipſo producens, profectò neque ſua/ rum rerum curam neſcit, quod ne tardiſſimis planeq; bardis & ſtupidis animanti bus accidit, quæ prolem ſuam diligunt. Neque uero propter imbecillitatẽ tanquam uires ſuas rebus excedentibus abſiſtit. Quî enim fieri poteſt, ut τὸ παρέχον τοῦ παρεχομένου, res creata, ſit creatore maior? Tum concludit, Quocirca omnibus modis eſt impoßibile, quin à Deo cuncta proſpiciantur, Hæc & id genus plurima Simplicius, quem quidem arbitror apertius et copioſius ſermones religionis noſtræ prolocutum, quòd iam terrarum orbem rerum diuinarum lux, quàm Dei Filius è cœlo penetraſſet: quo claret eos ueritatem quidem ſuſpexiſſe, eiq; penitus aſſenſiſ/ ſe, ſed ueros cultores eius, propter inſcitiam, ac ſuperbiam, ut eam ſibi duntaxat uin dicarent, eiusq; inuentores ſe ſuosq; primos gloriarentur, contempſiſſe. Quemad/ modum uidelicet maiores eorum qui furati à Barbaris ſapientiam, cuius ſe reperto res, primosq; autores oſtentare cupiebant, à quibus didiciſſent, ſiluerunt. Itaque ſic à Barbaris, literis nempe ſacris, did. cũ Theologus eſſe, diuiniusq;, quàm par

erat

erat profanum loqui, Simplicius, quemadmodum Plato ſuſcepit ab Aegyptijs myſterio de tribus Regibus, de creatione, de Dæmonibus, quæ uiribus humanis comprehendi nõ potuiſſent. Omnis item hæc Theologia Simplicij, ſi bene cuncta reuoluas, non ſtat cum æternitate mundi, pro qua contra Ioannem Grammaticum Chriſtianum fortiter dimicauit. Hocq; argumento eſt, quos Ariſtotelis dogmata corruperint, ueritatem, rerumq; omniũ profundiorem conſiderationem, lucemq; ſacrarum literarum, meliora docuiſſe, eosq; ſecutos eſſe libenter & aſſenſiſſe.

Ex Proclo, de ſingulari Deo, quod ſit Vnus, quod Bonũ, quod prima cauſa bonorũ cunctorũ Autor, Deorum etiam Creator. Quod ineffabilis, incogitabilis, Virtutis infinitæ, Naturæ indefatigatis. Cap. XV.

IN Proclo uerò (Neq; enim moror ordinẽ, quòd ante Simpliciũ floruerit) quãtum ueritas exercuit uires ſuas, eruẽs ex inuito pectore uelut è ſilice lucẽ? Dico pectus inuitũ, quoniã inter cõfertiſſimã ſuperſtitionũ turbã, quæ comes ibat ei cæteris in libris nõ alio quàm ueritatis æſtu ad ſermones demũ redijt meliores. Vnius certè uis, & impetus eius fuit, hominẽ, cui domiciliũ, certaq; ſedes eius adeò diſpilcuiſſet, ut inſectatus eſſet, poſtremò uelut pœnitentẽ, uelut aliũ, nouũq;, priſtina mente penitus exuta, uoces inclytas, uoces Angelorũ edidiſſe. In libro, quo formar ex Platone Theologiã, quanquã de ſummo Patre, quẽ ut ſæpe claruit Platonici uocant τὸ ἕν, τὸ ἀγαθόν, ipſam Vnitatẽ, ipſum Bonũ, præclara, profundaq; diſſeruit: ego flores quoſdã, paucis cõtentus legã. Quis igitur, inquit, ſit Rex omniũ, uel ὁ ἑνιαῖος θεὸς, Vnificus Deus, ab omnibus ſegregatus, & omnia producens à ſe ipſo, et per unã cauſam præcedẽs uniuerſos ordines. Quis itẽ, qui fines omnes conuertit ad ſe ipſum, et circa ſe ipſum creauit. ὃ γὰρ ἕνεκα τὰ πάντα, τοῦτο ἀπάντων τελῶν τέλος & πρώτοργον αἰτίαν: Nã cuius cauſa ſunt cuncta, hũc omniũ finium finem, metã metarũ primãoperandi cauſam uocãs, nõ errabis à uero. Quis itẽ omniũ pulchrorũ, bonorũq; autor in omnia irradians τῷ θείῳ φωτὶ, lumini diuino, & turpe immenſuratũq; ad extremũ uſq;, omniũq; obſcuriſſimũ includens? Si uerba Platonis attendas, eſt id quod neq; ſermonem admittit, neq; notionem οὔτε γὰρ νοῆσαι τάυτην ὡς ἄγνωσον, οὔτε ἀφερμηνεῦσαι δυνατὸν, ὡς ἀπερίγραφον: Neq; enim cogitare licet hunc, ut ignotũ, neq; effari, fandoq; declarare, ut incircumſcriptũ: Sed quidquid dixeris, de illo quidẽ dixeris, ipſum aũt non dixeris. Nã quorũ ſit cauſa, poterit quidẽ aſsignari. ſed quidnam ſit, dicere aut cogitare non poterimus. Detrahit enim ſemper cogitatio nos ad noſtra. poſtremò concludit, Vna igitur de primo principio ueritas eſto, quæ cum primis eam laudat, appellans ἄῤῥητον, ἁπλῶν, τῶν πάντων ἐκ βεβηκὼς, Ineffabilẽ, ſimplicẽ, egredientẽ extra omnia. Cũ igitur adoraueris eum, uocans ineffabilẽ, ſecũdus honos erit, omniũ deſideriũ ipſum eſſe. Tertius, principiũ omniũ, quo ſe facit omniũ bonorũ creatorẽ. Itaq; prima ſimplicitas, Rex omnium, principatus, exceſſus, incomprenſibilis, cũ nullis coordinabilis. Primus Deus, Vniformis ſupereminens omnes cauſas. Omniũ Rex primus deus à Platone declaratus, cuius cauſa cuncta, autor omnium bonorũ, & τῆς ἀγαθοποιοῦ τῶν θεῶν οὐσίας ὑφίστασι, Creans boniformen Deorum

rũ ſubſtantiã, omnia poſt ipſum, adhærentia, producens, perficiensq; omnia intelligibilia, ut Sol ſenſibilia: Duos itẽ ait eſſe Platoni modos demonſtrãdæ Vnitatis. Duplex enim, inquit, tradit Plato nobis nomen τῆς ἀῤῥήτου ταύτης αἰτίας, ineffabilis cauſæ huius. In Republica, inquit, uocat, ipſum Bonũ, fontemq; ueritatis, Mentem, & intellectualia unientis. In Parminidẽ nominat τὴν θείων ἑνάδων ὑποστατικὴν, Vnitatem diuinarum unitatum creatricem. Horumq; nominũ aliud eſt creationis, ac productionis, alterum conuerſionis. Procedunt enim, inquit, ſubſiſtuntq; omnia à Primo: Vnitatem ad ipſum tenentes, quæ cauſa eſt omnis multitudinis. Appellamus autem ipſum Bonum, quoniam, ab omnibus deſideratur: ὅτι πάντ' ἀπ' αὐτοῦ προελήλυθεν ἀρχὴ γάρ ἐστι τῶν παύτων, καὶ τῶν ὄντων, καὶ τῶν μὴ ὄντων: quoniam omnia ab ipſo proceſſerunt. Eſt enim principium eorum, quæ ſunt, & quæ non ſunt. Videlicet quod prior Empedocles,

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ poſt uentura ſequentur. Ea ſunt enim τὰ μὴ ὄντα, quæ nondũ conſpicua ſunt. Eſt principiũ eorum quæ ſunt, & eorum quæ fieri ab eo poſſunt, non exiſtentia. Deniq; in eiſdem libris hæc in uniuerſum diſſerit Proclus (ne multus in eis referẽdis, quæ poſsũt apud autores legi, ſtomachũ moueã) primũ oſtẽdit uiã, qua peruenitur ad ὑπερούσιον τὴν πολυτάτην ἀρχὴν, Superſtãtiale cunctorũ principiũ, ſub ratione, et allegoria Vnitatis et multitudinis, quorum primũ eſt creator, ſecundũ res creatæ. Tũ probat eſſentiã Vnitatis ab omnibus corporeis ſubſtãtijs eſſe ſeparatã. Ad hæc oſtẽdit nomina, quibus, ut docuimus, appellatur ineffabilis Vnitas illa à Platone. Explicat itẽ collationẽ primi Principij cũ Sole apud Platonẽ. Probat item Platonem in Epiſtola ad Dionyſiũ de τῇ θεολόγῳ τοῦ θεοῦ, maximo, ſupremo principali Deo, quem primum Regem appellat, ſũiſſe locutum, & quomodo circa eũ omnia, & eius cauſa cuncta, & ut omnium cauſa ſit bonorũ. Et quod de ſuprema hac & ineffabili Vnitate Plato diſſerit in Parmenide. Audi etiam diuinas quaſdam de Natura diuina eiuſdem uoces, agnoſce mirabilem, cœleſtemq; apud homines Theologiam, partim à ſacris oraculis, partim ab altioribus exordijs, poſtremò ab ipſa Natura uenientem: λιὸ οὐκ ἐν χρόνῳ, ἀλλὰ πάντος χρόνου ἔξω. τὸ μὲν γὰρ χρόνου σκιδναμένου ἀεὶ πῶς διάστασιν τοῦ μὲν αἰῶνος ἐν τῷ αὐτῷ μένοντος, καὶ κρατοῦντος, καὶ πλείονος ὄντος δυνάμει ἀεί, τοῦ δὲ πολλὰ δεκάντου ἔσχαι κρόνου. δεῖ δ' ἐκείνην φύσιν, ὁ μόνον τῷ ἀεὶ ἄπειρον, ἀλλὰ καὶ τῇ δυνάμει. καὶ καὶ πῶς ταύτην ἀπειρίαν τοῦ δυνάμεως αὐτιπαραθεῖναι ἀποδοῦναι φύσιν αὐτάρκη μονήν, καὶ ἐφημένην ἐκείνης. πάρεστιν ὡς ζωὴ μία. ὁ γὰρ μεγίστην καὶ ζωῆς, ἢ ζωὴ ἀεὶ ἔχει δύναμιν τὴν αὐτὴν συνοῦσαν. ἐὰν δὲ λάβῃς, ἀένναον καὶ αὐτῇ ἀπειρίαν φύσιν, καὶ ἀκάματον, καὶ ἄπρυτον, καὶ δὲ ἀμὴ ἐλλείπουσαν καὶ αὐτῇ, οἷον ὑπερβεβαίαν ζωῆς. Poſt pauca, εἰς ἐκεῖνον δὲ αἱ πόλεις ἐπιστρέφονται, καὶ πᾶσα γῆ, καὶ πᾶς ἀρανὸς παντεχοῦ ἐστὶ αὐτοῦ, καὶ καὶ αὐτῷ μένοντα, καὶ ἔχοντα ἐξ αὐτοῦ τὸ εἶναι, καὶ τὸ ἀληθῶς ὄντα μέχρι

ψυχῆς

ψυχῆς καὶ ζωῆς ἐξυρτημένα, καὶ ἐς ἓν ἄπειρον ἑόντα ἀμιγέθεα ἐς ἀπείρων: Quocirca non in tempore eſt, ſed extra omne tempus. Cum tempus ſemper diſcindatur, diſſipeturq; ad ſpatium, quod interiacet, æternitas in eodem ſtatu permanet & durat, plusq; eſt æterna uirtute, quàm tempus, quod in multa uidetur tendere. Eſt autem illa Natura non modò infinita, quia ſemper, ſed et uirtute. Oportetq; ad hanc infinitatem uirtutis, æqualē et correſpondentem ex ea pendentem ſtatuere Naturam. Adeſt igitur ut una uita, Neq; enim uſq; ad præſcriptum, & certū in uita. Hæc uita ſemper habet uirtutem eandem, infinitam, intimè in penetralibus naturæ ſuæ, ſi acceperis perennem in ea infinitatem, naturam inconſumptibilem, et indefatigabilem, nuſquam deficientem, ceu uitam ſuperferuescentem. In illū autem urbes reſpiciunt et omnis terra, & omne cœlum ubiq; in ipſo manentia, & habentia ex ipſo eſſentiam, & ea, quæ uerè ſubſiſtunt uſq; ad animam & uitam inhærentia, & in Vnitatem infinitam euntia, infinitate ſine magnitudine. Hæc grandia myſteria, quibus non poteſt mens humana cogitare maiora, Deoq; digniora. Hic primum cernimus philoſophos uirtutē Dei infinitam, indefatigabilem fateri, uirtutem æternam, perennem, nuſquam deficientem. Deus, inquiunt noſtræ literæ, cuius poteſtati nihil reſiſtit: cuius inuentio infinita, inexhauſta creatio, manatio uirtutis æterna: Non ſolum æterna uita, ſed immenſa poteſtas æternitati reſpondens. Quæ ſi nullo unquam tempore defecit, nec deſuit ipſa ſibi, ſemper habuit quo uiueret & poſſet æternam. Ab hac omnia nata pendēt, quibus eſſe fuit ab illa. Immenſitas eius non corporea, ſed ſimplex, Vnitas infinita, immenſitas incorporea, Poteſtas incognita, ſed immenſa, ſine magnitudine. Omnis terra, cœlū, mare, flectitur in illum, pendet ab illa. Idem hæc quoq; ſcribit: ἓ τῶν ἀγαθῶν πρωτίστη καὶ ἀρχιγικωτάτη, καὶ ἑνοειδὴς ὕπαρξις. Et quæ ſequūtur, Bonorū prima, et principaliſſima et Vniformis exiſtentia, omniū ſimul bonorū cauſas, et cōtinentias in ſeipſas & circa ſeipſas firmauit. Nec uſquam eſt boni quicquam, quod non ipſa poſſideat eiuſmodi uirtutē. Neq; beneficiū, qd' nō ad ipſam conuertat participationē eiuſce cauſæ. Omnia illinc & producuntur, & perficiuntur & ſeruantur bona, & una omnium bonorum concatenatio, & ordo in illum ut fontem. Hic appellat, ut cernis, Naturam diuinam, ſupremam, eminentiſſimam, fontalem omnium bonorum exiſtentiam, fontem omnium quot in omni natura ſunt bonorum, principium primum, originem. Quod habet beneficium, quod naturam uirtutemq; Bonitatis, ab illa habet. Illic omnium aggregatio bonorum: Si quid in orbe boni, dimittitur inde: palatium, aula, ubi naſcuntur: theſaurus, ubi celantur cuncta bona: inde ad nos uſque promuntur Vitæ, animæ, corpora, mentes. Ex his, & id genus omnibus, quæ de ſummo Deo, Philoſophorum celebrantur ore, quorum ucrus, & limpidiſſimus, uberrimusq; fons manat in ſacris literis, docemur omnes, unum eundemq; Deum cunctarum gentium toto terrarum orbe diffuſarum eſſe, hunc omnibus ſeculis, hominibus apprimè ſapientibus innotuiſſe: cumq; ſit omnium ore celebratus, meritis, ſingulariterq;

lariterq; ſuis laudibus ab omnibus prædicatus probatur certè reuera ſapientiam cœleſtem diuinitus allatam, & ueram generis humani doctrinam apparuiſſe, quæ clarum, perſpicuumq; cum oſtendit, celebrauitq; ſemper, quem Philoſophi adorauerunt, laudesq; eius partim à maioribus acceptas, partim ab hac ipſa Sapientia, pleno ore decantarunt, ob quas à ſuis diuini dicebantur. Sicq; una ueritas eſt, ſicut Creator unus, & hominum Natura una.

FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER SEPTIMVS.

IN QVO AGITVR DE CREATIONE MVNDI.

Omnem nationem à uetuſtiſsimis ſeculis traditione per omnes ætates deſcendente, fateri mundum creatum. Vidiſſe quædam creati mundi priſcos ſigna. Fuiſſe famam apud priſcos creati mundi creberrimam. Rationes, quibus nonnulli noluerunt creatum mundum. Cap. I.

POST res æternas explicatas, de Creatione mundi diſſerendum, locus huic operi longè aptiſsimus, cuius inſtitutum eſt, docere, quod quidem non magni laboris fuit, cùm ea ratione, quæ uiget in omnibus, quaq; ſapimus, loquimurq; omnes, rerum naturas ponderamus, tum communi quodam omnium gentium conſenſu, quem inuicem ſibi per omnia ſecula nationes tradiderunt, quemq; ab exordio generis humani manaſſe conſtat, cunctis ritè rectèq; libratis, ſolam eam ſupereſſe, ueritatẽ, in quam ominum cogitationes, ſermonesq; tandem reſoluuntur, quamq; audiuimus cœlitus poſtea reuelatam. Ac de Creatione mundi, quemadmodum de Deo, mirabilis fuit omnium mortalium, ſignorum quoque coniecturarumq; conſenſus, ut quo anterius procedas, eò reperias conſtantius exordium cœli ac terræ prædicari, ut de mundi creatione uideatur euenisſe, quòd de clariſsimis, uetuſtiſsimisq; quibusq; monimẽtis, de bello Troiano, poſt multa ſecula Romanorũ triumphis, ac potentia, quorum illud quo fuerunt homines ei propiores, eo magis prædicabatur, diſtinctiusq; apud omnes reſonabat. Circumuolutis autem ſeculis, famaq; paulatim obſoleſcente, obſcurari cœpit, ut uix tenuis quædã notio ſuperauerit. Sic plurima nouerunt iactaruntq; ſuperiora ſæcula de Romanis, quorũ nunc maxima pars obſcurata, ex humanaq; opinione oblitera a, pars in libris, rarisq; quibuſdã ueſtigijs uix credibilis remanſit. Humana autem imbecillitas eſt, ut tum facile oblitione capiamur, tũ uix etiam præſentia clarè intrepidaq; fide credamus. Sic euenit de Creatione, quã cũ uetuſtiora ſecula conſtantiſsimè præd.carent, ſignis etiã quibuſdam

buſdam claris adhuc ſuperſtitibus, poſterioribus, quos diuerſæ, incertæq; opiniones conflictarent, & in uarias ſententias circunflecterent, probabilius, ueriq; ſimilius uiſum eſt, nullum habuiſſe mundum principium, ſed his omnino perpaucis. Attulerunt q; illi rationes, quibus maximè & credebant ipſi, nullum unquam rerum fuiſſe primordium, et cæteris perſuadere conabantur. Itaq; fit, ut de conditione mundi ſermo duabus neceſſariò partibus integretur: una quæ reſpondeat ad eorum oppoſitiones, easq; diſſoluat, demonſtretq;, ſi fieri poſſit, probabilius eſſe, Naturæq; conformius & aptius, res habuiſſe principium, quàm fuiſſe ſempiternas: Altera qua uetuſtatis, gentiumq; omnium, ac religionum proponatur conſenſus. Qui per omnes ætates ſuperiores ſenſim reſolutus, ad aliquod rerum initium deniq; reducatur. Habuit igitur mundus aliquod primordium, idq; Græci, Aegyptij, Phœnices, Chaldæi, totus Oriēs, omnes literæ religionesq; omnes aſſeruerūt. Cui cōſeſui, quoniam naturalis eſt, ueritas ipſa, rectusq; prouidentiæ, pietatis, et ueritatis ordo mirabiliter aſſentitur, nunquam utiq; futurus, niſi in conditione, et initio certo mundi. Ac quoniam quibus uiſus eſt æternus mundus, tribus cum primis rationibus ſunt permoti: è quibus eſt, quòd ſeclus ſit inferre potius ſempiternam priuationem rerumq; carentiam, quàm ſempiternum eſſe: Altera quòd non ſit rationi conſentaneum, nec uideat prudentia, cur tot ſeculorum millibus ceſſator ille Deus, quaſi de ſomno euigilans, repentè ad creandum, quod prius non faceret, ſe dederit: Tertia, quòd nō ſit ueriſimile, nec appareat, cur non creauerit ante hæc tēpora, ſempiternis retro ſeculis ocioſus. Quoniamq; his rationibus omnis fermè de cōditione mundi ſermo cotinetur, ingrediemur ſuper his diſſerēdo, paulatī, quas primus Ariſtoteles, deinde ex aliorū perſona Plutarchus, tū Proclus, cæteriq; de Aeternitate mundi attulerunt: quibus in dubitationem plures uenire poſſe nō reor, rationibus explicatis. Ac Plutarchus, grauis ſanè autor, teſtis eſt, multos ſua tempeſtate Philoſophos nihil nō conatos, ſuſq; deq; detorquere, uiolētare omnia aggreſſos, ut abſconderetur, negaretur, Creatio mundi, ceu graue flagitium, nefandumq; piaculum adirent, qui tollerēt eius æternitatē. Quibus ille ex dogmatis Platonis, quæ conabantur peruertere, & in ſuas ſententias trahere, reſpondit. de quo poſtea diſſeretur. Nunc ea quæ ex fontibus ſuis ſuggeret Natura, perſequamur.

Reſoluuntur rationes de Aeternitate mundi. Nulli Aeternitatem prodeſſe, ſed uehementer obeſſe. Hunc eſſe mortalibus omnis impietatis, omnis infelicitatis fontem rerum humanarum confuſionem, Nullam reddi poſſe prouidentiæ rationē rebus æternis. Nō poſſe animos immortales eſſe rebus æternis: aut eos nō aſcendere in cœlū nullaq; eſſe poſt uitā præmia uirtutū. Stultos eſſe, qui deteriora uelint æterna, quę ſint melioribus impedimento. Non eſſe malū deſtruere mundum cauſa maiorum bonorum. Cap. II.

NOn enim inexpiabile ſcelus eſt, Creatio mundi, ſed Aeternitas potius, non modò ſcelus, ſi quis altius ſpectabit, ſed omnium ſcelerum, omnium religionum, uirtutum, iuſtitiæ, probitatis omnis eſt interitus, ut ex omnibus flagitijs, quæ deteſtatur Natura, quoniam ueritatem, lucem, ſubſtantiamq; labefactant, hoc ſit principium, hoc caput, hoc profunda, uaſta, lacrymabilisq; confuſio, in qua nullus ordo, nulla ueri-

nulla ueritas, ſed ſempiternus horror in habitet. Sublata enim Creatione mundi, nemo eſt, quin noſcat ac fateatur, nec mortalitatem animorum, nec prouidentiæ rationem defendi poſſe, nec res humanas ceu mare fluctuantes, ullam habere ſedem, ſolumque, quo ſtabiliantur: Vt eueniat ex hac horribili confuſione, ceu cum ſublimis arbor radicitus conuulſa, aut excelſæ moli fundamentis ablatis, omnium uirtutum, & cum uirtutibus labentibus hominum, rerumque humanarum confragoſa ruina, & hoc ipſo neceſſe ſit eas in nihilum redigi ex quo illi plurimum eas ſtabilire, decoraréque, ſe putabant. Quis eſt enim, qui ſi ſibi proponens (quemadmodum ſæpe exemplorum cauſa proponimus ante animum quæ neque ſint, neque poßint eſſe) nullum mundi fuiſſe principium, extendat animum per omnia, quæ cogitanda in Aeternitate eſſent, qui non uideat cuncta ex contrario inuehi, quæ Creatio cunctis hominibus attuliſſet? Ex Creationæ rerum nata eſt pietas natũ eſt, ut eum admiremur, & colamus, potentiã, clementiã, bonitatemq; eius ſuſpiciamus qui dedit nobis quod ipſe eſſet. Tunc primùm poteſtatem eius admirantes, quòd potuerit è nihilo tam pulchras, tamq; uarias, tã multas ſpecies producere, ueneramur incendimur amore in illum, collaudamus benignitatem, ac bonitatẽ, gratias referre geſtimus, talem ac tantum nobis parentem gratulamur. Quis enim eſt, qui cũ ſe circunſpexerit, omnemq; corporis ſui fabricã contemplatus fuerit, in interiores animi ſedes penetrauerit, eaq; ſibi quondã à ſupremo Deo cognouerit donata, quod ſine temporis exordio fieri non potuit, quin rapiatur in cognitionem et admirationem, cultumq; creatoris ſui? Hincq; coniectet, ſe charum, acceptumq; illi eſſe, utpote qui prouidentiam, curam, charitatem, ſapientiſſimæ mentis in eo artificio adhibuerit? Qui cum poſſet bonis ſuis ſempiternis frui, quorum ante mundũ copia circunflueret, plusq; unus ſibi ſufficeret, quàm ſi totius mundi ad eum fieret acceßio, maluerit tamen largiri & effundere Bonitatẽ Id uerò intuens animus, penitus amore incenditur & flagrat, amplectitur Parentem optimum, ueneratur, adorat. Neq; enim ſi dependentiam attuleris, per quã à Deo conſeruetis, ac ſuſtinearis, tantopere ad pietatem acceſſeris, tam te Deo debere cedideris, quàm ſi te conditum cum nihil eſſes, regi in omne tempus ab eo, & ſuſtineri perſuaſeris. À quo cum creatus es, perinde quaſi genitus, et conceptus, editusq; in lucem fuiſti, ut cum genitrices, filios, quibus antea carerent, enituntur, efficiturq; incredibilis genitricis, et prolis amor. Mirabilisq; eſt alacritas noſtra, cum nos ſcimus à Deo creatos, Parentem noſtrum illũ audimus: ſicut incredibilis, mœror, & quaſi luctus, cum tantus bonos eripitur et per infinitatem temporũ, ceu per profundiſſimas tenebras, inexplicabilesq; ambages, quibus nec caput ſit, nec locus ubi conſiſtas, cogitãdo uagamur. Nullumq; apparet in omni rerum deſperatione & quibus refertam conſtat humanam uitam difficultatibus, cladibusq;, perfugium niſi ad eum, qui tui, totiusq; mundi autor fuerit, qui te tanquam amantiſſimus procreauerit, creatum amet, foueat, amplectatur. Quod totum prorſus conuellitur, cum primæua origo denegatur. Nec aliud ſuccurrit cogi-

tandũ, rebus æternis constitutis, quàm quòd condere Deus eas non potuerit: Tum quòd exiguum maiestas eius præcellat, nihilq; habeat fermè singulare, si totus mundus æternus cũ eo fuit, si Sol, et Luna tam indefatigabili, diuinaq; ui extiterunt, ut lucere in sempiternum, moueri in sempiternum potuerint. Ex omnibus enim dotibus, ac quasi priuilegijs, quibus Diuinitas supra omnia subl matur, uel maximè est æternitas, quæ si singularis in Deo non est, efficitur, in generaturq; suspicio, ut supra mundum præcipuè cœlo, luminibusq; cœlestibus non multum maiestas eius emineat. Nec ualet hic illa responsio, Regitur, conseruatur, generatur semper. Verba prorsus inania, cassaq; oratio. Aut enim si dari potest sempiterna generatio, potuit aliquando generare ac creare Deus: Et quod perenniter facit, potuit semel fecisse: aut si ita regit, ut tamen creare efficereq; non possit, ne potest quidem regere, & generare. Vt quod non possit creare, non possit regere. Si potest semper, potuit etiam aliquando. Neque enim perfectè regeret, nisi in potestate totam Naturam, conditionemq; haberet. Aut etiam constituuntur, res æternæ, quia Deus eas creare non potuit: aut quia potuit quidem, sad Aeternitas melior fuit. Si creare non potuit, non poterit etiam in præsentia, priuaturq; maxima parte Diuinitatis Deus, quia nec creat in præsens: nec si deest facultas creandi, aderit perfecta regendi: Aeternitatem autem non esse meliorem, superiores, alieq; multæ rationes coarguerent. Nam neq; hominibus, neq; animalibus brutis, nullis denique sub cœlo rebus prodest Aeternitas magis quàm creatio. Similiter enim in Aeternitate cuncta, atq; in Creatione corrumpuntur. Nec profuit cuiquam mundum fuisse sempiternum, qui tametsi species habuisset sempiternas, dulcedo uitæ tamen, & utilitas, sensusq; est particularium: particulares autem homines, tantundem in omni æternitate cecidissent, ac si mundus non fuisset æternus. Cuius enim æterna fuit ista dulcedo, cum res particulares corrumpantur, sentire autem bonitatem, sit particularis unius? Hoc uel maximè de hominibus uerum, quorum nihil interfuit an æternus, an creatus mundus: quia uel in Aeternitate nemo fuit æternus. Quid Platoni profuit mundus æternus, quid Aristoteli, si similiter cecidere ac si creatus esset? Recense cæteros, menteq; euolue per omnes. Ne ipsi quidẽ mundo profuit æternitas ista, cum omnia individua sint corrupta. Itaq; in particulari nullæ res capere ex Aeternitate mundi fructũ potuerunt: uniuersale autẽ non sentit, nec utile est particularibus, dũ ea ipsa intereunt, eorum species esse sempiternas. Quinetiã dum profuit speciebus, obfuit particularibus, quia non habuerunt, quò referrentur capite carentia: Homines q; in miserrimã impietatem delabebantur. Quod autem uni, & alteri nocet, nocet etiam uniuerso. Ecce quod ad utilitatẽ æternarum specierũ asciscitur, ad ruinã, calamitatemq; individuorũ ascitum, non cognoscitur. Sic ad interitũ quoq;, et dedecus specierum assumptum non cernitur, dũ uniuersale, quod est aggregatio particulariũ, tantundem infirmatur, quantum particularia deprimũtur. Itaq; quot damna dat Aeternitas mundi particularibus,

totidem

totidem uniuersalibus det necesse est. Virtutes autem et pietatem, prouidentiam, et quod euidens est, immortalitatem aufert Aeternitas mundi, confusionem animis, perturbationemq; offundit, id est, uniuersis agmen afferet malorũ, ut non sit aliud Aeternitas mundi, q̃ impietas æterna, æternaq; animorum confusio, mœror sempiternus, & sempiternus interitus animorum. Sic uastitas ingens particulariũ & uniuersaliũ: Itaq; & hanc rationẽ discutiamus, quos Aeternitas mundi delectet, si bene desiderium istud suum euoluant, nihil agnituros eos aliud se cupere, q̃ mortalitatis, corruptionis, flagitiorum, miseriarũ, luctuum, calamitatũ, homicidiorum æternitatem. Quid enim aliud est humana uita, quàm nefariorũ scelerum spectaculum, fortunæ sæuæ, nisi sit alia ratio, ludibrium, uiuorum acerba colluctatio, uexatioq; perennis, iustitiæ, & pietatis uiolatio? Quid aliud sit uiuendo, quàm quòd renascant, uigentq; rapinæ, odia, ueneficia, homicidia, adulteria, proditiones, uiolẽtiæ, direptiones, luctus ubiq;, doloresq;, & plurima mortis imago, lasciuiæ præterea, & corporis ad senectam usq; ludibria, sexus, ususq; naturæ ueræ deprauatio, pessimarum artiũ exercitatio, errores omnigeni, prauus semper rationis usus? Deniq; nusquã certa quies, dulcis animorũ tranquillitas, optata mentis ac placida securitas. Hæc tu uis fuisse sempiterna. Ex hac miseria effectũ est, ut plerique pronunciarint, meliorem esse sortem, conditionemq; mortuorũ, quàm uiuentium, et bene agi cum eo qui simul natus occumberet, aut certè q̃ ocyßimè. Socrates, & eum grauis orator secutus, uitã hanc, quam uolunt hi sempiternã, mortem dicere non dubitarunt, quam lamentatus est idem, defleuitq; multis lacrymis, ut qui legeret quæ super eo scripsit, nihil mallet, quàm res has relinquere. Hegesias sic copiosè de fuga uitæ huius disputauit, ut à Rege Ptolomæo prohibitus esse dicatur, quòd multis his auditis mortem sibi ipsis conscisceret. Docuit Silenus Midam Regem, non nasci, homini longè optimum esse: proximum autem, quàm primum mori. Euripides, lugendum esse qui nascitur, lætandũ super eo qui moritur. Solomon sapiens ille, cunctis miserijs, spiritusq; affectionibus & erroribus humanis consideratis, intrepidè laudauit magis mortuos quàm uiuos, præ his eos, qui nunquam ad hæc mala uenissent. Non modò igitur sempiterna mundi, hominumq; progressio ei non est uisa utilis, sed eò usq; prouectus est, ut hoc qualecunq; uiuitur, censuerit abolendum, exortesq; lucis, prætulerit uiuis, priuatioq; omnis uitæ, uisa sit ei, tota uita melior. Sic profectò priuationẽ mundi, non solum sempiterno mundi statui, sed etiã temporario, reor, anteponere potuisset, nisi maior ratio fortasse, quæ pendet omnis ex creatione mundi obstetisset, forteq; iudicasset, aut non interesse, fieret mundus nec ne, aut melius futurũ, si nunquã apparuisset. Nam nisi tranquilla quies meliorq; sese ostentaret, nisi spes maior affulgeret, nisi portum, quo tranquillè, quassata mundi fluctibus nauicula, cõquiesceret, animus cerneret, et lacrymis redundare, luctibus resonare nec esse esset, et diem illã omnibus diris insectari, quæ nos in hanc uitã extulisset. Longè autẽ paucis exceptis, quod miserrimo illi contingeret, qui diẽ natalẽ, noctemq;

conceptus execratus, nullū inter annos omnemq; temporis tractum, locum eis fuisse desiderasset, maledictis prosecutus, quæcunq; in uitæ suæ primordio accidissent. Iā uerò quoniam quæ carent ex decretis Philosophorū initio, fine quoq; nullo terminantur, si mundo nullū fuit exordium, minus itē exitus erit. Efficit aūt hæc ratio, ut nunquā sit futurum, quod futurū maximeq; rebus humanis necessarium, sapientia cœlestis docuisset. Nam cū innumerabilia scelera in hac uita impunè perpetrentur, cum multos uideas innocentes miserabiliter patrimonio, aut imperio, ut taq; priuari, cum ratio uitæ, qua degunt homines, non multum ab ea, quam pisces in mari, procul sit, quòd illi dentibus agunt, hi & armis, & omni fraudū genere, quas ratio mala ministrat, perpetrantibus, cum sæpe iudicium, uindictamq; Dei, uexati uiolenter, imploremus: denique cum maxima perturbatio in sensibus humanis insidat, quòd tam malè, tam scelerate, tā iniquè uiuentes, nemo sit, qui iudicet, & ulciscatur, qui bonos à malis defendat, aut distinguat, dū nō modò bonorum et malorum æqualis, ut etiam longè deterior bonorū sit conditio, et sicut non prodest bonis bonitas, sic malis malitia non noceat. Hæc inquā cum per omnem humanam uitam obambulent, quæ et philosophi uiderunt, et super his obstupuerunt, ignorantesq; uerum portū turbati sunt, ut mouit multos Dionysius, qui templis Deorum expoliatis, feliciter nauigauit, ultus eos, quos amor patriæ ad eam liberandam instigasset. Et Pœnorum crudelitati Reguli corpus est permissum. Aphricanum domesti ci parietes non texerunt, infinitaq; nostrorum exemplorum est copia. Hæc cum ita sint, cum tam multa nunc impunè perpetrentur, quæ nisi animaduertantur, nisi persuasum sit, meliorem aliquando sortem futuram bonorum, maior esset rerum humanarum confusio, quàm cū susq; deq; commistis elementis, Chaos inhorruit, statuit Deus diem rerum supremam, cum miserabili hac et cæca uita conclusa, uis ab uno quoq; in theatro totius mūdi reposcet, Satis fietq; omnibus super ratione prouidentiæ, & malis malè, bonis bene, cunctis spectantibus dabitur. Quod cū in omnium oculis totoq; humano genere præsente fieri debeat, expectatur dies suprema, qua, facto omniū mortaliū cōcursu, à iudice Deo cuncta iudicentur. Tollitur igitur hæc rebus humanis necessaria præscriptio, dum Philosophis habet Aeternitatem in posterum, cuius ante nullum apparuit principium. Et hæc si rectè cernas, est rerum humanarum terribilis illa, uastaq; confusio, cæcaq; inuolutio, in qua iustitia cum iniquitate, uitium cum uirtute, prudentia cum stultitia, probitas cum improbitate miscetur. Nihil est in quo à malis boni separantur: dedecus ascendit, decor descendit: scelus sublimatur, probitas deprimitur. Aut in eadem strage iacēt bona cum malis. Est tamen omnium Philosophorum, quos aliqua ratio tenuisset, quorum ingenium à ueritate non prorsus abhorruisset, firma, congruensq; sententia immortali Deo curæ esse res humanas. De immortalitate quoq; animorum, & præmijs, ob uitā honestè aut turpiter actam plures locuti sunt, etiam illi ipsi, quibus Aeternitas placuisset. Quorum oratio nec caput habebit, nec exitum, intricata pugnansq; secū conse

quetur,

quetur, nisi rerum origine constituta. Vt cum te ratio, pudorq; deducant ad confessionem prouidentiæ, alios autem ueritatis impetus admoneat, fore malis & bonis perinde ac meriti sunt, digna præmia, reuolui necesse sit eos, si tueri hoc uoluerint, ad creationem mundi, cuius Aeternitas facit, ut nec tota prouidentia consistat, nec ea maximè pars prouidentiæ, quæ in remuneratione bonorum ac malorum est posita. Ac quoniã non superiores modò, meliores q; Philosophi, sed uel ipse quoq; Aristoteles asseruit, Deum remunerari bonos, fortunæ autem quæ dicuntur bona, censuit idem, quippe quæ bonis & malis ex æquo dentur, indigna quæ recta diuinitus donari prædicentur. Hæc duplex attestatio efficit, ut hæc, quam dixit, bonorum remuneratio, in hac uita fieri non posit: Remuneratur enim Deus pios, bona autem fortunæ sunt temeraria. Nam si, inquit, diuinitus darentur, solis bonis darentur. Ne fas enim est Deum erga malos, & immeritos esse beneficum. Igitur si non sunt bona fortunæ diuinitus, nec peculiaris esset hæc remuneratio, qua promiscuè fruantur boni ut mali: Donari autẽ peculiare, priuatũq; aliquid amicis suis à Deo necesse est, idq; in hac uita, in qua mali sunt ferè beatiores, non inuenitur, reuoluitur necessariò ratio ad alia præmia futura post hanc uitam. Quorũ perfecta distinctio, rectumq; examen, omniumq; oculis satisfactio, atq; adeò mentis perturbatæ sedatio, alia nulla ratione, cunctis ritè consideratis, erit, nisi ut conueniat totus ad iudicium mundus. Quoniã igitur Philosophi confessi sunt prouidentiã, remunerationemq; bonorũ: hæc autẽ in hac mortali uita, in qua fluctuant omnia, nec solũ eisdem subiacent casibus boni ac mali, sed sæpe deterior est conditio bonorũ, non cernitur, certè nemo erit quin fateatur, ad aliã uitã ea oportere referri. Nullus autẽ sermo de præmijs illis, uitaq; futura fieri potest, si mundus sit æternus, omniũq; eorũ necessariò sequitur euersio, quæ de uirtutibus Philosophi disputauerunt. Effectũq; primò hac necessitate est, ut quibus Aeternitas placuisset, alij certum incorruptorũ finẽ, principioq; carentiũ animorum, numerũ fuisse semper dicerent, alij unicã cunctis animam attribuerẽt, alij corrũpi, euanescereq; eos assererent. Et hæc omnia dedit Aeternitas mundi. Iidẽ tamen, quibus horũ alterum uisum esset, multa rursum de probitate, et improbitate disseruerunt, de prouidentia rerum humanarũ, quibus à Deo prospiciatur, non pauca. Nã Alexander qui tertiam sententiã putatur secutus, de prouidentia diuina multa locutus, uidimusq; superius eum rationẽ conficientẽ, aut non posse Deũ, aut nolle res humanas attendere, cumq; alterutrũ, & absurdum, et indignũ Deo palàm sit, confiteri ut attendat. Nulla uerò, si cæteros Philosophos audias, res humanas respicias, cernitur nunc eiusmodi prouidentia, quæ maximè in eo laborare deberet, ut boni beatè uiuerent, mali à iucundissimæ lucis aspectu submouerentur. Quod contraria ratione transigitur. Sic Simplicius, qui modò primã, modò secundã sententiã uidetur approbasse, nõ de prouidentia solum disseruit, sed eò usq; progressus est, ut quos oratio Epicteti, in quo libro grauissimè et pulcherrimè dixit, non permoueret, solum superesse diceret, ut à iudicibus subterraneis ex

pectare ſupplicia poſſent. Deniq; ipſe Ariſtoteles, qui unã ex his ſententijs eſt ſecutus, remunerationem non tacuit. Omnem demum Philoſophum neceſſe eſt, ubi multa de natura, de cœlo, terra diſputaſſet, uenire ad mores, quæ prima, præcipuaq; eſt pars Philoſophiæ. De moribus autem loquentem, niſi ſubdolus ſimulator, ſæuus impoſtor ſit, aliquod caput, aliquem finem, ad quem, et à quo tota diſputatio fluat, & deſinat, ſtatuat oportet, idq; ſeriò, non populariter, ex Philoſophia. Hinc effectum eſt, ut qui prius in contemplatione rerum occupati, plurima, quæ non caperent, explicareq; non poſſent, aut tacere, aut contrà quàm Natura decerna, ſtatuere coacti eſſent, cum ad mores uentum eſt, mutare ſermonem, os aperire, loqui quod Natura uolebat, compulſi ſunt. Id apud Ariſtotelem, Alexandrum, Simplicium, multosq; alios reperias. Caput igitur illud, & finis quis ſit, alij tacitè innuerunt, alij apertè prædicauerunt. Apertè Plato, ſuperioresq; omnes, tacitè Ariſtoteles, apertius alij poſt cum in Philoſophia eius clari multi. Eſt autẽ finis, ut res humanæ ad aliam quàm præſentẽ conditionem referantur, ſine qua tota claudicat diſputatio de prouidentia. Caput, ut à Deo habuerint initium. Si ſtatuis mundũ æternum, ſtatuis aut unam in omnibus animam, aut certum numerum ſempiternorum animorũ, aut eos euaneſcere ac reſolui. Quodcunq; ſtatueris, tota collabitur ratio prouidentiæ. De moribus item, & fine rerum humanarum, ratione remunerationum ſermo uaniſſimus eſt, & commentitius, præſtigioſus, ac ſimulatus. Simulata, ficta ſunt ea quæ dicis, Deum remunerari pios, ô Ariſtoteles, decimo de moribus. Non minus ſubdola, & uana quæ de iudicibus ſubterraneis loqueris ô Simplici. Nam unica anima nullas pœnas admittet: ſi reſoluuntur, minus. Si certus æterno/rum numerus animorum, æternus etiam ad corpora & à corporibus reditus & diſceſſus, Quòd ſi de moribus, & prouidentia, remuneratione, & præmijs ſimulatè locuti eſtis, & quaſi populo ſatis facientes, ualete Philoſophi, cum ueſtra Philoſophia ſimulata, impoſtrice. Sublatis igitur & conuulſis radicibus, quibus uirtus eſt floreſcit, uani ſunt omnes de uirtutibus Philoſophorum libri, uana tota ipſa Philoſophia: cuius finis eſt docere, non obtundere: augere, non minuere: condere, non deſtruere: utilitatem, non detrimentum afferre. Prima præſtantiſſimaq; uirtus eſt, Pietas. Hanc uelut reginam cunctæ uirtutes facta corona circunſtant, ducemq; ſequuntur. Sublato duce, diſpergitur agmen, palantes, incertiq; uagantur. Pietas non poteſt, ſi rectè conſideres, conſiſtere, niſi ſtantibus his, quæ Moſaica, & Chriſtiana Philoſophia, Philoſophi quoq; meliores tradiderũt, quòd creauerit hominẽ Deus, propter hominem mundum, quòd gubernet, quòd magna præmia uirtuti dabit in theatro totius mundi. Sic ſtat dux Pietas. Ablato duce diſſipatur agmen: agmine uirtutum diſſipato, hominum uita, non magis hominum, quàm beſtiarum uita, deterior etiam, quòd hæ ratione carentes, ea neq; ad bona, neq; mala abuuntur. Exuta ratio uirtute, peſſima eſt, noxia eſt Exuitur, ſi pietas detrahitur, cum quæ fugiente, terga uertit omnis uirtus. Aeternitas mundi. Duo tres de anima opinio/

nes.

nes, à quibus sic manat pietatis & uirtutis omnis interitus, sicut aduersa, quòd à Deo habuerint initium. Virtus omnis cum principe pietate. Vides quanta strages, quis sonitus, quis fragor omnium bonorum, quibus præclarum est humanum genus, Dijsq; immortalibus æquatur, ruentium? Deducimur hac opinione, ad naturam bestiarum: humanitate, iustitia, pietate exuti in naturam beluarum transformamur. Illa igitur de fontibus Naturæ uberrima ratio, sceleratam, exitialem, magnorum bonorum interemptricem esse istam Aeternitatem. Tollit enim renouationem ad meliorem conditionem, quasiq; deificationem omnium rerum, quam præsenti modo & omni eius miserrima Aeternitate, longè esse meliorem nemo est qui nesciat. Si sit mundus æternus, fit ut nunquam desinat, qualis ad omne tempus fuit. Nec recipiet, quam & sancta oracula promittunt, & summis uotis efflagitat Natura, ut penè Deum accuset, quòd tam corruptibilem se esse uoluerit, renouationem. Promittitur, decantatur, celebratur, clamitat, efflagitat, Natura, ac Ratio, humani primum generis reparationem. Sed dicatur renouatio deinceps omnium corruptibilium, mortaliumq; rerum. Hæc omni mundi æternitate melior, desiderabilior, optatior, qua sine nihil hominibus miserabilius esse potuisset. Volunt autem Aeternitatis amatores, nos in æternum miserrimos fuisse, æternæ corruptioni, morti sempiternæ subiacuisse. Misera, lacrymabilis est, nisi sit melior, humani generis conditio. Hanc omnes deplorarunt, ingemuerunt, huic multi æternam priuationem anteposuerunt. Deus, quæ sua est clementia, omnium statuit renouationem & in meliorem statum, commutationem, qua discedent lacrymæ, luctus, abradetur corruptio, deformitas. Quidquid nunc turpitudinis insedit, expurgabitur. Multa' que bona consequentur, quæ fando nemo audiuit, aut posit exprimere. Hæc adeò naturalis est, ut nisi futura esset, humana natura penè monstrum exteriit, cuius omnis culpa in commutatione relinquitur corrigenda. Denique ruina euersio' que est beatæ uitæ, mundiq; futuri (si mentem latius extendas) Aeternitas præsentis. Nec stat quicquam eorum, quæ de futura beatitudine, quasi Philosophi somniauerunt. Quæ quidem omnis est in abolitione, et cõmutatione præsentis mundi. Quo sunt autem res meliores, sunt Naturæ propiores, optabiliores, magis eas à Natura desiderari par est. Naturalior beatitudo, quàm mortalitas, et corruptio. Sic naturalior mundus ille beatus, quàm corruptibilis lacrymosus iste. Solus debet esse sempiternus in posterum, non mundus is, per quem regnat latè corruptio, mors, cui si propter hominum flagitia, quibus fuerat creatus, paratus est interitus, necessariò debuit inchoari. Tam autem propter corruptionem, turpitudinem' que, non dico rerum, sed hominum, non debuit olim esse sempiternus, quàm propter eadem rescindetur in posterum. Tam debet corruptibilis, flagitiorum' que, dedecoris, lacrymarum' que plenus mundus cadere, aut mutari, quàm beatus ille sempiternus esse. Tamq; naturale est, ut iste non diu sit, eò nec semper fuerit, quàm ut beatus ille sit perennis. Sola igitur à Natura & à Deo Naturæ principe, merentur

æternitatẽ in quo mirabiliter ratio conquieſcit: in quibus eſt perfecta beatitudo: imperfecta uerò, & triſtia inſuauia, & in quibus dedecus eſt, & turpitudo, non modò non debent eſſe ſempiterna, ſed aboleri citò debent à Natura, & à Deo. Et ſi ex duobus bonis, alterum altero ſit melius, impediat autem ſtatus deterioris ſtatum melioris, profectò natura Deus & homo deſtruent deterius, ut melius exiſtat. Illud ergo conſiderabitur, cognoſcetur à prudentiſſimis, multiq; cognouere & confeſſi ſunt nihil prodeſſe ipſum eſſe abſque bene eſſe. Nec tam dulce eſſe iſtud eſſe ut ipſum mox admireris, & collaudes. Ecce tot teſtimonia, tot exempla. Pluris, ait ſapiens ille, ſit unus homo iuſtus à Deo, quàm mille impij. Si decẽ iuſtos in flagitioſa urbe reperiſſet, pluris eos, quàm omnẽ ciuitatem feciſſet. Deleuit igitur omnes, quòd turpiſſimos melius erat non eſſe, quàm eſſe. Nec curauit extingui, aboleri, uaneſcere tantam hominum multitudinem, præferens non eſſe, ipſi eſſe, quia non aderat bene eſſe. Sic cum tota mundi ciuitas plena flagitiorum ſit futuraq; ſit magis, non eſt cur raptus in admirationem ipſius eſſe, mundi Aeternitatem probabilem, & piam iudices. Tam non debes dare Aeternitatem mundo, quàm Deus urbem flagitioſam maluit non eſſe ſi diuinus, ſi immortalis, ſi ſanctus fuiſſet mundus, fortaſſe præbendæ aures eſſent de Aeternitate eius diſſerenti: nunc autem Natura potius ſuadet, ut cupiatur, credatur, neq; fuiſſe, neque eſſe debuiſſe ſempiternus. An ſcilicet ut æterna bella ſempiternas miſerorum mortalium ſtrages, tot nefanda flagitia, Sol deſuper aſpiceret, & ſempiternum eſſet, quod eſt apud Homerum?

Non homine eſt animal certè infelicius ullum,
Quod tellure ſuperſpiret, & inambulet ipſa.

Noſtrum quoque:

– Subeunt morbi triſtisq; ſenectus,
Et labor & diræ rapit inclementia mortis.

Illud igitur examinetur, ſi duo ſint bona, alterum longè et incomparabiliter melius altero, ſed ſtatus deterioris impediat ſtatum melioris, nónne ſtultiſſimi fuerit, potius deteriori, quàm incomparabiliter meliori uelle locum eſſe? Vt ſi manu capiendum ſit, quantum capere manus poſſit, aut ferrum aut aurum, acceptóque ferro, non ſit locus auro, non dementis erit ferrum potius ſumpſiſſe, quàm aurum? Sic cum ſint, ut dem iſtud, duo bona, quorum alterum ut altero incomparabiliter melius beatitudo, glorificatio, deificatio animorum, & corporum, Aeternitásque beatæ uitæ, alterum Aeternitas præſentis mundi, prior conſiſtere non poſſit, niſi renouato uel abolito præſenti mundo (abolitio autem uel renouatio infert ut non fuerit ſemper, quia quæ fine teminantur, etiam principio clauduntur) certè dementiſſimi, naturæque parum gnari erit, potius iſtius mundi uanam, & inutilem Aeternitatem, quàm Beatitudinem animorum ac Deificationem uoluiſſe, cum ex Aeternitate iſtius mundi nihil boni, nec ad eum qui fauet ei, nec ad alios redundet: Longè autem

gè autẽ ſit optatior, ac melior una illius beatæ uitæ hora, quàm omnis uita in hoc mundo. Hac ſtultitia, & ignoratione ueri implicati ſunt omnes Philoſophi, quibus ſapientiæ ſummæ uiſum eſt, dare rebus corruptibilibus Aeternitatem, non uidentes hanc cum omni agmine ſcelerum, inſuper beatæ uitæ, de qua uel profani multa diſſeruerunt, ferre ſecum perniciem. Nos igitur potius Naturam quàm eos audientes, delectum que in bonis, & malis, aut bonis, & optimis habentes, dicemus incomparabiliter meliorem beatitudinem illam, ac renouationem, quæ cunctas miſerias animorum, & corporum exuti, deiformes erimus, quæ & commutationem rerum, commutatio ut non ſit æterna, inducit, quàm æternitatem corruptibilis, tumultuoſiq; iſtius mundi: eosq; in ſuis delyrijs cæcæq; uanitatis uolutabro uerſari ſinemus. Quòd autem cauſa meliorum deſtruamus ſæpe deteriora: & quòd non omne eſſe, ſit eligendum, claris apparet exemplis. Sæpe domum præſentem, meliorem, elegantiorem que refecturi deſtruimus. Agricolæ, uinitores, ramos, & pampinos etiam latè florentes, quanquam pulchrum uoluptuoſumq; erat frondes uidere uirentes, amputant. Si decem catulos canis, aut feles ſuſtuliſſet, ſæpe maiorem numerum ſuffocamus. Ciuitas apud Ariſtotelem, exiguo, certoq; hominum numero conficitur, reijcitur ut inutilis immanis multitudo. Nuſquam Natura uiſa eſt infinitatem affectaſſe, moderatis, & paucis ubiq; contenta. Nec placet ei qualiſcunq; multitudo. Magis autem optimis & paucis delectatur, quàm infinitis quidem, ſed inutilibus, impeditis, incompoſitis, ſeſe inuicem euertentibus. Sic rerum corruptibilium Aeternitatem diſplicere ei par eſt, quippe quæ omnia bona, egregias primum uirtutes, rerum ad unum caput coniunctionem, beatitudinem ſempiternam deſtruat, & tollat. Nam eos quos tantopere mundi delectauit Aeternitas dicendum eſt animi imbecillitate, uilium, imperfectorum ſempiternam durationem affectaſſe, maiorem beatitudinem non uidiſſe (ut qui Deus bibere uinum, inter fœmineos amplexus reſolui, maiores meliores que uoluptates neſcientes arbitrantur). Quam ſi uidiſſent, nũquam rerum imperfectarum Aeternitas eis probari potuiſſet. Itaque conſtat eadem uanitate, miſerabiliq; hallucinatione iſtius mundi Aeternitatem eos affectaſſe, qua deificarunt flumina, fontes, aſtra, terram, oceanum, & adorarunt elementa iſtius mundi, ipſum que omnem mundum, quem ſicut Deum nuncupaſſent, ut eſt apud Platonem, Ariſtotelem quoque, Marco Tullio teſte, ſic æternum uoluerunt. Eſt enim Aeternitas, quædam quaſi Deificatio. Diuinitatem ueram beatioremq; uitam, ſtatumq; rerum humanarum meliorem neſcientes, in gremio iſtius mundi nati, curas omnes & ſtudia, in ſpeculatione rerum uiſibilium poſuerunt, quarum ut ſtudium eſſet uenerabilius, & præſtantius, eas æternas, non corruptibiles uoluerunt. Ne de rebus Aeternitate carentibus, ſed ſempiternis libros ſcripſiſſe uiderentur. Viſum quoq; eſt eis quaſi Heroicum, diſcedere à uulgari perſuaſione, nouamq; Philoſophiam, quam cæteris nõ adeò perſpexiſſent, cõdere. Sed fons totius mali uerus, ut dixi, fuit, Glorificatio,

Deifica/

Deificatioq; luminũ cœleſtiũ: quæ quidem incorruptibilia diuinaq; declarata, nefas ſit non fuiſſe ſempiterna. Neſcientes, nec animum ad cogitandũ inſtituere ualẽtes, cœleſtia lumina Deum incorrupta feciſſe, ut inferiora alerent, illuminarent. Id autem fieret non ſemper, quoniam non ſemper optimum eſt, ſed quoad utile eſſet. Nec illud quoque uiderunt, quod euidentiſſimum & in Philoſophia Moſis eſt, & in Natura clarum, non homines propter cœlum, ſed cœlum propter homines effectum. Nec adeò cœlum mereri Diuinitatem, & Aeternitatem, quòd ordinatè moueatur, quòd & res corporea ſit, & ſimilis in motu conſtantia etiam in cordibus, & humoribus animaliũ inueniatur, cœli uerò ſplendor, & claritas, permanensq; Natura ab optimo artifice compacta ſit, quem Natura interdũ imitata, ſimilia quædam, terra, & aëre pariat. Sed his ſatis ſit oſtendiſſe, Aeternitatem mundi primùm nemini profuiſſe, tum exitialẽ, pernitioſamq; eſſe, quæ nec à Deo decus, nec homini utilitatem conciliet, tollat autem ea quibus homo nobilis ſit, à naturaq; beſtiarum remotus, Immortalitatem animorum, uirtutes, beatitudinem. Quod ſi nec Deo decus, homini autem dedecus, & detrimentum afferat, qui ſupereſt in natura, cui prodeſſe potuerit Aeternitas? Neque enim debes, dum quæris gloriam, Deificationemq; luminum cœleſtium, res humanas lumminbus illis longè meliores euertere: Dum Solis & Lunæ captus amore, effundis in eos omnem Diuinitatem, homines bonis ſuis exuere. Cumq; luminum cœliſtium, & mundi Aeternitas, ac Deificatio, eum Beatitudine, Deificationeq; humana pugnet, malim ego, Solem & Lunam conflagrare, totum mundum ruere, nullam eius ante paucos annos uel ſcintillam extitiſſe, quàm me beatitudine, munere liberalitateq; diuina digna, ſpoliari. Quæ ſi uel paucorum ſit, melior eſt quàm omnis, triſtis, infelixq; Aeternitas mundi, hominumq; retro mortuorum ſempiternus interitus.

Diſſoluitur ſecunda ratio, In creando mundo non eſſe prius & poſterius tempore. Quandocunq; creatus fuiſſet mundus, quæri potuiſſe, cur non prius creatus. In æternitate non eſſe prius & poſterius. In multis hallucinari mentes humanas perinde atq; ſenſus. Omnẽ infinitatem abſurdam eſſe, & indecoram præter diuinam. Vnius tantum eſſe naturaliter Aeternitatem. Quod ſuperſedẽs Deus Creatione mũdi, neq; tardauit, neq; ceſſator fuit. Neq; dici poteſt ſuperſediſſe, ac diſtuliſſe. Cap. III.

SECVNDAM ratioem diſcutiamus, cum qua ſequitur etiam tertia, ut utraque ſit clara, alterutra examinata. Non eſſe ueriſimile, nec cadere in animum poſſe, ut tanta quæ mundum anteceſſit, æternitate, creationem Deus diſtulerit. Et quomodo tandem in eum cogitatio faciendi inciderit, quod in omni æternitate non feciſſet. Et ſi creare uiſum eſt ei, cur tot annorum millibus antè non cõdiderit. Primum igitur conſiderare, & animaduertere, rationeq; perpendere operæpretium eſt, noſtrorum animorum imbecillitatem, ac ludificationem, quibus euenit ſæpe, quod oculis corporeis, cum baculum in aquam intuentes, fractum referunt animo: maiorem matutino, & ueſpertino tempore Solem dicunt, quàm meridie. Eundem nunciant maiorem non eſſe menſura bipedali. Nec ſolum in ſenſi-

bus

bus qui tamen iudices habentur incorrupti, est deceptio, sed in animo multiplex, ac uaria, ut mirabilis sit rerum, quæ placent, & displicent, bona uel mala putantur, uarietas iudiciorum. Ac sunt multa, quæ cùm nobis uideantur, accurrens ratio, ac mens, et in seipsam conuersa, castiget errorem, sicut cum ueniam nostrorum scelerum imploramus, aut errores nostros, quod fecit Hippocrates & Augustinus, confitemur, reflellentes scilicet priorem sententiam, in qua nos hallucinatos esse deprehendimus. Sic sæpe fit, ut incidat in animum absurda cogitatio, subitoq; accurrens ratio corrigat errorem, dicat rem sic habere non posse, secus sentiendũ esse, propter maiorem ualidioremq; rationem. Ecce occurrit animo, difficileq; est non assentire, extra cœlum semper aliquid esse, succedereq; res sibi inuicem, in infinitum, quia non capit animus illud nihilum, cui extremitatem oportet esse adiunctam. Is error ea ratione corrigitur, quòd impossibilis sit, & absurda infinitas rerum. Similis error accidit infinitate durationis mundi. Percipienda igitur primum, diligenterq; attendenda, rerum uniuersalis infinitas, et omnis qui in ea uersatur error aperiendus. Nam cum speciosa prima fronte uideatur, quòd quo maior sit numerus bonorum, hoc probabilior, & optatior, naturæq; adhærentior iudicetur, fit hac speciosa persuasione, ut infinitas temporũ ac seculorum, rerumq; sub seculis insinitis natarum, bona & naturalis uideatur. Vt autem errorem occultũ, errore manifesto sæpe deteginius, ostendentes absurdum, ac impossibile quod fieri posse ac naturale uideretur, ex eo quod non tam occultum, & ab oculis remotum est, cuius ue absurditas est clarior, sic qui uellet istam irrationabilẽ, absurdam, & aduersam naturæ rerum sempiternarum æternitatem cernere, animoq; suo declarare rerum sempiternarũ cupiditatem & apparentiam esse præter naturam, clarioribus exemplis usus, eam fortasse coarguat. Opinantur probabiliorem, magisq; naturalem esse infinitatem seculorum, quàm principium ac terminum, aut numerum certum, eoq; putant naturalius semper mundũ fuisse, quàm aliquando cœpisse. Oportet igitur animorum, ac temporum infinitatem absurdam agnoscere, ex omni alia absurda infinitate ut mundorum, ut infinitate extra mundum. Si placet enim infinitas, eamq; arguis meliorem, quia infinita est, arguas etiam licet melius non modò plures mundos, sed innumerabiles esse, quàm unum, quia quo plures res sunt, hoc melius est. Aut si unum mundum concedam, melius mundum millies plures homines quàm præsentem eorum paucitatem habuisse. Melius si cœlum non potuit in immensum extendi, saltem effici centies latius aut ducenties. Melius infinitam uim hominum sapientum, innumerabiles item stellas existere. Sic melius unumquenq; hominem, si placet multitudo, centũ manus habuisse, cœlum uertice tetigisse, procerioris q; staturæ esse. Montes itẽ aureos, aurea flumina extitisse. Vagariq; potest animus per omnes absurdas infinitates et rapi cogitandi ludibrio, uelut à uentis, ad omnia, nusquam fistens. Simile prorsus ludibrium, errantis, et captantis seculorum ceu meliorem Aeternitatem. Agnoscas igitur absurdam ex reliquis infinitatibus.

Non

Non inuenit ullum extra cœlum finem cogitatio, nec adduci poteſt, quin opinetur ubi deſinit ſupremus orbis, ſubſequatur hæreatq; aut corpus aut quiduis aliud. Putes plures eſſe mundos, nunquam tam exiguum hunc fieri debuiſſe, decuiſſe maiorem numerum hominum exiſtere, ſtellarum copiam numeroſiorem, latius mare, latiorem terram. Perſpicuum igitur ſit inimicas eſſe naturæ, & ad conditionem eius minimè aptas, omnes infinita es, ut quæ nec fieri poſſunt, & impoßibilitas exiſtendi profecta ſit ex abſurditate, quòd omnis infinitas, ſine capite, ſine ordine ſit, confuſionis plena. Nec aliud eſt infinitas, quàm inane animi commentum, uanumq; cogitationis ludibrium, quæ poßit non modò per omnes Naturæ conditiones tendere, ſed extra naturam lapſa per ea quæ neq; ſint, neque fieri poßint quaſi naturæ, fingens ſibi omnia, temerè in ea incurrentia, ipſorum quoq; Philoſophorum ſuffragijs condemnata. Vera enim ſunt, quæ Proclus refert: ἡ μὲν οὖν ἀπειρία, πᾶσιν ἀγνώμων, οὐδ' ἄλογον, οὐδὲ μεμῆ προσειμένη θεὸν, ἀλλὰ χωμένη πρὸς πάντα ὑφ' ἧ τύχης, ἢ αὐτομάτου. ἡ δ' ἐν ὡρισμένῳ πλήθει, οὐκ ἀριθμῷ κόσμων, ὧν μέλεια, καὶ πρόνοια: Eſt, inquit, infinitas irrationabilis, incogniſcibilis, nuſquam recipiens Deum, ſed ubique temeraria, & fortuita, procuratio autem & prouidentia in multitudine certa & numero mundorum. O Procle, cur non uides etiam in infinitate temporum quod opinaris in infinitate mundorum? Et quod item ait Plinius de infinitate mundi, transferatur ad infinitatem temporis: Quaſi, inquit, non eadem quæſtione, ſemper in termino cogitationis occurſura, deſiderio finis alicuius. Ac quanquam Philoſophi diſtinguant infinitum in actu, & in potentia, primum negantes, ſecundum concedentes, dicendum eſt, quod prohibet ne ſit ſecundum, idem prohibere ne fuerit primum. Nam cum tempus reſpiciat non futurum modò, ſed etiam præteritum, ut illud ſit uerum tempus quod præterijt, totq; millibus annorum confectum ſit, extiterit iam hoc infinitum, ſuamq; ſubſtantiam, qualis qualis eſt, habuerit, & nunc eſſe ac dici poſſet infinitum. Et potuerit fieri in præteritum, quod nunquam in poſterum fieri poſſe dicas. Nunquam enim fore infinitum tempus in actu dices. Sed friuolas has uanasq; ſubtilitates relinquamus illis: quæ ſuis Natura docet uocibus, execrabilem eſſe Aeternitatem, innoteſcant. Perinde enim ſuam fert ſecum confuſionem, ſicut illa mundorum, ac rerum infinitas ſuam. Meritoq; quibus infinitas iſta placuiſſet, abſurdiora confiteri compulſi, & ab illo cogitationum ludibrio, tanquam phreneſi ad uſitata, inaudita ſunt raptati. Nuſquam igitur Natura patitur infinita, quæ cernitur ubiq; moderatis delectata. Non eſt pulchritudo aut utilitas in infinitate, ſed temperamento, moderatione, numero certo. Iam auferetur et interpellatur decor, non modò ſi infinita, ſed ſi plura addideris, quàm ſi pauciora. Vbique ſunt certæ leges, limites præſcripti, & intra ſuas metas habitat uenuſtas, quam ſi uel ad plura uel pauciora redegeris, labefactaris, ſuſtuleris, uenuſtatis re et nomine priuaueris. Certis regionibus circunſcriptum eſt cœlum, definita terra, cœleſtes orbes, et

lumina,

lumina, generis humani multitudo, numerus ſtellarum. Nec plura facta ſunt ubique, aut pauciora, quàm quæ uenuſtas, & utilitas poſtulaſſet. Nuſquam temeraria rerum immenſitas & infinitas aſpicitur. Vbi plura ſunt, quàm deccat, confuſio eſt, turpitudo eſt. In illa ſeculorum ac rerum infinitate, aut æternitate, turpiſſima quæq; ſordeſcit confuſio. Quàm pucherrimum fuit, ut aliquo principio, & capite res includerentur, ab aliquo initio manarent, tam fuit turpiſſimum eſſe eas ἀκεφαλας, ſine capite, ſine initio, eoq; ſine ordine. Quod cogitans ſapiens animus, triſtatur, mœret, nec habet ubi ſiſtat. Sicut aũt modicis delectatur Natura, ſic ars imitata Naturam concluſit cuncta artificioſis præſcriptis. Ipſi quoque non delectamur uel audiendo, uel uidendo, niſi modicis, ut quod ait ille, ſicut ſit infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus. Sic perpetuare mundum non patitur ratio, ea perpetuatione, quæ nunc uſque ducta in æternum fuerit. Nam quod futurum eſt in poſterum, habuerit initium, cui nitatur, nec unquam erit infinitum, quod aliquando habuit principium. Clarum igitur eſt, niſi Deum, cuius nullum debet eſſe principium, ipſe omnium principium, æternum nihil eſſe debuiſſe. Neceſſe enim eſt Deum fuiſſe ſempiternum, quòd ante eum nulla ſit maieſtas nec aliud initium. Qui niſi fuiſſet æternus, nec ipſe naſci ex nihilo, nec res ex illo potuiſſent. Solus igitur ipſe debet eſſe ſempiternus, res autem & mundus non debent, tum quia habuerunt unde naſcerentur, tum quòd nefas ſit æquari Diuinitati ac maieſtati eius quicquam. Aequaretur autem, ſi pariter ſempiternum eſſet. Peculiaris enim eſt naturæ diuinæ dos, Aeternitas, qua demonſtratur ipſum ſibi principium, ortuſq; ſempiternus eſſe, nec à quo procederet, indiguiſſe. Quem gradum ſi res attingerent, non ſingulare decus id ac neceſſitas Diuinitatis eſſet. Nec ualet, ſi detur æterno materia, aut dependentia. Ad Aeternitatem quouis modo res attingẽtes, uel in æternũ à Deo naſcentes, per Aeternitatem coæquarentur. Melius igitur mundo & ad conditionem naturæ eius aptius eſt, habuiſſe principium, quàm ſemper fuiſſe, ut ſeruetur maneatq; Deo ſoli dignitas Aeternitatis. Qui niſi ſempiternus eſſet, non ſolùm illi ſed etiam nobis origine & cauſa carentibus nocuiſſet. Prodeſt autem nobis, ut ille ſolus ſit ſempiternus, quoniam Aeternitas eius fuit cauſa natalis noſtri. Et prodeſt illud caput eſſe præſtantiſſimum, omniq; dignitate, & æternitate præcellens. Iamq; pulchrum eſt utile nobis, habuiſſe principium, quàm decorum & utile uniuerſo, unum illum eſſe ſempiternum. Cuius decus, & excellentia redundat in honorem noſtrum, dum habemus caput nobiliſſimum, originem infinitam, principem æternum. Nec nocuit, nec dedecus fuit nobis, ſemper non fuiſſe, qui nec ſentiremus ipſum eſſe, & natis poſtea melius fuerit habuiſſe caput ſempiternum, qui illa Aeternitate excepta, quod nefas & impoßibile eſſet, omnibus præterea bonis, uel ipſa Diuinitate nos donaturus eſſet: Quæ donari non potuiſſet, mundo iſto corruptibili ſempiterno, in quo eodem ſemper manente nulla beneuolentiæ diuinæ ergà genus humanum probatio fieri potuiſſet. Semperq; quæſitum fuiſſet, cur id prius

non

non feciſſet. Cur quandocunque beneficium contuliſſet, in æternum retro non contuliſſet. Nec uerò ſolum non malum eſt, aliud æternum eſſe, aliud creatum, aliud ſupremum, aliud infimum, ſed etiam optimum, ac neceſſarium. Sic in homine eſt nobiliſſima pars ratio, eſt uenter & pedes indigniores. Sunt item genitores antecedentes prolem. Idem in omni Natura, quæ mirabili uarietate decora eſt, ubique uiuit. Ita fuit & in omni mundo uenuſtiſſimum, ut ipſum principium eſſet ſempiternum, res autem haberent initium, creatore cum omni alia dignitate res creatas præcellente, tum uerò Aeternitatis honore. Cognita igitur & animaduerſa abſurda infinitate temporum, informiq; æternitate rerum, ex alijs abſurdis infinitatibus, & uiſo pietatis ueræ, ac naturalis eſſe, unius tantũ fateri, & agnoſcere Aeternitatem, iuſtitia poſtulãte, ut cuius ſupra omnes præſtat ineffabiliter maieſtas, ſolus eſſe ſempiternus, ſolus his debitis honoribus à nobis adorari debeat, facilis erit reſponſio ad ea quæ obijcebantur. Nunquam enim ceſſator fuit Deus, nec uita ſempiterna eius, uocari debet ceſſatio, ſed neceſſaria, naturaliſq; Aeternitas, quam nullæ res neque potuerint, neque debuerint attingere: quæ quandocunque creatæ fuiſſent, ſemper æternus ille, ipſæ creatæ, & inchoatæ dicendæ fuiſſent. Vt eadem conditio futura fuerit, ſi uel ſexcentis millibus annorum antea mundus creatus fuiſſet. Tantundem enim Deus æternus, tantundem mundus non æternus erat futurus, eadem in omni Aeternitate menſura manente. Quare mentis error corrigẽdus, per abſurdas has infinitates uagantis. Nunquam enim locum, finemq; inueniet, qui quæret, cur non antè creatus mundus: cur tandiu Deus ceſſauerit. Quidquid tibi finxeris, ſemper idem erit, remanente ſemper eadem Aeternitate. Animi ludibrium eſt, cæcaq; hallucinatio, ut qui non poſſunt adduci credere Antipodas, cogitatione fingent ſibi, ſi qui eiuſmodi eſſent, ruere eos in inferius cœlum. Sic & ipſum cœlum ſub pedibus neceſſariò fore, mare quoque, & omnis aqua ſuperna uidetur eis fluere in cœlum. Qui quidem error ratione caſtigatur & exemplo. Adhibe ſimilem caſtigationem in hac uana cogitatione, ſtultaq; animi uanitate. Neque enim erat adhuc ante uel poſt, prius & poſterius, nec tandiu. Indiuiſibili quadam et incomprehenſibili ratione coniuncta fuit creatio cum Aeternitate. Ipſaq; Aeternitas non habet prius et poſterius, neq; in illa Aeternitate fuit quod antegrederetur, quod ſubſequeretur, quod fit in tempore. Difficileq; nobis, qui ſolum tempus habemus explora:um, nũquam in Aeternitate fuimus, erit percipere, inq; animum inducere, unicum Sempiternitatis ac ſimplicem actum. At agnouere & confeſſi ſunt Philoſophi, præcipuè Plato. Quare quærens cur ante tot annorum millibus Deus ceſſauerit, fálleris, puerili er laberis, non uides te tempora fingere, ubi nulla eſſent tempora. Fingis in illa Aeternitate fuiſſe quod ante, quod in medio, quod pòſt ſequeretur, fuiſſe diuturnitatem breui:atem, temporis conditiones, & fluentium, inſtarq; aquæ prætercuntium, rerum, quæ nunc natæ, pòſt creſcunt, ac dilabun ur: ſuccedunt aliæ, fitq; idem circuitus, totaq; ratio unum quondam temporis exordium reſpicit. Illic nil tale. Vbi nullum

nullum fuit exordium, ne fuit etiam prius & posterius, quæ maximè principium quoddam respiciunt. Sic bellum Troianum anteceſsit Persicum: & Moſes omnium ſcriptorum eſt antiquiſsimus, quoniam et principium fuit, cui tota temporis niteretur ratio, et anteceſsio. Et res, collapſis prioribus, ſucceſſerunt, quæ prius non eſſent. Illic quoniam eadem res ſemper eſt, nec aliud antè corrumpitur, aliud ſurgit, ac ſuccedit, ſed idem ſemper ſtatus permanet, non poteſt niſi per errorem & inſolentiam aſciri prius et posterius, quibus tempus integratur. Fluuius eſt tempus, res quoque fluunt, Diuinitas eadem eſt. Quare qui fingat ibi prius & posterius, accidit ei, quod his, qui putant Antipodes labi in inferius cœlum: Ac ſi poſſet intelligi, quanquam periculum eſt ne non intelligatur: adeò uaria eſt à tempore, et eo quod nunc uiuimus, Aeternitatis ratio, ut dicendum ſit, coniunctam fuiſſe indiuiſibiliter, nullo ſpatio intercedente, Creationem cum Aeternitate. Nulla fuit igitur uacatio, nec ociabatur Deus, quem etiam (tanta animi noſtri obtuſio eſt) ut non capiamus ubi potuerit eſſe antequã mundus fieret, exiſtimantes eum perinde ac nos & noſtra, aliquo mundi loco neceſſario contineri, & intercipi. Atqui nemo fuit, quin fateretur, omni mundo Deum eſſe maiorem. Quid igitur aliud, niſi ſtupor, obtuſáq; acies, te cogit addubitare, ac quærere, Deus ubi eſſet ante conditum mundum, ſi mundo maior eſt, res autem continens eſt maior contenta, Deus toto mundo maior, ut mundo nequeat intercipi? Sic non egebat hoc mundo, quo contineretur, qui nec capere quidem eum poſsit. Sunt alia, ut principio dixi, abſurda noſtrorum imbecillium animorum ſimulachra, figmentaq́; quibus rationis, prudentiæq́; auxilio diſsipatis, docemus nos ipſos, aliunde petitis exemplis ſæpeq́; ab errore reuocamus.

Examinantur Philoſophorum, primum Ariſtotelis de Aeternitate rationes. Ariſtotelem non impugnare ſimpliciter creationem, ſed qualem nonnulli ante eum deprædicaſſent, qui Chaos æternum, Creationem in tempore fuiſſe aſſerebant. Priſcos non quemadmodum calumniatur Ariſtoteles, tempus æternum credidiſſe. Priſcos aſſeruiſſe tempus & cœlum creatum, creatum cœlum ex liquida aquæ ſubſtantia Caput III.

HAEc fuit prima ſermonis ratio, de mundi uel Aeternitate, uel Creatione. Secundo eſt, ut preſsius, ac nominatim eorũ rationes apponantur, quibus uiſa eſt Aeternitas probabilior. Ex his fuere præcipuè tres, Ariſtoteles quidem primus, pòſt quidam Platonici, exinde Proclus et Simplicius, qui creationem uertere non ſolum à natura, ſed etiam autoritate Platonis conati. Quorum prior reſpondit quidem ſolerter Ioannes Grammaticus, nos autẽ quoad huic operi congruit, partim eadem, partim diuerſa ratione reſpondebimus. Paucas igitur quaſdam rationes attulit ſuper Aeternitate Ariſtoteles, è quibus eſt in octauo de Auditione naturali, & in libris de Cœlo, ea, quòd mutuo ſe conſequantur tempus & motus, & res quæ mouetur. Omnes autem præter unum Platonem, confeſſos tempus æternũ. Quos neceſſaria ſequatur æternus motus. Nam ſine motu cœli, non eſſe tempus: Sic non eſſe motũ ſine re mota. Itaq; tria hæc ab inuicem eſſe inſeparabilia. Tempus, Motum,

Cœlũ. Vt qui dixerunt tempus æternũ, neceſſariò motum et cœlũ rem motã, æternã dixerint. Sic totum mundũ æternum. Argumentumq; eſt à conſenſu maiorũ uidelicet certè, ſi ſit quod ait: ſed prorſus in contrariũ oſtendam. Neminem priſcorum, tẽpus aut cœlum æternũ dixiſſe. Altera ratio à Natura ducitur: Nullũ tempus ſine præſenti, et nunc eſſe aut cogitari poſſe. Ipſum autẽ nunc, ſeu præſens, mediũ eſſe quoddam inter principiũ et finem, principiũ futuri, finem præteriti: Sic neceſſe eſſe ſemper eſſe tẽpus. Extremũ enim poſtremi accepti temporis, in aliquo nunc præſenti eſſe. Nihil enim in tẽpore accipi poſſe, præter præſens. Quocirca, quoniã ſemper eſt principiũ et finis, ipſum nũc ſeu præſens, neceſſariò ſemper ad utrãq; partẽ eius eſſe tẽpus. Tẽpus autẽ ſempiternũ, motũ inducit ſempiternũ. Hæc ratio (pace tanti uiri dixerim) non modò naturalis non eſt, ſed penè ſophiſtica. Alias rationes propoſuit alijs in libris. De Cœlo, quòd corpus illud ſit diuinũ, incorruptibile, cuius nunquã fuerit, nec maiorum memoria dicatur fuiſſe, labefactio: Quòd ſit Deorum domiciliũ ex maiorũ autoritate, ut æternorũ æternũ. Quòd ſit præter quatuor elementa quintũ diuinum corpus: Quòd dictum ſit æther, ab æterno motu: quòd ſi ſit incorruptibile, non ſit creatũ: Incorruptibile à Platone dictũ: Ex ordine item rerum conſtanti: Ex ipſo corpore. In libris autẽ poſt res naturales, quod à diuinis Intelligẽtijs regatur, quod æterno motu moueatur à Deo primus orbis, ſic omnes deinceps: À ſubſtantijs æternis animatũ. Hæ ferè ſunt Ariſtotelis rationes. Illud autẽ primum in his ſciendũ, attenteq; animaducrtendũ, non uſquequaq; rationes eius contra dogma noſtrũ, & Creationem mundi, qualẽ tradimus ipſi, tendere, ſed potius aduerſus ante eũ de Creatione locutus. Tres enim abſurdas de Creatione mundi producit idem maiorũ opiniones: Alios tempus æternũ, ſine cœlo, et mundo ſtatuiſſe: alios creatum mundũ, ſed in poſterũ incorruptibilẽ: Partim modò naſci, modò corrũpi, idq; in omni Aeternitate omnesq; rationes eius id laborant, ut hæc deceant abſurda, præſtareq; mundũ ſemper fuiſſe, quàm quoduis horũ trium oſtendentes. Nos autẽ qui è tribus illis nihil aſſerimus, qui & tempus cũ cœlo, & mundo ſimul natum dicimus, mundũ autem aliquando creatũ, non incorruptibilem, ſed corruptibilem, quanquã alia ſublimiore ratione quàm Philoſophorũ illa, quod omnia orta occidant, nec tertiũ, quod mundus modò cadat, ac ſeneſcat, modò reficiatur, ſtatuimus, certè liquet, ratiões omnes eas cõtra Moſem nõ dirigi. Optimũ uerò eſt, abſurda, et à Natura diſſidentia deſtruere, ueritatẽ tamẽ integra, quã ſæpe dum defendimus, labefactamus. Prima igitur ratio & atteſtatio non modò non aduerſatur nobis, ſed ipſius etiã Ariſtotelis teſtimonio prorſus eſt falſa, ut nõ mea, ſed eius autoritate arguatur, priſcos æternũ tempus, poſtea cœlũ natum nõ credidiſſe. Conferamus igitur inter ſe loca. Octauo de Auditu Naturæ libro, præter unũ Platonẽ, tempus æternũ cunctos ſtatuiſſe refert. At uerò in libris de Cœlo, omnes Græcos, et Barbaros attribuere Dijs cœlũ uti immortalibus, et ingenitis, immortale et ingenitũ. In libris poſt res naturales, præclarè maiores ſtatuiſſe Deos cœleſtes, primas, æter-

æternasq; esse substãtias. Posse itẽ multis rationibus probare, fermè neminẽ è prisceis, nisi fortè unum Democritum, tempus æternum, cœlum creatum dixisse. Nam Timæus Locrensis imaginem Aeternitatis dicens Tempus, id tunc extitisse dixit, cum cœlum factum est. In qua sententia uerisimile est etiam Pythagoram Pythagoreosq; omnes fuisse, fuit apertè Trismegistus, & Orpheus. Sed relinquamus hanc nihil contra nos, ut dixi, pugnantẽ rationẽ, et destrui patiamur ab illis, quæ fuissent à nobis euertenda. Secunda ratio quod tẽpus semper habuerit præteritũ, quomodo uera erit ei, qui cœlũ nullo adhuc tempore sentit creatũ? et cum cœlo, tempus creatum contendit? Vbi fuit præteritum illud, cum cœlum creatum est, si non Sol, non motus ullus adhuc cœlestis esset? Quid cogitauit Plato, qui Aristotele autore creat tempus, cum tempus post natum cœlum, aut cũ cœlo dixit extitisse? Non uidit opificem mundi, sine tempore operatum, massamq; cœlestem uolubilem, rapidam, subitò à se creatam, moueri iussisse? Quid Mercurius, & Phœnices, qui censent exliquabili aquæ substantia, cœlestes substantias coalitas? Puerilis propè argumentatio, Tempus semper iunctũ est præterito: nullum igitur habet initiũ. Verum est de omni subsecuto et iam nato tempore, quod ex illo dependet exordio. De nascente tempore non est uerũ: quod nascens post cœlũ, aut pariter cũ cœlo, ut ait Philo, ne cessariò cum cœlo non erat, sicut non erat cœlũ pater eius. Quòd si fuit spatiũ ullum ante cœlũ, iam illud uestra autoritate non est tẽpus, qui tẽpus non quodcunq; spatiũ, sed motus cœlestis duntaxat asseritis. Sic illud spatiũ, in quo creatum est cœlũ, et cui subitò tempus, cœlestisq; motus coniunctus est, non fuit tempus, sed uel Aeternitas, uel quiduis aliud. Quod ad me igitur attinet, nihil non modò uideo in hac ratiocinatione necessariũ, sed penè uitiosam uideo, peccantẽq; à tempore nascente, ad tempus natũ. Vt si quis nullũ habere Tybrim ortũ, principiũq; contenderet, quia semper aqua, quæ sit ante oculos, cũ præterlapsa, et superius aduentante sit iũcta, quo fiat ut semper sit eadẽ superioris, inferiusq; fluẽtis aquæ ratio, perpetuaq; manatio. Quod quidẽ arguerẽt, qui fontẽ, ortũq; fluminis scrutari nollent. Si cui non placeret explorare tẽpus ubi ortiũ habuisset, omne tẽpus cũ præterito, et futuro coniunctũ contenderet. Vt igitur omnes operationes, aliquo initio particulari inchoãtur, aliqua fine claudũtur, sic necessariò tẽpus earũ inchoatur, et desinit, et à particularibus, priuatisq; operationibus, est ad magnã illã cœli, terræq; operationẽ peruenire, cuius inchoatio, tẽporis ortũ inchoauit, cũ neq; tẽpus, neq; res ipsa prius existeret. Quod aũt de corporis cœlestis Diuinitate disputat, cui memoria maiorũ nulla facta sit unquã diminutio, et quòd sit eorũ aßẽsu, Deorũ domiciliũ, ut æternorũ æternũ, et quod inditũ sit nomẽ ab æterno cursu. Hæcq; omnia fermè ex maiorũ autoritate trahũtur, cuncta potius in eũ reuoluũtur. Si placet enim aliquo in loco maiorũ autoritatẽ esse, clarũ est maiores, nemine discrepãte, præcipuè si uetustißimas gentes animo adieris, mirabili consensu, Tempus, & Cœlum creatum tradidisse. Hebræi, Aegyptij, à quibus didicere omnia Græci, Phœnices, Chal-

dæi, Poëtæ, Theologiq; & ſuperiores Græciæ ſapientes, omnes unanimiter mundum condiderunt. Famaq; per omnes ætates manabat, quàm magis initijs mundi hominibus propioribus, tam clara magis, & conſtans. Quod paucis teſtimonijs poſtea demonſtrabo. Maiores igitur non quidem imminutum Solis unquam, aut Lunæ iubar, obtuſamq; aſtrorum aciem, aut de cœli ſubſtantia defeciſſe quid, tradiderunt, ſed illud uerè ac conſtanter tradiderunt, cœlum cum antea non eſſet, fuiſſe creatum. Hoc Moſes, totaq; Hebræorum claſsis. Hoc Triſmegiſtus, quem & Aegyptij, & Phœnices ac Græci, uti Philoſophiæ Deum adorauerunt. Hoc Orpheus, Heſiodus, Homerus, alijq; ſubſecuti. Maiores item indiderunt cœlo nomen æther, non ab æterno curſu, licet & id Plato aſſerat in Cratylo, ſed à nitore, ardore, lumine. Cuius ſubſtantia luminoſa, puraq; eſt, & nitens inardeſcit, uitalemq; terris infundit calorem, omne nomine ætheris deſignatum. Hinc unus è ſeptem erronibus, Mars ardens, dicitur ab eis Aethon, & Solis equi cum ſint quatuor, inditum eſt, uno excepto, cæteris nomen ab ardore, Pyrois, Phlegon, id eſt, igneus, & ardens: ratioq; nominis quod ardeat, deſignat eum eſſe cœleſtem ignem, ex elementorum puritate generatum. Tradit enim uetuſtiſſimus Triſmegiſtus, quod apud alios quoque maiores uideas, & in quo Plutarchus multos Græciæ Philoſophos conſentire ſcribit, ex liquidiſſima puriſſimaq; aquæ ſubſtantia, factum æthera, & Solis orbem, ſicut fiunt puriſſimæ nubes, faceſq; & flammæ ſublimes, & nubes aquoſæ, colliſæ, flammataq; longum aëris illuminant tractum. Hæc illi dixere, ut oſtendam, eſtq; uehementer rationi conſentaneum, cum uideamus eiuſdem uis & ſubſtantiæ multa luminoſa ex aqua, quæ uariatur incredibiliter in pulcherrimas quaſque admirandasq; ſpecies, fieri, ut aurum, cryſtallus, aër, nubes, ignes, colorum uarietates, nubes luminoſæ, uel in media nocte, Sic potuit à ſapientiſſimo Opifice liquidiſſima cœli ſubſtantia ex aquis ſecerni, ac ſeligi. Plutarchus igitur autor eſt, Empedoclem ex aëre, ab igne inſtar cryſtalli denſato, in quo igneum, & aërium inſit, cœlum credidiſſe. Ariſtotelem, ex quinto corpore, igne, uel ex calida & frigida contemperatione. Anaximandrũ, plenum ignis eſſe Solem: Xenophanem, ex igniculis collectis: Stoicos, accenſionẽ intelligentẽ ex mari: Platonẽ, ex igne plurimo: Anaxagorã, petram igneam: Philolaũ, uitreum ex igne mundano ſumentem. Quibus apparet, ueteres æthera non à curſu perenni, ſed ab ardore & igne nuncupaſſe. Apparet etiam eis non fuiſſe cœlum adeò diuinũ, quantũ Ariſtoteles poſtea deificauit, quippe quod ex elementis natum, pureq; ſelectũ cuncti aſſeruerunt: natura quidem elementare, ſed puriſſimè ſegregatiũ, & compactũ. Triaq; clarent ex autoritate maiorũ, contrà, q̃ Ariſtoteles poſtea innouaſſet, cœlũ ex igne, & aqua eſſe, aut puriſſimã ex aqua ſubſtantiam, quemadmodũ ex aqua fit aër, et ex aëre, æther, ætheriæ uerò ſunt ſubſtantiæ cœleſtes. Sicq; claret eos ex eadem elementorũ maſſa, cœlũ ædificaſſe. Ex eo claret ſecundũ, eos corpora cœleſtia non deificaſſe, nec diuinũ corpus niſi quo puriſſimũ eſt & incorruptibile, appellaſſe. Tertium,

non

non quintam quandam ſubſtantiã orbibus & ſtellis adiudicaſſe, ſed ex eadem atq; noſtra hæc terreſtria, quibus dominatur corruptio, feciſſe, puriorem tamen earum compagem, ſicut ex cibo fit ſanguis: demumq; ex craſsis, & feculentis naſcitur puriſsimus ſpiritus, quo non modò uiuunt, ſed etiam ſentiunt animantes. Qui ſi in loco eſſet, ubi nihil labefactaret, & niſi animal deficeret, nunquam et ipſe deficeret, ut cœlũ, quod in altiſsimis regionibus nulla aduerſa re labefactatur. Mirabilis igitur eſt maiorũ conſenſus, cœlum fuiſſe creatũ, et ex igne, aut aqua puriſsimè ſelectũ: In qua ſententia cum primus fuiſſet Mercurius Triſmegiſtus, cuius ſuper hac re diuinum eſt teſtimoniũ, fuit deinceps omnis qui ante Ariſtotelẽ, et Platonem floruerũt, Philoſophorũ caterua. In eandẽ grauis autor Plutarchus aſſerit ipſum Ariſtotelẽ iuiſſe, his uerbis, ne putes meum eſſe commentũ: de placitis Philoſophorum ſcribens, Anaximenes, inquit, ultimã circunferentiã terreſtrem eſſe. Empedocles, ſolidũ eſſe cœlũ, ex aëre compacto ab igne, inſtar cryſtalli, igneã, aëriamq; naturã in utroq; hemiſphærio cõplectens. ἀριστοτέλης, ἐκ πέμπτου σώματος, πυρὸς, ἢ ἐκ θερμοῦ & ψυχροῦ μίγματος: Ariſtoteles, ex quinto corpore, igne, uel frigida, et calida contemperatione. Hæc tametſi Ariſtoteles non dixit in his, qui nunc paſſim habentur libris, credendũ eſt tamẽ in alijs, qui ad nos non peruenerũt (ſiquidẽ et Tullius profert, et alij, quæ his in libris nũc non extant) Plutarchũ legiſſe: Triſmegiſtus autẽ uetuſtiſsimus, è cuius fontibus bibit uniuerſa Græcia, apud quẽ omnẽ propè Moſaicã reperies Creationẽ, hæc aurea uerba, ut ſemper mihi uiſum eſt, ſcripſit de Creatione Solis, primo libro διεξοδικῶν, ad Tat filiũ: ὁ δὲ πάντων κύριος θεὸς ἐφώνησε. ὅσ ἐαυτοῦ ἁγίῳ, νῷ νοητῷ, νῷ δημιουργικῷ λόγῳ. ἥσω ἥλιος. καὶ ἅμα τῷ φᾶναι, τὸ πῦρ τὸ φύσεως ἀνωφερὲς ἐχόμενον, λέγω δὴ τὸ ἄκρατον, & φωτεινότατον, νῷ δραστικώτερον, καὶ γονιμώτερον ἐπεσπάσατο ἡ φύσις, ὅσ ἐαυτοῦ πνεύματι, καὶ ἤγαγεν εἰς ὕλος. Hoc eſt, Dominus autem Verbo ſuo ſancto, intellectuali, & opifico, inclamauit, Eſto Sol, ſimulq; dicto, ignis, qui naturæ ſublimi cohærebat, dico ſcilicet purũ, ſyncerumq; illud, & luminoſum, efficacius et fœcundius, natura ſuo ipſius ſpiritu, attraxit, et in altũ, ex aqua ſublimauit. Hæc Triſmegiſtus. rogatus autẽ ſuperius fuerat, ἥλιός γέννας βούλει ἡμᾶς καταλέξαι, πόθεν ἐφάνη: Vis ne generationẽ ſolis aperire nobis, unde extiterit? Quid hoc teſtimonio diuinius, naturalius, de ortu Solis, diuinis imperijs, ex aqua, quic quid eſſet purius, luculentius, fœcundius, ſyncerius extractũ, ſubductumq; in altũ, idq; Solẽ fuiſſe, accedente opere diuino. Fiunt enim etiã nunc candidiſsimæ, quæ ſurgunt altiſsimæ, nubes, ex aqua. Hæ ſæpe inflammatæ, etiam non à Sole, ſed ſuapte ui (Eſt enim etiam in aqua naturalis calor) illuminant ſubiectas terras. Hanc etiam fãmã, cum apud Græcos legiſſet, ad Græcos manauit à Phœnicibus, & Aegyptijs: Poëta Latinus, ueriſibus eam Latinis decantauit, ſeparatum dicens ex infima congeric, liquidum cœlum.

Igneaq; conuexi uis, & ſine pondere cœli,

Eimcuit, ſummaq; locum ſibi legit in arce.

Quod ne fortuitu & temerè, ut Lucretius diceret factum fuiſſe, ſed diuino conſilio & uoluntate, quemadmodum docuit Moſes, & Triſmegiſtus, ſuſpiceris, audi:

Hæc ſuper impoſuit liquidum, & grauitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenæ fecis habentem.

Deus igitur, impoſuit, qui diremit litem, defecatamq; Solis, atque ætheris ex aqua ſubſtantiam, ſuſtulit in altum, & deſcriptione cœleſti cuncta concluſit. Quibus ſi fidem adhibere uelis, claret cœlum non eſſe quintam à quatuor elementis naturam, niſi putes hoc nomine nuncupari, quod ſit puriſſimum, liquidiſſimum, incorruptibile. Quintum autem non erit, quaſi non quod cætera quatuor, aut non ex his, ut omnia terreſtria. Hisq; oſtenditur nullam Philoſophiam, nec Græcam, nec uetuſtiores, cœlo uel diuinitatem, uel ſeparatam quandam naturam dediſſe, quod confeſſæ ſunt à Deo creatum. Sequitur, etiam, non ueterum illorum modò, ſed ipſi uſmet Ariſtotelis teſtimonio, iſtud cœlum uelut Aeternum æternis Dijs habitandum à maioribus non datum. Nam neq; illi, neq; ipſe Ariſtoteles Deos habitare cenſent in orbe Solis aut Lunæ, aut ſtellarum, & omnino in diſſoluendo iſto, & quod nobis ſuſpicitur, creato ex aqua, cœlo, ſed ultra flammantia mœnia mundi, ubi neque locus, neq; tempus ſit: Extra, anni, Solisq; uias, Lunæq; labores. Quod cœlum, ſiquidem ſit diuina, luminoſiſſima claritas ſempiternum & increatum eſt, Eſſentiæ diuinæ fulgor ſempiternus. Non eſt cœlum illud, quo ſubiectæ terræ irradiantur, & cuius Aeternitas reddat mundum corruptibilem, æternum. Quod an corruptibile, ſit, uel, incorruptibile, quod perhibet ipſe Ariſtoteles ſenſiſſe Platonem, & arguit contra leges Naturæ, Platonem rei, quæ principium habuiſſet, dare perpetuitatem, argumenturq; multis quod principiũ habuiſſet, habiturũ quoq; finẽ, dicendũ, Platonẽ (eaq; reſponſio uera eſt quod nõ ſyncerè et candidè ipſe reticuit, et ſuppreſſit) prudenter locutũ, hoc cœlũ ſuapte quidẽ natura, quoniã inchoatũ aliquando, incorruptibile nõ eſſe. Maiorẽ aũt neceſsitatẽ quã naturæ accerſuit, quæ cœlũ efficiat incorruptibile, ſuæ naturæ relictũ neceſſario corruptibile. Porrò autem poſſe diuinã poteſtatẽ, quod corrupeibile natura eſt, reddere incorruptibile, perneget Ariſtoteles quantũ uelit, ſufficit mihi ratio, et unus Plato. Ariſtoteles igitur ſeipſum redarguat, Cœlum quod Dijs tribuitur à maioribus habitandum, non eſſe uiſibile iſtud, quippe qui ut ſuperius uidimus, ait habitare Deos remotiſſimè à uertigine cœleſti: et hoc dicit, ubi de cœlo diſſerebat. Hæc ratio et atteſtatio deſtruit item ab intelligentijs cœleſtibus cœlũ moueri. Locat enim cœleſtes Intelligentias, aut Deos πᾶν τὸ θεῖον, totam Diuinitatẽ Ariſtoteles, extra cœlũ. Et uidimus Barbaricam fuiſſe ſuperſtitionem, deificare cœlum: Cui ne illi ipſi quidem, qui ipſum adorabant Intelligentias diuinas præfecerunt, ſed ipſum merum corpus adorarunt Chaldæi, ſicut item ignem adorabant, rem inanimen. An autem tantus ordo cœli duci poſsit ſine aſsiſtente, & mouente Intelligentia: ſit ſanè nõ poſſe ſine ratione, et

Intelligen-

Intelligentia duci: illud certè ex omni uetuſtate conſtat, eam Intelligentiã mouere, non quòd ſit anima in corpore, ſed uelut uniuerſalis potẽtia Dei, ad cuius imperiũ, & nutũ, per cœlũ, et terras commeantis, cuncta moueantur, prima machina cœleſtis, deinceps omnia terreſtria. Hoc etiam dixit Ariſtoteles, ut uidere eſt in libro de Mundo: Hoc Pythagoras, hoc omnis priſcorum Theologia. Mouetur igitur omne cœlum à Deo, cuius uoluntas non ſolùm mouet, ſed creauit etiam omnia. Mouetur autem non tanquã anima, & ratione eius, ſed extra, & intra mundum exiſtente: ſu peruacaneaq; ſunt cæteræ Intelligentiæ. Mouetur autẽ ceu res corruptibilis, & ſi/cut naſci facit indiuidua et particularia, ſicut itẽ mortalia regna cõmutat, non mo/uetur autem, tanquam ea ſit naturalis actio eius: ſic indigniſſimum eſt, Deum cuius eſt æterna, et infinita ſapientia, hanc cœli corporeã actionem habere naturalem, et inſeparabilem, ut quam efficiat ſolo nutu, non quadam animatione. Quod apparet maiores ſenſiſſe, omnes unanimiter cœlũ, ex aqua corruptibili, creantes. Atque ut Marcus noſter, non modò mentis ſuæ bonitate, naturaliq; inſtinctu, ſed etiam quia ſimilia uidit apud ſuperiores: Quod, inquit, dico legẽ, à me dici nihil aliud intelligi uolo, quàm imperium, ſine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec hominum uniuerſum genus ſtare, nec rerũ Natura omnis, nec ipſe mundus, poteſt. Nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria, terræq;, et hominum uita iußis ſupremæ legis obtemperat. Ea dicens Marcus profectò ſentit uim, poteſtatemq; diuinam cœlo ac terræ, mariq; præſidentem, mouere, gubernare cunctas non naturæ ſolùm, ſed etiam humani generis res, & actiones, idq; non tanquam animum mundano corpori infuſum, à quo diſcedere, abſoluiq; non poßit, ſed tanquam imperatorẽ, ſtantem celſa in puppi, uelut nauclerum, dictatoremq; ſupernum. Quod Deo longè dignius eſt, quàm ut animet orbem cœleſtẽ. Duoq; ſunt ab Ariſtotele, ut malè poſita, corrigenda, quod fecit in Compendio, ut Deus non ſit anima cœli, ita mouens ipſum, ut ab anima mouentur animalia: ſed nutu imperijſq;, quibus obediunt inuiſibiliter omnia, excluſa prorſus illa indecora mundani corporis animatione. Secundum quòd cum ſit eius unius tanta poteſtas, imperiumq;, per omne cœlũ & terras, et maria pertinens, ſuperuacaneum eſt, plures adhibere Intelligentias. Quod ex maioribus nemi nem inuenies feciſſe. Sed res luce clariores inculcare, uitium fortaſſe ſit. Satis igitur conſtat, nec corpus illud tantopere diuinũ eſſe, ut Diuinitatem mereatur, cum ſit eo melior ſenſus brutorũ animaliũ. Et uilis muſca, uermisq;, ut ait Auguſtinus, Sole ſit melior, quòd hic uita, illic nulla uita, nec autoritate maiorum, orbes hoſce cœleſtes, qui portant lumina, diuorũ eſſe domicilia. Nam Deũ præter corpora, genusq; hominum, Deos quoque creaſſe, fuit perſpicuum. Nec æthera ab æterno cur ſu appellatum, nec à diuinis Intelligentijs, ſed uniuerſali Dei poteſtate cieri: quæ quidẽ non ſit eius naturalis actio, ſed nutus, uoluntasq; omnia concitandi potens. Et hæc omnia non ratione ſolùm conſtant, ſed maiorum cum primis autoritate, perenniq; ſeculorum ſucceßione, cui uidebatur Ariſtoteles deferre.

Diſſoluuntur rationes Procli partim è natura, partim opinione Platonis ductæ. Tempus in quo conditus eſt mundus, non eſſe cœleſte tempus. Plura eſſe poſſe tempora, quàm cœleſte. Redundare, ſuperuacaneamq; eſſe animam cœli, aut eam eſſe Deum ſummum. Matoris honoris eſſe Deo, æternitatem ſuam, quàm perennem rerum factionem. Aeternitatem mundi, impiarum opinionum eſſe fontem. Non ſequi poteſtatem æternam Dei, æternam mundi conditionem. Deum non eſſe mutatum cum creauit. Naturalem fuiſſe Dei æternitatem, mundi Principium. Platonem non æternum, ſed in tempore factum mundum ſcripſiſſe. Cap. V.

RElicto igitur Ariſtotele, ad rationes Procli ueniendum eſt, quas & ipſas non abſurdas modò, & ineptas, ſed deprauatrices etiam ueritatis & dogmatum eorum, quos ſibi propoſuit imitandos, reperies. Fuit autem Proclus eruditus quidem, & ubi maiores ſequeretur, autor ualde bonus, ubi autem ſeipſo contentus nitare cœpit ſine cortice (cunctis enim fermè poſterior floruit) mirificis commentitiarum allegoriarum figmentis libros occupauit. Quem Ioannes Grammaticus, autore Suida, etiam in quibus ſibi plurimũ arrogaret, Platonicorum profanorumq; dogmatum arguit imperitum. Cumq; ſuperſtitiones mallet incolumes eſſe, quàm religionem Chriſtianam, quam putaret cum cæteris ineptam ſuperſtitionem, reuolutus eſt ad poëticos ſuperſtitionisq; Deos, elmenta iſtius mundi, cœlum, aërem, terram, Venerem, amorem uniuerſalem, Vulcánum, ignem ætherium, & cœleſtem deificans. Quorum ut eſſet Diuinitas uenerabilior, eos cum omni mundo declarauit ſempiternos. Deorumq; arbitrarijs genealogijs incredibiliter eſt delectatus. ſed ubi ſuperſtitionibus, fabuliſq; relictis, ſe Philoſophiæ commiſit, melior eſt. Huius igitur præter eas quas attulit Ioannes Grammaticus, partim eò ſpectant rationes, ut Plato, non quemadmodum multorum ſit ſententia, creauerit mundum, ſed aſſeruerit ſempiternum. Partim, ut hoc ipſum è Natura comprobet. È quibus è Natura ſunt, Quia ſi tempus non habuiſſet temporale principium, quod omnium ſit impoſsibiliſsimum, ut eius utar uerbo, etiam cœlum fuiſſet ſempiternum. Semper item animam cœli fuiſſe, igitur & corpus. Opificem item mundi oportere non temporariorum, ſed ſempiternorũ eſſe opificem. Ad hæc eum non eſſe mutabilem. Si ſemper eſt opifex, ſemper rem fuiſſe quæ fit. Ad hæc cur infinito tempore fuiſſet otioſus, num ignarus creationem eſſe meliorem? quod abſurdũ. Si non ignarus, cur non prius ſit operatus? Si item mundus genitus, quod minus pulchrum ſit, Deum ſequi: Peccare quoq; in opificem qui aliquando mundum non fuiſſe contendant, quia ſi quando mundus non fuiſſet, ille non creaſſet. Si non creabat, erat potestate operans, quod arguit imperfectionem. Si autem in Deo prius et poſterius ſtatuas, eum non fore ex his, quæ in æternum agant? Tum ſi ſecundũ tempus operaretur, ad faciendũ eum mutari. Deinde creationis aſſertores peccare in poteſtatem prolificã, & uoluntatem ἀγαθοειδῆ, boniformem, quæ concurrens generet mundum, in ſempiternum. Deniq; nititur in hanc quoq; ſententiam uocare Platonem. Priorq; ratio, quòd in Timæo, de mundo locuturus quærit. an ad imaginem alicuius æterni uel creati ſit creatus, quod non quæſiſſet, ſi genitum mundum ſtatuiſſet,

quòd

quòd ante genituram mundi nihil esset. Tum non substulisse Aeternitatem Platonem, ut quidam in Aristotelis testimonium consentientes, opinẽtur. Nam quoniam tempus sit à cœlo: tempus autem sempiternum (neque enim, ut exposui, dari posse tempus, in quo tempus sit natum, ne tempus in tempore sit factum) confieri, ut cœlum sit æternum. Iam in Republica pronunciasse, omne ortum occidere. in Timæo mundum fore incorruptibilem, ergo etiam sine principio. Ad hæc in Legibus, docere Platonem, infinitum esse tempus præteritum, quia dicat infinities artes, & scientias ac res publicas natas et extinctas. Præterea, quòd in Timæo affirmaret, semper hominum genus fuisse, ubi uel exustiones, aut cataclysmi immanes non accidissent. Postremo Proclus refert Porphyrium, Iamblichum, Plotinum, Crantorem, qui primus in Platonem commentarios ediderit, asseruisse esse mundum sempiternum Platoni: genitum autem nõ uelut in aliquo temporis exordio, sed uti semper nascens à causa superiore. Hæc et id genus quædam opposuit gignentibus mundum Proclus. Primum igitur rationes è Natura perpendantur, si quæ supersunt è tribus illis non examinatæ, aut strictim superiores responsiones retexantur. Ac primum docuimus argumentum esse præstigiosum, puerilemq; technam & argutiam: Tẽpus non potuit in tempore creari, ergo sempiternum. Si tempus sempiternum, etiam cœlum, à quo nascitur tempus. Incredibilis profectò hallucinatio. Non uides multos credidisse tempus esse potuisse nondum cœlo creato. Non'ne fuere multi, ut Aristoteles perhibet, etiam illi ipsi qui creant cœlum, æternum quoddam tempus ante cœlũ suspicantes? Ipse quoq; Aristoteles supra Solem & Lunam, temporis ueros parẽtes, locat gentem diuinam, uiuentem omne æuum beatè. Deus etiam supremus, quem locant supra motus cœlestes, uiuit, et uiuit non in tempore. Rogo te quoq; Procle, An Deus, qui potest torquere lumina cœlestia, posit sistere unam diem, aut horam (quod nostræ literæ prædicant, à meq; creditur constantissimè) Solẽ. & à te credo non negabitur, si nõ his literis credente, saltem fieri posse, ut qui moueat, potestate quoq; sistendi, si uoluerit, sit præditus. Sole igitur desidente, quod tempus erat uel esset? Tẽpus enim colligitur ex motu Solis, cuius diurnus ac nocturnus accessus & discessus diem efficit: è diebus fiunt menses: è mensibus annis: Anni conficiunt uniuersale tempus: Vt tempus, quod apud Philosophos est celebre, solo ex motu Solis colligatur. Nam Lunæ uarietas à Sole quoq; est. Sole igitur rapidos cursus sistente, quo fuit, uel esse posit tempus? Quod tempus item his, qui sub altissimis cauernis degentes, uel ipsi, quos in Republica teterrimo in carcere, à die natali locat Plato, qui nunquã cœlũ uidissent, sed illic habitantes, et aliquid necessariò agentes, suasq; actiones, sine motu Solis, quẽ nunquam suspexissent, fortè ad clepsydram, ad motũ æquæ, ad motũ pulueris, non Solis, metientes, quod inquã his tempus esset, Solẽ Solisq; uicissitudines, hominumq; negotia ignorantibus, quiq; Natura postulante, modò dormirent, modò uigilarent? Horrida quidẽ et crudelis uita, à luce iucundissima segregata, sed quæ posit esse et cogitari. Vt igitur, qui à particulari uniuersale, aut

paucis multa colligeret, Vidi Germanum ferum, omnes ergo sunt feri: Vidi Gallum tumultuantem, omnes ergo tumultuant: Græcum leuem, omnes ergo leues: uitioſè colligeret: ſic qui argumentaretur, Tempus cœleſte, aut Sol non potuit ſine tempore fieri, ergo ſine cœleſti tempore nõ potuit fieri. Non cernis uitiũ? Do tibi tempus cœleſte, aut Solem temporis cœleſtis patrẽ, ſine tempore, aut aliquo ſpatio, uel actione, fieri non potuiſſe: ſed non protinus do, ſpatium illud, aut actionem fuiſſe cœleſtem tempus. Atq; apud me ſunt plures ſpecies eius quod dicitur tẽpus. Eſt ipſa primum Aeternitas, quã Philoſophi inſigniter omnes à tempore diſtinguunt. Eſt actio illius beatæ uitæ, quæ uiuitur ultra tempus cœleſte. Eſt item tempus, quod ex aquæ aut pulueris deſcenſu colligitur. Nam ſi fuero in thalamo undique clauſo, ad quem nulla lucis aſpiret ſcintilla, ſed partiendum mihi ſit negotiũ, ut modò hoc, modò illud agam, metiar mihi, & colligam tempus ex deſcenſu pulueris, uel aquæ, in quo cum motu ſolis, nulla ſit affinitas. Sic, quemadmodum dixi, ad cogitandum facillimum eſt, quibus perſuaſum ſit potentiam diuinam, uniuerſalem eſſe, poſſe Solem, qui Deo uolente, tribus, aut quatuor horis requieuit, menſem, uel annum, in medio cœlo conſiſtere. Quæſo hic, quod tẽpus eſſet, Sole quieſcente? Decurriſſet tempus, non decurriſſet Sol: ſtante cœlo non ſtetiſſet tempus. Nam & interior digeſtio, ſuis ſpatijs conficeretur, & homines agere nõ deſiſterent, quãdiu uiuerent. Qui autem lapſura cuncta, ſi uel horam Sol conſiſteret, contendunt, pueriliter ipſi labuntur, obſtinataq; eſt ad deificationẽ cœli uoluntas. Tempus igitur, aut non eſt ſolum cœleſte, aut ſi ſolũ cœleſte meretur dici tempus, dico ipſum creatũ non in tempore, ſed actione diuina, aut ſubita, aut quoad rerum creatarum poſtularet natura, in quibus neceſſariò ſit aliud prius, aliud poſterius. Hæc autem actio non ſolum non cogitur fuiſſe, et poteſt facilè cogitari non fuiſſe in tempore, ut apud homines etiã actiones inueniantur, quæ ſine iſto cœleſti tempore poßint tranſigi. Fuit igitur ante cœleſte tempus Aeternitas, aut ſpatium aliud, etiam ipſorum Philoſophorũ teſtimonijs. In hac Aeternitate, uel dimenſione, uel quibuis appelles, creatus eſt mundus: Ac quoniã uetuſtißimi Theologi Moſes, et Mercurius, quẽ Platonici reuerenter adorant, & colunt, libroſq; ſuos Philoſophia eius decorauerunt, docent Solẽ temporis genitorem, è puriſſima, liquidiſſimaq; aquæ defecatione creatũ, neceſſariò ante Solem fuit aqua, aqua ſine terra eſſe nõ potuit. Igitur ante Solẽ, et tempus, fuit aqua cum terra. Certè igitur non in tempore. Nec erant igitur in tempore, nec creatæ ſunt in tempore. Et hoc dicit Mercurius Triſmegiſtus, pater & autor Platonicæ Theologiæ: Cuius ſi teſtimoniũ non recipiunt, infirmatur eorũ Philoſophia. Egoq; facilius aſſentiar & adhærebo principi, & fonti, quàm famulis et riuulis. Et hæc de prima ratione ſatis. Nõ minus ineptit, plenaq; uitiorũ eſt ſecunda, de Anima cœli. Duoq; hic ſunt reſponſa, unum ex Natura, alterum ex Philoſophia Platonis. Primum eſt, quòd aut anima illa cœli eſt Deus ille ſummus, aut alia quædã anima. Si Deus ſummus, quæ tandem dementia, eum dicere animam cœli, cum Deus, omnium Philoſophorum,

phorũ, uetuſtatis omnis autoritate, ſit à cœleſti, et mundana compage abſolutus, et maior omni mundo? Si non eſt Deus ſummus, redundat hæc anima in corpore cœleſti: Satis eſt, & eſſe docuit in libro de Mundo Ariſtoteles, diuina quæ per omnem mundum diffuſa ſit potentia, mouens, et uiuificans indefatigabiliter omnia. Sed hæc ratio quoniam magis eſt ex Philoſophia Platonis, audiant impudentes, et quæ luce clariora ſunt, perfricta fronte negantes, Platonem aperte fatentem creatam à ſummo Deo hanc animam. Quod Marcus Tullius interpretans, Deus, inquit, ortu, & uirtute antiquiorem genuit animum, eumq; ut dominũ, atq; imperantem obedienti præfecit corpori. Paulóq; inferius, Animum igitur cũ ille procreator mundi Deus, ex ſua mente, & Diuinitate genuiſſet. Hæc Plato, à ſolis impudentibus, à prudentibus nunquam neganda. Retorqueboq; in eos: Plato claris, minimeq; dubijs uerbis creat mundanum corpus, ergo & animam. Sed uera reſponſio eſt, nullam cœlo ineſſe animam, & Platonem non clarè percepiſſe, quæ Triſmegiſtus de hac anima docuiſſet: quam dixit non cœli eſſe, ſed uniuerſalem animationem:

Vnde, hominum, pecudumq; genus, uitæq; uolantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Quæ ſuperius melius claruerunt. Sed ueniamus ad tertiam rationẽ, Deum oportere ſempiternorum eſſe, non temporariorum opificem. Hæc quoq; ex parum perſpecta animaduerſaq; rerum Natura. Fit autem ſæpe quadam humanæ mentis imbecillitate, ut quos cupimus, & credimus honorare, his ipſis, quibus decus afferre putaſſemus, dehoneſtemus, & contaminemus. Quotidianaq; ſunt exempla. Sic Proclus dum uult, et putat pietatem Deum ſempiternum rerum corporearum opificẽ, detrahit totum decus ei Diuinitatis ſuæ. Decus eſt ut ſolus ipſe ſit æternus, ſola ac peculiaris dos præcellentiaq; Diuinitatis, ut ſicut ſingularis eſt, ſolusq; Deus, ſic ſingulariter ſit æternus, nullaq; res æquare poſſit eius Aeternitatem, & Maieſtatẽ. Nec indigeat ad maieſtatem ſuam, eximium, et inæſtimabile decus ſuæ Diuinitatis, creatione iſtarum rerũ. Quanto igitur eſt Deo dignius, & dignius eſſe ſapiens animaduertet, ut Deus creatione & perenni factione ad honorem ſuum non indigeatẽ Quaſi non idem Deus futurus, non eadẽ Diuinitas, ſi creando ſuperſederet. Quaſi cogatur creare, ne maieſtas eius ſit diminuta. Si creſcit decus eius ex creatione corporearum rerum, cur non plures fecit mundos? aut ſi cuncta potuit uno complecti, cur non fecit, ut is eſſet latior, capaciorq;, & hominum numerus eſſet maior? Cur non plagam Solis iniquam fecit temperantiorem, homines ubi degerent? aut frigidam utranque, aliquo calore temperauit, ne tanta terrarũ uaſtitas cultore careret? Iam ſi ſempiternus iſtius mundi Deus operator fuiſſet, quarum quæſo rerum operator ſempiternus? Videlicet blaſphemorum, impiorum, qui & illum, & opera eius nunquam non execrarentur, maledictis inceſſerent. Cuius cum nos habeamus optimam ſolutionem ex abolitione iſtius mundi, quibus placet Aeternitas, ea carentes, neceſſariò turbabuntur, ambagibus inextricabilibus irretiti. Ecce Pro-

clo

clo euenit, quod in prouerbio est, Deuitans ignem, incidit in fumum. Dum pietatem putat, Deum æternum rerum corporearum declarare opificem, delapsus est in eam execrabilem impiamq; sententiam, quòd Maiestas diuina indigeat creatione rerum. Quasi si mundū aboleret, nō posit Diuinitas eius consistere. Quasi cogendus sit, etiam si plenus sit habitatorum impiorum mundus, eos nō delere, ne careat maiestate sua. Cur enim non uidit, nec considerauit, maiorem hominum partem impiam esse, ex quorum uita nec decus nec uoluptas Deo posit accedere? Quòd si dicas propter bonos eum mundum fecisse, & his solis eum à quibus honoretur delectari, utinam uerò dicas: necessariò enim te deducam, ut non sit æternus is mundus in posterum, ideo neq; in præteritum, ut dentur bonis opulentiora bona. Quibus in hoc mundo nihil quàm malis sit melius, sæpe etiã deterius. Sicq; propter eos is mundus in sempiternum durasse non debuit, cuius bonis neque fruantur, nec si frueretur syncera, ac sine temperatione multorum dolorum constent, nec syncera, nec diuturna, sed omnium euersi breuissimè futura: Quare cum nihil ad dignitatem, decusq; diuinæ substantiæ faciat iste mundus, cuius inuentio, cunctorum consensu non propter Deum, sed homines, & Deos fuisse dicitur, utiq; nec minuitur bonitas non fecisse, nec decus crescit fecisse. Quis est enim, qui non uideat singularem Dei boni tatem, à rebus in infinitum disiunctam? Illud item nō uidit Proclus, quod uidisset, ni si pertinax Aeternitatis obstinataq; persuasio, à uero perspiciendo eum retorsisset, longè decus Dei in eo præcellere, si solus sit æternus, quàm si corruptibilium rerum Aeternitate sociatus? Adde quòd ideo non modò decus maiestasq; ei ex eo non accrescit, sed uehementer decrescit, quòd cũ Aeternitate mundi sequitur cultus sui, pietatisq; euersio, interitus omnium uirtutũ. Ecce autem tota ratio in eum relabitur, quòd non solum ex Aeternitate decus augetur Deo, sed ex hoc ipso penitus minuitur, cum ex Aeternitate, Philone Iudæo cum ratione teste, nascatur persuasio contra prouidentiam, contra immortalitatem animorum, contra futuræ beatitudinis suppliciorumq; expectationem, contra religionem, cuius fundamentum est Creatio mundi. Quibus euersis, quod fit ab Aeternitate mundi, sit pietatis euersio, tollitur, eijcitur, fugatur ex hominũ genere Deus, non est eius iste mundus, Quocirca cũ sit gloria Dei maior, si pios remuneretur præmijs æternis, impios æternis deputet suplicijs, si princeps humani generis, & autor, et fons credatur, credendo colatur, quàm ut fecerit res corruptibiles mœstasq;, sempiternas, sempiternaq; ista, ac perpetua labentium rerum nece sit delectatus, certè nihil conficit, sed inficit, sicut superiores. hæc ratio Procli: & ex qua putabat gloriam opificis Dei prouehere eadem ũ quicquid dedecoris esset, ei conciliauit. Ex his claret quartæ rationis præstigium, Si semper opifex, semper opificium. Ratio prorsus à dialectices arte aliena. Arguat igitur Proclus, si tam pulchra ratiocinatione delectatur. Semper est ædificator, semper ergo ædificat. Semper belligerator, semper ergo belligeratur. Quamdiu quis est medicus, aut Philosophus, semper aut medetur, aut philosophatur: Sic

Deus

Deus opifex ſemper fuit, ſemper igitur operatus eſt. Si ſtat hæc argumentandi ratio, dicam de te, & quid in te ſequatur, uide. Quandiu Proclus potuit ſcribere, ac dictare, ſemper ſcripſit ac dictauit. Itaque nunquam hoc officium intermiſit, nec dormiuit, nec comedit, nec alijs actionibus functus eſt. Quod ſi abſurdum eſt, & aliud agendum eſt melius, magisq; naturæ ſuæ neceſſarium, quàm dictare ac ſcribere cum opus fuit, & tamen cum uoluit & debuit, ſcripſit, & dictauit, cur itẽ Deũ, cuius natura longè quàm corporearum rerum perenni factione, melioribus bonis, ſua Diuinitate contenta, ipſa ſuis pollens opibus, ſemperq; beata, & opis nil indiga noſtri, fruitur, non putet ut eſt, ſic fuiſſe ſemper hac ratione beatam, habentem alia meliora bona (quod omnes Philoſophi confeßi ſunt) quæ debuit in omni Aeternitate retinuiſſe, hicq; inſtitiſſe? Vt quemadmodum nunc iſto mundo nihil indiget, ſic in omni Aeternitate nihil indiguerit. Vt ergo ſuperius uitioſè colligebat, argumẽtaturq; à particulari ad uniuerſale, eodem hic uitio, arguit ab eo quod eſt in potentia, ad id quod in actu: ab eo quod cum fieri poſſet, omnino factum ſit. Vt quandiu potuit Deus operari, tamdiu operatus ſit. Et abſurditatem domeſticam, nõ trãſfert ad diuinam illam. Nec cognouit, præter hanc mundum molitionem, longè inæſtimabiliora bona poßidere Deum, quibus potuerit in omni æternitate frui. Quo quidem fit, ut prorſus aduerſa colligantur his, quæ colligere decreuiſſet, dum commentitia tantopere eũ iuuat Aeternitas, eamq; Deo magis congruere, hancq; fuiſſe perennem dignitatem eius putat, detraxit ei maximam Diuinitatis partem, eripiens tum maiora bona, quàm corruptibilium molitionem, tum omnipotentiam creandi è nihilo, tam ſeparatam, incommunicabilemq; Aeternitatem Diuinitatis ſuæ. Quod quoniam fieri non poteſt, meritò falſas, non ueras argumentationes accerſiui. Nam & prorſus contrà eſt quàm ueritas poſtulet, quod mox ſubdit, ex hac creatione, ſequi in Deo mutationem. Eadem atque ſuperius argumenti ineptia. Scilicet & hic præſtigioſè, & per æquiuoca, & à particulari, uniuerſale colligitur. Vt ſi quis ratiocinetur, Mutatio à ſanitate ad ægritudinem, eſt mala, omnis ergo mutatio eſt mala, etiam ſi nunc ſedens, paulò pòſt proficiſcar: Si ſedatus, merito iraſcar. Vt liceat arguere, Nunc cum placidus eſſes, poſt flagitium conſpicatus, iratus es: omnis autem mutatio eſt mala: mutatus igitur es, mutatus peccaſti, aut imbecillitatem indicaſti. Ne igitur hæc imbecillitas, & mutatio ſequatur, his autoribus oportet aut ſemper ſedere, aut ſemper proficiſci: ſemper aut comedere, aut non comedere: ſemper aut iraſci, aut nõ iraſci: manendũq; ſemper in eadem conditione, ne ſi qua fiat mutatio, noſtra declaretur debilitatio. Nec uident, nec norunt, alias malas, et ac cuſandas mutationes, alias bonas, & neceſſarias, quæ nõ aliud quàm ipſa uita ſunt. Nec aliud eſt uiuere, quã modò ſedere, modò ſtare, inambulare, modò dormire, modò uigilare. Non aliud iuſtitia, quàm modò iraſci, modò nihil iraſci. Hic mitem eſſe, illic ſeuerum: alios præmijs afficere, alios ſupplicio: erga hos clementi animo eſſe, aduerſus illos aſpero. Hæc ratio prouidentiæ poſtulat, ea uis & natura eius, ut modò fla/

dò flagelles, modò placatus, ſedatuſq; ſerenes frontem, modò laxes ubertatem, modò cohibeas. Omnis hæc, optima, iuſtiſſimaq;, & naturalis mutatio, ſi nobis eſt neceſſaria, eaq; eſt natura, ea uita noſtra, cur deteſtemur in Deo, præcipuè quod ad res humanas attinet? Nam ſicut Deus his mutationibus non indiget, ſic indigent res humanæ. Tãtumq; abeſt, ut ſint malæ, et uituperabiles, ut ſint neceſſariæ, ea ſit uita noſtra, Id demum uiuere. Quoniamq; in Deo prouidentia eſt, & eſſe probatiſſimi quiq; Philoſophorum aſſeruere, prouidentia mutationibus, & uarietatibus conſtat, certè in Deo ſunt uarietates, & mutationes. Vt autem Stoicos irriſere omnes, quos unum exemplum deprauauit, quòd iraſci aliquando malum ſit, concluſerunt que ſemper malum eſſe iraſci, abſurdius que prouecti, omnem in animo commotionem etiam miſericordem, & bonam, decreuere malam: ſic irridere Philoſophos hos neceſſe, eſt, quibus una malè, imbecilliſq; mutatio perſuaſit omnem mutationem malam. Dederunt que nobis quaſi quendam Stoicum Deum immutabilem, inexorabilem, qui nec poſſit iraſci, nec ad miſericordiam commoueri. Cui ſi fuit turpe à neceſſaria Aeternitate Diuinitatis ſuæ, ad creationem mutatio: eadem eſſet etiam turpitudo, cum quotidie, ut ſacræ docent literæ, mutat regna, & pectora Regum, modò uiuificat, attollit, modò deprimit. Et ad uindictam ſui tardè procedens, demum ſupplicium, quod diſtuliſſet, magnitudine compenſat. Id, ſi Stoicus audieris, in Deo nequaquam eſt, ſicut nec in homine ſapiente. Sapientem enim non iraſci, nunquam gratia moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere: neminẽ miſericordem eſſe, niſi ſtultum, & leuem: uiri non eſſe neque exorari, neq; placari. Sapientẽ nihil opinari, nullius rei pœnitere, ſententiam mutare nunquam. Petunt aliquid homines, caue quicquam momenti habeat gratia. Supplices aliqui ueniunt miſeri et calamitoſi, ſceleratus & nefarius, ſi quicquam miſericordia adductus feceris. Fatetur aliquis ſe peccaſſe, et eius delicti ueniam petit, nefarium eſt facinus ignoſcere. Hæc & id genus, quæ grauis orator Stoicorum uerius delyria, quàm decreta recenſet, à Stoicis noſtris, ut Proclo, quæ propter uicinitatem, & experientiam in hominibus indecora, ſtultaq; habentur, in Deo noſtris ab oculis remoto impunè ſtatuuntur, arguentes maieſtati eius nos detrahere, ſi faciamus eum iraſcentem, pœnitentẽ, ignoſcentem: dicens has eſſe mutationes, omnem autem mutationem malam. Nec uidet eadem ineptia ac leuitate, hanc mutationũ uarietatem nos à Deo ſummouere, qua ſubmouetur à ſapiente, quem ſolum Dei ſimilem in terris cenſuit Plato. Vt igitur contemnimus, irridemus, humanæ uitæ noxios & inutiles iudicamus Stoicos, quorum eſt error exibilatus, exploſuſq; undiq;, ſic contemnendus Proclus qui omnem hanc iniuriam Deo facit, ut nec eum pœnitere, nec ignoſcere, nec exorabilem eſſe, nec gratia duci contendat. Hoc autẽ facit, dum putat eum, cum mundũ bonitate, ut ait Plato, gratia, benignitate ductus, creare decreuiſſet, quaſi imbecilliter mutatũ. qui cũ eſſet in Aeternitate neceſſaria, ſolaq; poſſibili Diuinitati ſuæ, ſic dedit ſe ad creandum, ſicut cõtulit alicui gratiam, beneficiũ, quibus ille quondam careret: aut

quemadmodum

quemadmodum ignouit, exoratusq; est delinquenti. Valeat igitur speciosa diuinæ stabilitatis prædicatio: si in homine sapiente turpis, noxia, indecoraq;, multo magis indigna Deo. Latetq; sub specioso nomine immutabilitatis, ut sæpe fit, impostura mirifica. Meritoq; ea & dedecus diuinæ maiestatis, & humanarum rerũ continetur euersio. Quas si Deus inexorabilis, & immutabilis, si nunquam gratia aut misericordia ductus negligeret, in pessum ire, ceuq; nauem sine nauclero iactari cerneres. Hæc omnia darentur nobis ex illa mirabili, diuinaq; Aeternitate mundi, Aeternitate Solis, Lunæ, non mea, aut tua, quorum etiam in Aeternitate est miseranda corruptio. Quod igitur arguis, Deum mutari ab Aeternitate ad Creationẽ, idq; indecorum esse, duplex responsio, Nec omnem mutationem esse malam, imò necessariam, ac naturalem, Nec hanc propriè dicendam mutationem. Non enim si optimum est, maximeq; naturale, Deum duntaxat æternum esse, creauit autem postea, protinus mala & uituperosa hæc mutatio fuit. Fuit necessaria, et naturalis. Vt fieri non potest, quin Deus sit æternus solus: sic fieri non potest, ut mundus sit æternus. Nec debes, dum tollis quòd tibi uidetur absurdum, aliud absurdius inducere. Videtur absurdum, Deum ab Aeternitate ad Creationem quasi mutatum transisse. at absurdius est, unum eum æternum non esse, creatorem & creata paris Aeternitatis esse. Iam, ut dixi, hæc idcirco nec est, nec appellari debet mutatio, quoniam omnis mutatio fit in tempore: ante mundum creatum non fuit tempus: non potuit ergo fieri, nondum creato tempore, mutatio. Dico scilicet, nullum, quale nostris debilibus animis cogitamus, spatium ante mundum fuisse, in quo cum diuinum consilium antea fuisset immutabile, postea in creatione mutatum fuerit. Somnia sunt nostra: sicut putamus extra cœlũ necessariò aliquid esse, extremamq; sphæram in loco non esse non possumus cogitare. Sic spatium in Aeternitate opinamur ex errore, & uitio, quo solas res humanas opinamur. Quin nec ipsam probè nouimus Aeternitatem. Cum ergo omne spatium cum corporibus, & mundo, temporeq; intelligatur: mutatio autem exigat aliquod temporis spatium, ut locus sit inter duo consilia, certè non fuit ante mundum, aut esse potuit mutatio, à cuius creatione ad antecedentem, qualis qualis fuerit, conditionem, nihil interfuit, quia nihil fuit, quod spatium, quod relatio est duorum terminorum, posset recipere. Indiuisibilem enim, semperq; præsentem Aeternitatem cuncti fatentur. Spatium autem, si temporis est, necessariò est inter præteritum, ac præsens, siue futurum: si loci, inter duos terminos. Submoto loco & tempore, designa tu quid sit, digitoq; ostende. Vt autem spiritus per corpora penetrant, ut intellectio non indiget luce, ut non potest à corporibus mens capi, nec indiget lumine ad intelligendum corporeo: sic diuersum quiddam est illud, quod mundum antecessit, ab omni spatio, quod animis nostris confingitur. Sic quidam Platonici diuinæ maiestatis ab omni re, quæ cogitari possit, discrimen ostendentes, appellant eam Non ens. & apud Dionysium est negatoria Theologia, quòd Deus sit non Deus, non substantia,

ſtantia, Theologia in hoc ſpatio declarando neceſſaria: Vt appelletur nõ ſpatium, non mutatio. Ex hisq; apparet ineptia eius quod infertur, Deum fuiſſe otioſum. Quaſi Deo nõ ſit beatior longè, meliorq; actio, ſuæ Diuinitatis cõtemplatio, gaudiumq; ex ſe ipſo, quàm creatio iſtius mundi. Qui potuit igitur otioſus eſſe, qui beatitudine ſua, iſto nihil mundo indigens, fruebatur? Itaq; miſerabilis eorũ error inclareſcit, adeò mundum hunc deificãtium, ut ſine eo Deũ nec eſſe, nec uiuere potuiſſe, ſibi perſuaſiſſe uideantur. Sic et mundum, Deum appellarunt, ac declararunt æternum, nihil melius habente Deo, quàm eius perpetuam conſeruationem, qui perpetuò in uoluendis orbibus cœleſtibus, in creãdis bobus, aſinis, equis, uermibus, ſit defixus, quà nullam habet maiorem uoluptatem, eaq; nunquã carere potuerit. Quid quòd omnes literæ, omnis Philoſophia nouit, prædicauit, hac corporea uita, aliam meliorem, oſtendentes uitam iſtius mundi, nõ eam eſſe, qua nihil melius dari poßit? Immenſa igitur eſt beatitudo diuina, immenſa gloria, à factione iſtius mundi longè diſiunctiſſima. Ea Deus fruebatur, id agebat ante mundum. Eſt enim, ut ait Ariſtoteles, felicitas, actio, non ocium. Hæc actio, hæc uita Dei perennis: ipſa ſuis pollens opibus, ſemperq; beata, & opis nihil indiga noſtræ: ut me pudeat, Epicureum, meliùs, quàm Platonicum hæc uidiſſe. Etenim, Sæpe etiam eſt holitor ualde oportuna locutus. Peccat igitur argumentatio Procli, eodem quo ſuperiores uitio, ab æquiuocis, uel à particulari ad uniuerſale: Qui uacat à creatione mundi, ociatur uſquequaque. Et quaſi in hunc modum: Omnis actio diuina, eſt mundi factio. Hac ergo intermiſſa, Deus ociatur, Et quaſi ſic: Qui non ſcribit, nihil ſupereſt, quod agat: ociatur igitur. Sic abſurdum eſt, quod infert: Aut neſciebat creare mundum, melius fore: aut ſciebat. Dico eum ſciuiſſe. Sed uideris tibi fingere tempus, & ſpatium à creatione ad infinitatem. Sciebat, non ne tempus præteritum eſt imperfectum? Fingis igitur tempus interiectum à factione mundi, ad neſcio quem alium terminum, Et quaſi ſic cogitas, ut ſi homo qui ſub tempore, ac motu cœleſti eſt, cuius ue actiones, uitæ humanæ ſpatio decurrunt, prius aliud nõ agens, agere inde cœperit. Id uerò ſit tu Deo cogitas, ſcito te fallì, miſcere ſacra profanis, humana transferre ad diuina, rerum corporearum ſimilitudine te ludificari. Scis tamen Platonem dixiſſe, in Deo nõ eſſe, erat, uel fuit, erit: ſed has eſſe noſtrarum rerum menſuras: ſemper autem in Deo præſentem eſſe Aeternitatem. Eſt & ea uera reſponſio, Si naturalis fuit, ut expoſuimus, neceſſariaq; Dei ſolius Aeternitas, qui ſolus mereatur, debeatq; eſſe ſempiternus, neceſſarioq; mundus non fuit æternus, neceſſariò quoque Deus in æternũ anteceßit, mundus in aliquo Aeternitatis puncto creatus eſt. Vanaq; prorſus, & inepta quæſtio, aut illatio, An creare mundum neſciebat melius, aut ſciebat. Et infers ex poſtremo abſurdo alteram partem uelut neceſſariam. Dico neutrum in Deo fuiſſe, nec ſciebat, nec neſciebat. Quod hoc ſenſu uolo intelligi, non habere, uel habuiſſe locum illic, Sciuit, uel Neſciuit: Aeternitatem naturæ diuinæ, neceſſariam durationem, et antecedentiam habuiſſe ad creationem mundi: Et neceſſariò mundũ tam

quam

quam umbram aut ludum, præ maiestate diuina, subsecutum esse. Quod erat maximum, ac infinitum, diuina claritas, naturaliter ac necessariò in æternum durauit, & res infinita, & immensa, immensam uixit ætatem, quod infinitum, & minimum præ ea, necessario & naturaliter non fuit æternum. Si quis enim cogitet quid interſit inter hunc mundum, atq; creatorem eius, profectò uidebit infinitam distantiam, ut non ſit mirum, mundum cœpiſſe, illum unum ſempiternum eſſe, & eſſe potuiſſe. Quare nec ſciebat, nec neſciebat: ſed gloria, & claritate Diuinitatis ſuæ, omni mundo inæſtimabiliter maiore, naturaliter, ac neceſſariò mundum æternaliter antecedens, fruebatur. Nec ſi Deus ſciuiſſet, melius eſſe creare mundum, mundus æternus eſſe potuiſſet: ſed quidquid Deus ſuper eo cogitaſſet, ipſe Deus ſemper æternus, mundus ſemper aliquando genitus fuiſſet. Quencunque capias Aeternitatis locum, in quo mundi ponas creationem, ſemper eadem ratio, eadem cogitatio. Eſt tanquam orbis, cui non eſt principium, Aeternitas: ubicunque punctum defixeris, eadem ratio: quia neque principium, neque finis, neque prius, neque poſterius in eo. Vbicunque punctum in orbe defixeris, prius, aut poſterius dicere non poteris: Tantundemq; erit, ſi alibi defixeris. Eſt quoque in promptu, & ex ſuperioribus facilis, naturalisq; reſponſio, cum ait Deum, ſi mundus ſit cum principio, non feciſſe melius, ſed ſecutum eſſe deterius. Non cernis errorem. Mundus non ex deteriore conditione, ſed naturali, neceſſariaq;, creatus eſt. Omne autem naturale bonum eſt: optimumq; eſt cuique, ut ait Ariſtoteles, quod ei è natura eſt. Sicut naturalis eſt Aeternitas Deo, ſic non Aeternitas mundo. Transferre mutareq; Naturæ limites, ſceleratum eſt, quantumuis ſpecioſum. Qui regiam ad ſe, qua iure careat, rapit autoritatem, capitali ſententia damnatur, Qui uult aduerſantia Naturæ, ineptus eſt: Sic cum naturaliter ſolus Deus ſit æternus, mundus naturaliter non æternus, qui putat generationem eius, Naturæ deteriorem, quia non uult Naturam ſuis in ſedibus eſſe, ineptus eſt. Eamus igitur, & homines deificemus, ignem, terram, aquam uti Deos ueneremur, cupiamus aureos montes, flumina decurrere Nectare, & Ambroſia, quòd his carere miſerum ſit. Et quia Deus hæc ad hunc modum fecerit accuſetur, quaſi inferiora ſecutus. Specioſa igitur, ſed non naturalis Aeternitas mundi. Et quia non naturalis, deterior, ſpecie modò formoſior, in receſſu turpior. Dictum quoque, reſponſumq; eſt, molitionem mundi non eſſe præcipuam, hærentemq; inſeparabiliter diuinitati operationem, ut ea carens Deus, caruerit maieſtate ſua, qui longè maioribus bonis perfruatur. Nec peccatum eſt, negare eum ſemper mundum feciſſe, ſcelus potius & maieſtatis eius dehoneſtatio, non unum eum declarare ſempiternum, non exiſtimare Diuinitatem eius à mundo diſiunctam, ſine mundo eum beatum eſſe non poſſe, magnitudine ſua contentum, ſemper perenniterq; lætum, id demum ſcelus turpiſſimum. Sic non eſt imperfectio, quod non actu, ſed potentia eſſet in omni Aeternitate. Dico in Aeternitate nullum ſpatium, in quo potentia ociaretur, fuiſſe: metienda di-

uina cogitationibus rerum humanarũ dico non esse. Nego potentiã illam, quia ne/ cessario Deus æternus, mundus non æternus fuit. Ad hæc, alia possedit meliora in actu, gloriam, decus, uoluptatemq; æternam suam, quàm generationem istius mun/ di in potentia. Deciperis item humana cogitatione. In Aeternitate non est prius, & posterius. Orbis si quis stet ante oculos (ut ab exemplo pulchro ne discedam) & in eo quid designas, hic ne spatium distantiamq; complecti possis, quia non est principium, nec dicere appropinquare, uel abesse quod designasti, propius esse, uel remotius: Sic quocunque in Aeternitatis loco, quæ uelut orbis est sine princi/ pio & fine, creationem statueris, non potes prius aut posterius, propinquius aut remotius dicere, nec potentiam, quæ spatio actionem antecedente nititur, fingere. Sic in Deo non est prius & posterius. De mutatione quoque dictum est. Non e/ nim Deus in sua Diuinitate, Aeternitateq; est mutatus, sed creare uoluit mundum æternus ipse naturaliter, non æternum ipsum naturaliter. Si fuit mutatio, fuit in mundo, non in Deo, quem necesse fuit esse sempiternum. Eadem est solutio, quòd non peccatur in potestatem prolificam, ac bonam uoluntatem. Nam potius uolun/ tas tunc uerè cognita est, cum creauit, potens desistere, haud æquè cognoscenda, mundo sempiterno. Putatumq; fuisset naturalem mundo Aeternitatem esse, non à Deo. Prolificam uerò uirtutem in infinitum non ire, sed iustis finibus includi de/ bere, meliusq; esse, rem etiam bonam habere principium, & aliquem terminum, satis superq; superius claruit. Hac ratione Deus non fecit plures mundos, non plu res Soles, non lunas, non terras decies maiores, maiorisq; multitudinis capacio/ res. Sic non infinitate Deus aut natura delectatur, sed modicis, moderatis, paucis & bonis. Claruit etiam quàm maiora, pluraq; bona ex creatione mundi proue/ nerint, quàm æternitate: ut meritò mundum potius creare Deus debuerit quàm (si detur id eum potuisse) dimittere sempiternum. Mihi tamen iniustus naturæ or/ do uidetur, ut Deus æternus, mundus non æternus sit. His resolutis, superest ut pro Platone, quem eadem uanitate nititur in suos errores protrahere, præstigiosis cer tè rationibus, ut non minus hic quoque mira sit hominis leuitas, quàm his rationi/ bus, quæ de Natura dicuntur, depugnemus. Ac cum Aristoteles, quem ferunt ui/ ginti duos annos Platonem præceptorem audisse, ut eum sensa præceptoris cal/ luisse, sit uerisimile, apertè fateatur, Platonem mundum & tempus creasse, idq; affirmet etiam Plutarchus, & Philo, ostendentes insuper opinionis Platonicæ principium, quòd secutus sit Hesiodum, cui Chaos primum, exinde tellus existi: non defuere tamen, qui ueteris Theologiæ ordinem peruertentes, delectat elemen torum huius mundi Diuinitate, Solis, & Lunæ, stellarum, inepta, sceleratáq; Dei/ ficatione, nullum aliud hominibus bonum quàm quæ uidentur in hoc mundo, re/ linquerent, aut esse uellent, idq; ob gloriam luminum cœlestium, quorum semper admirantur oculis obtusis claritatem. Quæ dum fuisse semper qualia sunt, conten/ dunt, hominis interea beatitudinem, & longè quàm eorum luminum, maiorem cla

ritatem

ritatem labefactare se non uiderunt. Nec uiderunt nihil homine melius in hoc mundo, uel illis ipsis sideribus esse, quæ facta ministerium, adiumentumq; cunctis gentibus, non testimonium modò diuinæ sapientiæ, sed etiam quotidianus usus ostendit. Hunc uitæ corruptibilis ordinem, qui pendet omnis à cœlo, non debere sempiternum esse, quòd imperfectus sit, in quo plus malorum insit quàm bonorum. Deo autem, ac Naturæ placere meliora, etiam ipsi sint confessi. Quo fiat, ut quæ nostra religio prodidit, Philosophiæ sint magis consentanea, quæ, cõmutata præsenti uanitate in statum longè diuiniorem, promittat inæstimabilem cunctis, qui recte uixerint, felicitatem. Quo quidem ordine respondeant ipsi, an quicquam melius, rationabiliusq; esse possit. Plato igitur, cuius fermè fluxit omnis ex fontibus Mercurij Theologia, qui priscæ Philosophiæ studiosissimus fuit, Pythagoræ, Philolai dogmatum apprimè gnarus, Socratis auditor assiduus, non ut ineptiipsi, sempiternam mundi factionem, sed iuxta priscos omnes, temporariam, paucis abhinc annis cœptam est confessus. Cuius rei prudentibus erit perspicua ratio, si seculorum quasi uestigia sequentes, ad primos usque fontes, unde Platonis fluxit sententia, peruenerint: Neque enim Plato ex sua quasi duinitate, mundum creatum sensit & scripsit, sed tum publica fuit celeberrimaq; omnium gentium confessio: tum præcipuè sapientes earum nationum, ad quas discendi causa, adiere Græci, ea prodiderant. Adeoq; clarè Trismegistus de creatione scripsit, ut quod à nonnullis Græcis est obseruatum, etiam simplices Mosis dictiones Hebraicas Græcè scriptas, cuius linguæ, quippe quæ materna esset, non fuit ignarus, usurpauit. Hunc præcipuè Plato secutus est, ut paulò pòst ostendam: interim singulam quamque rationem seorsum perpendamus. Quæsuit inquit Plato ad cuius imaginem factus esset mundus, an ad id quod nullum unquam habuerit principium, aut quod sit genitum. Qua quæstione uult Platonem innuisse, siue ad æternam rem, siue creatam factus sit mundus, necessariò ante mundum aliquid fuisse, ad cuius similitudinem mundus fieret. Hanc rationem præstigiosam, cauillosamq; planè esse, declarabunt similia exempla. Neque enim cum primum quærentes qua de re, duas partes proponimus, protinus harum aut utranque, aut alterutram ueram esse uolumus, sed sæpe ex duabus propositis rebus, quas per disiunctionem quærimus, altera possibilis, & uera est, altera nec uera, nec possibilis. Quæro an Deus sit, an non sit. Alterum uerum, & necessarium: alterum falsum, & impossibile. An plures mundi, an unus. An Deus naturam sibi associare possit humanam, nec ne. In hunc modum quærentes, non protinus quærimus, quasi fieri possit utrunque seorsum: sed alterum possibile sæpe est, alterum falsum, & impossibile. Sic quærens Plato an mundus ad imaginem rei æternæ an creatæ esset factus, proposuit alterum quod esset, alterũ quod nec esset, nec fieri posset. Quomodo enim potuit esse quid genitum ante mundum, ad cuius similitudinem fieret mundus, si res omnis genita est ipse mundus? Perinde igitur quæsuit an ad rei factæ similitudinem mundus condi-

tus esset, ac si quæras, an Deus esse non possit Quæris scilicet impossibile, ut indu/cas possibile, & uerum. Plato quæsiuit, ulla ne res ante mundum esset genita cor/porea, ad quam factus sit mundus. Proposuit quod nulla ratione fieri possit, tan/quam partem inanem, & impossibilẽ, ut induceret ueram & possibilem. Sic quæ/rere possum, an cæcus uideat, nec ne: surdus audiat, nec ne: mundus aboleri pos/sit in nihilum, nec ne. Possunt igitur in quæstionibus partes impossibiles uersari. Hoc Proclus non uidit, nec puduit eũ ex tam friuolis argumentis, extorquere Pla/toni exordium mundi. Quin ipsa hæc argumentatio prorsus in eum reflectitur, quòd Plato quærens ad cuius similitudinem factus sit mundus, inducens q; ad simi/litudinem sempiternam factum, prorsus quid senserit, expressit. Proteruis tantùm, & quos nulla ratio ab irroborata opinione flecteret, hæc non uidebuntur. Secun/da ratio diluta est, ostensa q;, et patefacta subiecta fraus, aut in tẽpore tempus non esse creatum, aut creatum quidem, sed non eo tempore, quod generatur è cœlo, di/uerso spatio, uel æternitate, uel quod uis appelles. Quod autem ait Platonem in Republica pronuntiasse, Omne ortum occidere. In Timæo uerò mundum incorru/ptibilem, ut duabus rationibus inter se sociatis, Quod ortum est occidit, Quod oc/cidit ortum est. Ergo ex aduerso, quod non occidit, deleturq;, non habuit ortum. Plato autem in Timæo censet mundũ non occidere, ergo nec habuisse principium. Facilis, & expedita responsio. Non enim usquequaq; Plato mundum incorrupti/bilem pronuntiat, imò uerò suapte natura corruptibilem: sed cum uiderat quàm longè, lateq; pateat diuina potestas, hanc censuit efficere posse, ut qui suapte natu/ra mundus sit occiduus, ac corruptibilis, fiat incorruptibilis, diuina maiestate eum ab interitu seruante. Hoc Plato claris et apertis uerbis expressit. Marcusq; Tullius interpretans Latinè, sic pro Platone loquitur, Opificem mundi, Deos creatos, Dæ/mones, & sidera inducens affantem: Quando igitur omnes, & qui mouentur, pa/lamq; ostenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipsi uolunt, creati sunt, tum ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur, Hæc uos, qui Deorũ sanguine orti estis, at/tendite: Quorum operum ego parens, effectorq; sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta omnino, quanquam omne ligatum solui potest. Sed haud quaquam boni, ratione uinctum uelle dissoluere. Sed quoniam orti estis, immortales uos quidem esse, & indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissoluemini, nec uos ulla mortis fata periment, nec fraus ualentior quàm consilium meum, quod maius est uinculum ad perpetuitatem uestram, illa quibus estis tum, cum gignebamini, colli/gati. Hæc Plato diuinitus, non procul à sancta, cœlitusq; reuelata Theologia, quæ tradit multa hominum corpora suapte natura, longo temporis spatio alimentis ca/rentia, morti debita, fuisse diuino consilio, ab interitu defensa. Sic in deserto, qua/draginta annis non sunt attritæ uestes & calcei. Hoc consilium, hanc potestatẽ di/cit Plato uigere in cœlo, cũ debeat ortum, occidere, labefactari, obsolescere paula/tim, seruari tamen ab omni fraude. Hæcq; perspicua sunt, et manifesta. Hanc suam sen/ten-

ſententiam iterat in Politico, in Republica. In Politico uſus uerbo euidentiſsimo, de cœlo loquens: λαμβάνοντα ἀθανασίαν ἐπισκευασὴν, παρὰ τοῦ δημιουργοῦ: Accipere cœlum immortalitatem fabricatam, extructam ab Opifice. In Republica uerò, uocat cœlum θεῖον γεννητόν, rem diuinam factam, genitam. Clarâq; ſunt omnia, à Proclo in argumentando diſsimulanter præterita. Immortalitas cœli, ſi qua eſt, inquit Plato, non naturalis eſt. omnia enim quæ principium habuerunt, denique diſſoluuntur. Hoc fatur Plato clara uoce. Eſt uis, inquit, cunctis naturis imperitans, cui ſunt omnia facilia, cœlum reddens inſenescibile. Quin ipſe Ariſtoteles ea potiſsimum ratione pugnat contra Platonem, quòd dixerit incorruptibilem rem, cui principium dediſſet. Epicureus item apud Ciceronem hæc de Platone loquitur, eum irridens: Sed illa palmaris quidem, quòd qui non modò natum mundum introduxerit, ſed etiam manu penè factum, is eum dixerit fore ſempiternum. Hunc cenſes primis, ut dicitur, labris guſtaſſe Phyſiologiam, id eſt, Naturæ rationem, qui quicquam quod ortum ſit, putet æternum eſſe poſſe. Quæ eſt enim coagmentatio non diſſolubilis? aut quid eſt, cuius principium aliquod ſit, nihil ſit extremum? Hæc Epicureus, aut Marcus pro eo. Philo autem Iudæus inter Platonicos eximius, eadem in libro de Mundo perhibet. Eadem et Plutarchus, digni omnes, quibus maiorem quàm iuuenibus recentioribusq; hiſce, fidem habeas. Conuenit igitur inter omnes, mundum à Platone creari, ſed non diſſolui. Poteſt'ne igitur tam perfrictam habuiſſe frontem Proclus, ut quæ teſtimonijs confirmarentur, denegaret. Quod autem ex Legibus arguit, Platonem dixiſſe infinities artes natas, & abolitas, hoc item conſideratione digniſsimum, pugnandumq; pro ueritate, & Platone, Oſtendam igitur ex alijs locis, luceq; clarius probabo, ſermonem quo Plato fert artes infinitis temporibus extinctas ac renatas, non deſignare Aeternitatem, ſed plurimum quendam temporum tractum. Accipiam igitur alia loca ex Timæo, ex Politico, quibus expreſſè fatetur mundum creatum, rurſum hunc longum annorum curſum commemorat. In Timæo igitur, ut cognoſcas quod in Legibus ſcripſit, artes infinities aboleri, ac renaſci, non tollere creationem mundi, cum ſcribat clarè, ut Ariſtoteles quoque, & Marcus, & Philo, alijq; plures fatentur de creatione mundi: principio autem tradit ſimilia, atque in Legibus, uel eluuionibus, aut conflagrationibus immanibus, hominum interitum euenire, profectò conſtat eum, qui diluuijs aſſerat homines ſæpe aut conflagrationibus extinctos, non protinus putare mundum ſempiternum. Nam Timæus pariter & creationem memorat, & huiuſmodi diluuia, & exuſtiones. Eundem igitur arbitrandum eſſe ſenſum in Legibus. Conferamus uerò loca. In tertio de Legibus hæc habentur: Arbitror, inquit Athenienſes, à temporum longitudine, & infinitate mutationibusq; crebris natas & euerſas eſſe res publicas. An uerò, inquit, ex quo ciuitates ſunt, & homines Rempublicam tenuerunt, arbitraris te poſſe comprehendere quantum temporis abierit? Nequaquam inquit. Id ergo, Athe-

nienſis ait, infinitum quoddam, & incomprehenſibile ſit. Ommino ſic eſt, inquit ille. An igitur non innumerabiles inuicem ſibi ſuccedentes fuere Reſpublicæ hoc tanto temporis ſpatio, eademq; ratione non pauciores extinctæ? Poſt pauca, An uidentur uobis uera, quæ priſcorum nobis ſermo prodidit, diluuijs, & peſtilentijs, multisq; alijs caſibus ſæpe homines interijſſe, exiguamq; partem remanſiſſe? Hæc ibi, addens eos, qui ad mare habitaſſent, eluuionibus facilius perijſſe, his qui montana tenerent, ſuperſtitibus, uelut quadam humani generis ſcintilla, referens ſcilicet quod ab Aegyptijs audierat, ſed obſcurè, ſeruatam in montibus Ararat arcam, qua uehebatur Noë. Hunc igitur Platonis ſermonem, tametſi tempus infinitum, uariasq; generis humani clades referat, non deſignare tamen Aeternitatem, licet agnoſcere ratione ex Timæo, & Politico. Refert autem in Timæo eadem prorſus, ubi Sacerdos Aegyptius ſic cum Solone loquitur: Iuuenes eſtis animo uos Græci, in quo nihil habetis uetuſtum, nihil tempore diuturnum. Cuius cauſa eſt, quòd ſæpe genus humanum uarijs caſibus perijt et peribit, aut exuſtione, aut eluuione, alijſq; feorſum innumeralibus malis. Tunc igitur qui montes, excelſaq; loca, & arida tenuiſſent, facilius ſunt, quàm qui ad mare, & flumina habitaſſent, concremati. Quo caſu nobis Nilus adiumento fuit, eius beneficio hac calamitate liberatis. Rurſum cum terrã aquis Deus alluerit, montes incolentes, ut paſtores, bubulci, ſeruati, ueſtræ autem urbes, quæ mari adiacerent, fluminum impetu in mare portatæ ſunt. Hæc in Timæo Plato. Cum ergo in Timæo, & uiciſſitudinem diluuiorum incendiorũq; memoret, rurſum clariſſimis uerbis ſcribat de creatione mundi, Ariſtotele cum multis id confitente, profectò liquet ex eo in Legibus ſermone, Platonem de Aeternitate mundi non cogitaſſe, ſed potius de numero quodã diuturno ſeculorũ, quia diluuia, incendiaq; audiſſet, & tempus à condito mundo ignoraret. Sciebat tamen, audieratq; ex libris Mercurij, maiorumq; ſuorum, mundum fuiſſe creatum. Hoc conſtat item ex his, quæ ſcribit eiuſdem generis in Politico. Ibi primùm teſtatur Deum creaſſe cœlũ, ac terram, Deosq; minores gubernaculis præfeciſſe, per omnes mundi partes diſtributos. eodem tamen libro hæc ſcribit: Interitus igitur, & clades maximæ animalibus acciderunt, exiguaq; hominum pars eſt ſeruata. Quibus & aliæ calamitates admirandæ, & inauditæ extiterunt. Hæc ibi, & alia plura Plato, quæ mihi non eſt cura referre. Tantùm conſtet, ſermonem de cataclyſmis, & incendijs, & cladibus hominumq; et artium, non deſignare Platoni mundi Aeternitatem, ſed potius diuturnitatem quandam, hominibus incognitam, quibus ortus mundi non eſſet notus. Neque uerò ſemper infinitum, teſte Ariſtotele, deſignat, cui nullum ſit principium, ſed numeroſum ſæpe, & copioſum, humanaq; mente, non natura, incomprehenſibile. Neſciebat Plato, quod nobis Ieſu Chriſti in terris aduentus attulit, per quem factum eſt, ut creatio mundi & tempus à creatione ſit per totum orbem terrarum inuulgatum: neſciebat inquam quantum ad ſua uſque tempora, ab hominum ſatu proceſſiſſet. Idcirco multa ſecula ſu-

la ſuſpicabatur, ſed longè pauciora erant, quàm ſuſpicaretur, quamq; eũ Aegyptij docuiſſent, apud quos nouem annorum millia (ſed annorum lunarium Plutarchus et alij tradunt) deprehendiſſet. Eſt igitur clara, et perſpicua argumenti dilutio, ipſo ſibi Platone ſuppetias afferente. Quæ porrò uis argumentationis, ingenijq; elegantia, ſi locus unus duntaxat porrigat aliquam de Aeternitate mundi ſuſpitionem, longè plures de creatione teſtantes, conniuenter prætermittere? Plenus eſt Plato ſermonis de mundo condito. Quid poterit igitur unus ille in Legibus locus? Sic claret quo ſenſu ſit accipiendum, quod de cataclyſmis, ac diluuijs, quibus ſemper hominum pars perierit, ſcripſit. Quod tam clarum eſt, ut nugax ſit qui prolixius refellat. Diſſoluet autem Proclus poſtea, ſi ex diluuijs, aut exuſtionibus Aeternitatem aucupatur, quæ mihi quoque ex his ipſis fortaſſe ueriora occurrunt: Aut hæc incendia & diluuia fuiſſe uniuerſalia, aut particularia, ſi primum, deletis omnibus, nemo nunc eſſet ſuperſtes. Si particularia, cur nullis literis comprehenſa ſunt plura annorum millia, ſed totus orbis conuenit, paucis abhinc annis mundum cœpiſſe, ut ſi perierint ſcriptorum maxima pars, omnia perire, quæ ſunt in omni Aeternitate ſcripta, non debuerint? Ad hæc, ratio Naturæ eſt, diluuia, totam aliquam obruentia prouinciam, exiſtere non poſſe, ut poſſunt his aliquæ maritimæ urbes, & caſtella, aut pars inſulæ mergi. Non poteſt, uerbi cauſa, tanta inundare uis aquarum, ut omnem obruat uel Italiam, uel Galliam, aut Germaniam, uel Hiſpaniam. Quicunque Naturæ uires, certasq; rerum & incommutabiles uiciſſitudines elementorum & reciprocationes ponderauerit, uidebit id fieri natura non poſſe. Tantundem eſt in elementis, et rerum compage, caloris, quantum humoris: huiuſce quoq; tantum, quantum illius. Eadem eſt caloris, & aquæ proportio, altero ex altero naſcente, ut inuicem ſeſe delere, quoniam pernicies unius interitus eſſet alterius, non poſſint. Vt ſæpe ſqualores, ut aquæ rapidæ inundationes extiterint, tanta tamen fuerunt, quo ad Natura progredi potuiſſet. Nunquam tandiu pluit, ut ſapientibus, cauſarumq; peritis admirationẽ afferret. Nunquam eo uſque ſqualluit, ut dici potuerit Naturæ limites ſqualorẽ tranſcendiſſe. Neque uerò fuit unquam talis, tantaq; conflagratio (quoniam eſſe non poteſt) qualem apud Solonem iactabant Aegyptij, ut urbes, & gentes fuerint concrematæ. Quanquam de Paleſtinæ conflagratione, diuinitus facta, quod illi fortè neſcierunt, famam audierant, non erat in uniuerſum transferenda. Nec legitur uſquam tantam cœlitus conflagrationem extitiſſe, ut integram prouinciam incenderit. Diluuia uerò prouinciarum nulla legimus, quibus una prouincia, genusq; ſit ſubmerſum. Nam diluuium Deucalionis, teſte Plutarcho, fuit diluuium Noë, referente ſcilicet Deucalionem ex arca columbam, & coruum emiſiſſe. Diluuium autem Ogygis, uix particulam Græciæ alluit. Noſtra quoque tempeſtate Hollandia in medio Rheno, qua mare Oceanum inuehitur, immanibus nimbis, quibus fluuius excreuerat, penè obruta eſt: ſed tametſi parte aliqua demerſa, non oppreſſa to

ta. Quid quòd ipſemet ſtat pro ueritate Plato, dicens eiſdem in locis, quos alluuio preſſiſſet, ſeruari homines in locis editioribus? Semper ergo, ubi fuit diluuium, aliqua pars hominum fuit ſuperſtes, penes quam artes, & literæ, & monimenta remanere potuerunt. Quid quòd hæc diluuia maritimis tantũ urbibus accidere Plato teſtatur? ut ſi detur urbes Italiæ mari ſupero uel infero adiacentes mergi potuiſſe, montana tamen omnis mediterraneæq; regiones calamitatem euaſerint. His igitur claret, ſiue Platonis autoritatem, ſiue rationem ſequaris, nec fuiſſe, neq; unquam eſſe potuiſſe diluuium, quod totam aliquam prouinciam oppreſſerit, ut totum genus, uerbi cauſa, aut Italicum, aut Gallicum, aut Hiſpanum, aquis perierit, quòd ubiq; montes ſunt, plusq; eſt fermè quauis orbis terrarum regione montiũ, quàm terræ campeſtris. Hoc autem omne efficit ut ſi non fuit unquam, nec potuit eſſe diluuium, quo genus ullum, aut prouincia funditus rapta, mergeretur, homines maiore ex parte ſuperſtites, artes & diſciplinas, literas, & libros, memoriasq; retinere debuiſſe. Quid igitur eſt, quòd hæc monumenta nuſquam ſunt? Nuſquam inuenies memorias decem aut uiginti annorum millium? Nam ut ait Lucretius (ſæpe enim homines mali loquuntur bene)

Præterea ſi nulla fuit mundi genitalis origo,
Terrarum & cœli, ſemperq; æterna fuere,
Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Troiæ,
Non alias alij quoq; res cecinere Poëtæ?
Quo tot facta uirũm toties cecidere, nec uſquam
Aeternis famæ monumentis inclyta florent?

Nihil enim ueriſimile eſt in omni Aeternitate, quod ipſi fatentur, nouum eſſe, impreſſuram, uel Grammaticam, aut ullam denique diſciplinam in omni Aeternitate defuiſſe. Putandum eſt, ſi mundus eſt æternus, literas quoque, & ſcriptores, hiſtoricos, & Poëtas innumerabiles ſemper extitiſſe: ut ſi ſcriptorum pars pericrit, plura tamen cum hominibus remanſerint. Quoniam igitur diluuia aut conflagrationes, nec uniuerſum genus hominum, nec aliquam prouinciam extinguere potuerunt, ſed ſi quid id genus calamitatum accidit, uix exiguam prouinciæ particulam rapuit, & in omni Aeternitate, ſi mundus eſt æternus, innumerabiles ſcriptores florere debuerunt, quorum aliqua monumenta, de ſeculis æternis, rebus in æternum geſtis memorarent, id autem nuſquam apparet, certè ratio de cataclyſmis, & exuſtionibus, non modò nulla eſt, ſed potius confirmat mundum paucis abhinc annis exortũ, perindeq; homines et diſciplinas natas, paulatim adoleuiſſe, ad ſummum q; peruenisſe, ſicut homines ſenſim omnes terras repleuerunt. Quod autem de inſula Atlantide, ab Aegyptijs Plato auditum ſcripſit, ingentibus nimbis fuiſſe demerſam, ſcitu digniſsimum eſt, famæ cauſa. Audierat illud Noë diluuium, ut ob humana flagitia non Natura, nec ad Naturæ leges, ſed ſummi Dei conſilio, non modò pluuijs, ſed ſubterraneis portentoſis ſcatebris, omnes terras inundaſſet.

Cumq;

Cumq; de loco ei non adeò liqueret, gratificariq; Reipublicæ ſuæ uellet, cui genus ab ea gente deduceret, cætera quidem mirificè cum ſacris literis conſenſit, locum duntaxat mutauit, quemadmodum ſolitus eſt Homerus, ex Meſopotamia, aut Armenia, in inſulam Atlantidem. Quòd autem terribile illud diluuium, non naturaliter, ſed Dei uoluntate, delere ſceleratos decernentis, Plato accidiſſe uoluerit, & quòd adamußim repræſentet tempeſtatẽ Noë, apparet ex his, quæ ſcribit in eo, qui inſcribitur Critias. Vt enim ante diluuium, ſanctum genus creatum à Deo in terra, mioribus paulatim iniquis deprauari cœpit, donec ſummus Deus de abolitione decerneret: & uidiſſe dicitur, omnem terram ſcelere repletam: ſic refert id genus quæ dam Plato in Critia, Donec progenies illa diuina Atlantica, his in locis à Deo collocata, legibus inſtituta ſuis, ſanctam affinitatem retinuiſſet, iuri, & Deo, cui ſimilis eſſet, beneuolè, & piè paruiſſet, in multa ſecula duraſſe, fuiſſeq; prudentia, et manſuetudine inſignem, contemnentes aurum, omniaq; inferiora uirtute ducentes, nullis immoderatis uoluptatibus à uerò unquam aberraſſe. At ubi ſatus ille diuinus, ſi militudoq; eos ſenſim defeciſſet, humaniq; mores præualuiſſent, tum uerò nihil nõ turpitudinis apud eos uiguiſſe, in iuſtitiam, uiolentiam. Itaq; Deum Deorũ Iouem genus diuinitus natum, tam miſerè affectum conſpicatum, pœnas ei importare, ut meliores redderentur, ſtatuiſſe, deisq; omnibus in pulcherrimo cœli loco, qua media cœli regio eſt, unde deſpicit omnia, congregatis, in hunc modum uerba feciſſe. Omnis igitur hæc hiſtoria, quam obſcurè audierat Plato, & quaſi poëtico more locum tranſtulerat, uidetur referre genus, moresq; eorum, qui ante diluuium floruerunt. Sed ſit quidquid libet, mihi ſatis eſt oſtendere, nihil ibi naturaliter, ſed diuina potentia factum docuiſſe Platonem.

Platonicos priſcos, non quemadmodum affirmat Proclus, mundum æternum dixiſſe, ſed factum. Diluuntur rationes Plutarchi ſub aliorum perſona. Deum creantem mundum, humanisq; rebus conſulentem non laboraſſe, Deum creaſſe hunc mundum non cauſa uoluptatis ſuæ, ſed propter homines, quod Stoici etiam fatentur. Vexationes bonorum, improborum ſecundas res non prohibere quo minus mundus ſit creatus. Cap. VI.

SVPEREST magnorum Platonicorum autoritas, quam oppoſuit uelut aliquid ponderis habentem in aſſerenda Aeternitate mundi Proclus. In quo ſic mẽ dacem eum oſtendam, ſicut in his rationibus, quæ uel ex Platone, uel Natura dedu cebantur. Oſtendam, unquam Plotinum apertè creationem temporis, & mundi prædicantem, Porphyrium autem, & Iamblichum, Simplicium item oblitos erroris ſui: ſi uera dicit Proclus, non ſemper in ea ſententia permanſiſſe. Quæ quoniam in ultimum iocum differuntur, nũc rationes allatas à Plutarcho ſuper Aeternitate mundi, non ſuam, ſed aliorum ſententiam recenſente, in medium afferam: tum ea quæ idem obiecit his, qui trahunt Platonem in Aeternitatem mundi, proponam: quæ & ipſæ, ſicut Ariſtotelis illæ, cum maximè pugnent aduerſus eos, qui mundum anteceſſiſſe Chaos, & confuſionem contendunt, non omnino nobis aduerſantur. Communiter, inquit, uterq; pecca', Anaxagoras ſcilicet & Plato, quòd

Deum faciunt rerum humanarum curantem, huiusq; rei gratia mundũ molientem At, inquit, animal beatum, & incorruptibile, omnibusq; bonis opulentũ, expersq; omnis mali, in amplexu felicitatis, & immortalitatis totum, curam humanarum rerum suspicere non debet. Miser porrò esset, si uelut quidam faber statuarius, aut lignarius, solicitudine, curaq; torqueretur ad molitionem mundi. Iam, Deus quem dicunt creasse, aut in anteriore æternitate non fuit, cũ corpora uel immota erant, uel incompositè iactabantur, aut dormiebat, aut uigilabat, uel horũ neutrum. Primũq; est absurdum. Est enim Deus sempiternus. Secũdum quoq; nulla ratione stat, quòd æternus somnus, æterna mors, nec somnus cadit in Deum, plurimumq; dissita sunt immortalitas Dei, & in mortem inclinatio. Quòd si Deus uigilabat, aut beatitudo deficiebat eum, aut omni beatitudine fruebatur. primum efficit, Deus ut beatus non esset: cui enim perfecta beatitudo nõ suppetit, beatus dici non potest. Quòd si beatus erat, & pulchrè degeret æuum, rerum nouarum molitione delectari non debuit. Quomodo uerò, si Deus est, & eius cura, res hominum gubernantur, uitia, scelera q; locum nobiliorem ferè obtinẽt, indigniorem uirtutes? Agamemnonq; et bonus Rex, & fortis Imperator, ab adultero, et adultera dolo cæsus occubuit. Hercules ei consanguineus, qui monstris hominum uitam expiasset, à Deianira dolosè, uenenata ueste sublatus est. Hæc Plutarchus, siue sua, siue aliorum sententia. Si sua, posse m suis eum testimonijs ubiq; refellere, cũ de uirtute, & pietate sit ei multus ubiq; sermo. Tanquam transfugam, & impostorem coarguam. omnis enim hæc oratio, prò uidentiæ est destructio. Et tamen ipse de his, qui serò à Deo puniantur, optimis allatis, & quales à uera Theologia afferuntur, super eo, rationibus scripsit. Vidit et asseruit à Deo castigari delinquentes, rationemq; cur serò castigentur, uidit et expo suit. Satis igitur mihi est Plutarcho contra Plutarchum. Sed pauca quædam è Naturæ, Philosophiæq; gremio, uera ad ea quæ posuit, petamus. Dico Deum curare res humanas, idq; Philosophos omnes, uno aut altero delyris exceptis, prædicasse. Vt mittam Platonem, Aristotelem, Alexandrum Aphrodiseum, quorum toto hoc operæ uisa sũt testimonia. Ac ratio, quæ mouit eos, perspicua est. Quid est enim melius, ac dignius, quàm Deum gubernare mundum? Eadem autem ratio, quæ persuasit omnibus hominibus Deum curare res humanas, eadem ante creationem eum Dijs et hominibus prospexisse, bonitatem, felicitatemq; communicare suam uoluisse, persuadebit. Quòd uerò dicis, Deum animal beatum, laborare in attendendis rebus humanis non debere: aut uidelicet quia non potest, curaq; uelut mortalis, qui undiq; beatus est, angi nec debet, nec potest, eamq; ob causam quasi ferens ei suppetias, ab hac solicitudine eum eripis: aut quia uel res mortales non indigent, uel indignum Deo est hoc officium. Primum certũ est, animali beato nihil quod agat, laboriosum esse. Neq; enim beatum esset, nisi perfectum esset. Perfectũ autem quidquid agat, in eo sustinere laborem, solicitudineq; torqueri non potest. Quiduis agat Deus, quantum uelit cogitet, nihil potest ei laboriosum esse. Id enim est animal beatum. Quare neq;

neq; mundo creando, neq; prouidendo Deus laborare poteſt. Indigentibus autem rebus humanis aliquo præſide, nónne Deus ſolus, omni mundo maior, poteſt & debet curã ſuſcipere, qui & cæteris prodeſſet, et id ei laudi eſſet? Optimi enim eſt proſpicere, ſi poteſt, regere, moderari (Nihil eſt enim melius, aut præſtãtius bonitate, et beneficẽtia) Deus aũt poteſt, & eſt optimus. Ecce igitur aceruus, Deus poteſt prouidere prouidendo, neq; laborat, neq; interpellatur beatitudo eius: contrà aũt, nobile eſt & glorioſum ſuaq; maieſtate digniſſimũ proſpicere, regioq; hoc munere fungi: poſtulant autem, efflagitantq; humanæ res hanc prouidentiam: prouidet ergo et attendit. Ad hæc Plato, & Mercurius Triſmegiſtus docuerunt, Deum quòd bonus eſſet, molitum hoc omne: futq; bonitas maxima & incommemorabilis, cui ex creatione rerum fieri nulla poſſet ad felicitatem acceſſio, quæſiſſe eadem in homines effundere, quæ poßideret ipſe, bona. Cuncta enim in hoc mundo tandem ad homines reuocantur. Hominũ autem felicitas uera atq; perfecta, ob quam fuerint à Deo creati (Neq; enim eis mortalibus hunc mundum cõdere, admodum profuiſſet, bonaq; ſua uere communicaſſet) eſt, regiones felicißimas ſubire, fortunatis ciuibus, & his qui pulcherrimum uultum eius intuentur, adſcribi. Hoc Deus ſciens, et uidens, perſpectumq; habens, quanta domo ſua ſint gaudia, eſſe humaniſſimi, & qualis ipſe natura eſt, iudicauit, cõdere quos in hoc iucundiſſimo proſpectu collocaret. Duosq; gradus bonitatis, quaſi fontes duos, produxit: alterum iſtius mundi, lucem corpoream, qua uiderentur, ſentirentur res corporeæ, hacq; uita, res minores fruerentur, infimos rerum gradus hoc orbe comprehendens: alterum, quo diuina tantum, beata, læta, ſyncera, ſempiterna, incorrupta, perfecta, cupiditatem, animumq; explentia continerentur. Vides quanta bonitas, quanta gloria, quantum decus eius (Et nihil laboris admittebat, nihil interpellabat ſua gaudia) ex prouidentia inclaruerint. Vtile fuit nobis declarari eius bonitatem, quanquam hoc ei non fuit nouum gaudiũ, cumuluſq; felicitatis ſuæ. Tantũ fuit, quoad ipſe uellet. Lætaturq; quotidie, aut quod in ſacris literis dicitur, triſtatur, uſque quo placitum eſt ei. Aeternus tamen ipſe, res autem creatæ, ne minor gradus, uitaq; infima, maioris ac perfectæ ſit euerſio. Nec poteſt uterque mundus ſempiternus eſſe. Debet autem melior tantum permanere in ſempiternum. Si das meliorem æternum, das inferiorem deſiturum habuiſſe principium. Conſtat igitur magis decere Deum res hominum attendere, quàm ſperneres: falſaq; eſt argumentatio, Deum ſi res humanas curet, ſuam beatitudinem labefactare, quaſi lætitiæ ſuæ mœrorem offundere. Cogitatio, ex humana imbecillitate diuinam naturam iudicans. Quis tibi conceſſerit? Homo prouidendo uexatur, angitur, uritur curis, ſimiliter Deus. Neque uerò Theologia uera, inducit Deum, tanquã Ideam mentis ſuæ intuentem, conſultantemq; de creatione mundi, magnisq; quaſi curis æſtuantem: ſed unico uerbo, ſolaq; cogitatione, quod & à Platonicis traditur, feciſſe: Dixit, & facta ſunt: Mandauit, & creata ſunt. Ideam illam Platonis archetypam, dicemus ipſam Dei ſapientiam, nõ exemplar, in quod uelut lignarius,

aut

aut statuarius inspiceret. Plato quidquid dixerit, non attendam: si uoluero, tuebor dictis Platonicorum, Ideam mundi, diuinam esse Sapientiam, Verbumq; fœcundũ, Mercurio, Philone autore. Vt autem aliam rationem dissoluam, non cõsequitur, Fuit Deus ante mundum, non dormiebat, uigilabat in actione felicitatis suæ, beatissimus: Ergo ad rerum nouarum molitionem non potuit aggredi. Falleris, putas creasse, ut astris tanquam signis, aut æde picta delectaretur, ut adderet quod ad perfectam beatitudinem deesset. Quasi domo, aut familia ante molitionem mundi carentem, domos, homines ædificasset. Hæc suspicio, nobis, qui nihil causa sua, sed nostra, quod placuit etiam Stoicis, Deum fecisse censemus, non obstrepit, iudicamusq; eam puerilem & ineptam. Soluta est igitur ratio, nihil diuinam bonitatem, opulentissimam, felicissimam, sui causa, sed nostra fecisse: quæ si sua fecisse dicitur, eodem pertinet, ut ad se scilicet cuncta reuocaret, quoniam ipse finis omnium. Hoc autem adeò naturale, & clarum est, ut etiam Stoici quemadmodum dixi, id agnouerint. Epicureusq; contra Stoicum apud Marcum Tull. An hæc, inquit, ut ferè dicitis, hominũ causa à Deo constituta sunt? Sapientum ne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. Hoc igitur omittamus. Superest, ut postremum diluamus, quod omnes fermè mortales, pietatem ueram, & non ueram profitentes, torsit: Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia Zelaui super iniquos, pacẽ peccatorum uidens. Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Sic queritur propheta, Vsq; quò Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te uim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, uidere prædam & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, et taces cõculcante impio iustiorem se? Similiter Claudianus:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum res hominum tanta caligine uolui
Aspicerem, lætosq; diu florere nocentes,
Vexariq; pios. Communis igitur omniũ mortalium dubitatio, nec aliud est totus liber Iob, cuius ex parte solutionem illi agnouerunt, perfectè autẽ agnoscere non potuerunt. Quippe nisi ad aliam uitam, cuius etsi scientiam Philosophi tenuerunt, perfectam tamen eius rationem nõ uiderunt, hæc referantur, nulla solutio est. Viderunt autem nonnulli Philosophi, Pythagorei, Plato, perinde ut iustis, ac pijs præmia cœlestia tribuenda essent, sic danda pro meritis æterna supplicia sceleratis. Non igitur huius seculi breuitatem uel in beatitudine uel supplicijs oportet attẽdere, quia sicut nõ sunt digna Deo præmia tẽporaria, sic supplicia debent esse sempiterna. Cumq; opinatus sit cũ multis Plato, pios in cõcilio Deorũ collocandos, impios in profundum tartarum deturbandos, aut certè hoc denegas, aut concedis. Si

denegas,

denegas, primum quæram cur neges, & cur te tantorum uirorum autoritas non ſle ctat. Si concedis, iam intelligis, nihil in hac uita decerni poſſe, ſatisq; ſuppliciorum homicidis, rapacibus, uiolentisq; futurum, cum ad ignes æternos, quod et Poëta no ſter cecinit, adigentur. Sic ſatis præmiorum futurum iuſtis, cum regnis cœleſtibus, ubi gaudiorum, beatitudinisq; omne genus, aſcribentur. Bona uerò temporaria nõ ſolum ceu probitatis eorum præmium, iuſtis non ſunt augenda, ut etiam non cõce denda uideantur, quòd tum diuina liberalitate, ac beneficentia indigna noſcantur, tum ſæpe deprauant, & à uirtute deducunt ad uitia. Paupertas autẽ, aut calamitas ſæpe deſides animos excitatos reddidit meliores, & contenta terreſtri, fluxaq; felici tate, fecit maioris illius cupidiores. Clariorq; uirtus ac perfectior elucet in aduerſis huius mundi, quàm rerũ ſecundarũ perenni ſucceſſu. Illeq; ipſe Hercules, tunc toto terrarum orbe, clariſſimus effectus eſt, cum tyranni crudelitas eum egit exulẽ. Ac ut rationem reddam, cur ſit Agamemnon interfectus, plures poſſunt eſſe. Primũ ut fatali decreto ab adulteris per dolum ſit interemptus, qui filiam Sacerdotis, Numẽ non ueritus, captiuã conſtuprandamq; abduxiſſet, gementiq; patri reddere noluiſ ſet. Sic iniuſtè ſæpe turbamur, & qui cæcos conſiliorũ receſſus, obſcuraq; pectora non perſpicimus, ſola ſuperna ſpecie capti, æquè bona non meritis effundi, ſicut im meritis ſupplicia, calamitatemq; infligi, temerè iudicamus. Vniuerſali humani iudi cij malum. Altera ratio, quam dixi, quòd (ut Philoſophi ingenuè cõfeſſi ſunt, credi tumq; eſt ab omni uetuſtate, ac prædicatũ) præmijs iuſtorum, uel iniuſtorum æter nis conſtitutis, oportet ad meliorem, & ſempiternum ſtatũ hæc referri, ubi ſicut ue rus carcer erit ſceleſtorum, ſic uera præmia bonorum. Tertia ratio eſt, quã uel ipſe Plutarchus attulit, dignius eſſe, atq; honorificentius Deo, grauiter, moderateq; pro cedere, expectare pœnitentes, quàm ſimul, perpetrato crimine, fulmen corripere. Quippe cum nemo ſit qui non peccet, plenaq; uita ſit omnis delinquentium, ſi quo ties peccatur, ſæuirei, breui totum humanũ genus perderet Deus. Clementiaq; ſuæ eſt expectare pœnitentes, ad illatas iniurias conniuere. Nec ſunt tamen diu felices, quos luce, tot ſceleribus perpetratis, putas indignos. Iidemq; illi ſibi ſatis fecerunt. Tolluntur in altũ, ut lapſu grauiore ruant: paucosq; uideas euaſiſſe limina ad uſq; ſenectæ beatos, quorũ in uita, uagata latè crudelitas, impietasq; fuiſſet. Eſſe autem uexationes, aduerſamq; fortunã uirtutis quaſi ſopitæ ſtimulũ, occaſionemq; ad me liora, non noſtri ſolum, ſed ſui quoq; Plato, Epictetus, Simplicius aſſeruerunt. Nec malum eſt Platoni, in Gorgia, malos puniri, quibus cum omni mundo proſit ſcelus expiari. Simplicio autẽ Epictetũ interpretanti, ea de exercitatione in hac humana uita diſſeruntur, ut qui ſe putat immeritum, & quæ non demeruiſſet, perpeſſũ, fa cili poſſit eius oratione mitigari. Sacras enim literas prætereo, nihil in aures noſtras aliud tam magis intonantes. Quarum autoritas eò grauior, potẽtiorq; eſt, quòd nõ modò ſunt à Deo reuelatæ, ſed etiam ualidiſſimas ſecum apportãt rationes breuiſ ſimæ uitæ, bene aut malè factæ, ad futurum iudicium referentes. Aut igitur is, qui

Agamem/

Agamemnonem interfecit, debuit ſubitò rapi ad ſupplicium, aut prohibenda ſceleratà uoluntas fuit. Primum credo non deſideres, ne tibi, innumerabilibusq; alijs idem contingat, ut uel homicidio, uel adulterio, uel alio admiſſo facinore, ſubitò traharis ad pœnas, breuiq; omnis terra deſerta cultoribus ſqualeſcat. Minus etiam qui ſapiens eſt, poſtulet ſecundum, quia quæ ratio prohibendi alterum, uel alterum conſilium fuiſſet, eadem in uniuerſum toto humano arbitrio ſublato ualuiſſet. Fortaſſe ſi Deus meliorem ſententiam obtuliſſet, ille ſcelere uictus, non ſe cohibuiſſet. Pleroſq; enim nec leges, nec pœnarum metus, nec amicorum conſilia frænare potuerunt, plus cupiditati, ac libidini, quàm ratione obſequentes. Si cogites cohiberi occultoq; quaſi motu retrahi debuiſſe, uide quid cogites. Omnes enim actiones malas, & omnes conſiliorum malorum exitus, quorum infinita mentes humanas inſidet multitudo, prohibere oportebit, ut longè paucis exceptis, cætera non noſtro, ſed alterius arbitrio tranſigantur, ſublata laudis, aut uitij materia uera. Melius igitur eſt, ſinere quenq; uoluntate ſua duci, legibus interea, monitis, exemplis, & probitatis, atq; improbitatis præmijs propoſitis, ut qui bene, rectéq; uiuere, cum uiuere peruerſè potuiſſet, maluerit, perinde ac meritus eſt, coronetur: ſic à beatorum choro excludatur, qui ſe factis impijs coinquinauit. Hoc iuſtiſſimum, hoc optimum, quo non licet cogitare melius: perindeq; decorum, atq; pulchrũ eſt dare pœnas delinquentes, ſicut coronare merẽtes. Hæ ſunt ueræ rationes, quas nec Philoſophi ignorauerunt. Satisq; mihi uideor Plutarcho reſpondiſſe.

Diluuntur rationes Epicurei Cottæ & apud Tullium. Earum ſolutionem eſſe, quod ubi Marcus ipſe loquitur, ſecus ſentit. Et ea eſt Academicorum libertas. Platonem non ſuis primũ oculis creationem uidiſſe, ſed apud priſcos legiſſe. Platonem dicere mundum corruptibilem in poſterum, ſed poteſtate opificis non interiturum. Non ociatum eſſe Deum, fruentem ante mundum Diuinitate ſua. Non ſuperſediſſe creatione mundi. Sapientibus & Stultis creando mundo prodeſſe uoluiſſe. Aſſecutumq; eſſe, quòd bonitatem ſuam fecit clariorem. Omnes particulares motus in primum motorem referri. Cap. VII.

AD Epicureum, & Cottam, qui contra creationem mundi, non quòd mundus nõ ſit creatus, ſed non à Deo creatus, apud Ciceronem pugnant ueniamus. Quærit Velleius primùm quibus oculis intueri potuerit Plato fabricam illam tanti operis, quæ ferramenta, qui uectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris. Quemadmodum obedire uoluntati architecti elimenta potuerint. Vnde natæ quinque formæ, quas in Timæo nominat. Quòd mundum factum, aſſerit non interiturum. Prouidentia cur mortalem fecerit mundum, iuxtà Stoicos, non quemadmodum Platonicus Deus, ſempiternum. Cur mundi fabricator repentè extiterit, innumerabilibus antè ſeculis & in omni Aeternitate ceſſator. Laborem non fuiſſe, qui Deum non attingat. Cur Deus delectari quaſi ſignis, ſideribus, & cœlo uoluerit. Si ut melius habitaret, peius ergo habitaſſe in Aeternitate, opusq; ei fuiſſe iſto mundo: ſed neq; quaquã carere uoluptate hac eum tamdiu potuiſſe. Si propter homines, an ſapientes, uel

tes, uel ſtultos: ſapientes eſſe paucos, propter paucos ergo tantam rerum factã mo/
litionem. Stultos autem hoc beneficio affici non debuiſſe. Deinde nihil eum eſſe aſ/
ſecutum, quòd ſtulti ſunt ſemper miſeri, ut naſci nihil eis profuerit. Cottæ uerò ra/
tiões ſũt, Si Deus creaſſet, ac prouideret, bene bonis, malis malè eſſet. Cùm ratione
peruerſè et ad malũ ſẽper homines abutãtur, uel à Deo dari nõ debuiſſe, uel nõ da
tã prorſus. Quòd ea quæ diuina prouidentia facta uideantur, per errorẽ rationi &
menti aſcribantur, cũ Naturæ quædã ſit uniuerſalis neceſsitas, omnes res motibus
ſuis cientis. Sicut reditus tertianæ, aut quartanæ febris, marinorumq; æſtuũ, quorũ
motus etiam certi & conſtantes, nulla ratione gubernentur: eadem neceſsitate, et or
dine, caro diuulſa renaſcitur, arbor cæſa reuireſcit, multa naſcuntur in terra prodi/
gioſa. Quòd contemptoribus, cauillatoribusq; Diuinitatis proſperiores res ſucceſ/
rint, quàm melioribus. Hæc & id genus multa oppoſuit ille. Quorum præcipua,
ueraq; ſolutio eſt, quòd more diſputantium, ingeniumq; oſtentantium, & quãcun
que contradictionem arripientium, egit, & quorũ ſit certa profeſsio, omnia infirma
re, ac refellere, ut ſi uel Solem dicas lucere, profeſsionis ſuæ iura tuentes, parati ſint
contradicere. Quòd autem potius ea ſit arrogans libertas, quæ cuncta ſubuertere
ſibi licere putet, apparet uel inde, quòd contradicendi libidine relicta, eadem illa ſæ
piſsimè confirmauit, quæ fecit Cottam ſubuertere. Satisq; uno erit teſtimonio, quo
ueritatis omnis hæc oppugnatio redarguitur. In Legibus hæc dixit: Nihil porrò tã
aptum eſt ad ius, conditionemq; Naturæ, quod cum dico Legem, à me dici nihil a/
liud intelligi uolo, quàm imperium, ſine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens,
nec hominum uniuerſum genus ſtare, nec rerum Natura omnis, nec ipſe mundus
poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræq;, & hominum uita
iuſsis ſupremæ legis obtemperant. Hæc ille. Idemq;, Orta aũ ſimul eſt cũ mente di
uina. Quamobrem lex uera, atq; princeps apta ad iubendum, & ad uetandum, ra
tio eſt recta, ſummi Iouis. Et, Ergo eſt lex iuſtorum, iniuſtorumq; diſtinctio, ad illam
antiquiſsimam, et rerum omnium principem expreſſa Naturam, ad quam leges ho
minum diriguntur. Hæc dixit qui Cottam induxit, quaſi libidine, uel quæ pulchrè, et
uerè Balbus diſputaſſet, euertendi prouectum, dum & Carneadis petulantiam imi/
tatur, bellũ inferre ueritati. Igitur ingenij fuit oſtentatio, ne uideretur aſſerere et aſ/
ſentiri his, quæ Balbus diſputaſſet. Nam hæc ipſa cum ab illomet dicuntur, tũ uerò
pleno ore laudantur. Et in ſecundo de Diuinatione, ubi ſimili modo quæ frater aſſe
ruiſſet, deſtruxerat. Nec uerò, inquit (id enim diligenter intelligi uolo) ſuperſtitione
tollenda, religio tollitur. Nam & maiorũ inſtituta tueri, ſacris cerimonijsq; retinen
dis, ſapientis eſt. Et eſſe præſtantẽ aliquam, æternamq; Naturã, & eam ſuſpicien/
dam, admirandamq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœleſtium
cogit confiteri. Quibus apertè mentem ſuam declarauit, tollendam quidem ubiq; ſu
perſtitionem, ueritatem retinendam, ueritatẽ autem eſſe, quam pulchritudo mundi
ordoq; rerũ cœleſtium cogat confiteri, eſſe præſtantem aliquam, æternamq; Natu/
ram,

ram, quam homines adorare, uenerariq; deceat, cuius imperio maria, & terræ, omnis deniq; mundus obtemperet. Cottæ igitur rationes ipse resoluit. Nam in Legibus quòq; contra petulantiam Academicorum, & quòd ei non semper placuisset hæc in cunctis ueritatis oppugnatio, sic docuit: Perturbatricem autẽ harum omnium rerum Academiam hanc ab Arcesila & Carneade recentem exoremus ut sileat. Nã si inuaserit in hæc, quæ satis scitè nobis instructa, & composita uidentur, nimias edet ruinas. Epicurei rationes, uel id abunde perimit, et euertit, quòd Epicureus erat, contra quam gentem, eiusq; deliramenta, totis ipse suis libris bellum implacabile gesßit, prosecidit, uexauit, etiam insciticæ, & ignorationis omnium rerum, arrogantiæ præterea, semper eos arguens. Sed pauca quædam cum eo, & quasi præteruolantes, loquamur. Quibus oculis Plato machinam mundi intueri potuerit. Duo respondsa: non suis primum oculis Platonem machinam mũdi, sed apud uetustißimos, cũ primis Aegyptios, aliosq; Græciæ ueteres Theologos, uidisse Pythagoreos, Empedoclem, Philolaum, Pherecydem, Poëtas antiquißimos, Orpheum, Hesiodũ, sed præcipuè Trismegistum, cuius non dogmata modò, sed meras etiam dictiones usurpauit, omnium gentium literis & testimonijs, claris præterea coniecturis in unum congruentibus mundum habuisse principium. His tot testibus, tanto hominũ consensui putauit assentiendum modestißimus Plato, nõ ut temerarius Epicureus, quæ natio in omnem Philosophiam, ueritatẽq; fecit impetũ, ac ceu cæteris Philosophis urbanis, & ciuilibus, ipsi agrestes, rustici, impoliti, rudes consurrexerunt. Quare non multum est ponderis in eorum autoritate. Ad hæc, duplices sunt oculi, animi & corporis: corporis solis uelut homines, Epicurei, sapientioris autem magis animi, quàm corporis utebantur. His oculis Plato uidit fabricam mundi: uidere Epicureus non potuit, quia non habuit. Itaq; miratus est alium uidisse, quod cæcitas eum sua uidere nõ siuit. Eiusdem stuporis cætera, Qui uectes, quæ ferramenta, qui ministri. Si scisset, aut tenere uoluisset quæ maiores de maiestate diuina tradidissent, nec solida temeritate prouectus, ultro desipere uoluisset, uidisset sanè, nullis hic ferramentis opus fuisse, sed quod Marcus ipse paulò antè, mundum, maria, & terras, ei obtẽperantia, sine instrumentis fieri potuisse. Quo modo autẽ Plato dicat mundũ non interiturum, superius expositum est. Congruit autem Stoicorum, & Platonis de mundo corruptibili sententia, quorum autoritati multo magis, quàm Epicureo subijciendum est iudicium. Formas autem illas in Timæo, etsi rectè possint intelligi, ac declarari, nos quidem non laborabimus quales sint, ostendere, nõ Platonem, sed ipsam ueritatem defendentes. Ostensum quoque, fabricatorem mundi non repentè, & quasi ex infinito somno surgentem, aut qui laborem in æternum refugisset, extitisse, arreptumq; fabricandi cupiditate, quod antea non faceret, operi manus admouisse. Delyrantis animi, & humana tantum capientis, nihil se supra corpus attollentis figmenta, ad puriores cogitationes non aspirantis. Aliter Deum in æternum ante, & supra mundum extitisse, & existere, aliter homines uiuere. Non otiari potuisse,

ipſe, cuius eſſet actio beatißima, perennibus gaudijs exuberans, uocantemq; à creatione mundi, non ab eo uacaſſe, quod eſſet beatitudo eius, ſed eo quo carere ſine detrimento poſſet, & quod ubi effectum eſſet, ad beatitudinem eius nihil addiderit. Vt ſi Rex duabus actionibus, altera naturali, digniſſima, grauiſſima, altera nihil ad ſe pertinente, propoſita, hacq; omiſſa, grauiorem, propriamq; ſibi exerceret, eum quaſi otioſum damnes. Non potuit igitur otioſus eſſe, cuius fuit æterna exercitatis ſuæ contemplatione, beatitudo. Eſt enim cognitio, & contemplatio, actio perfectißima. Hoc autem cum ſit felicitas diuina, facile potuit, ac debuit æterna mundi molitione ſupereſſedere. Tunc otioſus fuiſſet, ſi nihil aliud, quod ageret, habuiſſet, & ſi mundana factio, ſola fuiſſet eius, ac naturalis, inſeparabilisq; ſubſtantiæ ſuæ operatio, qualis igni calor, aut aſcenſus ad altum, ſine quibus ignis eſſe non poteſt. Ariſtoteles autem fatetur Deum ex contemplatione ſui, non mundi molitione eſſe beatum. Quoniam igitur una ea potuit beatitudine felicißimus, & contentus eſſe, ut quidquid additum ſit, nullam ad ſuam felicitatem acceßionem fecerit, liquet eum, qui ſine mundi operatione putet Deum otioſum fuiſſe, ipſum potius à ſapiendo, & intelligendo, ſemper otiari. Creatione autem mundi naturaliter Deus in omni æternitate non ſupereſſedit, aut diſtulit ad illud uſque tempus condere, quòd tũ omnis Aeternitas eſt æqualis, nec poteſt in ea fieri dilatio, aut acceleratio, prius aut poſterius, tum naturale fuit ei ſic uiuere, ſic eſſe, quemadmodum mundo, habere principium. Quare nec unica fuit eius uoluptas iſte mundus, qui meliore et præſtantiore frueretur, et ea potuit facile carere, nec quaſi ad habitandũ factus eſt ei mundus. Ariſtoteles enim affirmat, Deum ſic extra mundũ eſſe, ſicut intra mundum. Supereſt quod maioris eſt ponderis argumentum, Quibus ab eo ſit creatus, ſapientibus ne, an ſtultis. Reſpondeo, ſapientibus & inſipientibus. Tum ſi ſolis ſapientibus, nihil mali, nihil abſurdi. Vtrunque probabiliter, optimeq; defendi poſſe: principalius autem, ſolis ſapientibus. Creatus eſt igitur mundus à Deo ſolis ſapientibus. Sapientes autem intelligo, non quales fortaſſe ſentit ipſe Philoſophos, Epicureos, Stoicos, Peripateticos, Platonicos, quorum ſub titulo ſapientiæ, plures ſtultißimi ſunt, & fuerunt ſemper: ſed bonos, innocentes, integros, quorum fuit ſemper magna in omni ætate multitudo. Si nemo ſit qui non peccet, omnis autem qui peccat, ſtultus eſt, maximam tamen peccantium multitudinem pœnitet peccati, hoc ipſo ſapientẽ, quòd errores ſuos agnoſcit. Numerus autem exiguus ille Philoſophorum, tantum abeſt, ut adducat in hanc de mundo ſuſpicionem, ut hos ipſos, ſi pauciores fuiſſent, melius propemodũ futurum fuiſſe, contendã. Nam contra hos, omne pro ueritate certamen, plebe, quã naturalis duceret inſtinctus, ſæpe meliora ſentiente. Soli igitur boni ſunt ſapientes: Hi plures ſunt: pauci autem prodigioſè mali. Longè pauciſſimi, qui ſi uel deprauatiſſimè uiuant, ſæpeq; cupiditatibus uicti, ſcelerata perpetrent, non deniq; ſummum Deum quoq; tempore agnoſcant, & fateantur. Sed demus ſolis bonis factum hunc mundum. Pluris fit, ait Sapiens, unus

bonus à Deo, quàm mille impij. Vt ille, uno Platone satis esse sibi dixit, plebe ab auditorio eius defluente: sic satis erit opifici, si uel pauci bonitatem eius agnoscant & fruantur. Vt agricola plures conserit arbores, nec sperat omnes feliciter pullulaturas: ut qui seminat, scit quòd infelix lolium, & steriles dominabuntur auenæ: dulcius tamen ei est, triticũ quantum quantũ est, legere, quàm triste, auenas comburere: sic tametsi Deus cunctos beatos esse, et sapiẽtes uoluisset, omnibusq; his mundũ condidisset, solos tamen ante oculos habuit, quibus cœlum, & terras conderet sapientes. Quæ est etiam ars, quod elementum, quæ disciplina, quæ instrumenta ad usum & commodum reperta, sed abutentium prauitate nonnunquam perniciosa, quæ soleant magis accusari, quàm ipsi abutentes, et in ea ipsa potius, quàm peccantes, crimen omne conferri? Quis eloquentiã incessuit, in ignem & ferrũ, aquamq; quis criminibus inuectus est, & inuolauit, quòd afferant nonnunquam perniciem? Sic planè, etsi non omnes nati sunt in mundo sapientes, nec mundus accusandus, nec autoris bonitas non admiranda, suspiciendaq; nobis, cuius etsi fuit consilium solertißimum & res sapientiæ suæ magnitudine repertas uoluit optimas esse, desideraruitq; omnes nasci sapientes, nec futuros tamen sapientes omnes animaduertit, omittere, quin crearet, nec uoluit, nec debuit, sed eo uel maximè bonitas eius increbuit apparuit quòd immeritis etiam, & quos prospiceret ingratos sibi, beneficijq; immemores futuros, creauit, promiscueq; cum bonis, & sapientibus, luce & aspectu istius mundi eos frui permisit. Quod quicunq; apud nos faceret, humanissimus haberetur, simillimus Deo prædicaretur. Si, ut inquit orator grauis, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduersariũ amplificare, hæc qui faciat: usque adeò laudatur, ut Deo simillimus iudicetur, cur non ea ipsa efficiens Deus maximè sui similis habeatur, quod factũ ab homine, facit eum simile eius? Imitamini, inquit ipse, Patrem uestrũ, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos et iniustos. Ecce igitur incommemorabilis bonitas, non modo profuisse, ac prodesse gratis, & sapientibus, sed ingratis etiam, insipientibusq;. Sapientibus enim, & insipientibus, dixit alius eius assecla, debitor sum. Cum itaq; diuina uirtus habeatur, uel malis prodesse, ignoscere peccantibus, ingratisq; beneficia præstare, cum Natura instinctu id collaudet suo, extollatq; in hominibus, certè & in Deo erit supremè, à quo supremè uirtus omnis possidetur. laudatur autem, admiratiõniq; habetur ea uirtus, non sine ratione: Fructuosior enim est humanitas, & bonitas, clementia, benignitas, quàm seueritas, durities. Nec fas est propter malos nocere bonis: cùm beneficio bonorũ mali nasci potius, ac uita frui debeant, quàm propter malos uita carere boni. Nec si Deus prospexit fore maiorem numerum stultorum, quàm sapientũ, hanc sapientibus & bonis iniuriã facere eum decuit, ut propter multos illos stultos abstineret à creatione bonorũ: sed quæ sua semper fuit probitas, hunc honorẽ bonis deferre debuit, ut tum hi, quantumuis malorũ agmen consequeretur, conderentur, nec quicquã eorum creationem impediret, tum hoc addoret, ut

ret, ut in eorum gratiam, etiam malis prodesset: quemadmodũ sæpe, charissimis de precantibus, ignoscimus his, qui in nos peccassent: sic cum sciret Iudæorũ pectora dura, pronosq; animos in nequitiã magis quàm æquitatẽ, non omisit, quin legem per Mosen præsens promulgaret, paucos illos bonos, multaq; alia dignissima, spretis & contẽptis tot stultis, magis attendens. Responsio igitur est, (ut summa quæq; complectar) tanquam de bobus, et asinis, muscis, cæterisq; bestijs, Deum de malis, & stultis illis innumerabilibus nihil curasse, attendisse, cogitasse, tum magis eum decuisse usq; quaq; beneficũ esse etiam erga malos & ingratos, cuius uberrima, latissimaq; bonitas non modò non soleat propter stultos, et malos impediri, sed etiam propter bonos prodesse malis. Bonus agricola, non propter loliũ in segetibus coriturum, segetum satum, frugibus uelut ob stirpem malam iratus, dimittit, sed propter segetes bonas sinit cooriri lolium. Hoc apud mortales sapientissimus quisq; facit. Quod autem rogas, quid tandem sit assecutus stultis et sapientibus promiscuè, mundo ædificato, quòd omnes stulti sine dubio sint miserrimi, uel hoc ipso, quòd stulti sunt: dico quòd quanquam hi, qui sine dubio miserrimi sunt, & stulti, non principaliter consilio eius, cum conderet mundum, propositi erant, intuebaturq; magis alia innumerabilia bona, tamen etiam stultis uita et omnis mundi habitatione concessa, assecutus est hoc, quo nihil est cogitare melius, quòd bonitatem suam fecit clariorem, quæ latuisset, si sapientibus duntaxat, gratis, & beneuolis profuisset. Ad hæc quærerem, si possem, qui sint miserrimi. Nam fieri potest, ut miseros et stultos habeas, quos cæteri non habeant. Egoq; ó Epicuree, qui te fortasse unum è paucis illis sapientibus existimabas, miserrimum uel hoc ipso arbitror, quòd hæc flagitia animo concepisti. Ita fortè factũ est, ut eodem iudicio de stultis, & miserrimis, atque tua sapientia, & Philosophia, senseris. Non protinus igitur omnes stulti sunt miserrimi: neque si sunt, fortè eo stultitiæ genere sunt, ut nec unquam nasci debuerint, eisq; uitam datam esse, fuerit reprehensibile. Vidi enim plerosque stultos, postea sapientes. Itaq; non erant illi miserrimi propter stultitiam, ut nunquam nasci debuerint, futuri aliquando sapientes. Plenaq; sic est uita pœnitentium, ac resipiscentium, sicut delinquentium. Quòd si sapientiam, uel stultitiam ad hanc uitam referas, ut stulti sint, quos cruciant cupiditates & ægritudines, sapientes quos non crucient, fingis quæ natura fieri nequeunt, esse sapientes qui careant ægritudine, et cupiditate. Deinde in hoc ipso probatur sapientia, cui necesse est coniunctam esse stultitiam, ut appareat sapientia, ubi stultitia esse potuisset. Falleris item mortalia tantum attendens, de quibus nemo perfectè iudicabit unquam, nisi post uitam consecutura respiciens: quæ uos Epicurei nescientes, aut à uestris maioribus tradita, temerè reijcientes, non mirum, si ferè semper hallucinamini, ut planè stultus sit, cui curæ sit uestram stultitiam coarguere. Sed liberaliter agamus. Quæ uerò Cotta opposuit de rebus aduersis bonorum, secundis malorum, quoniam à Plutarcho obiecta, resoluta sunt: & Marcus ipse, suo sensu loquens, malorum grauiora sup-

plicia demonſtrauit, ut ſi malus, & ſceleratus ſis, id unum ſufficiat ad miſeriam, et docuit, illuſtribus animis pro patria uulnera paſſis, in cœlo patêre locum, ſatis ipſe ſibi reſpondet. Nam in Piſonem dixit, non in eo cui facta eſt iniuria, ſed in ijs qui fecerunt, ſceleris ac conſcientiæ pœnã remanere. Et in Philippicis: Alia ô perditiſſimi homines, et amentiſſimi, ſunt multo miſeriora. Nam quo maior uis eſt animi, quàm corporis, hoc ſunt grauiora ea, quæ concipiuntur animo, quàm illa quæ corpore. Miſerior igitur qui ſuſcipit in ſe ſcelus, quàm is qui alterius facinus ſubire cogitur. Hæc igitur cum ſentiat Marcus ipſe, oſtendens miſeriores ſemper eſſe malos, quàm bonos etiã in hac uita, non opus eſt noſtro hic alio reſponſo. Non enim ſunt beatiores ſcelerati etiam ditiores, & opulentiores. Ad hæc ſi cœlũ recipit inclytos, et qui pro charitate patriæ nullũ laborem recuſarunt, certè ex aduerſo excluſi delinquentes, neceſſariò locum ſceleribus tenent congruentẽ. Sicq; refert Marcus ad aliud, bene & male facta humanæ quàm uitæ huius iudiciũ, ut nemo debeat in hoc mundo turbari ſuper felicitate malorũ, uexatione bonorum. Quod autem arguit, de rationis abuſu, qua pauci rectè ſapienterq; utantur, reſponſum, nullã hanc culpam autoris fuiſſe, cuius ſalutare fuerit ubiq;, benignumq; conſiliũ. Claruit etiam exemplis, nec mortales ipſos, nec Naturam, nec artem propter intermiſta uitia, omittere uirtutes, ſupprimere bona propter mala, ſed contentari uel paucis bonis, quæ cum malorum multitudine compenſet. Exempla quoq; ex Tragœdia, rara ſunt, ut plures ſint qui ea non perpetrent, quàm qui dicantur feciſſe. Quod autem refertur in Naturam, quod mente, & intelligentia prædicetur factũ, ipſe citra contradictionem, ſuam proponens ſententiam, diſſoluit, ſæpeq; ut uidimus, dixit cœlum, et terras, et maria, iuſſis ſupremæ legis obtemperare, et eſſe præſtantẽ quandam, admirandamq; humano generi, ſuſpiciendamq; Naturam, pulchritudinem mundi, rerumq; cœleſtium ordinem declarare. Pro Milone uerò id ex intimis Philoſophiæ templis deprompſit argumentum. Si in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra inſit quiddam, quod uigeat, & ſentiat, & non inerit in hoc tanto Naturæ tam præclaro motu. Niſi fortè idcirco non putemus, quia non appareat, nec cernatur, perinde quaſi noſtram ipſam mentẽ, qua ſapimus, qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus, ac dicimus, uidere, aut plane qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus. Hæc cũ Marcus ipſe pro ſe dicat, & ſentiat, non eſt quod nos in argumentatione Cottæ diluenda laboremus, Philoſophorum omnium accedente conſenſu, uigere in hoc mundo uim quandam, ut animum noſtrum, imuiſibilem, cuius motus ſit is omnis, quem primum uidemus in cœlo, ortu, obituq; ſignorum, tum omnium uiciſſitudinibus, et ordinibus rerum. Quæ uis etſi non uideatur à nobis, ex ipſo toto Naturæ motu, ordinibusq; ſtatis, & certis coniectanda eſt, nec idcirco non putanda, quòd oculis corporeis non ſubiaceat, cum ſeſe rationi affatim offerat. Cæteri philoſophi docuerunt, aut hanc, quæ dicitur Natura, eſſe uim illam diuinam inuiſibilem: aut probauerunt, nunquam motus hos tam conſtantes, & certos, totamq;

rerum

rerum pulchritudinem constare potuisse, nisi ingenti aliqua Mente præside: ut qui dicat Naturam, exclusa Mente, et Intelligentia, nomen inane dicat. Ac quanquam sint nonnulli motus, quos citra opem & consiliũ Mentis uideamus perfici, ut æstus maritimos, ut tertianas, quartanasq; febres, & discedentium cicatricum coitus, re/pullulationemq; arborum, scire opus est, omnes metus particularium rerum à primo, ac maximo motu gubernari, perinde ut qui machina impulsa, uarios motus subitò præstat. Quam rem Aristoteles in libro de Mundo multis declarauit exemplis, Vt qui diuersi generis aues sinu contineat, dato uolatu, cunctæ uarias regiones petant: Aut ab eo, qui dicitur in choro, cantantiũ coryphæus, signo dato, subitõ uarias uoces harmoniamq; exaudias: Aut classico canente, milites arma capiant, alius loricã induat, alius galeam aptet, alius fræna equo immittat, alius ad signum concurrat: Simile quid fieri à magna ac præpotenti Mente, ad cuius nutũ, ac signũ cuncta suis motibus, ordinibusq; cieantur. Accidit autem ut res à primo spiritu natæ uitam, & motum, quosdam & ipse priuatos motus edant: omnis enim uita motus est. In eumq; motus omnes referre necesse est, qui primos, maioresq; motus dedit. Qui igitur corpus humanum formauit, humoribus, & sanguine contemperauit, in eum proculdubio motus omnes, aut principales, aut accidentes, referre necesse est. Siue oculi exterius, siue mens interius agitetur, siue manus, siue pedes moueantur, pulsentur uenæ, cordis item agitatio, furor, cupiditates, cuncta in primum illum formatorem tandem rediguntur. omnem aquæ, omnem ignis motum, quis neget in Creatorem aquæ, et ignis, esse referendos, qui res suis rationibus mobiles creauit? Sunt autem, ut dictum est, quidam principales motus, sunt ex ipsis alij præter intentionem, at ex Natura rerum, accidentes. Formatum est humanum corpus ab Opifice Deo, sanguis additus, & uenæ, et humores, hæc principalia. Natura humorum, & rebus exterius aduentantibus, motus existit tertianæ, & quartanæ febris, in quibus etsi ordo est, est ex ipsa re principali, cui motus, & ordo datus fuit ab opifice. Sic calore, & frigore cuntibus, & redeuntibus, seq; inuicẽ insequentibus fiunt febres. Aestus autem maritimi à littoribus, ad littora cientur, aqua Natura non conquiescente, sed instabiliter semper decurrente, quod certo temporis spatio fieri necesse est. Hoc siue natura aquæ fiat, siue Luna coadiuuet, totum demum referendũ in eum, qui naturas has reperit, nulla ratione dubiũ est. Itaq; cunctis motibus particularibus ad suas causas relatis, & resolutis, uenire tandẽ necesse erit ad unum principium, omnium fontem, inuentoremq; motionum, ad quem, per concatenationem cuncti motus proximi ac distantes, naturales, siue ad tempus accidentes, & extraordinarij, coaptantur. Quare qui quemadmodũ maritimos æstus, febresq;, sic item omnes mundi motus putet sponte sua fieri, non putabit bene, planeq; tota re discussa, cernensq; motus illos ratione carentes, ex alijs motibus habere principium, qui sine intelligentia fieri nulla ratione potuissent. Nec si tertiana febris, sine mente constanter reuertitur, protinus ad humanũ, aut cœleste opificium

aſcendendum, in quibus ordo melior, mirabilis, ſtructura diuina cernitur, ſtata, certa, ſempiterna. Cui niſi Mens præfuiſſet, nunquam tantam pulchritudinem, tantam uenuſtatem, ordinemq; habuiſſet. Quod ut clarum, & omnibus confeſſum prætereo. Alia complura obiecit Cotta, quæ cum ſuperius ſint reſoluta, eum contineantur aliis ſuperius reſponſis, & potius in diſputationem de diuina Prouidentia, conueniant, ut quod non auertat, nec prohibeat mala, cum poſſit, de quo dictum eſt, mittam plura proſequi cum eo.

Diluuntur rationes Simplicij de Aeternitate mundi. Simplicium ægre tuliſſe Ioannem Philoponum rationes Ariſtotelis de Aeternitate motus refutaſſe. Eundem Teologiam Moſaicam contemnentem, non intellexiſſe quæ de luce & Sole creato idem ſcripſit. Non acceſſiſſe Moſen ab Aegyptijs Theologiam, ſed contra, Aegyptios ab eo. Græcos ab Aegyptijs didiciſſe, ut ſi ſit Aegyptiorum fabuloſa Theologia, ſit etiam Græcorũ. Quomodo oporteat intelligi, lucem primum creatam, quarta autem die creatum Solem. Reſoluuntur rationes, quibus Simplicius ex Platone probat æternum mundum. Cap. VIII.

ADeſt Simplicius Aeternitatis acerrimus defenſor, contra Ioannem Grammaticum, pro Proclo credo, in factione mundi, ſuſtinens dogma Ariſtotelis. Cum quo breuibus agam, ſimili atque alij Philoſophi, dementia laborante, & quæ neſciebat, inceſſente: nec cum maioribus ſolum, ſed etiam mirabiliter ſecum pugnante. Stupenda ueſania, cuius fuit ſtudium, humanam uitam, confuſione, impietateq; replere, ueram religionem aut funditus tollere, aut ſuperſtitioſam, poeticamq; allegorijs quaſi conditam, & fucatam, mundo colendam exhibere. Quid autem de moribus, de religione prodeſt diſſerere, quod diligenter accurateq; fecit Simplicius ſuper Epictetum, ſi uel neſciebant religionem, in qua ea præcepta perfectè continentur, aut à qua didicerant, eam inſectabantur, aut quæ de uirtute locuti eſſent, euertebant omnia, ex Aeternitate mundi, alijsq; ſuis dogmatis impijs? Ex quo apparet eos partim impoſtores, ſimulatoresq; probitatis, partim inconſtantes, & leues fuiſſe, modoq; hoc, modò aliud ſtatuentes, aut non uidentes ſummam in dictis ſuis confuſionem, & pugnam. Gratias agamus diuinæ clementiæ, quæ mundo ab impoſturis eorum liberato, fecit id toto terrarum orbe, etiam recentioribus his Philoſophis ſeſe opponentibus, uigere, quod eſſet melius ac uerius, uicitq; potentiſſima ueritas. Simplicius igitur ſuper libris naturalis Philoſophiæ Ariſtotelis, Ioannem Grammaticum Procli leuitatem, & ineptiam, inſcitiamq; ſuper Aeternitate mundi, optimis rationibus refutaſſe, indignè ferens, tumido Philoſophorum ſublato ſupercilio, ſolitaq; inflatus arrogantia, qua ſe ueritatis Deos, uniq; ſibi datum ſapere putant, criminatus eſt primum doctiorem, ac meliorem ſe uirum, tum rationes contra molitionem mundi, præcipuè quam tradidit Moſes, uibrauit, cuius librum cum non intelligeret, quod aliis pleriſque Philoſophis euenit, irriſit quæcunque de rerum creatione ille prodidiſſet. Ac cum maxima pars ſuarum rationum in id ſit intenta, ut Ariſtotelem contra Ioannem Grammaticũ, qui rationes eius ſuper Aeternitate motus coarguerat, defendat (Octauus autem liber commentationũ Philoponi

ſuper

ſuper naturali Philoſophia Ariſtotelis, ad meas manus nondũ peruenit: audire autem aduerſariũ, rationes & argumenta inimici referentem, non adeò fidele eſt, nec certum habet locum, ubi ſiſtat diſputatio) non ſum cum Simplicio pedem collaturus, quoad ipſum Philoponum loquentem audiam. Tantum pauca quædam afferam. Apparet enim Simplicium ineptè ſuperſtitioſum, ſimulq; morbo atq; Proclum, & Porphyrium laborantem, quo Philoſophiã, profanamq; religionem, iam Chriſtiana toto terrarum orbe coruſcante, defendere, proq; ea ſtare inuictis animis conabantur, contra Philoponum, uerbis contumelioſis inuectum. Aperte quidem fatebor quod uidi, & probaui, hoc deteriores Philoſophos fuiſſe, quo poſteriores, ac recentiores. Id quod in Peripateticis, ac Platonicis facilè noſcas, quorum qui uetuſtiores ſunt, meliores, religioſiusq; de Deo, de Prouidentia inuenies loquentes. Iuniores autem cum Aeternitatem defenderent, uetuſtiſſimam Theologiam maiorumq; pietatem peruerterunt, aut fabuloſam iudicauerunt. Cuius nunc exemplum ex ipſo Simplicio proponã. Is cum tueretur Aeternitatẽ motus, apud Ariſtotelem, ſine delectu et ratione ſequens eum, cuius, quia non Deus, ſed homo eſſet, non deberat autoritas iudiciũ & examen ueritatis tollere, contra Philoponũ, qui creationẽ temporis, & motus apud Moſem repertã, ratione roborabat præcipuè quòd rationes Ariſtotelis debiles, & præſtigioſæ nihil conficerent, irriſit Theologiã Moſaicã, eamq; commentitiã appellauit, et cum non intelligeret, quòd quarta die Sol dicatur creatus, prima autem die lux creatrix diei, cenſuit etiam Theologiam fabuloſam. Eius hæc uerba ſunt, Si autem Iudæorũ legislatorem oſtendit dicentem, In principio creauit Deus cœlũ, et terram: Terra autem erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ ſuper faciem abyſſi, et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Deinde cum idẽ creaſſet lucẽ, diremiſſetq; lucem à tenebris, intulit: Et uocauit Deus lucẽ diem, tenebras noctem. Et facta eſt ueſpera, & mane dies una. εἰ οὖν τοῦτον τὸν χρόνον νομίζει γένεσιν, τὸν ἀπὸ χρόνου, γινωσκέτω ὅτι μυθικὴ τις ἡ πραγμάτωσις, οὐ μὴν μύθων ἀλλ' ὑπὲρ μύθων ἐλκυσθεῖσα. ἐπεὶ πῶς εἶχε λόγον, τὸν ἥλιον, τὸν δὲ ἡμέρας εἶναι, ὡς ὁ αὐτὸς μωσῆς φησί, τῇ τετάρτῃ τῶν ἡμερῶν γεγόνεναι? Quæ ſunt, Si igitur hanc creationem temporis ab exordio temporis exiſtimat, norit quòd fabuloſa quædam ſit ea traditio, ex fabulis Aegyptiorum tracta. Qua enim ratione ſtat, Solem diei autorẽ, ſicut & ipſe Moſes perhibet, quarta die extitiſſe? Hæc ille ex irroborata, contentaq; animi obſtimatione unius alicuius ſcriptoris decreta tuendi: ſcilicet quidquid aduerſatur, ſiue uerũ eſt, ſiue falſum, ſiue cœlitus reuelatum, ſiue uetuſtiſſima ſucceſſione proditũ, cæca temeritate tollitur, negatur, commentitium iudicatur. Et hic ille Simplicius eſt, cui Ioannes Philiponus uiſus eſt audaciſſimus, quòd inclyti Ariſtotelis uerba non oſcitãter, quale ſit ab ipſis, admiſit, ſed cenſuit examinãda, diligenterq; perpendenda, nec ſe paſſus eſt autoritate ludificari, impedirique ad notionẽ ueritatis. Cuius igitur fuit maior audacia eius ne, qui Ariſtotelem allatis quæ ſibi uiderentur rationibus,

non fuerit ſecutus, aut eius qui nulla ratione, uetuſtiſſimam Theologiam, quam Plato ueneratus eſt (nam extat dictum Numenij, nihil aliud eſſe Platonem, quàm Moſem Attica lingua loquentem) inſolenter fabuloſam uocarit? Sed his omiſſis rationibus agamus. Dicis fabuloſam traditionẽ, nec tamen cur fabuloſa ſit, demonſtraſti. Sed perſuadeamus nobis duas eum rationes poſuiſſe. Vnam, quòd hæc de creatione mundi traditio, ducta ſit ex fabulis Aegyptiorum: altera quòd in ea ſit contradictio, autorem dici lumen primum eſſe creatum: quarta autem die referre Moſen creatum Solem. Oportebat igitur hominem acutum, prius probare, & hanc traditionem Aegyptiam eſſe. Deinde ſi uel Aegyptia eſſet, cur fabuloſa eſſet. Furore igitur & libidine contradicendi cæcus, duo poſuit falſiſſima, aut certè parum conſiderata. Falſum enim eſt, hanc traditionem ab Aegyptijs narrationibus deſumptam. Omnium enim ſcriptorum iudicio, & omnibus rationibus, Moſes eſt omnium, qui ſcripſerunt, antiquiſſimus. Neq; Chaldæorum, aut Aegyptiorum, uel Græcorum, & Phœnicum, quæ ſunt uetuſtiores nationes, habetur ſcriptor ullus, aut traditur fuiſſe Moſe uetuſtior. Quin ille Mercurius ter Maximus, Aegyptiæ Theologiæ pater, poſt Moſem temporibus enumeratis inuenitur floruiſſe. Obſeruatumq; à Græcis Theologis, eum etiam meras dictiones Moſaicas, ubi et ipſe de creatione ſcripſit, uſurpaſſe. Duo ſunt qui uetuſtiſſimi omnium, quos ueteres Græciæ Philoſophi ſecuti ſunt, narrantur, ceu Theologiæ principes, Zoroaſter apud Perſas, Triſmegiſtus apud Aegyptios. Nam Linus & Orpheus, cæteriq; horum æquales in Græcia, longè poſt eos floruerunt. His autem duobus, ſi quis ætates enumeret, multos annos Moſem inueniet antiquiorem. Ac qui putet quæ ſcripſit Moſes, ex Aegyptijs monumentis deſumpta, non poteſt ex alio Aegyptio ſcriptore deſumpta putare, quàm Triſmegiſto. Neq; enim extat antiquior quiſquam, qui de creatione mundi ſcripſerit, & qui peruenerit ad manus Simplicij, non peruenerit ad Platonis, Platonicorum, ſuperiorumq; manus. Sed cum probet uera ſeculorum ſupputatio, Triſmegiſtum multo poſt Moſen floruiſſe non ne fuit is impudentiſſimus, conſideratæq; uanitatis, qui contendat, quæ ſcripſit Moſes, ſumpta ex Aegyptijs, cũ Aegyptij ſumpſerint ex Moſe? Hæc igitur erit prima ratio falſitatis, quòd in contrariũ, Geneſin Moſis dicat ab Aegyptijs acceptã, cum contrà ſumpſerint ex Moſe potius Aegyptij. Quod clarũ fit, tum temporibus conſideratis, tum ſcriptis utriuſq; Theologi diligenter perſpectis. Secunda ratio coarguit hominem, qui de Moſe, quem non noſtri modò, ſed profani ſemper admirati ſunt, ſummisq; laudibus extulerunt, quem facit uenerabilem, ueridicumq; ipſa uetuſtas, tam impudenter contumelioſeq; ſit locutus, inſolentem et temerariũ, nec aliud præter Philoſophorũ arrogans ſupercilium tenentem: qui falſa & fabuloſa ferat eum ſcripſiſſe, quem non modò ſcripta eius, ſed omnes etiã mortales agnoſcunt & fatentur ſapientiſſimum, & optimum, qui primus Hebræos ex impijs erroribus Aegyptiorũ auxilio cœleſti liberatos, ſummi ac ſingularis Dei ſcientia initiauit: Ac

ut

ut taceam alios, fidelem unum teſtem proferam Strabonem, qui curioſiſſimè gentes, locaq; omnia luſtrauit, ritus moresq; omnium diligenter exquiſiuit Is cum non eſſet Chriſtianus, ſed tamen cui certum eſſet uera ſcribere, non Philoſophorum more, qui dum ſtare Ariſtotelis dogmata uolunt, omnem ueritatē nituntur euertere, de Moſe ſcripſit, primū referens famam eſſe, quod multos forte fefellit, genitores gentis Iudaicæ Aegyptios eſſe. Moſes enim, inquit, quidam ſacerdos Aegyptius, cū partem Aegypti obtineret, deſtomachatus Aegyptiorum mores, inde in Iudæam demigrauit. Secutiq; eum ſunt plures τιμῶντες τὸ θεῖον, quibus Dei cultus charus eſſet. Dicebat enim ille, & docebat quòd non rectè ſentirent Aegyptij, iumentis & reptilibus diuinitatem aſſimilantes. Minus Libes, & Græci, qui Deum humana forma fingerent. Eſſe enim Deum id ſolū, quod nos omnes, & maria & terras (quod omne cœlum & mundum, rerumq; naturā uocamus) ſuſtinet, & continet. Huic igitur ullam ex his, quæ ſunt apud nos, figuram quis ſanæ mentis audeat aptare? Sed oportere omnia ſimulachra relinquere dicebat, poſitoq; ſatis pro dignitate exemplo, ſine figura hic Deum colore: indormireq;, et incubare, pro ſe et alijs, bona ſomnia, ac munus ſemper aliquod ac ſignum à Deo expectantes, qui ſobriè & iuſtè uiuant: cæteros autem minimè expectare oportere. Ille, inquit, talia dicens, perſuaſit bonis & ſanis, deduxitq; in hunc locum, qui ſe non armis, ſed ſacris, & ipſo Deo tuerentur. Aliaq; multa Strabo, addens nouiſſimè Moſem unum fuiſſe, qui diuinis alloquijs, & oraculis aſſueti, referrent ad homines à Deo præcepta propemodum oſtendens, quod clarum eſt etiam, & confeſſum apud nos, quæ ſcripſerit, ex ore diuino, cœleſtiq; oraculo Moſen excepiſſe. Cū igitur Moſes fuerit optimus, ac pius, doctorq; pietatis, quiq; Aegyptiorū impietates execratus, cuius gentis inquilinus, non oriundus fuit, docuerit Hebræos aliam uitæ rationem: & cum hi, qui Deum colunt, aliosq; ad id cohortantur, ueritatis, non mendacij ſint ſtudioſi, & cum alios ab errore, & impietate declinare Moſes docuiſſet, non ne par eſt, eum maximè ueridicum fuiſſe, præcipuè ſcribentem, quo nihil eſſe, ac melius poteſt, Deum autorem eſſe cœli & terræ, eumq; unum inuiſibilem, infiguratum oportere colere? Quis arguet mendacij, niſi mendaciſſimus, eum, cuius optimus animus ubiq; cernitur, ſcriptaq; eius teſtantur, eum nec gloriæ, nec imperij, aut pecuniarum, ſed ſolius uirtutis, ac pietatis cupidum, meliorem uitam homines docuiſſe, quæ in eo potiſſimum uerſatur, ut ueram Dei teneas ſcientiam, pro comperto habens, eum cunctarū rerum autorem eſſe? Cum igitur teſtimonia (alios enim prætereo paria atq; Strabonem referentes) doceant Moſen iuſtiſſimum, ac ueridicum, ſcriptaq; eius teſtentur, ſingulariſ eum probitatis, ſapientiæq; fuiſſe, hæq; ratio abunde refellat, qui dicat eum fabuloſa, commentitiaq; de rerum conditione ſcripſiſſe, eſt alia quoque ratio, quòd in ea hiſtoria nihil eſt implicatum, nihil excogitatum, optatum, ſed adeò primum ſimplex eſt, ut appareat ſcriptorē eo modò res retuliſſe, quo factæ fuiſſent, nihil addentem, nihil polientem, nuſquam elegantiam captantem. Ad hæc temporum, perſo-

narum continuatio, ac quaſi concatenatio, ſeculorum ad amuſsim relatus ordo, nomina gentium, ac prouinciarum, quæ nunc uſque perſeuerant, regnorum, exordia, deſcriptionesq; rerum geſtarum, quarum nunc etiam extant indicia, ut deflagrationis in Palæſtina, hæc omnia docent abunde eius hiſtoriæ autorem fuiſſe ueracem, non fabulas, ſed ueriſsima ſcripſiſſe. Huc adde, quòd facile poſsis, ſi uelis, unicuique narratæ rei à Moſe, petere ex ſcriptoribus profanis duo & tria, pluraq; teſtimonia: ut ſi uelis de creato homine à Deo uera eum ſcripſiſſe docere, poſsis ex teſtimonijs profanorum ſcriptorum etiam roborare. Sic de creationis ordine, poſtea de diluuio, de Gigantibus, quod factum eſt hoc opere, & alijs ſcriptis, fecerunt eruditiſsimi apud Græcos. Et Ioſephus contra Appionẽ Grammaticũ, multorum ſcriptorum teſtimonijs antiquitatem, primatumq; ſuæ gentis ſatis oſtendit. Philoq; Iudæus Philoſophis admirandus, docuit Chaldæos fuiſſe genitores Hebraicæ gentis, ut tametſi natus in Aegypto Moſes eſt, pietas tamen & doctrina, ac ſapientia, cognitio´que creationis mundi uenerit à maioribus ſuis, qui norant per petuis maiorum ſuorum relationibus, non infinitis quidem illis, ſed infra breue tempus conſtrictis, mundum fuiſſe creatum. Nam Abraham, ad cuius tempora peruenerunt anni Noë, potuit ab eo non ſolum de diluuio, ſed etiam de creatione mundi audiſſe. Quippe Noë uidit & cognouit Matuſalem: is uidit, & cognouit primum hominem, à Deo creatum. Potuitq; Abraham audiſſe eum, qui referret uidiſſe ſe eum, qui creatum à Deo uidiſſet. Hæc igitur temporum propinquitas, relationem creati mundi facilem, memorabilemq; continet. Non erat cur Moſes hanc ſcientiam ab Aegyptijs mutuaret, cum maiores ſui, Aegyptijs uetuſtiores, eam optimè tenerent, in primis Abraham, Iſaac, & Iacob, qui cum ſcirent perſpectiſsimeq; noſſent, Deum paucis antè annis, hominem mundumq; creaſſe, uenerabantur eum, & colebant, Creatoremq; mundi & humani generis appellabant. Abrahamq; dixit, Leuo manum meam, ad Dominum meum, poſſeſſorem cœli, & terræ. Melkizedek uerò ibidem benedicens, Benedictus, inquit, Abraham, Deo excelſo, qui creauit cœlum, & terram. Ecce uterque non Aegyptius, norant & fatebantur Deum creaſſe cœlum & terram. Quare non fuit opus Moſi ab Aegyptijs hanc ſcientiam petere, quam longè melius, & incorruptius maiores ſui tenuiſſent. Et apparuit enim ſæpiſsimè Deus patribus, ac maioribus ipſius Moſis, quibus oſtendebat ſe Creatorem cœli, & terræ, & prædicabat omnipotentem, id quod ſemper ab anteceſſoribus ſuis audierãt. His ergo rationibus non coactus uti præceptoribus Aegyptijs, didicit creationem mundi Moſes, tribus ſcilicet: Vna, quòd maiores ſui, quibus apparuit Deus, docens ſe Creatorem, reliquerunt poſteris eam ſcientiam: Secunda quòd ijdem maiores, ac progenitores, ab anteceſſoribus ſuis perpetua ſucceßione in domo Hebræorum remanente, audierant, feruebatq; de Creatione mundi apud omnes ſermo: Tertia, quòd Deus etiam ipſi Moſi apparuit, ſeq; omnipotentem ei, creatoremq; monſtrauit, & prædicauit, ſe

uit, ſæpius id Moſes audiuit. Sed reuertor ad tertiam rationem, qua temeritas, ſummaq; cæcitas Simplicij comprobetur. Nam ſi uel concedam doctrinam Moſaicam ab Aegyptijs manaſſe, non modò non habendam ob hanc cauſam fabuloſam, ſed uenerabilem, amplexandamq; probabo. Luce clarius oſtendam omnem Græcorum Theologiam, quicunque eam tractauerint, ſiue recentiores, ſiue uetuſtiores, (uetuſtiores dico ut Orpheus, Muſæus, Linus: recentiores, Pythagoras, Anaxagoras, Empedocles, & Plato) non modò qui conferat, agniturum eam Aegyptiam, ſed ipſorum etiam hanc eſſe confeßionem, quicquid Græci de Deo, diuinisq; rebus eſſent locuti, à Barbaris, cũ primis Aegyptijs, qui ſunt Græcis uiciniores, allatum. Hoc Plato cõfeſſus eſt apertè in Cratylo, & in Timæo. In Sympoſio, & Phædro eſt honorifica mentio de Mercurio Triſmegiſto. Hoc Plutarchus, & Strabo, Iamblichus, & Proclus, qui paribus teſtimonijs perhibent, Philoſophos Græcorum, ad Aegyptios uti præceptores adijſſe. Tota fermè Platonis de generatione mũdi Theologia, nominibus ſermonisq; tenore conſiderato, quam prior Timæus didicerat, Triſmegiſti eſt. Quòd autem ſapientißimi Græcorum, Aegyptiorum ſibi myſteria indaganda, noſcendaq; cenſuerint, ſit nunc, multis alijs poſthabitis, Plutarchus teſtis. In eo qui inſcribitur de Iſide, & Oſiride, Teſtantur, inquit, quàm ueneranda ſit Aegyptia Theologia, Græcorum ſapientißimi, Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & ut alij ferunt, etiam Lycurgus, qui in Aegyptum uenerunt, uſiq; ſunt commertio Sacerdotum. Ferturq; Eudoxus audiſſe Chunepheũ, Solon Sonechitum Saitam, Pythagoras Aenopheum Heliopolitam. Præcipueq; Pythagoras admiratus eos, imitatus eſt rationem ſymbolorum ac myſteriorum, ænigmatis ea inuoluens. Nam ab his, quæ dicuntur literæ Hieroglyphicæ, nihil propè diſcrepãt præcepta Pythagorica. Vt eſt, Super ſede ne comedas: Super choenice ne ſedeas: Ne plantes palmam: Ignem gladio ne diuerberes. Huc uſque Plutarchus. Ex his igitur conſtat, Simplicium dum mordicus Philoponum inſectatur, dum magis quàm deceat, Ariſtotelem admiratur, putat irrefragabiliter locutum homini non huamnam, ſed diuinam tribuens autoritatem, non modò uetuſtißimam Hebræorum Theologiam, omnibus hominibus, & ſeculis uenerabilem, contempſiſſe, ſed maiores ſuos, ſuperioresq; Philoſophos Aegyptiã Theologiam admiratos, & amplexos, præcipuè Platonẽ, inſigni contumelia affeciſſe. Si enim fabuloſa eſt Hebraica, et Aegyptia Theologia, ſecuti ſunt fabulas, qui ad Hebræos, & Aegyptios cauſa diſcendi ſe contulerunt. Plusq; uidit unus Simplicius, quàm omnis Græcia. Sed ad id ueniamus quòd eum maximè fefellit, ac ludificauit, ut dentem in libro Moſis, lucem cauſam Diei, quarta die creari. Quo loco, primum dicendum eſt, non hoc ſolum quo fabuloſam eam narrationem oſtenderet, ſed totam hiſtoriam fuiſſe conſiderandam. Neque ſi quo in loco obſcuritas eſſet, aut implicatio, debuit omnem hiſtoriæ fidem ſubuertere. Erant alia perſpicienda, quæ ſi uera, ſi cohærentia, ſi ſapienter dicta uiderentur, horum bonitas, debuit obſcu-

ritatem

ritatem uñius loci defendere, nõ ex obſcuro loco cæterorum claritas denigrari. Cũ ergo reliqua hiſtoria ſit mirabilis, ſit diuina, credendum erat locum illum obſcurum quidem, & ignotum ſibi, non falſum eſſe. Sed quid his faciat, quibus certum eſt, uno mortali nec ſatis probo homine, ſuis rationibus motum æternum colligente, cæteris quidquid dixerint, nihil credere, nihil attendere? Qui morbus non modò in hoc, ſed alijs longè clariſſimis rebus toto humano generi graſſatur, dum ſæpe malè affecti, plus credimus falſa loquenti, quàm uera. Quod ergo reddidit eũ dubium, fabuloſumq; ea de cauſa putauit: mihi etſi dubium eſt, & obſcurum, non eſt protinus fabuloſum. Quis eſt enim alicuius ingenij, qui ad iſtum modum, in ſcriptis omnium Philoſophorum, ab una re obſcura colligeret, uniuerſum autorem mendacem? Declaro igitur locum, ac declarauí in mea Coſmopœia, quòd tametſi multi ſint myſticè interpretati primam lucem fuiſſe naturam Angelicam, quorum mihi expoſitio, quoniam hanc lucem narrat Moſes diem feciſſe, nulla ratione probatur: uerius eſſe, ac melius lucem illam, ut docuit Moſes, fuiſſe Solem, quòd tum in ſacris literis nomen lucis creberrimè ſit nomen Solis, tum nihil fuerit naturalius, qui ſit omnium corporearum formarum, omnis mundanæ uitæ autor, præſes, ac principium cunctarum apparentium rerum, primum poſt informia primordia eſſe creatum. Ac Moſes naturaliſſimè, & ut uenire in mentem melius non poſſit, primum recenſuit creata duo rerum inter ſe commiſta principia, tanquam mundi fundamentũ, tanquam Embryonem, terram, & aquam: Mox autem ceu tertium atq; agens principium, quod adiunctum terræ & aquæ, omne genus formas produceret, effectam lucem. Omnium enim rerum terreſtrium, cauſa ſunt terra, & aqua, & Sol. Prima duo uelut accipientia, rationemq; fœminæ habentia, tertium uelut maſculũ, imprimens in ea calorem et lucem genitalem. Decuit autem terram et aquam priores fieri, ob multas cauſas: præcipuã uerò, quòd ex aqua omniũ ueterũ Philoſophorũ cõſenſu ſelecta, puriſſimeq; abſtracta fuit ætherea ſubſtantia, ex eaq; Sol factus, & omnia lumina cœleſtia: Non enim moror hic Ariſtotelis autoritatem, ſed ſequor non modò uetuſtiſſimæ Theologiæ ſententiam, uerumetiam rationem, & exempla, cum uideas nubes aquoſas colliſas, horrenda in nocte largam exhibere lucem: ſic Lumina per aërem uolantia, ſtellasq; cadentes uidemus & ſcimus ex humoribus & uaporibus generari, eiuſmodi quandam naturam cogitantes eſſe lucem cœleſtem, artificioſius ab autore ſapientiſſimo compactam, ac denſatam. Sed quoniam poteſt facile perſuaderi, lucem illam primogenitam fuiſſe Solem: obſcuritas autem omnis inde eſt, quod quarta die dicitur effectus: quod nulla ratione cohærere poſſit, cum lux cauſa diei ſit effecta prior: ut non ſolum non potuerit creari quarta Die Sol, ſed ne prima quidem: quoniam nulla fuit Dies ante Solem creatum: Dicendum igitur, duoq; ab his qui hæc legent, obſeruari poſtulanda: Vnum ut attentè conſiderent, agnoſcantq; falſo dici, uulgoq; iactari, & ſcribi, hãc uel illam rem factam prima, uel ſecunda, uel tertia die. Vt prima die ſit facta lux, ſecunda

cunda cœlum, tertia patefacta terra, quarta creatus Sol. Dico hoc & falsum esse, & impossibile, nec à Mose scriptum, sed historiam eius hoc habere. Primò res ipsas fuisse creatas, pòst dies fuisse secutas, & circumuolutas. Nec deputasse Mosen Opifici summo, dies, quibus, ut solent homines, operaretur, nocte ab opere quieturus, ac quasi dormiturus discederet. Dico, & obseruandum ab omnibus prædico, non esse facta opera illa, in hoc, & illo die, ut manè exorto Sole, ad opus quasi surgens è stratis Opifex accederet: sed eum dico sine diebus operatũ: operante autem eo, exactos fuisse sex dies. Nam quando Deus est opus mundanum aggressus, nulla dies fuit primũq; opus ab eo non fuit factum in die, sed facto opere, Dies secuta est. Aspice & consule Mosen, uidebis eum apertè fatentẽ, cum crearetur lux, nullam diem fuisse, sed luce creata, diem apparuisse: creata autẽ luce, ordine naturali secuta sunt cætera opera: effectus est aër, quo effecto, secunda dies expleta est. Vt primũ aër est à luce flagranti selectus ex aquis, eodem tempore terra nuda remansit, quæ humida remansit, quæ humida ob recentes, aquas, inflammataq; à Sole, non stirpes modò, sed etiam terrestria, aquaticaq; animalia produxit, ut Nilo in alueum redeunte, totamq; Aegyptum humidam relinquente, nascuntur monstra, uersisq; animalia glebis aratores inueniunt. Hæc igitur omnia, non fiebant in die, sed his rebus effectis, trium dierum interuallum absolutum fuit. Verisimile enim est, cum primum lux est creata, subitò uagari cœpisse, aquasq; inflammantem eas in aërem extenuasse, illo uidelicet primo die. Attamen aër fertur secunda die creatus. Hoc interuallo scias, beneq; perpendas, non modò terrestria, sed etiam cœlestia fuisse absoluta. Perfectum est enim cœleste, & terrestre opus hoc spatio, narrante diuina historia, prius terrestria facta, quæ ab illa primogenita luce dependebant, intermissisq; rebus terrestribus, quibus naturale trium dierum spatium attribuerat, subitò reuertitur ad opus cœleste, quia narrata prima re, & ab ea paulum digressa, uenerat ad terrestria. Vides igitur, quòd non dicit creata quarto die sidera, Solem, Lunam, stellas: sed ideo uidentur dici ab ea quarta die, creata, quia omissa fuerat narratio rerũ cœlestium, ut breui facta digressione, mox repeteretur. Ea repetita, non fuit quarta dies ipsarum rerum creandarum: sed ideo fuit, quia tres dies opere terrestri fuerant exacti, & narrati: reuocato opere cœlesti, oportuit addere, & dicere diem quartum: non quòd præcisè factum in ea die fuerit opus, sed facto, et absoluto, ac narrato terrestri, ac cœlesti opere, circumuolutum est spatium quatuor dierum. Audi, & attende, quòd non est deputata unicuiq; rei dies una. Quũ enim fieri potest, cum prima lux, dum crearetur, nullam habuerit diem? Si non prima res, ne secunda quidem, nec tertia, nec quarta eodem ordine. Idcirco autem non est certa dies primis illis rebus deputata, quòd die, & noctu fierent: & tum lux facta est non in die, tum nonnullæ res, quæ uidentur dici certa die creatæ, tribus aut quatuor diebus sunt factæ. Credendũ est enim, ut dixi, ubi lux apparuisset, aërem ex aqua flammis suis feciſſe, prima ſcilicet die & ſecunda: credendum quoq; eadem die, terras nudari cœ

piſſe,

piſſe, nudatas eodem tempore et herbas, plantasq; produxiſſe, et animaliũ corpora informaſſe: ſic dũ hæc in terris fierent, ſidera cœperunt toto efferueſcere cœlo. Dicitur igitur dies non quidem uniuerſo operi, ſed perfectioni, abſolutioni. Sic ubi abſolutum fuit omne opus cœleſte, dicitur ueſpere quartæ diei affuiſſe, cum creato Sole non in die, conſecuta eſt creatio omnium ſtellarum: ſed ipſis expletis, abſolutæ ſunt quatuor dies. Hoc igitur obſeruato, quod quidem omnibus ſcriptoribus eſt uſitatiſſimum, qui prius principium alicuius rei attingentes, eamq; intermittentes narrando, quæ non intermitteretur operando, mox redeunt ad primam rem, quam breuiter attigiſſent, narrantq; tempus exactũ his rebus fiendis, quod ad prima, & ſecunda ſpectat. Conſtat etiam Moſen non retuliſſe quarta die creatum Solem, neq; hũc diem operi cœleſti deputaſſe, ſed cum principiũ operis cœleſtis breuiter narraſſet, ſolam ſcilicet lucẽ, aut Solem, moxq; ad terreſtria deſcendiſſet, iterum rediiſſe ad id quod narraſſe cœpiſſet. Ac dico eodem tempore, eodemq; ſpatio, creatũ fuiſſe Solem, Lunam, Sidera, omnemq; ſubſtantiam cœleſtem: ſed cum narratio ueniſſet ad terreſtria, pauloq; pòſt reuerſa eſſet ad cœleſtia, repetitum eſſe totum cœleſte opus cum ea re, quæ prius fuiſſet expoſita. Propoſitum fuit exemplum in Coſmopœia, quia naturale eſt, ex ſcriptoribus profanis. Ouidius, qui Geneſim mundi, pariter atq; Moſes decantabat, cum prius dixiſſet magnum illum Opificem, certos rebus, & uentis ſitus dediſſe, retulit interim ſidera nata. At quomodo id factum eſt, ſi uenti, omniaq; terreſtria, quæ fiunt à ſideribus ſequi poſt ſidera debuerant?

Vix ita limitibus diſcreuerat omnia certis,
Cum quæ preſſa diu, maſſa latuere ſub ipſa,
Sidera cœperunt toto efferueſcere cœlo.

Ecce ſcribit eodem fermè modo atq; Moſes. Vt Moſes narrata luce, et die, perſequitur res terreſtres, mox reuertitur ad ſidera: cum ſiderib. autem Solẽ ſidus maximũ neceſſe fuit comprehendere: ſic ille cum uentos, cũ tractus aërios, cum ſitus elementorum deſcripſiſſet, ante quæ neceſſe fuit eſſe ſidera, tamen quoniam cuncta narrare ſtatuerat, ait, ſidera, quæ ſub maſſa, ſubſtantiaq; ætheria latuiſſent, efferueſcere interim cœpiſſe. Tale quiddam memorat Moſes, dum fieret aër, dum plantæ, et animalia in terris coorirentur. Ecce, inquit, ab eodẽ Deo ſidera quoq; ſub illa ætheria maſſa deliteſcebant, creabantur, rutilabant per omne cœlũ. Ac quaſi præteritũ perfectũ Moſis, Dixit quoq; Deus, fiant luminaria in firmamento cœli: intelligi debet ceu præteritum pluſquamperfectum, ut loquatur ad hunc modum, Dixerat quoq; Deus, ut fierent luminaria in firmamento cœli. Hæc autem luminaria erant nõ modò Sol, de quo principio dixi, ſed etiam Luna & ſtellæ, quæ prius omiſeram. Maiora autem ſidera, quod antea tibi non indicauerã, Iuſſit eſſe in ſigna, dies, & annos, ut lucerent, ut deſignarent omnia. Hoc autem omni opere abſoluto, fuit ueſperæ quartæ diei, & mane ſequentis. Sic Moſes. Vides igitur quàm ea narratio ſit naturalis, neceſſaria? Quamq; uitare non poſſimus, quin aliquid prius exorſi, paulum digredientes

gredientes alia complectamur, rursum quod fuerat inchoatum, & omissum, repetamus. Dico igitur sapientissimè, naturaliterq; scripsisse Mosen, factum esse Solem primum. Semel quidem factus est Sol à Deo, bis à Mose descriptus, propter narrationis ordinem, ut aduocaret sidera effruescentia, superius omissa. Quartus autem dies non est huic operi, sicut nec primus primo deputatus, sed opere toto absoluto à Deo, narrato à Mose, exactũ est spatiũ quatuor dierũ. Adi ipsum Poëtam, ubi cũcta cœlestia, ac terrestria posuisset, ut ordo clarior esset, & aptior, iterum dixit:

Hæc super imposuit liquidum, & leuitate carentem,
Aethera, nec quicquam terrenæ fecis habentem.

At hoc antecedere debuerat ea, quæ prius descripsisti, motũ oceani, uentos, ortus, obitusq; signorum. Repetisti igitur, sicut Moses reducit Solẽ, cũ omni ætheria classe. Reuocasti superimpositum rebus terrestribus, uelut claustrum, & septum (unde Græcè dictus Vranos, supremo descriptio) ambitum cœlestem, sublatamq; ab Opifice Deo in altissimas mundi regiones, leuissimam ætheriam substantiam. Atqui id non est eo loco, quem hic ostendis, id est, nouissimè, post res alias, quas memorasti: sed primo, cũ sapiens Opifex ille, Chaos aggressus, omnipotentiq; manu, separata liquidissima, leuissimaq; ætheria substantia, ex ea luces cœlestes, ante omnes, Solem creauit, circumq; terras latos duxit orbes: Quod quidem fuit primum infinitæ, inexhaustæq; sapientiæ suæ opus: cætera subsecuta sunt, quæ tamen prius memorasti. Cùm hoc igitur exemplo, cuiusmodi apud omnes scriptores magna copia est, Mosaicæ narrationis ordo uerus ac naturalis appareat, resoluta, deiectaq; est Philosophorum importuna calumnia, qui spernentes quæ nõ intelligunt, in apertissimos errores dilabuntur. Responsio igitur est (ut per epilogum fiat clarior) ante formas omnes uisibiles, Sapientiã diuinam creasse Solem, Lunam, omniaq; sidera, totumq; hoc opus ad quartum diem peruenisse. Secũdo, quartam diem operi cœlesti uti certam non deputari, sicut nec reliquis operibus, sed supremam manum designari, & quasi perfectum re & historia opus. Vt quod dicatur, quarta die facta lumina cœlestia, intelligendum sit, spatium usq; ad quartam diem exactum, cœlesti & terrestri operi expleṇdo: & quod dicitur ea die factum, intelligatur non tunc inchoatũ, sed à principio inchoatum, ibi completum, et absolutum. Vt cum de sideribus & astris creatis loquitur quarta die Moses, Vtfierent luminaria in firmamento cœli, & diuiderent diẽ ac noctẽ, & sint in signa, & tempora, ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram: & cum subijcit, Et factũ est ita et, Vidit Deus quòd esset bonũ, & factũ est uespere & mane dies quartus: is sit sensus, non quòd à mane usq; ad uesperam illius diei ea facta sint: dico Mosen nil tale dixisse, sed omni opere cœlesti cum terræ nudatione & plantis, & herbis expleto, quartam diem circumuolutã. Tertio sciendum, operationes et narrationes hoc differre, quòd ea narratio, cui sint plura complectenda, non potest nisi unam rem seorsum eodẽ loco referre: operationes autem uariæ fieri eodem tempore, diuersis locis possunt. Sic dico quòd cum

Mosaicæ

Moſaicæ hiſtoriæ eſſet deſcribenda creatio cœleſtium, & terreſtrium, neceſſe fuit, ut unum, deinceps alterum referret. Operationes autem hoc impedimentum nõ habuerunt, nec erat quod prohiberet, dum fierent terreſtria, quo minus etiam cœleſtia complerentur, aut dum fieret unum opus terreſtre, non fieret alterum, ut dum exterminaretur aqua in aërem, non detegeretur terra. Igitur tametſi Moſes poſt lucẽ narrat in terris factum aërem, factam nudationem terræ, natas arbores, & herbas, non propterea cœleſte fuit opus intermiſſum, etſi fuit intermiſſa narratio. Dũ fierẽt terreſtria, etiam cœleſtibus ſuprema manus imponebatur. Circumacta autem quarta die, ecce tibi abſoluta erant lumina cœleſtia, & tria opera terrena, aër, nudatio terræ, ſatus plantarum, cum quibus etiam animalia naſci cœperunt. Neq; hæc ego dicens, non ſentio poteſtatem diuinam ſubitò cuncta facere potuiſſe, ſed ordinem naturæ quendam declaro, quem poſuiſſe Deus, deſcripſiſſe Moſes uidetur. Quarto dicitur uſitatiſsimum ſcriptoribus eſſe, ob iuſtã aliquam cauſam reuocare, reducere, quod prius retuliſſent, et addere quod omiſiſſent, ut ſit concinnus ordo: Sic Moſen, etſi Solem prius in cœlo poſuiſſet, reuocaſſe poſtea, ut adderet quod omiſiſſet, Lunam, ſtellas, ſigna, tempora. Nec tamen eſt adeò quiſquam hebes, ut putet ſcriptorẽ bis eam ipſam rem creaſſe, etſi bis deſcripſerit. Hanc repetendi conſuetudinem ipſi Moſi frequentem eſſe, exempla in rebus clarioribus, in Coſmopœia docuerũt. His ita reſolutis, quibus apparet Simplicium tam ſapuiſſe in hiſtoria Moſaica, quàm in propria ſuæ Philoſophiæ profeſſione, & in refellendis argumentis Philoponi, reliquas eius, ut dixi, rationes, quibus impugnat iudicium Philoponi ſuper decretis Ariſtotelis, de Aeternitate motus, non perpendam, donec audiam diligentius ipſum ſua uerba loquentem Philoponum. Tantũ nunc admirabor, quod regnat in eadem atq; Proclus inſania, ut expreſſè & apertè Ariſtotele aſſerente, Platonẽ tempus, & cœlum creaſſe, probare conetur (uide quæ ſæpe detinet homines inſania) uim uerbis allatis, non diſſonare mentes duorum Philoſophorum, ac non ad Platonem Ariſtotelem, ſed ad Ariſtotelem trahit Platonem. Quid igitur ad hũc philoſophari modum, aliud eſt, quàm dare operam, ut cum ratione inſanias, ſciens, & prudens deſipias, profeſſionem facias, ut te, & omnes homines ſemper decipias? Hiſtoria Moſis de Generatione mundi dicitur fabuloſa: Plato quæ de creato cœlo, & tempore diſputat, alium habere ſenſum prædicantur: ſi quis aliud, quàm quod attulit Ariſtoteles, oppoſuerit, ἐσκοτωμένος, obtenebratus appellatur. Quo planè conſtat, eorũ eiuſmodi Philoſophiam, non aliud eſſe quàm lucis omnis, et ueritatis obtenebrationem. Satis igitur eſſet magnorum, ac priſcorum hominum teſtimonio, Ariſtotelis, Tullij noſtri, qui toties prædicat Platonem mundum creaſſe, Philonis Iudæi, Plutarchi, Alexandri Aphrodiſei, quorum autoritatem Proclo, Simplicio, aut ſi quis ex iunioribus pariter deſipiat, præponderare, uti maiorũ meliorumq; Philoſophorum, clarum eſt. Sed ipſa ratio, qua Platonem æternum declarare mundum aſſeuerant, ſatis oſtendit, nihil ibi niſi uiolentum eſſe: Ac ſimilia his quæ Proclus refert, quoſ-

dam

dam Platonicos ſenſiſſe, tota ratione deſumpta ex eo, quod Græcè dicitur γινόμενον, genitum, quod fit, alterum τὸ ὄν, uere exiſtens. Quorum cum primum Plato pro rebus creatis, & corporeis uſurparit, ſecundum pro nunquam factis, ſed ſemper eodem in ſtatu permanentibus, deſignans Ideas, à quibus ceu fontibus æternis, natæ ſint res ſenſibiles in tempore: hæc duo ex aduerſo uelut irruentes, ſic iſti corripuere, & in ſuas ſententias uiolenter abſtraxere, ut primum non ſonet, id quod in tempore habuerit principium, unáq; cum tempore partũ, ſed quod naſcatur, pendeat, oriaturq; ab alio, etiam in æternitatem: Secundũ, quod in contrarium, à nullo dependeat, ſeipſo ſtans, ſibi principium. Has Ideas eſſe, illa quæ ex Ideis oriantur ſemper, infinito tempore naſcentia. Eoq; hoc ſecundum uocari γεννητὸν, genebrabile, factibile, quod ſemper fiat. ſic Ariſtotelem, cũ Platone aſſerit genera ſſe tempus, ſenſiſſe generationem continuam, perennemq; tranſitũ: ut non ſit duorum Philoſophorum diſcrepans ſuper tempore ſententia: altero dicente motũ, & tempus ἀίδιον, ſempiternũ: altero generabile, qui ſenſerit, perpetuam ex altero generationem. Hanc igitur uiolentã, coactamq; interpretationem, ratio, magnorumq; Philoſophorũ, quibus hæc ante Proclũ, & Simplicium non fuerunt obſcura, autoritas coarguet. Reſpondeant igitur autoritate ſua, & ratione, ipſi uetuſtiores, ac uenerabiliores recentibus hiſce, nouitijsq; Philoſophis. Plutarchus in eo qui inſcribitur de Placitis Philoſophorũ: Pythagoras, inquit, et Plato, γεννητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον, καὶ φθαρτόν. Ὅσον ἐπὶ τῇ φύσει, αἰσθητὸν γὰρ εἶναι, διὰ τὸ σωματικόν, οὐμὴν φθαρησόμενον γε προνοίᾳ καὶ συνοχῇ θεοῦ. Quod eſt, Mundum factũ ſeu genitum à Deo, & corruptibilem ſuapte natura, quòd et corporeus ſit, & ſenſibilis, non corrumpendum autem diuina prouidentia, & ſuſtentatione. In hunc modũ, Plutarchus, & ad uerũ ſenſum interpretatur id quod uocatur genitum, ſeu factũ, afferens in medium rationem Platonis, quòd omne ſenſibile & corporeũ corrumpatur, quoniã habuit exordiũ. Hæc fuit ratio Platonis, clara, aperta, uera. Eadem affirmat Laërtius qui Philoſophorum, uitas & dogmata diligenter deſcripſit: κόσμον τε εἶναι ἕνα γεννητὸν; ἐπιστὴν καὶ αἰσθητόν ἐστιν, ὑπὸ θεοῦ κατασκευασμένον: Vnicum mundum & quia ſenſibilis ſit, genitum, & factum à Deo, ſenſiſſe Platonem. Sic Laërtius quoque conſtat quo ſenſu interpretetur genitum: factum ſcilicet in tempore, afferens & ipſe rationem Platonis. Idem Plutarchus differens de ſatu animæ, quæ eſt in Timæo, de hoc hominum genere, qui Platoni detrahunt creationem mundi: Sunt, ait, plurimi operam dantes Platoni, qui timentes, & anxij, omnem mouent lapidem, omnia conantur, torquent, uim adhibent, ceu nefariam, ac nefandam, occultare, negare, mundi & animæ molitionem, & conſtitutionem, uelut quæ fuerit ab æterno, tempusq; permanſerit infinitum. Quibus reſponſum eſt, & nunc id ſufficiat, quòd certamen, & orationem de Dijs, quo Plato fatetur ſumma contentione, & præter ætatem ſe aduerſus impios decertaſſe, confundunt, imò uerò tollunt in totum. Si enim ingenitus,

aut non factus eſt mundus, elabitur Platoni, animam, quæ corpore prior, & antiquior ſit, mutationis, ac motus omnis principem, & cauſam eſſe, ſicut ipſe dixit. Quæ autem ſit anima, & quo corpore, prior, & uetuſtior progrediens oratio demonſtrabit. Quod ignoratum uidetur magnã dubitationem ueræ ſententiæ iniecit, ſe. Exponam igitur primum, quæ mihi uideantur probabilia ſecutus, eoq; meipſum conſolans, quòd ſit ueritas aliqua, etiam ab aliorũ opinione ſeclusa, tum interpretationem, demonſtrationemq; inducam. Sic enim res, ut ipſe quidem arbitror, habent Hunc mundum, inquit Heraclitus, neq; Deorum quiſpiam, neq; hominum fecit: Quaſi uereretur, ne Deo excluſo, hominum alicui creationem mundi traderemus. Melius igitur eſt Platoni credentes, Mundum quidem à Deo factum dicere, & decantare, cum & mundus rerum factarum pulcherrimus, Deus optima cauſarum ſit. Poſt multa Plutarchus: Quid opus eſt afferre, quæ dicuntur in Timæo? inquit. Totus enim liber eſt de Creatione mundi. Et in Critia, ſiue Atlantico Timæus eũ dicit, τὸν πάλαι γεγονότα, qui olim factus à Deo eſſet, nunc eorũ orationẽ fieret. In Politico hoſpes Parmenidis, Mundum à Deo conſtitutum, multa bona habuiſſe: ſi quid difficile cernas, ex priſtino confuſionis, & inordinationis habitu remanſiſſe. In Republica θεῖον γεννητὸν, Diuinitatem factam, aut rem diuinam effectam, mundum appellat Socrates. Hæc et alia pleraq; Plutarchus, quæ cum ſententiã Platonis clarã exponant, noſtra declaratione non ſunt adiuuanda. Philo autẽ Iudæus inſignis Platonicus, cũ de mundo loqueretur, philoſophorũq; ſuper eo ſententias afferet, neque ſua tempeſtate deeſſent, qui quemadmodum Simplicius, & Proclus, Platonem ad Aeternitatem mundi nolentem traherent, perennem ei generationem aſſerentes dediſſe, loquitur ad hunc modum: Genitum autem, & incorruptibilem aiunt mundũ à Platone in Timæo declarari. Nonnulli uerò qui ſapientiã iactant, eamq; ſibi arrogant, aut ſophiſticè agunt, arbitrantur à Platone mundũ generabilem dici, non quòd generationis acceperit principiũ, ſed quia ſi factus fuiſſet, non alia ratione, quàm quæ ab eo poſita eſt, conſtare potuiſſe: aut quia ſemper partes eius in generatione, & mutatione cernantur: βέλτιον δὲ καὶ ἀληθέστερον ὑπονοεῖν τὸ πρότερον: Sed melius eſt, & uerius opinari primum. non ſolum quia in omni opere Patrem, & Genitorem, & Opificem Deum illum, Architectum appellat, opificium autem uenuſtum, ac quaſi partum, ac prolem hunc mundum, ab exemplari intelligibili, ſimulachrum ſenſibile, omnia quæ ille intelligibiliter, ſenſibiliter in ſe continentem, perfectiſſimum ad Mentis perfectionem, exemplum ſenſibile: uerumetiam quia teſtatur id Ariſtoteles de Platone, quem ob philoſophiam mentiri ſanè potuiſſet. Huius autem Platonici dogmatis autorem nonnulli Poetam Heſiodum arbitrantur, qui genitũ, et incorruptibilem cecinerit mundũ: Genitum cum ait:

Extitit antè chaos, exin latiſſima tellus,
Cui ſuper innixum pondus rerum incubat omne.

Incorruptibilem uerò, quia nullo in loco de eius interitu memínerit. Clariſſimè igitur extat

tur extat apud Heſiodum, mundum genitum. Hæc Philo. Quoties item Marcus noſter, de Platone ſenſit idem, & prædicauit? Qui in Tuſculanis, Poſſumus ne, inquit, dubitare, quin his præſit aliquis conditor, uel effector, ſi hæc nata ſunt, ut Platoni uidetur, uel ſi ſemper fuerunt, ut Ariſtoteli placet? Simplicius item ipſo in octauo, ὅμως τοι ἀλέξανδρος καὶ τὸν Πλάτωνα φησὶν ἀπ' ἀρχὴς χρόνου, τὸν κόσμον γενέσθαι: Alexander tamen, inquit, fatetur, & ipſe Platonē ab exordio temporis creaſſe mundū. Affertq; idem in lib. de Cœlo uerba Alexandri, quibus oſtendit, Platoni mundum creatum in tempore. Tantorum igitur adeoq; antiquorū Philoſophorum, non refutabit iuniorum leuitatem, & ineptiam, autoritas? Qui nō ſolum æternum à Platone mundum dici, ſed etiam ubi ſuper hoc carpitur ab Ariſtotele, defendere, conciliare duos quaſi Philoſophiæ anteſignanos ſatagunt. Egregia uerò pax, ad quam uocant, omnibus modis repugnantes. Ea demum eſt eorum Philoſophia, certum, conſtitutumq; eſt eis, modò regnet quod ipſi opinentur, miſcere omnia, nihil non peruertere, pudore quo carent funditus, à nullo flagitio eos retrahente, temeritate, & inſolentia, duce, quæ pars eſt myſteriorum Ariſtotelicæ hodiernæ Philoſophiæ, nihil non audentes. Multæ ſunt item aliæ rationes, quibus à Simplicio defenditur Aeternitas apud Platonem. Veluti quòd rogans an factus ſit mundus nec ne, reſpondet factus quia uiſibilis tangibilis: non reſpondet, quia cum prius non eſſet, extitit deinceps. Quaſi non ſit eadem ratio, factum cum prius non eſſet, aut tangibilem, & uiſibilem factum dixiſſe. Cum Plato uelit omne quod tangitur, & cernitur, habere principium: Eo que etiam diſſolubile, niſi diuina poteſtas obſtiterit, eſſe. Peruertitur quoque ac deprauatur, quòd Aeternitatis imaginem dicente tempus Platone, quo declarat iuxta Timæi Locrenſis ſententiam, æuum ſemper fuiſſe, tempus non ſemper, uelut rem factam ad illud exemplar æternum, peruertit inquam Simplicius, in eo temporis exemplum Aeternitatem aſſerens, quòd ea maneat in æternum, tempus in æternum fluat. Sed quomodo foret Aeternitatis imago tempus, ſi par utrique duratio, perennitasq; eſſet? Qua cauſa aſcita fuit à Timæo, & Platone hæc collatio perennitatis & temporis, ut primum foret exemplar, ſecundum ſimulachrum, niſi quia ad ſimilitudinem eius quod fuit ſemper extra mundum ſine mundo, factum tempus cum mundo dixerunt? Alioqui non opus erat hoc exemplo, ſi in utroq; perennitas eſſet. Nam exemplariorum ratio aſſumpta eſt à Platone, ut redderet cauſam, & inueniret principium & fontem creati mundi, & temporis, quaſi ſimulachrorum mundi inntelligibilis, & æternitatis. Dixitq; cauſam exemplarem facti mundi, intelligibilem mundum, qui fuiſſet æternus, cauſam temporis exemplarem ipſum æuum. Hoc omne indicat factionem & exordium, ponuntq; diſtinctè ea quæ ſemper fuerunt, & quæ non ſemper. Semper exemplaria, non ſemper ſimulachra. Nec uerum eſt quod Simplicius ait, ſi ſimile ſit tempus Aeternitatis, neceſſariò infinitum, immenſumq; & ipſum eſſe. Dico ſimilitudinē temporis, et Aeternitatis eſſe, quā aſpexit Plato, quòd Aeternitas ſemper

fuit, tempus autem quasi factum est eius particeps, sicut cum simulachra fiunt ad eorum, quæ prius extabant, exemplaria. Dicoq; Platonẽ idcirco exemplarem causam, & res ad hanc factas induxisse, ut ostenderet, quid inter æternum, atq; creatum interesset, & unde uenire res creatæ potuerint: arbitratus sic rationem mundi facti habuisse, sicut cum ædificatores, longè prius quàm ædificent, existentes, continent animo speciem futuri ædificij: Sic Deum semper habuisse formam mundi, animo inhærentem, mundum autem in lucem exisse ad eam speciem, quæ semper in animo diuino extitisset. Itaque non erat cur has similitudines assumeret Plato, si fuissent semper causæ & causata. Nec est in eo simile tẽpus Aeternitati, quòd sit semper sicut Aeternitas: sed in eo, quòd habuit quandam similem naturam, ipsi Aeternitati sua perennitate remanente, tempore, cũ prius non esset, creato, in quo fuit ei similitudo cum Aeternitate: Quia cum factũ est, ad similitudinem eius quod prius fŏret, factum est, sicut ad similitudinem Patris dicitur Filius procreatus, qui prius non esset, existente Patre. Sic existente semper Aeternitate, quasi filius eius natũ est tempus, & quasi filius mundi intelligibilis, qui semper fuisset, conceptus, editusq; in lucem est mundus sensibilis. Res igitur clara. Quod autem, dicente Ioanne Philopono, Deum operari sine tempore: opponit sese Simplicius, & arte sophistica armatus occurrit, Si sine tempore, ergo in Aeternitate, nunquã igitur operari destitisse, Aperta cauillatio. Non protinus si sine tempore operatur, semper operatur. falsa inductio. Sine tempore operari tria designat, aut semper operari, aut momento inuisibili, aut actione, non sub sole. Deus Sol extra mundũ, & tempus, omnia operatur, & operari potest, sine isto mundano tempore. Nec Deus tantum, sed omnes qui sunt extra Solẽ quidquid agunt, sine tempore mundano agunt. Hoc modò Deus existens extra mundum, maior omni mundo, quicquid fecit, sine tempore fecit. Non opus ei fuit Sole, & die, qui Solis & diei fuit autor. Sex autem illi dies apud Mosen, sunt rerum ipsarũ absolutiones, non spatia, quibus operatus sit Deus, qui prius sine die creauit terram & aquam, et ipsum cœlum, orbemq; Solis. Philoponus autẽ sentit uerissimè Deũ immediatè operari, hoc est, quòd si uelit facere, nullũ est impedimentũ: subito fit quod uult, actione inuisibili, in ictu oculi, immensurabili momento, cui nihil resistat. Hoc ille dixit: Simplicius peruersè et inscitè intellexit, peruersius interpretatur. Qui quod dicitur ἀμέτρως ἀχρόνως, cum putet sonare Aeternitatẽ, cum sonet actionem momentaneã, profectò suam inscitiã declarat, qui nec uocũ pondera sentiat. Quod autẽ inducit Simplicius tanquam absurdũ, si Deus non semper operetur, inesse in actionibus eius prius, et posterius, et quasi gradationẽ, nec fieri posse ut cuncta simul fecerit sex diebus, quatuor anni tempora, uer, æstatem: primum nego absurdũ in actionibus eius esse prius & posterius, secundũ dico non inesse. Neq; enim fas est, si quis mortaliũ plectendus esset à Deo, qui non plecteretur antea, postea plecti: Etsi Iupiter decreuisset aliquã perdere gentem, quod quondã non faceret, aut turpe fuit ei fecisse, aut coactus est semper

per perdere, ne in actionibus eius sit prius, & posterius. Inest igitur gradatio in operationibus Dei, non quòd ei sit impossibile, cuncta momentis inuisibilibus operari, qui posset omnia actione immensurabili, & intemporea, quæcunq; sex millibus annis fecit, fecisse: sed ordo rerum, ac Natura postulat inesse prius & posterius eis, temporumq; gradationem, ad confusionem euitandam. Nec oportet ad naturam Dei transferre quod rebus corporeis, & creatis est necessarium, quas necesse est seculis, ætatibusq; suis paulatim explicari. Eaq; bonitas eius, & prouidentiæ inuariabilis ordo. Quod autem negas eum, si creasset, sex diebus omnia tempora simul potuisse complecti, hallucinaris. Quis est enim uel mediocriter eruditus, qui non sentiat, eum simul omnia tempora fecisse, uer, autumnum, æstatem, hyememq;, eodem tempore, qui Solem harum uicissitudinũ causam creauit? Qui dixit, Fiat lux: id est, Sol, qui dicitur lux, luciq; dedit mirabiles ordines, & motus, simul cum luce quatuor anni tempora, quorum est causa lux, propterea certos eundi, redeundiq;, accedendi, et abscedendi nacta ordines, ut fieret, quod factũ uidimus, creauit. Nam idem adiecit, Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Ergo cum luce totum fecit annum. Ipsecq; consilium ab se creatæ lucis declarauit. Instruxit, aptauit causam omnium temporũ: & cum mirabiles Soli dedisset ordines, quibus sese inter utrunq; Tropicum flecteret, profectò repertor ipse ueris, æstatis, autumni, et hyemis fuit. Res igitur clara. Cui enim non constat, inuentores primarum causarum, omnium consequentium effectuum haberi, & dici meritò autores? Sunt aliæ rationes apud Simplicium, quas, ut dixi, si dabitur unquam, ut quid Philoponus sit locutus, possim diligenter explorare, dissoluam.

Ostenditur Creationem mundi ab antiquissimis omnium nationum fuisse confessam. Cunctos ferme Philosophos uetustæ famæ, patrumq; traditioni subscripsisse: Explicatur in primis Theologia Trismegisti de Creatione mundi. Trismegistum cum Mose congruere in describenda Creatione. De creatione lucis, siue Solis, siderumq; aliorum, & aëris ex aquæ purissima defecatione. Ante omnia de creatione terræ & aquæ, quæ cæteris fuere principia, dictum chaos ab illis, aut hyle. De nudatione terræ, creatione animalium, & hominis ad imaginem Dei creati. Hanc Theologiam uidisse Ouidium apud Græcos, Latine q; expressisse. Deos eorum esse sidera, factos ex aqua. Secutos esse priscos Græcos hanc Theologiam. exempla ex Platone. Cap. IX.

SVperest ut ipsam mundi Creationem omnes gentes, & Philosophos, uno aut altero excepto, omnem uetustatem, fuisse confessam, exemplis comprobemus. Non fiet certè nisi mirabile ueritatis argumentum, tot fuisse uoces in hac re scriptorum gentiumq; cunctarum, omnibus in libris pariter consonantes. Quin etiam eos ipsos, qui defendendam sibi Aeternitatem susceperunt, sæpe dixisse reperies, quæ recurrente ad ueritatem animo, uiolentamq; persuasionem deserente, super rerum molitione, & temporis exordio eis exciderunt. Pleraq; etiam statuerunt, quæ cùm necessario rerum principio (si quis resoluendo per omnia pergat, peruenitq; ad aliquod supremum) nitantur, cernentur sine dubio secum creationem mundi trahere. Itaq; mirabilem in eorum scriptis pugnam, summamq; dogmatum

confuſionem cernunt legentes, occultoq; mœrore circum præcordia, ea legendo occupantur, nihil certum, nihil niſi acæphalon, male poſitum, male conſtans, & prodigioſum, quaſi plenum lacrymis & horrore humanarum rerum chaos, offendentes: dum miſera, mœſtaq; hac uita, quam luctus, & labor, omnesq; calamitates comitantur, nihil fore nobis melius pollicentur, & cœlum, elementaq; iſtius mundi uenerati, eripuerunt hominibus, dederunt illis Aeternitatem. Cum hæc igitur ſit in dogmatis eorum confuſio, qui perſuaſionem hanc obtinentes, ne mutire quidem de moribus, de prouidentia, de noſtris animis, de uirtute poſſint, de quibus quantum uis loquantur, quia ſubneruarunt, fundamentaq; ſubduxerunt, uanus ſermo eſt, iure qui legit eorum dogmata, nullum fructum, ſed mœrorem, triſtitiam, confuſionemq; animo reportat. Parte alia, quia non omnes cæcitas oppreſſit, & quia uiolenta, tempore, aut ratione tandē diſſoluuntur: ſic rationis auxilio uiolenta illa dogmata, ipſa ſemet paulatim diſſoluunt, deſtruunt. Omnes igitur gentes à maioribus auditam, frequentemq; priſcis ſeculis, conditionem mundi decantauerunt, et quaſi apud Moſen eſt, celebrauerunt. Ac ut oſtenſum eſt, & confeſſus eſt Plato, cum Barbari ſint Græcis longè uetuſtiores, & traditū monimentis ſit, ob hanc cauſam, Græcos ad Barbaros diſciplinarum cauſa adijſſe, certum eſt, uti præceptorū, quæ Barbari ſenſiſſent, à Græcis quoq; ſentiri, et agnoſci, et recipi fas eſſe. Quod etiam fecerunt. À Barbaris autem poſt aliquod tempus uenit ad Græcos, ut alia dogmata, ſic de Creatione mundi ſermo, quem tamen etiam Græci ab antiquiſſimis progenitoribus acceptum, paulatim poſteris reliquerunt, et per ſucceſſionem tradiderunt. Eoq; apud uetuſtiſſimos quoſq; Poëtas Græcorum, inuenitur de Creatione & principio rerum celeberrima fama. Quo magis in antiquitatem te inſinuaris, tam magis deprehendas ſamigeratā, celebrem. Mercurius igitur Aegyptius, quem conſtat unum propè fuiſſe, quem Plato cum primis & Pythagorei fuerint ſecuti, de Creatione locupleter ſcripſit. Item Chaldæi, Phœnices, Hebræi, quibus nulla natio uetuſtior, ac memorabilior. Nam ab his natæ ſunt aliæ, & ſparſæ circum orbem terrarum gentes. Ipſe igitur Mercurius omnibus Aegyptijs, ac Græcis præceptor, totam adamuſim creationem, in uniuerſum, & per partes deſcripſit, cum cœlum ac terras oſtendens à Deo ſumpſiſſe primordium, tum uerò claras & apertas rationes expediens, quibus ea, quæ fuerunt minorū poſtea rerum generalia principia, et ex quibus omnia nata ſeruntur, à Deo fuerint compoſita, & excogitata. Quomodo Sol conditus: tellus quod principium proferendarū plantarum, frugum, florum, quibus quaſi circumueſtita ſit, habuerit. Quid rerum poſtea natarū uarietatem, ut neceſſarium fundamentum anteceſſerit. Hæc ille docuit, & docuiſſe, uerbaq; eius eſſe quæ de Creatione uir antiquiſſimus ſcripſit, non ea ſolum, quæ paſſim de hoc homine ſummo conſenſu à profanis, et ſacris ſcriptoribus feruntur, teſtantur, ſed etiam quæ cernimus apud Platonē, Platonicosq; omnes, et Pythagoreos uetuſtiores, ut Numenium, Philonem, Archytam, Anaxagoram, ac pleroſq; alios: de quibus

dicere

dicere pergemus, ubi res, locusq; poſtulabunt. Nunc autem Mercurij Geneſim explicans, dico eum confeſſum, & Creationem mundi aliquando extitiſſe, & inueniendarum rerum modum, quo ad humano ingenio fas eſt, aperuiſſe. In libro, qui dicitur Pœmander, id eſt, Paſtor hominum, nomen prouidentis Dei quale etiam Prometheus, quem librum hoc titulo præſcripſit, quòd in eo loquatur is ille, qui item apud Moſem, appellans ſeipſum Iehouah, ingreſſus de Creatione ſcribere, eum ipſum Pœmandrum qui apparuiſſet, inducit docentem, & explicantem. Omnium enim maximarum abſtruſarumque rerum priſci, Deum, aut Angelos eius habuere præceptores. Quo fit, ut quæ dixerunt, longè maiorem fidem, quàm quæ poſteri Philoſophi, qui ipſi ſibi fuere magiſtri, promereantur. Vbi igitur ei Pœmander apparuiſſet, ut ſoliti erant priſci patres, cum angelum, aut Deum uidiſſent, rogauit quis eſſet. Ego, inquit, ſum Pœmander, Mens autoritatis. Et ſcio quid uelis. Hæc ubi dicta dedit, mirabile ſpectaculum ſe uidiſſe teſtatur, in quo Creatio mundi, & qualia fuerint noua illa partaque è nihilo primordia continentur. Primum uidit diuinam claritatem, quæ fuit ante mundum, regnum Dei glorioſiſſimum, totius mundi principium. Parte alia uidit tenebras quaſdam horribiles, longè infra diuinam illam gloriam ſubiacentes. His ſubiacere Naturam quandam humentem, inexplicabiliter turbatam, fumumque uelut ex igne exhalantem, tum ſonitum fragrorem que inenarrabilem ex ea prodeuntem. Tum uero etiam uocem uelut ex igne emiſſam. ἐκ δὲ τοῦ πυρός, & c. Ex igne autem, Verbum ſanctum, Naturæ inſediſſe, ignemq; puriſſimum emicuiſſe ex humida Natura in altum, leuemq; fuiſſe, & acutum, ſimulq; efficax. Aëremq; leuiſſimum fuiſſe conſecutum ſpiritum aſcendentem uſq; ad ignem è terra, & aqua, ut uidebatur: eumq; ex ipſo pendiſſe. Terram autem, & aquam fuiſſe inter ſe commiſta, ut præ aquis terra uideri non poſſet, ſed commota fuiſſe propter ſpirituale Verbum, quod ſuper ferebatur. Deinde explicatis qui apparuiſſet ſpectaculum, docens ſe lumen illud eſſe, quod fuiſſet ante humidam Naturam, quæ è tenebris apparuiſſet. Verbum autem radioſum luminoſum qui ex mente ſit, Filiũ Dei eſſe. Mentem autem Deũ Patrem. Neq; enim ſeparati, inquit, ſunt ab inuicem, quorũ ſit unio, ipſa uita. Hæc ubi dixiſſet, in ipſum defixiſſe oculos, ut contremiſceret ad eius Ideã, Triſmegiſtus ait: cũq; nutu eum ſubleuaſſet, Ecce, inquit, uideo animo, lucem illam innumerabilibus uirtutibus radiantem, uideo mundũ incircũ ſcriptibilem, et continere ignem, et ſtationem habuiſſe, contentum maxima uirtute. Ac cum in ſtupore eſſem, cogitans quæ mihi à Pœmandro aperirentur, rurſum mihi dixit, ut intuerer animo ſpeciem Archetypam, quæ principium infinitum antecedit. Hæc Pœmandrum dixiſſe. Elementa uero, inquit, Naturæ, undenam extiterunt? Iterum ille, Ex uoluntate Dei, inquit, quæ Verbum nacta intuitaq; pulchrum mundum, imitata eſt, creans mundum per ſua ipſius elementa, & genituras animarum. At Mens Deus, cum ſit mas & fœmina, peperit Verbum, alteram Mentem. Huc uſque progreſſi, Mercurij uerba explicemus;

mus: deinceps alia proferentur, in quibus reliqua de mundi Creatione historia continetur. Est autem diuina historia. Duoq; de eâ noscenda sunt: primum, eam similem esse Mosaicæ: deinde, hanc esse Platonem secutum, multosq; ante eum Græcorum, Orpheum, Anaxagoram, Hesiodum, ut appareat uerè uetustissimi illius Trismegisti librum esse, non modò quia multi eius meminerunt, uerum etiam quia claret, Pythagoreos, superioresq; hæc imitatos, de Creatione mundi scripsisse. Nam quæ Timæus Locrensis, & Plato, uocat mundum, νοητὸν, ἰνδιανικόν, exemplarem, mentalem, ad cuius imitationem Deus fecerit mundum sensibilem, hancq; potissimum causam celebrauerunt, & de ea copiosè scripserunt, ecce Mercurius prior prodiderat, qui & Ideam archetypam memorauerat, & ad hanc, quam Principium infinitum ante oculos haberet, ait factum sensibilem mundum. Hocq; fuisse principium elementorum, hinc origines illas, quatuorq; membra, quibus constat mundus, apparuisse. Ac primò sciendum, duas hic esse & nominari luces: Alteram, incorpoream, infinitam, incircunscriptam, creatricem, immensum quendam mundum: Alteram, corpoream, creatam: Igitur Moses scripsit, In principio creauit Deus cœlum & terram. Tum creationem aggressus, Terra, inquit, erat inanis & uacua, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Trismegistius autem non ex animo suo, sed ex reuelatione, Antequam crearetur mundus, fuisse lucem, ut ipse inquit, hilarem, flagrantem, gloriosam claritatem, qua fuit gloriosus antequam mundus fieret, creator ipse. Et quem Moses uocat Deum, & Spiritum, dicens eum primò creasse cœlum, & terram, deinde creatæ iam terræ, & aquæ superincubuisse, eum Mercurius Lucem appellat, immensamq; claritatem & maiestatem, ad quam ipse contremisceret, ei per speciem oblatam. Hæc claritas inenarrabilisq; lux uidebatur supernè, & quasi extra mundum, sine mundo rutilare. Huic longè subiacebant tenebræ illæ immenſæ, quæ dicuntur apud Mosen, super abyssum incubuisse. Iam Deus creauerat terram & aquam. Sed humidæ Naturæ, id est, terræ & aquæ, superextabant tenebræ, nondum ab illa æterna, supernaq; claritate, luce corporea producta. Vides igitur omnia similia inter Mosen, & Trismegistum. Apud Mosen est Deus Principium, Creator, apud Mercurium Lux immensa, & Mens, ut ipsa docuit paulo pòst. Apud Mosen uerus, ac naturalis Creationis ordo, quo non possit naturalior cogitari, id est, quòd principio Deus creauit terram, & aquam, deinde lucem cœlestem. Quomodo eam creauerit, non adeo declarauit, sed obtulit tantùm cognitionis scintillam, ut intelligeremus. Nam cur Spiritus Domini ferretur super aquas, cur ue mox Dominus dixerit, Fiat lux, Mercurius ipse declarauit. Sæpe enim cum fuissent duo, aut tres idem scribentes, quod ab uno prætermissum esset, aut breuiter positum, refertur copiosius ab altero. Sic Ioannes multa retulit à cæteris Euangelistis prætermissa. Designauit igitur tantum, quasi innuit Moses, quomodo cœlestis orbis, aut lux corporea post terram, & aquam creata sit, aut cur super aquis Spiritus ille ierit, quid ue illic fecerit.

rit. Causa igitur fuit, ueraq; ratio, quam Trismegistus expressit. Qui ubi deum opifice claritatemq; eius induxisset: Exinde tenebras horribiles, quibus subiacebat humida Natura, id est, quod dicitur Chaos, aut Hyle, terra uidelicet & aqua obuolutæ: deinde, Verbo sancto, Spiritu scilicet illo Mosaico, incumbente, & turbante, ac cõmouente aquas, quod Moses dicit merachephet, quasiq; sonitu ingenti, ex aquarum collisione edito, refert exhalasse uelut fumum, ætheriam substantiã, ignemq; ut ipse uocat, ἄκρατον, purum, impermistum. Is igitur erat fragor aquarum, hæc abyssus tumultuans, ut Hebraicè sonat Thehom, scindebatur ab Opifice Deo, quatiebatur, turbabatur, ætheria substantia, purissimusq; ignis ex ea eliciebatur: quemadmodum collisis nubibus aquosis, nascitur purus ignis, terras horrenda in nocte late collustrans. Tale faciebat uerbum sanctum, gloriaq; diuina apud Mercurium, apud Mosen spiritus Domini. Et quod Moses dixit, merachephet, agitabat, quatiebat, mouebatur, operabatur ut opifex, hoc Trismegistus Aegyptiæ, eodem fortasse uerbo, aut Græcè, cuius linguæ non fuit ignarus, dixit ἐπέβη, superibat, superambulabat. Cur superambulabat? quia uidelicet ignem purum, qui de humida natura se sustulit in altum, eliciebat, fabricabatur Spiritus illic, eliciens ex aqua puram substantiam, Solem, lucemq; corpoream. Ideo subitò adiecit Moses, factam lucẽ: Mercurius autem, ignem ἄκρατον, purissimum, in altum se sustulisse. Habes igitur apud utrunq; mirabilem, & consonum creationis ordinem, quòd ante omnia fuit sempiternus Deus, lumen æternum, claritas sempiterna. Pòst ab eo creata est terra, simul & aqua. Absente autem luce, tenebræ terrificæ super aquis illis creatis incubabant. Oportebat ergo creare lucẽ, & cœlũ, cœlestesq; lucernas, quibus subiectæ terræ illuminantur, & aluntur. Ecce igitur Verbum sanctum, & Spiritus ille magnus, infinitus, potestatis immensæ, mirabilem, inauditumq; fragorem super aquis, ac ueluti tonitru efficiens extraxit ex eis purissimã ætheream substantiam: extracta in altũ sublata, & artificiose compacta, rutilare cœpit. Ac sicut apud Mosen mox post lucem, efficitur shamaim, id est, aër, extenuatioq; illa, quam ipse uocat sua lingua Rakia: sic Trismegistus ait cum illo cœlesti, puro, acuto, efficaciq; igne, secutum esse aërem raptatum, extenuatũ, attractũ, ab ipso igne cœlesti, id est, Sole, qui ei contiguus adhæreat. Fuisse autem quasi repetens, anteaquam hæc fierent, docet terram, simul & aquam, commistas, confusas, pòst separationem esse factam. Cernimus hucusq; diuinam, mirabilemq; Trismegisti Philosophiam, Creationem cernimus, & modum, atq; ordinem mirabiliter Mosi consentaneè relatum, clariora etiam nonnulla, quàm apud Mosen. Nihil naturalius, uerius. Ecce terra & aqua priores creatæ, ut una mundi conglobatio, una massa, ex aqua facta, sunt omnia cœlestia & terrestria. Cœlestia mirum in modum consentientes, nũc uterq; ex aqua, uidelicet purissimum ignem, purissimam lucem, defecatioremq; substantiam, ut nubium albentium, & candentium, ut facum, & cometarum per aëra uolantiũ. Item aërem ex aqua, cum igne, cœlestiq; illa substantia, subsequutũ. Creatio duorũ prin-

cipiorum, terræ & aquæ, creatio duarum rerum cœleſtium, ex aqua, ignis æthe-
rij, lucis cœleſtis, Solis, & aëris contigui. Hoc uterque Theologus docuit mira-
biliter conſormis. Sic Poëta quoque noſter his apud Græcos antiquos Theologos
repertis, cecinit,

Et liquido ſpiſſum ſecreuit ab aëre cœlum.

Superius autem dixerat,

Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas.

Et,

Et ignea conuexi uis & ſine pondere cœli
Emicuit, ſummaq; locum ſibi legit in arce.

Erant enim in eadem Creationis maſſa. Moſes primò Spiritum Domini ſuper
aquis agitaſſe, ſtatim'que lucem accendiſſe, diurnam'que feciſſe, extemplo'que, et
ſecunda die aërem. Triſmegiſtus autem ait aërem συνεκολούθησεν, ignem il-
lum efficacem, rapidum, Solarem, aſſecutum. Neque enim aliud ſentit Moſes,
nec ſeparat à luce primogenita aërem, quæ ſimul creata, ſimul rapuit aërem ex a-
quis. Quod autem Mercurius Triſmegiſtus, per quem collatum nobis à Deo be-
neficium, ſatis admirari & collaudare non poſſum, ut quæ tradit obſcurius Mo-
ſes, ipſe fecerit perſpicua, & nos adiuuerit ad intelligendam Theologiam Moſai-
cam, hunc ordinem Creationis tradiderit, diuinam immenſam'que poteſtatem cre-
aſſe primum, terram, & aquam, ex aqua luces cœleſtes accendiſſe, atque hoc eſ-
ſe quamobrem & tenebræ eſſent ſuper aquis creatis, nondum reperta luce, &
cur ſpiritus diuinus ſuper abyſſum mouerit, operatus'que fuerit, & hanc ſuper
abyſſum commotionem, fuiſſe creationem Solis, aut lucis, omnisq; æthereæ ſub-
ſtantiæ: quod Moſes prodidit quidem, ſed obſcurius, cum ea declarant quæ eo li-
bro ſcripſit, tum uerò nobiliſſimus ille locus, quem ſuperius adduxi, hic repetam
re poſtulante. In libro δι ἐξοδίκῶν, ad Tat filium, quem locum citat etiam di-
uus Cyrillus contra Iulianum Imperatorem, rogatus Triſmegiſtus, ut cauſam do-
ceret modum'que, quo Sol eſſet creatus, & unde apparuerit, ſic diuinitus reſpõdit:
ὅλε πάντων κύριος, εὐθέως ἐφώνησε, τῷ ἑαυτοῦ ἁγίῳ καὶ νοητῷ, καὶ
ἀμιμουργικῷ λόγῳ. ἔσω ἥλιος, καὶ ἅμα τῷ φᾶναι, τὸ πῦρ ἡ φύσις
ἀνωφερὲς ἐχόμενον, λέγω δὴ τὸ ἄκρατον καὶ φωτεινὸν, καὶ δρα-
στικώτερον, καὶ γονιμώτερον ἐποιήσατο ἡ φύσις τῷ ἑαυτῆς πνεύ-
ματι, καὶ ἤγειρεν εἰς ὕψος ἀπὸ ὕδατος. Quod eſt, Dominator omnium,
inquit, ex templo ſancto ſuo mentali, opifico'que Verbo inclamauit, Exiſtat Sol.
ac ſimul dicto, ignem qui naturæ ſublimis, ac leuis eſſet (dico ſcilicet puriſſimum,
ac luminoſiſſimum atque efficacius, & genitalius) corripuit ſpiritu ſuo Natu-
ra, & extulit in altum ex aqua. Hæc ille. Agnoſcis Theologiam Moſaicam?
Moſes & dixit Deus, Fiat lux. Mercurius, Voce ſua ſancta inclamauit, Sit Sol. Ec-
ce lux illa Moſis, non alia atque Sol. En cauſa quamobrem Spiritus Domini fere-
batur,

batur, mouebatur ſuper aquas: creabat uidelicet Solem, orbemq; cœleſtem, & creabat ex aquis. Quidquid puriſſimum, uitaliſſimum, maximeq; efficax eſſet, Natura imperijs impulſa Dei, corripuit in altum. En Sol, en orbis cœleſtis. Hoc ſpiritus agebat, hoc moliebatur ſuper aqua, cui ſuperferebatur. Simul enim ſuperferebatur, Simul locutus eſt mentaliter, ut fieret Sol, eadem molitio, & locutio, Ferebatur, & Loquebatur: Locutus eſt, & Loquendo operatus. Si ſimul dicere Moſes potuiſſet, Ferebatur, Locutus eſt, dixiſſet. Non potuit, eoq; primũ ait eum affuiſſe, tum præſentem locutum eſſe. Opera igitur diuina in primordio apud Moſen, & Triſmegiſtum ſunt terra, & aqua, tum lux, id eſt, Sol, puriſſimusq; ſubſtantiarum ætheriarum globus ex aqua. Sequitur apud Moſen eadem opera, eodem tempore à luce cœleſti, aërem, quem ſua lingua uocat, ſhamaim, effectum, conſecutumq; flammas illas cœleſtes, & purum ignem. Idem relatum eſt à Triſmegiſto. Hoc autem ipſo tempore creata lampade cœleſti, ſolariq; ardore, ſublimiusq; aſſurgente ex aquis aëre, neceſſariò terra nuda/ta eſt, ſublatis aquis, inq; aërem extenuatis, quibus premeretur, ſimul ſcilicet factus eſt aër, ſimul aperta terra, & aquæ remanentes in loca caua profunda que deſcenderunt. Hoc docens Moſes, Et dixit Deus, Congregentur aquæ in unum locum, & appareat arida. Mercurius autem, ſuper quo obſtupeſco, ad Aſclepium, quem fecit Latinum Apuleius, quem locum profert diuus Cyrillus contra Iulianum Imperatorem: καὶ εἶπε, φησὶν ὁ ὀσιρὶς, εἶτα ὦ μέγιστε ἀγαθὲ δαίμων, πῶς ὅλη ἡ γῆ ἐφάνη; καὶ εἶπεν ὁ μέγας ἀγαθὸς δαίμων, ἡ τάξις καὶ αὐχήρανσιν ὕδατος, καὶ τῶν πολλῶν ὑδάτων κελευσθέντων ἀπὸ τοῦ νοῦ εἰς ἕνα τόπον αὐαχωρῆσαι, ἐφάνη ὅλη ἡ γῆ ἔμπνλος, καὶ πρόμουσα, ἡλίου λοιπὸν αὐαλαμψαντος καὶ ἀδιαλείπτως αὐανκαίοντος καὶ ξηραίνοντος, ἡ γῆ ἐς ἠρίζετο γὰρ τοῖς ὕδασι ἐμπεσεῖσα χομβὴ ὑπὸ τοῦ ὕδατος. Hoc eſt, Et dixit, inquit, Oſiris, deinceps ô maxime bone Dæmon, quomodo terra omnis apparuit? & dixit magnus bonus Dæmon, Iuxta ordinem, inquit, & arefactionem, ut dixi. Et quia multitudo aquæ iuſſa eſt à mente, ut in ſeipſam concederet: Apparuit que tota terra cœnoſa, tremens. Deinceps Sole radiante, & irrequietè comburente, & exiccante, terra ſolidata eſt, in aquis, quam aqua circumplectitur. Hæc ille. Quid diuinius? Quæ Moſes neruoſè, paucis

paucis, is pluribus uerbis, luculenter, apertè, naturaliter, diuinè, ut aliud dici nõ poſ ſit, quòd apparuerit terra per ſiccationem ſolis, quòd iuſſerit Mens, Sapientia diui/ na, Opifex filius Dei, congregatas aquas, abire in profundiores terræ partes. Iuſſit, quia exhauſit aquas per Solem, quæ ſuperiores terræ partes premerent, mare pro/ fundiores appetiuit. Hoc Dei, hoc Sapientiæ, æternæ & Mentis opus, Mentis, quæ placuit Anaxagoræ, Platoni, Ariſtoteli, ſapientiſſimis quibuſq; Huc uſque igitur o/ mnia inter Moſen & Triſmegiſtum conſona. Poſt apertam terram cœnoſam, ma didam, trementẽ, uirginem, tenellam, ut teneri infantes, palpitantẽ, ex hac ipſa à So le tepefacta, nata docuit animalia Moſes, & diuina benedictione aucta, Triſmegi/ ſtus autem, ὁ δὲ θεὸς εὐθὺς εἶπεν ἁγίῳ λόγῳ, αὐξάνεσθε ἐν αὐξήσει, καὶ πλη θύνεσθε ἐν πλήθει πάντα τὰ κτίσματα καὶ δημιουργήματα: At Deus, in/ quit, continuò locutione ſancta, dixit, Augeamini incremento, & multiplicamini in multitudine omnes creaturæ & opera. Sic Mercurius. Sed antè docuerat ueram animalium creandorũ, naturalemq; cauſam, dignam quam cuncti uehementer at/ tendant. Nanq; Sol, per quẽ, non unum, aut alterũ, ſed longè plurima bona Deus efficere ſtatuerat, cuius prudentiſſimum conſilium norat facienda, & quomodo fieri poſſent habeat exploratum, non ſolum aperuit terras maximeq; ad omnia ne ceſſarium aërem ſuſtulit, quo ſpatium inter cœlum, et terram repleretur: ſed etiam duo fecit alia non minus miranda opera. Firmauit ardoribus ſuis terram, & ex ea adhuc madida, cœnoſa, trementẽ, tenera, uirgine, creauit animantes, omne genus. Hoc Moſes quidem dixit, ſed principalem tantum cauſam propoſuit: Mercurius tres cauſas, diuinam uoluntatem, ardorem Solis, & aſtrorum, & terram ipſam hu mentem: Moſes diuinum duntaxat imperium, & terram madidam, præterito So/ lis tepore, calore. Triſmegiſtus igitur, ἡ δὲ τούτων περιφορὰ καθὼς θέλει ὁ νοῦς ἐκ τῶν κατωφερῶν μοιχείων ζῶα ἤνεγκε ἄλογα, ἄνθρ δὲ πετηνὰ ἤνεγ/ κε, καὶ τὸ ὕδωρ νηκτά: Horũ, inquit, ſeptem aſtrorũ conuerſio, ut uoluit Mens, ex infimis elementis, animalia produxit. Aër autẽ protulit nolucres, et aqua aqua/ tica. Sic Triſmegiſtus Euidenter autem Ouidius, ut noſcas hæc non ab ullo noſtro/ rum conficta, ſed eſſe, ut ſunt, & feruntur, longe uetuſtiſſima, uidit in literis Græ/ corum, & uſurpauit, Latiniſq; uerſibus donauit. Audiſti Mercurium. Ille autem:

Terra feras cepit, uolucres agitabilis aër.
Ceſſerunt liquidis habitandæ piſcibus undæ.

Cum autem fuerint tres cauſæ, quæ ad animalium primordialem procreatio/ nem conuenerint, diuinum Imperiũ, Sapientiæq; uoluntas, Solis ardor, madida ac tenera terra: quartã, quæ comitata eſt, et ſine qua fieri quod factũ fuit, non potuiſ/ ſet, quæ non cauſa fuit efficiens, ſed finalis, Moſes & Triſmegiſtus pariter indu/ cunt: ſed occultè Moſes, oblata tantũ ſapiẽtibus occaſione, ut ſuper eo Philoſopha rẽtur. Triſmegiſtus apertè. Vide igitur quãta fuerit eius, qui cuncta creauit, ſapien tia. Molitus eſt terrã, altiſſimasq; aquas ei ſuperiniecit. Quo autem conſilio tantam

aquã/

aquarũ uastitatem condiderit, declarauerũt sequentia: Nã si terra sine aqua fuisset, quod fieri quoq; non poterat, multa incommoda secuta fuissent: Ea maximè omnia, quæ sunt in mari fabuloso, ubi nihil aquæ est. Fuisset igitur primũ inhabitabilis omnis terra sed cætera non prosequor. Ex his igitur aquis, quibus altißimè terras Deus operuisset, hæc bona secuta sunt, quæ quidẽ docuere, sine his Creationẽ constare non potuisse, sapientiamq; eius clamitant, qui tantas eas cũ terra exoriri fecisset. Principio ex his facta est ætheria substantia, similiter atq; aër, ac nubes, ex aqua accepta, purißimeq; genita, exinde diffusus aër: tertio remansit tellus humida, madida, apta ad generandas fruges, herbas, flores, arbores, et animantes. Agnoscis quot ex aquis illis bona? Tres igitur habuit causas ingens ille cumulus aquarũ, ut fieret ætheria substantia, ut fieret aër, ut terra madesceret. Non erant in terra permansuræ semper ingentes aquæ, ne forent eadem incommoda, atq; his non creatis. Eleuata igitur sublimi substantia, quæ diuiditur in æthera, & aërẽ, terra madida remansit ad gignẽdos animantes, et aperta, ut esset habitabilis. Docent igitur Moses et Mercurius separationem hanc terræ & aquæ fuisse, quæ cum duas causas finales habuerit, Moses nullam quidem assignat, sed unius ostendens effectum, docet cur arida diuinis imperijs apparuerit. Trismegistus autem assignat causam & effectum: Is fuit animaliũ ortus, declaratq; cur aperta sit terra. Quod tacitè Moses innuit. Moses, congregentur aquæ in unũ locum, & appareat arida: posterius autem describit ortum animaliũ. Trismegistus uerò: Διεχώρισαι δὲ ἀπ' ἀλλήλων πνεῦμα, καὶ τὸ ὑδωρ, καθὼς ἠθέλησεν ὁ νοῦς. καὶ ἐξήνεγκεν, ἀπ' αὐτῆς ἃ εἶχε τετράποδα, ἑρπετὰ, θηρία, ἄγρια, καὶ ἥμερα: Separata est ab inuicem terra & aqua, quemadmodum uoluit mens. Et protulit ex seipsa quæ continebat utero suo, quadrupedia, reptilia, feras agrestes, & cicures. Sic ille. Vltima demum totius operis manus, fuit hominis satus, naturaliter & diuinè post omnia secutus. De quo eadem fermè locutus est Trismegistus atque Moses, Quòd eum similem sui condiderit, quòd uti propriam prolem dilexerit, quòd dominatũ super omnes animantes ei tradiderit. His uerbis: ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ, καὶ φύσις, ἔτεκνωσε θεὸν ἄνθρωπον, αὐτῷ ἴσον, ὃν ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου, περικαλὴς γὰρ ἦν, τιμῶν τὸ πατρὸς εἰκόνα· ἔχων. ὄντως γὰρ καὶ ὁ θεὸς ἠράσθη τῆς ἰδίας μορφῆς, καὶ αὐτῷ παρέδωκε τὰ ἑαυτοῦ πάντα δημιουργήματα. Quæ sunt, Omnium autem pater Mens, quòd uita esset, & natura, peperit hominem sibi simlem quem dilexit uti propriam prolem. Formosus enim erat, quippe qui patris gereret imaginem. Verè enim Deus propriam formam dilexit, eiq; suas omnes creaturas tradidit. Sic Trismegistus. Moses autem: Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, et uolatilibus cœli, & bestijs, uniuersæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra. Sic Moses. Nec hoc loco solum Mercurius, sed omni etiam opere suo, copiosè de mundi, & hominis creatione scripsit. Est autẽ liber is, ex quo hæc produximus, qui inscribitur ab eo, Pœ-

eo, Pœmander, uelut Geneſis Moſis, & Timæus Platonis. Inq; eo ſunt quædã quæ poſſint animum offendere, ſimilia uidelicet his quæ ſcripſit Plato, alijq; profani ſcriptores, quos cum delectu, & iudicio legere neceſſe eſt, ſolis ſacris literis hoc priuilegio pollentibus, quod uſq; quaq; ſunt incorruptæ, ſyncerè, pureq; ueritatem docent. Hocq; argumento cum multis alijs, apparet eſſe hunc Triſmegiſtũ, antiquiſſimum illum Aegyptiæ Sapientiæ principem. De quo & Moſe, quidam apud Græcos uehementer eruditus, qui quædam ex Pœmandro interpretatus eſt, arbitratus Triſmegiſtum à Moſe accepiſſe: Claret, inquit, Theologiam Hebræorum toto orbe fuiſſe celeberrimam, ἡ νομοθεσία αὐτῶν ἀρχαιοτέρα ἦν, & ἑρμῆ τούτου, & εἴτις ἄλλος παρ' ἕλλησι, σοφὸς, πολλοῖς ἀπο δεδόκται, Hoc eſt, Legẽq; eorũ, quòd uetuſtior eſſet, & Mercurio iſto, & omni alio, quiſquis fuit apud Græcos ſapiens, multis eſt probatum, & oſtenſum. Hoc ille ſcribit. Illud eſt clariſſimum argumentum, hunc ante omnes Græciæ Philoſophos floruiſſe, quòd Anaxagoras, Plato, multiq; priſcorum Philoſophorum nomina Philoſophiæ, & res ab eo didicerunt. Nam Mens apud eos celeberrima, creatrix mundi, principium formarum, à Mercurio priore nominata, inductaq; fuit: Quam credo eum lingua Aegyptia, Hebraicæ finitima uocaſſe Rochma, Sapientiam, in qua, & per quam cuncta creata prædicat Solomon. Adhæc, Chaos, ſiue Hyle, alterum mundi principium, patiens, recipiens, Græcis uſitatum. Mercurij eſt, ut apparet in Aſclepio, & in ſermone ſacro. Idea quoq; mundi, Platonis, & Pythagoreorum, Timæi Locrenſis, et multorum, à Mercurio uenit: quibus & alijs claret, ſuperiora priſcum illum Triſmegiſtum ſcripſiſſe. Nam totus fermè Timæus Platonis ab eo fluxit. Fuit autem inanis oſtentatio Græcorum, quæ eſt apud Platonem, quòd à Barbaris accepta, Græci fecerunt meliora. Dilatarunt quidem Græci, eloquentiusq; reſcripſerunt ea, ſed pleriſq; prauis intellectis, non pauca ſuperſtitionibus ſuis contaminarunt, ut potius à Barbaris accepta, quia ſenſus ſenſus deeſſet, fecerint peiora. Sed uenio ad alia, quæ de Creatione ſcripſit Triſmegiſtus. Duoq; ſunt diuiniſſima in eodem Pœmandro de Creatione, quemadmodum in Geneſi Moſis teſtimonia: unum quòd quemadmodum Moſes ſolis uerbis, & locutionibus inducit Deum operatum, ſic Mercurius, ubi in calce libri, admiratus opera diuina, in laudes Creatoris os aperuiſſet, eumq; ex uarijs operibus eius collaudaret, dixit: ἅγιος εἶ ὁ λόγῳ συσταθεὶς τὰ ὄντα: Benedictus es, qui ſolo Verbo cuncta feciſti. Sic Moſes item ad unamquamq; rem teſtatur Deum dixiſſe, ut fieret lux, fieret firmamentum in medio aquarum, terra produceret, fierent luminaria in firmamento cœli: Et noſter diuinus Vates, Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis uirtus eorum. Agnoſcis eandem locutionem apud Mercurium. Idem Triſmegiſtus docet, fuiſſe Verbum illud mentale, intellectuale, non exterius reſonans, ore, dentibus, lingua formatum. Secundum quod mirabile, & (ut dixi) ab omnibus Philoſophis præcipuè Platonicis uſurpatum, & quo uera mundi declaratur origo, eſt apud eum, quòd

quod omnis rerũ inuentio, & omne eſſe, in Deo fuit antè per originem et formã, originaliter & formaliter, non ipſa rerum corpulentia, ſed efficacia, plenitudine, Idealiter, Diuinitus. Idem fermè, ac ſi dixeris, ignẽ in ſilice eſſe, per modum ſilicis, non per modum ignis, antequã ſit excuſus. Et in ſeminibus animalium, per modum ſeminis eſſe animalia, non per modũ animalium. In illa igitur infinita ſapientia, originaliter, ac diuinitus, uelutq; in ſuo fonte, & origine cuncta continebantur. Eoq; non eſt factus mundus è nihilo, ſed habuit originẽ ueriſſimã, ortumq; antecedentẽ & uirtutẽ, in qua cuncta uirtualiter, ut ſic loquar, eſſent congregata. Hocq; eſt, Quòd per ipſum omnia facta ſunt: Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Aut, quod factum eſt in ipſo utam fuiſſe. Hoc priſci Philoſophi declarantes, induxerunt mundũ archetypum, imaginẽ mundi ſenſibilis, dicentes hunc mundũ ſimulachrũ illius æterni, perinde ac ad originẽ, formamq; ſuam eum referrẽt: omnemq; naturam, ſimilitudinem & quaſi Diuinitatis partum, & prolem aſſeruerunt. Modus autem quo cuncta in illa diuina ubertate tenerentur, nõ eſt omnino comprehenſibilis, ſed intelligi tantum terrenis exemplis poſſet. Hoc igitur omne indicans Mercurius, & in principio Pœmandri, induxit ſpeciẽ illã mundi ἀρχέτυπον πρωϊπάρχον, quæ præeſſet in Aeternitate, ipſaq; Diuinitate: & in calce, cum eum benediceret: ἅγιος εἶ, οὗ πάντα φύσις εἰκὼν ἐστί: Benedictus es, cuius omnis natura fuit imago. Sicut autem Moſes in primo capite Geneſeos totã creationẽ complexus, repetit in ſecũdo nonnullis, quæ prius omiſerat, adiectis, ſic Triſmegiſtus, cùm in Pœmandro latè de tota generatione rerũ ſcripſiſſet, iterũ eam repetit in tertio ſermone, quẽ inſcripſit ἱερὸς λόγος. Quo libro mira, prodigioſa, & quæ poſſint teſtari eandẽ ſemper philoſophiam, notionemq; Dei floruiſſe. Hic recognoſces dogmata nominaq; Philoſophiæ Græcæ. Videbis unde manarit ad Græcos, νοῦς, Intelligentia creatrix, & Chaos illis celebre. Recognoſces totius Platonicæ Philoſophiæ fontem, de rerum principijs. Iterum maximi hominis aſſertionem uidebis, cœleſte corpus diuinũ quidẽ eſſe, ſed factũ tamen, ſegregatũq; ex aquis, nõ quintã quandã ſubſtantiam, ut Philoſophis uiſum, qui ſubſtãtiæ cœleſtis originẽ inuenire nõ potuerunt. Sic uerò ſcribit: λόξα πάντων ὁ θεὸς καὶ θεῖον καὶ φύσις θεία, ἀρχὴ τῶν ὄντων, ὁ θεὸς καὶ νοῦς, καὶ φύσις, καὶ ὕλη, σοφία εἰς δ' εἶπεῖν ἁπάντων ὧν. ἀρχὴ τὸ θεῖον καὶ φύσις, καὶ ἐνέργεια, καὶ ἀνάγκη, καὶ τέλος καὶ ἀνανέωσις, λῶν γὰρ σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ, καὶ ὕδωρ καὶ πνεῦμα λεπτὸν, νοερὸν, δυνάμει ὄντα τὸν χάος. ἀνέβη δὲ φῶς ἅγιον, καὶ ἐπάγη ὑφ' ἅμμῳ ἐξ ὑγρᾶς οὐσίας στοιχεῖα, καὶ θεοὶ πάντες τῶν διιερῶσι φύσεως γεννήτορες. ἀδιοριστῶν δ' ὄντων ἁπάντων, καὶ ἀκατασκευάστων, ἀφωρίσθη τὰ ἐλαφρὰ εἰς ὕψος, καὶ τὰ βαρέα ἐθεμελιώθη ἐφ' ὑγρᾶ ἅμμῳ, πυρὶ δ' ὅλων διοριθέντων, καὶ αἰωρεμαθέντων πνεύματι οἰκείᾳ, καὶ ὤφθη ὁ οὐρανὸς ἐν κύκλοις ἑπτά, καὶ θεοὶ, ταῖς ἐν ἄστροις ἰδέαις ὁπτανόμενοι

σὺν

σὺν τοῖς αὐτῶν σημείοις ἅπασι, καὶ διωρθρώθη σὺν τοῖς ἐν αὐτῇ θεοῖς ὑπ' περιελήφη τὸ περικύκλιον, ἀερικυλίῳ ῥόμβῳ πνεύματι θεῖον ὀχούμενον. αὐτὴ δὲ ἑκάστου θεοῦ ἦν ἡ ἰδέα δύναμις τὸ προσαχθὲν καὶ τῷ, καὶ ἐγένετο θηρία τετράποδα καὶ ἑρπετά, καὶ ἔνυδρα, καὶ πτηνά, καὶ πᾶσα σπορὰ ἐναέριος, καὶ χύρτος, καὶ αὔθη πάντος χλόη, τὰ σπέρματα ἢ παλιγγενεσίας ἐν αὐτοῖς ἐσπερμολόγουν τὰς τε γενέσεις τῶν ἀνθρώπων εἰς ἔργον θείων γνῶσιν. Quæ sunt, Gloria omnium Deus, & Diuinitas, & Mens Natura. Diuinũ principium rerũ Deus & Mens, & Natura, materia, Sapientia ad declarationẽ omniũ existens. principiũ Diuinitas, Natura, & efficacia, siue operatio, & neceßitas, & finis, & renouatio. Erant enim tenebræ infinitæ in abyßo, & aqua, & ſpiritus tenuis, intelligibilis, diuina uirtute exiſtentia in Chao. Sublata igitur eſt ſancta lux, et congelata ſunt, ac firmata elementa inferius, ex humida ſubſtantia. Et Dij omnes amplectuntur, adamantq; Naturã ſeminalem. Cumq; omnia eſſent indiremptа, & incompoſita, ſeparata ſunt leuia in altum, grauia in imum, in arena humida, diuiſis omnibus per ignem, et appenſis ſpiritu, ut uehantur. Et apparuit cœlum in circulis ſeptem, & Dij aſpectibus aſtrorum apparentes, cum ſuis omnibus ſignis. Et diſtinctus eſt cum Dijs, quæ in ipſa ſunt, & circunſcriptus eſt ambitus, aëre circulari uago, ſpiritu diuino uectus. Protuliitq; unuſquiſq; Deus, per propriam uirtutem, quod imperatum fuit ei, nataq; animalia quadrupedia, reptilia, aquatica, uolucria. Omnisq; ſatus ſeminalis. Et fœnum, & flores, omnisq; herba, ſemina regenerationis in ſeipſis continuerunt, & generationes hominum ad cognitionem operum diuinorum. Hæc et id genus alia Triſmegiſtus, in quibus clara eſt creatio totiusq; mundanæ generationis ordo. Primumq; ipſa principia memorat, quod Plato in Timæo, Moſes noſter compendioſè, principium nobiliſſimum, glorioſiſſimum, immenſa gloria, qua glorificatus ipſe fuit antequam mundus fieret. Idem gloria rerum omnium Deus, & Diuinitas diuinum principium, Deus & Mens, Sapientia, efficacia, uel energia, operatio ſcilicet diuina. Parte alia idem Natura, materia, neceßitas, finis, renouatio, adde in his ipſam, ſi uis, energiã. Vides igitur hic principium mundi, quod Theologia noſtra clarius expoſuit, Mentem. Sapientiam. Hæc illa Intelligentia, ac Sapientia, per quam facta ſunt omnia, per quam Dominus fundauit terram, cœlos ſtabiliuit. Hæc item energia, ob quam Plato de Generatione ſcribens, induxit δημιουργόν, Opificem, qui eam operationem efficeret. Renouatio autem & finis fuit, quòd ex incompoſito principio facta ſunt omnia, formisq; diſtincta, mũdusq; melior inductus. Quod quomodo factũ fuerit, declarat, ſicut declarauit & Moſes. Creatio autem ſpectat mundum inchoantẽ, informem, incompoſitum, exinde mundum meliorem, qualis nunc eſt, mundum uerum. Vtrunq; mundum Deus creauit. Prior uocatur Chaos, Hyle: ipſe autem uerus mundus, renouatio, Natura primus fuit ceu rude principium, utilis maſſa ſecundi,

perinde

perinde ac creta, uenustißimi paulò poſt futuri uaſis. Vtrunque Moſes, In principio creauit Deus cœlum, & terram. Triſmegiſtus docuit eum Verbo cuncta fecißſe. Creatio ſecundi mundi incipit apud Moſen quidem, ubi ait, Et tenebræ erant ſuper faciem abyßi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Nam quod dixit antea, Terra erat inanis & uacua, ut in Coſmopœia fuit expoſitum, declarat, Terram fuiſſe nihil, fuiſſe inane, uacuum, factam è nihilo. Vbi uerò inducit, Et tenebræ erant ſuper faciem abyßi: Iam innuit terram & aquas creatas. Igitur etiam apud Triſmegiſtum præuertitur, terram & aquam creatam, cum ait, Erant enim tenebræ in ipſa abyſſo. Hic itaque incipit ei ſecundus mundus. Igitur & Ouidius quæ legerat apud Græcos, canens poëticè, duplicem hunc mundum celebrauit, exordiens à fundamento, & materia ſecundi:

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto Naturæ uultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtaq; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem,
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Hucuſq; primus mundus, informis, indigeſtus, incompoſitus, ut dixere ſeptuaginta apud Græcos, ſacrarum literarum interpretes, & Triſmegiſtus hoc loco: Creatus eſt igitur primus et ſecundus à Deo, euidentißimeq; Moſes & Triſmegiſtus id ſcripſerunt. Hi Philoſophi, qui materiã putarunt æternam, & à ueritate longius abierunt, & ueteris Theologiæ mentem praua interpretatione obfuſcarunt. Aſpicis igitur, ut Moſe dicente, Et tenebræ erant ſuper faciem abyßi. quod Hebraicè hoc ſibi uult, horrorem teterrimum, lucis abſentiam, iam aquis, cum terra (quia terra ſolum aquarũ) creatis incubuiſſe latè? Etiam ſuper faciẽ terræ tenebræ erant, quia terris incumbebant aquæ, et ab aquis operiebatur terra: Mercurius etiam ait: σκότος ἀπέρου ἐν ἀβύσσῳ: Tenebræ immenſurabiles, infinitæ in abyſſo. Vtq; duo ſunt aquarum nomina apud Moſen: primum cum ait, Et tenebræ erant ſuper faciem abyßi: Secundum ipſum aquarũ nomen, Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: Sic apud Triſmegiſtum, primum nominatur abyſſus, exinde ὕδωρ, aqua, quæ dicitur in abyſſo, ipſaq; abyſſus fuiſſe. Quemadmodũ item Moſes poſt abyſſum, nominat Spiritum, qui non poteſt iuxta quorundam Hebræorum ineptiam eſſe uentus, ſed uerus Dei Spiritus, id eſt, quam alijs nominibus uocat Mercurius νοῦν, σοφίαν, λόγον, Mentem, Sapientiã, Verbum: ſic idem Triſmegiſtus, πνεῦμα λεπτὸν, νοερὸν, Spiritus tenuis, intelligibilis, uidelicet νοῦς νοερὸν. Vt Moſes item ait animum hunc ingentem, omnipotentẽ, ſolertißimumq; ſpiritum, fuiſſe ſuper aquis: paulò autem prius tradiderat, quòd etiam tenebræ erant ſuper abyſſo: Sed tenebræ erant, ſpiritus merachephet, id eſt, mouebat, agitabat, motum Opifici agebat: Hebræiq; exponunt merachephet, alio illuſtriore uerbo, רחף ithnonea, mouebatur: à Græcis antiquißimis, motus is creditus eſt & dictus κρίσις,

χρισις, diuisio, diremptio. sic Mercurius dicit hæc in Chao fuisse, uidelicet aquam, tenebras, spiritum: Sed tenebræ uelut priuatio lucis, spiritus uelut opifex, aqua ut ipsa abyssus. Hæc ait in Chao fuisse, appellans Chaos, ipsam terræ & aquæ indigestam, incompositamq; congeriem, cui & aquæ inerant & tenebræ: Spiritus aũt ut sapiens Opifex superextabat moliens orbes. Hucusq; Hebraica, Aegyptia, Latinaq; theologia, diuinè congruunt. Nam Ouidius, à qua præclari operis sui auspicatus est initium, Theologiam sine dubio ab hisce Mercurij libris, quippe qui tempore quoq; Platonis iam ad Græcos peruenissent, edidicit. Habuitq; à Mercurio totam illam creati mundi descriptionem. Quod clarissimum cum alijs multis est uetustatis horum librorum argumentum. Chaos igitur non erat omnium elementorum confusio, nec pugnabant illic elementa: sed duo tantum mista erant elementa, terra, & aqua, sic ab Opifice creata, paulò post dirimenda, omnium rerum terrestrium ac cœlestium primordia: Terrestrium terra, humore temperata, mollefacta: Cœlestium aqua, purissimè, & quadam diuina operatione, in ætheriam, aëriamq; substantiam extenuata. Sicq; erant illic non pugnantia, non nata, sed ut in suâ origine reliqua duo elementa, ignis & aër: Ignis inquam ætherius. Nam ignis terrestris naturaliter inest omni corpori, nec solitarium est elementum. Ineſt etiã aquæ; quæ suis sæpe motibus incalescunt. Vt igitur inerat aquis illis primordialibus uirtute & facultate ætherius ignis, sic ĩnest aquis, & terræ, omnibusq; corporibus, suus. Erant igitur duo elementa. Sed his ita admista, congenita & conglobata, ut sunt nunc semper, altera duo, ignis, & aër. Satis igitur superq; erat duo creare, è quibus altera duo seligerentur, atque elicerentur uicissim, diuino ordine. Nam ut aqua fuit cœlestis ignis origo, sic ignis cœlestis, pater, ac genitor aëriæ tenuitatis, atque exilitatis. Sicq; aquæ creatio, duo secum elementa traxit, cœlestem ignem, et aërem. Reliquus, qui in corporibus est, nõ uerus ignis, sed mistus, magisq; corpus igneum, quàm ignis: in corporibus ceu pars eorum remansit, purissimus in altum sublatus est. Triplex igitur fuit, & triplex à Mose, & Trismegisto, ex sacra reuelatione describitur ortus. Primus est è nihilo, terræ, & aquæ. Secundus duorum aliorum ex his elementorum, ignis cœlestis, & aëris. Tertius rerum ex his omnibus: ex terra & aqua ut substantia: ex igni cœlesti, & aëre, altero ut patre gignente, altero ut matre nutriente, alente, multaq; alia bona præstante. Hæcq; omnia bona ut ordine diuino creata, sic mirabili descripta, alteris ex alteris mirabiliter nascentibus. Cũ aqua igitur tria sunt elemẽta creata, ipsa aqua, purissimus ætherius ignis, et aër, qui latebat in aqua. Hæc docuere diuinitus Moses et Mercurius. Prior quòd ubi dixisset spiritum Domini sese agitasse super aquis: quis agitatus, quæ molitio spiritus esset super aquis, ex aquis, docuit statim, quum Deus dicit, Fiat lux. Aetheria scilicet, solaris, pura, nitida. Mercurius autem, ἀνείθη δὴ φῶς ἅγιον, Sublata est, eleuata, ascendit lux sancta. Ea igitur fuit eleuatio, quòd ex aquis purus, albescens ascendit diuino impetu ad regiones supernas ignis. Lucem autem

autem ſanctam uocat, ut uidere eſt, toto opere, cœleſtem & ſanctam: quòd, ut apparet ubiq;, & quod Plato, Ariſtoteleſq;, omneſq; item Platonici ſecuti ſunt, cœleſtia lumina Deos, Deoſq; ſeptem eodem libro ſeptem Planetas appellat. Hæc igitur lux ſancta ſupernas regiones pura, nitens, appetiuit, ſelecta mirabiliter exaquis à Deo. Hoc clarius explicans adiecit: ἀδιορίσῳ δὲ ὄντων ἄνω ἄντων, καὶ ἀκατασκεύασῳ, ἀποδιωρίσθη τὰ ἐλαφρὰ εἰς ὕψος. Quod eſt: Cum omnia eſſent indiſtincta, indiſiuncta, & incompoſita, ſegregata ſunt leuia in altum. Hoc Moſes non tam multis uerbis explicuit, ſed breuitatis ſtudioſus, ipſam duntaxat rem factam indicans, quomodo facta ſit, uno tantum nutu demonſtrauit, quòd Spiritus Domini mouebat, operabaturq; ſuper aquis. Et Solomon, cum Iob, teſtantur eum ſuper aquis cœleſtẽ orbem extendiſſe. Cernis etiam, ut loquitur, quemadmodũ Græcè eſt in Geneſi, Terra erat inanis, & uacua, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύασος, inuiſibilis, incompoſita: omnia enim incompoſita, nondũ elementis ſeparatis: deus autem ſeparauit ætheriam ſubſtantiam, præcipuè Solem, is ſeparauit aërem. Elementa igitur denſiora, grandia docet remanſiſſe, terram et aquam lutulentam. Hæc omnia cum legiſſet Ouidius apud Græcos, ad uerbum expreſsit.

Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aëre cœlum.
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæq; Deorum.

Triſmegiſtus enim prior, hos Deos dixerat: καὶ θεοὶ πάντες κατασπερῶσι φύσεως ἐν σώμασι: et omnes Dij amant naturam ſeminalem. Paulo inferius: καὶ ὤφθη ὁ οὐρανὸς ἐν κύκλοις ἑπτὰ, & θεοὶ ταῖς ἐν ἄσεσιν ἰδέαις ὡπλανόμενοι. Quod eſt, Et cœlũ, inquit, apparuit in circulis ſeptẽ: & Dij in formis aſtrorum conſpecti. Vides formas Deorũ apud utrunq; Vt autem Ouidius canit de terra ponderibus librata ſuis, Et preſſa eſt grauitate ſui: Sic Triſmegiſtus, & τὰ βαρέα ἐθεμελιώθη ἐφ' ὑγρᾶς ὕλης πυρὶ τῶν διωρισθέντων. Hoc eſt, Et grauia fundata ſunt ſuper humidã arenam, igni cunctis ſeparatis. Quæſo igitur inſpice et obſerua, unde nati ſunt Dij quorundã Philoſophorũ, ſidera: ex aqua uidelicet. Quanquã ergo Mercurius Deos eos dixerit, factos tamen et ortos in tempore aſſeruit: ortos autẽ ex aqua. Habeſq; quo in loco habuerint aſtra. Vt autẽ Moſes ſecunda die creat aërem, innuitur autẽ per lucis ardorem effectũ: ſic Triſmegiſtus, illo igni cœleſti, flammiſq; ſupernis, aſſerit factã ſuperioris, ac inferioris aquæ diuiſionẽ: & ſublato ſupra mare et terras aëre, alteram diuiſionẽ, ac quaſi ſelectionem effectam. Docet igitur leuia ſuperiores locos appetiſſe, grauia in terra, ut in fundamẽto remãſiſſe: πυρὶ τῶν ὅλων διωρισθέντων, καὶ ἀνακρεμασθέντων πνεύματι ὀχεῖσθαι: Igni, cũctis ſegregatis, et ſuſpenſis, ut uento ferrẽtur. Poſt lucẽ creatã, uitales eius flãmas, aquis et terris inuectas, aquas quidẽ in aëra reſoluiſſe, poſt eas abactas, ac diſſolutas, eodẽ ardore grauidaſſe ac tũ effeciſſe terrã, et ex eius utero plantas, animaliaq; extraxiſſe, tacitè perhibuit Moſes, proponens eũ rerũ creatarum

tarum ordinem, & effectas res memorans, priùs causis memoratis, ut hoc quod diximus facilè intelligeremus. Trismegistus autem planè, & clarè declarat sidera cœlestia, quæ Deos uocat, ad imperium sibi datum, protulisse feras, quadrupedia, serpentes, aquaticos, & uolucria, & quod anteceſſerat, fœnum, herbam, fruges: ἀνῆκε δ' ἐπ' ἔτος θεὸς διὰ τῆς ἰδίας δυνάμεως τὸ πρόσχορτον αὐτῷ, καὶ ἐγένετο θηρία τετράποδα, ἑρπετὰ, ἔνυδρα καὶ πτηνὰ, καὶ πᾶσα σπορὰ ἔνσπορος, καὶ χόρτος, καὶ ἀνθρώπων χλόης. Ex quibus apparet stellas fuisse antequam herbidæ coorirentur ubertates. Quemadmodum item Moses docuit imperatum à Deo, ut terra non modò uirores omnes produceret, uerum etiam eos produceret, ut semen continerent, ad similem sui propagationem, stirpisq; perennitatem: sic Trismegistus, τὰ σπέρματα τῆς παλιγγενεσίας ἐν αὐτοῖς ἐσπερμολόγησε: Semina regenerationis in ipsis seminarunt. Moses autem, Lignumq; faciens semen iuxta genus suum. Quibus omnibus apparet denuo Creationis repetitus ordo eadem ratione, atq; tenore, quo scripsit Moses, & quo nullum in omni natura uidere potest animus meliorem, congruentiorem. Apparet item quoniã Latini, & Græci scripta Trismegisti hæc secuti sunt (Nam tota generatio mundi apud Ouidium ex hisce libris sumpta est) apud Græcos autem & Hesiodus, et Orpheus, ut docebo, exinde Philosophi ferme omnes ante Aristotelẽ, uerba & res istius libri decerpta, libris suis inseruerunt, hunc autorem & antiquissimũ esse, et summæ apud omnes mortales autoritatis, cuius Theologiã amplexi sint, & comprobauerint omnes Græci. ut hinc facilè posit intelligi, quantus error, q̃ inaudita fuerit temeritas Simplicij, qui Theologiam Aegyptiorũ, quã maiores sui summa ueneratione coluissent, tã turpiter appellarit fabulosam. Sed alia prosequamur ex Trismegisto, de Creatione, ut fiat iuniorũ Philosophorũ clarior insolentia, qui sibi sapientiæ laudẽ ex inuentione nouarũ rerum optantes, quæ maiores sui, à quibus genus, mores, sermonem, urbes, domos, omniaq; bona ipsi habuissent, stulta temeritate, grauissimam eorum autoritatem in assertione creati mundi, reijcientes, sequi noluerunt, sed pauci omnino. In libro, qui dicitur κρατὴρ: quod nomen uidetur in Timæo suo Plato secutus: Nam quemadmodũ et Plato de illo suo cratere, sic is loquitur: κρατῆρα γὰρ πλησάσας τοῦτο, κατέπεμψε δι' ἀγγέλου κήρυκα: Quod arbitrij cratera repletũ demiserit adhibito præcone. Mirabiliter fatetur omnia Deum non manibus, sed uerbo solo fecisse, qualis est Theologia Mosaica, sic libru exordiens: ἐπεὶ δὴ τὸν πάντα κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιουργὸς οὐ χερσὶν, ἀλλὰ λόγῳ. Id est, Posteaquã mundum omnẽ creauit Deus Opifex, non manibus, sed uerbo. Progressus inde prosequitur, euidentissima pectoris sui, suæq; etatis superiorumq; seculorũ usq; ad diluuiũ, primosq; Aegyptiæ gentis progenitores sensa. Atq; quasi prospiciens recentiorũ Philosophorum impietatẽ, hortatus est filium Tat, ubi de homine creato disseruisset, in hunc modũ: μηδέποτε ὦ τέκνον Τάτ ἀπόσπερήσης σὺ δημιουργὸν τὰ δημιουργήματα. Videlicet, Nunquã ô fili

ſili Tat, priues opificia ſuo opifice. Illi igitur planè ſeparant creaturas à creatore, qui mundum nunquam à Deo creatum contendunt, priuantes opifice opificia, ſe/iungentesq; alterum ab altero. Illud uerò præclarum eſt quoq; teſtimonium, ſimilli mumq; dictis Prophetarũ, quorum indefeſſè uoces canunt, terminos eum mari po/ſuiſſe, terram ſuis columnis, ſtabiliq; mole ut in æternum moueri nequeat, firmaſſe. Quis, inquit, qui, ὁ θαλάσσης τοὺς ὅρους περιβαλὼν; τίς ὁ τὴν γῆν ἑδρά/σας, εἰ μὴ γάρ τις ὦ Τατ, τούτων πάντων ποιητὴς καὶ δεσπότης: Termi nis, ac definitionibus mare circunſcripſerit? Quis terram firmauerit, ac ſtabilierit? Eſt enim aliquis ô Tat, horum omnium Creator & Dominus. In his confirmatur Creatio mundi, et Prouidentia, ut nihil ſit in omni mundo, quod non habeat æternæ Prouidentiæ rationem. Sic & Dauid cecinit de mari: Terminũ poſuiſti eis, quem non tranſgredientur, nec conuertentur operire terrã. Et Iob, ut ab eo penè Mercu rius uideatur accepiſſe: Indicà mihi, Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de uulna procedens? Circum/dedi illud terminis meis, & poſui uectem, & oſtia, & dixi, Vſq; huc uenies, et non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Mercurius item in eo qui inſcribitur Quod Deus inuiſibilis, ſit ex operibus manifeſtus, inquit, ἀρχὴ δὲ περιοχὴ, σύνασις ἁπάντων ὁ θεὸς. Principiũ, cõplexus, conſiſtentia om niũ rerũ, Deus. Sic quoq; in eo, quẽ de Bono inſcripſit, materiã mundi, quæ in illa defecatione, ſelectioneq; rerum, ſubſediſſet, ab opifice Deo dicit corpulentã effe/ctam, conſolidatãq; in orbicularem formam. Quale Ouidius de eodem Opifice:

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magnis ſpeciem glomerauit in orbem.

Triſmegiſtus autem: ὅσον οὖν ἡ ὕλης ὑποκείμενον τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ τὸ πᾶν ὁ πατὴρ σωματοποιήσας, ὠγκώσας ἐποίησε σφαιροειδές: Et quã tum, inquit, materiæ ſubſidens eſſet, id omne uerbo ſuo corpulentũ efficiens, & in tumorẽ ducens, orbiculare fecit. Quis non uideat Ouidiũ, ut reliqua omnia, de mun di ortu, ſic item de ſpecie terræ, hinc didiciſſe? Illo etiam elogio Mercurius mundũ prodidit creatũ, quod ſolitus eſt multis in locis Patrem uocare Deum, ipſum mun/danũ opificium, Partũ eius. Quid quòd in eo libro quem inſcribit Mens ad Mercu riũ, contra eum qui contendat Deum inuiſibilẽ, imò uerò maximè uiſibilẽ aſſerit, ex operibus, quibus creandis idcirco incubuerit, ut maieſtas eius clara fieret? ὁράτος ὁ θεὸς; εὐφήμησον, τίς αὐτοῦ φανερώτερος; διὰ τοῦτο, πάντα ἐποίη σε, ἵνα διὰ πάντων, αὐτὸν βλέπῃς: Inuiſibilis, inquit, eſt Deus? Bona uerba quæſo. Et quis eſt eo illuſtrior? Ob hanc unam cauſam, cuncta creauit, ut in omni/bus rebus eum cerneres, Hæc bonitas Dei, hæc eius uirtus, uideri, apparereq; eum per omnia. Sic ille. In eo quoq; qui dicitur Hymnodia, cũ precaretur omnia, ut ſi/lentiũ agerẽt, ſic dixit: μέλλω γὰρ ὑμνεῖν τὸν κτίσαντα τὰ πάντα, τὸν πήξαντα τὴν γῆν, οὐρανὸν κρεμάσαντα, ἐπιτάξαντα ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ

τὸ γλυκὺ ὕδωρ εἰς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἀοίκητον ἅπασαν εἰς τὴν διατροφὴν, τὸν ἐπιτάξαντα πῦρ φανῆναι εἰς πᾶσαν πρᾶξιν θεοῖστε καὶ ἀνθρώποις. Quæ ſunt, Laudaturus enim ſum qui creauit omnia, qui terram firmauit ac fixit: Qui iuſſit aquam dulcem, ex oceano in uniuerſum terrarum orbem, ſiue qui habitatur, ſiue qui non habitatur, exiſtere, ad alimentum: Qui iuſſit ignem apparere ad omnes operationes, Dijs & hominibus. Hucuſque ille. Oſtenſum quoque ſuperius, locum illum nobilem in Republica Platonis, quo quaſi pictor naturalis dicitur Deus, potens omnia facere, quæ pictor effingere, ſumptum eſſe ex Mercurio, qui ad Aſclepium ſcribens: εἶτα δὴ μὲν αὐτῷ ζωγράφῳ ἔξεστι καὶ οὐρανὸν ποιῆσαι, καὶ θεὸς, καὶ γῆν καὶ θάλασσαν, καὶ ἀνθρώπους καὶ τὰ ἄλογα, καὶ τὰ ἄψυχα. θεῷ δὲ θεῶν ἀδυνάτου ταῦτα ποιεῖν; ὦ τῆς πολλῆς ἀγνοίας, καὶ ἀγνωσίας τῆς περὶ τὸν θεόν. Quæ ſunt, At pictori, inquit, licebit & cœlum facere, & Deos, & terram, & mare, et homines, bruta que, et exanima: Deo autem impoſsibile erit hæc facere? ô ſingularem inſcitiam, & imperitiam erga Deum. Hæc & alia multa ſcripſit de Creatione uetuſtiſsimus Theologus Triſmegiſtus, cuius, ut dixi, Theologia fuit maximè in cauſa, ut uetuſtiores Græci, de rerum primordio loquerentur. Cuius libros hoſce cum primis legiſſe Platonem, dogmata eius in Timæo ex his deſumpta, teſtantur. Quorum quædam ad exemplum nunc recognoſcam. Principiò quam creandi mundi cauſam Plato poſuit, amplexus que maximè eſt quòd diuina Bonitas, in quam non modò inuidia carere non poſsit, ſed quæ cupidiſsima ſit benefaciendi, Mercurij fuit prioris, cuius extat liber de Bonitate Dei, hocq; unũ uerum eſſe eius ſoliq; ei congruens, cæteris incõmunicabile nomen teſtatur. Totumq; de Bonitate apud Platonicos dogma, Triſmegiſti fuit. Verba Platonis ſunt, Dicamus, inquit, ob quam cauſam conſtitutus eſt iſte mundus, ab eo, qui eum conſtituit: ἀγαθὸς ἦν, Bonus erat uidelicet. Mercurius autem in Cratere: ἀγαθὸς ὢν, μόνῳ γὰρ τούτῳ ἀνατέτακεν, ἠθέλησε καὶ τὴν γῆν κοσμῆσαι. Quod eſt, Cum eſſet bonus, hoc enim unũ in eo excellit, uoluit terrã ornare. Secundũ dogma de cratere, ut ſuperius monſtratum eſt in Timæo Platonis, quem mundanus opifex impleuit animorum, & de quo Plato: ἐν ᾧ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμιγε: In quo miſcens animam uniuerſalem, temperabat: fuit etiam Triſmegiſti, cuius eſt liber inſcriptus Crater, quaſi temperatio: in quo ſic loquitur: ἠθέλησεν ὁ τέκνον, τοῦτον ἐν μέσῳ ταῖς ψυχαῖς, ὥσπερ ἄθλον ἱδρῦσθαι, καὶ αὐτὸν ἱδρύσατο. κρατῆρα μὲν γὰρ πληρώσας τοῦτον κατέπεμψε, δὸς κήρυκα. καὶ ἐκέλευσεν αὐτῷ. ταῖς τῶν ἀνθρώπων καρδίαις τάδε βάπτισον σεαυτὴν ἀναμένη εἰς τοῦτον τὸν κρατῆρα. ἣ πιστεύσασα, ὅτι ἀνελεύσῃ πρὸς τὸν καταπέμψαντα τὸν κρατῆρα. Quæ ſunt, Voluit ô fili, hoc in medium quaſi certamen animis ponere. Ipſumque cratera ſtatuit plenum, demiſitq; adhibito

adhibito præcone, iußitq; ex eo cordibus humanis talia: Tinge, immerge te ipſum, qui potes, in hũc Cratera, qui credis quòd reuerteris ad eũ qui demiſit cratera. Sic ille. Acceptus eſt igitur hinc Crater ille Platonicus, plenus et ipſe animarũ, ſicut iſte Mercurij plenus mẽtis, ſapiẽtiæ, ad quẽ per præconẽ opifex Deus õnes animas, inuitarit, ut quæſe ĩmerſerit, accepta ſapiẽtia, reuolet ad ſuperos, Similia dicũtur in Timæo, ut uidere potes. Quiẽtiã illa ipſa anima uniuerſi, quã in illo cratere miſcet Plato, à Mercurio ſũpta ad uerbũ eſt, cuius ad Aſclepiũ hæc uerba ſũt: οὐκ ἤκουσας ἐν τοῖς γένεσιν, ὅτι ἀπὸ μιᾶς ψυχῆς, τῆς τοῦ παντὸς, πᾶσαι αἱ ψυχαὶ εἰσι? Nonne audiſti in generibus, quòd ab una anima Vniuerſi, omnes animæ exiſtunt? Hæc ille. Dogma quoq; de mũdano opifice, et hoc ipſum nomẽ δημιουργὸς, quod eſt in Timæo Platonis creberrimũ, uenit à Mercurio: quod ut clarũ relinquo. Præterea quæ Plato in principio Timæi de uehiculis animæ diſſeruit, manarũt à Triſmegiſto Verba Platonis ſunt, νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς, ἀδύνατον παραγενέσθαι τῷ διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐν σώματι συνιστὰς, τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο: Mentẽ uerò adeße cuiquam ſine anima, non licet, Quam ob cauſam, mente quidem in anima, anima in corpore incluſa, uniuerſum omcpaginauit. Hæc Plato. Triſmegiſtus autẽ ineo qui inſcribitur κλεὶς, Clauis: ψυχὴ δ' ἀνθρώπου ὀχεῖται τὸν τρόπον τοῦτον. ὁ νοῦς ἐν τῷ λόγῳ, ὁ λόγος ἐν τῇ ψυχῇ: ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι, τὸ πνεῦμα διὰ δι' ἀφλεβῶν & ἀρτηριῶν, & αἵματος, & κινεῖ τὸ ζῷον & ὥσπερ τρόπον τινὰ βασάζει. Quæ ſunt, Anima autẽ hominis uehiturhoc modo, Mens in ratione, ratio in anima, anima in corpore: Spiritus autẽ trãſit per uenas, et arterias, et ſanguinẽ, et mouet animal et quaſi portat. Eſt itẽ apud Plotinũ, cæterosq; Platonicos, et aliud uehiculũ igneum, quo animus indutus, circumambulet mundum & cœlum. Eſt autem hoc uehiculum ueſtis illa nectarea corporum glorificatorum, Quando ſulgebunt iuſti ſicut Sol in conſpectu Dei. De eo ſcripſit eodem libro Trſmegiſtus ὁ δὲ νοῦς καθαρὸς γενόμενος τῶν ἐνδυμάτων θεῖος ὢν φύσει σώματος πυρίνου λαβόμενος, περιπολεῖ πάντα τόπον. Quorũ eſt Latinèſenſus: Mens effecta pura, ex indumentis diuina exiſtens natura, igneo corpore aſſumpto ambulat omnem locum. Locutus etiam Triſmegiſtus prior, ad eum modum, quo Plato, quòd impoßibile ſit mentem ſine anima exiſtere in corpore, Eodem libro: ἀδύνατον γὰρ τὸν νοῦν ἐν γυμνῷ σώματι γυμνὸν, αὐτὸν καθ' αὑτὸν ἑδράσαι: Impoßibile eſt, mentem in humano copore, nudam ipſam per ſe firmare. Illud quoque dogma quod multis in locis de tranſitu animorum, præcipue que in Timæo extat apud Platonem, palàm Mercurij eſt. Inde primum fluxit, inde Pythagoræ Platoni que deſumptum, fortaſſe non quæ ipſi probaſſent, ſed quæ apud uetuſtiores uidiſſent affirmantibus. Ac Plato cenſuit quemadmodum à Mercurio dicerat puras animas ſeu mentes reuolare ad aſtra, impuras in ſecunda uita reuerti ad corpora, primum que eas fieri fœminas, ſin impuræ perſeuerauerint

in tertio reditu, transire in corpora brutorum, donec earum peccata expiẽtur. Mercurius uero bonas ac, puras mentes fieri Deos cœlestes. de malis hæc loquitur ad Asclepium, Nonne audisti, inquit ab una Vniuersi anima, cunctas alias nasci? τότων πάνυ τῶν ψυχῶν πολλαὶ μεταβολαί. τῶν μὲν γὰρ ὧν τὸ ἐντυχέστερον, τῶν δὲ ὠδὶ τὸ ἐναντίον, αἱ μὲν ἑρπετώδεις ὖσαι, εἰς ἔνυδρα εἰς χέρσαια, αἱ δὲ χερσαῖαι εἰς πτηνὰ, αἱ δὲ ἀερῖαι εἰς ἀνθρώπους, αἱ δὲ ἀνθρώπιαι, τῆς ἀθανασίας ἔχουσαι, εἰς δαίμονας μεταβάλλονται, εἶτα οὕτως εἰ στὸν θεῶν χορὸν χορεύουσι: Harum igitur animarum multæ sunt mutationes, quòd aliæ in sortem beatiorem, aliæ in peiorem statum recidunt. Humi repentes abeunt in aquaticas, aquaticæ in terrestres, terrestres in uolucres, aëriæ in homines. Humanæ factæ immortales, in Dæmonas mutantur, tum in Deorum choros abeunt. Sunt autem Dij stellæ. Hoc dogma quanquam ueritati, & diis ipsiusmet Mercurij est contrarium, nunc tamen mihi satis est, ostendere Platonis Theologiã omnẽ à Trismegisto fluere, ut appareat huius scriptoris antiquitas.

Orpheum adorasse, secutumq; esse Theologiam Trismegisti de constitutione mundi. Minores affirmasse quæ prior Orpheus prodidisset. Primam Theologiæ partem apud Orpheum, esse laudes Creatoris æterni, sapientissimi, fœcundissimi. Omnia nata esse ex fœcunda sapientia uerbi diuini secundum Orpheum. Secundam Theologiæ partem esse de Chao, nempe terræ & aquæ creatione, post quas ex eis creatæ sint formæ rerum. Similem esse Mosi Orpheum in hac creationis assignatione. Phanera esse Solem, apud Orpheum: Amorem ipsam diuinã ipsam sapientiam creandi cupidam. Ex Chao & Oceano natos esse Deos, nempe sidera cœlestia. Caput X.

POst Mercurium Trismegistum supereſt ut alios ueteres Græciæ Theologos cũ Theologia Mosis consentire, & eadem atq; Trismegistum de generatione mundi sensisse, ac scripsisse monstremus. Est autem primus ferme sicut Trismegistus Aegytiorum, sic Orpheus Græcorum Theologorum, in quem subsequentes Philosophos omnes præcipuè Pythagoram respexisse, ipsi una Græci uoce testantur. ut ordo Theologiæ, talis per omnes ætates extiterit: quod Trismegistus primus qui maiorem Theologiam audisset, ut uetustior, Aegyptios docuit: ab eo fluxit ad Phœnices, & Græcos. Reuocatur à Græcis ad Aegyptios, ab Aegyptijs ad maiores quosdam, famamq; celebrem, certamq; in toto terrarum orbe scientiã, quæ cũ seculis paulatim succedentibus obsoleuisset, in libris remanserit. Quocirca, eadem omnia sunt apud Orpheum de creatione mundi, atq; Trismegistum: nisi quòd & superstitionibus, magicisq; uanitatibus se dedidit, & carminibus descripsit obscurius, inuoluens quibusdã ambagibus, quæ clarius Trismegistus docuisset. Estq; duplex apud eũ Theologia: uana quædã, & superstitiosa: altera diuina, suspiciẽda, de fontibus Aegyptiorũ (ad quos se uenisse, sacerdosq; eorũ adijsse, testatur in Argonautica) profluens. Vt igitur Mercurius dicturus de ortu mundi, opificẽ eius, sapientiã, gloriamq; infinitã prius memorat, à uera mundi præpotentiq; causſa felicissimum auspicatus (quod item & Moses antea, postea Plato, qui & bonitatem Dei, & Ideam mundi, ipsam scilicet diuinã Sapientiam causſas asciscit) sic Orpheus quædam

dam diuiniſſima carmina de magnis illis ante conditum mundum in pectore diui no, et in palatio Iouis theſauris, cecinit, Theſauros abditos, et arcanos, palatiumq; Iouis, in quo cuncta bona continerentur, appellans, quas Ideas Platonici, noſtri Sapientiam, & Verbum, ſicut item Triſmegiſtus, in quibus uero mundi latitaret origo. Hæcq; carmina etiam ab ipſis Platonicis proferuntur.

Οὔνεκα σὺν Ζηὶ πάντα διὸς πάλιν γῶτος ἐτύχθη
Αἰθέρι θ' ὑρφὴς, ἠδ' ὀρανῦ ἄγλαον ὕψος.
Πόντος τ' ἀτρυγέτοι, γαίης τε ἐρικυδέος εὖρη.
Ὠκεανός τε μέγας, καὶ νήεττα τάρταρα γαίης.
Καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείρατος, ἄλλά τε πάντα.
Παύτές τ' ἀθάνατοι μάκαρες θεοὶ, ἠδὲ θέαιναι,
Ὅσσά τ' ἔλιω γεγαῶτα, καὶ ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν.
Γίγνεσθαι, ζωὸς δ' ἐν γαστέρι στερᾶ πεφύκει.
Ζεὺς πρῶτος γένετο, ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος.
Ζεὺς κεφαλὴ ζεὺς μέσσα, διός τε πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε, καὶ ὀρανῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς βασιλεὺς, ζεὺς αὐτὸς ἅπαντων ἀρχιγένεθλος.
Ἓν κράτος, ἓς δαίμων γένετο, μέγας ἄρχος ἁπάντων.
Ἓν δὲ δέμας βασίλειον ἐν ᾧ πάντ' ἐνι πάντα κυκλεῖται.
Πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ.
Παύτα γὰρ ἐν ζηνὸς μεγάλα πάντ' ἐνὶ σώματι κεῖται,

Quæ quidem oratione ſoluta reddam, ut ſint clariora.

Fuerunt, inquit, intra Iouem, cum uniuerſo, ætheria uaſtitas, & cœli præclara ſublimitas.

Immenſiq; maris, & telluris inclytæ latitudo,
Oceanusq; ingens, depreſſaq; tartara terræ,
Fluminaq; & pontus, ſine fine, & cætera cuncta,
Immortales omnes, beati Dijq;, Deæq;,
Quæ fuerint exorta, & quæ uentura ſequuntur,
Hæc in uentre Iouis rerum compago manebat.
Iuppiter ipſe eſt primus, Iuppiter ultimus idem.
Iuppiter & caput, mediumq;, & cuncta Iouis ſunt.
Iuppiter eſt terræ fundamentum, cœliq; micantis.
Iuppiter idem rex cunctorum, principiumq;,
Vna poteſtas, & Deus unus, magnus & autor.
Vnum eſt regale corpus, in quo hæc cuncta tenentur.
Omnia nanq; hæc in domibus Iouis magni iacent.

En Orpheus appellat, aut multis sæpe rationibus ostensum, Diuinitatem uetustissimo nomine Iouem. Est enim Iupiter, Philosophis & nostris congruentibus, per quem uiuunt omnia. Id, inualescente idololatria, antiquaq; religione obsolescente, nomen hominibus attributum. Audi igitur diuinam, pulcherrimamq; Theologiam, quantusq; sit priscorum inter se Theologorũ consensus respice: Omnia in uisceribus Iouis, id est, Sapientiæ thesauris, mente capacissima, ac scientia cuncta extitisse: In thesauris illis æternis antequã crearentur, cuncta latitasse. Eoq; res antequã crearentur, erant in altero mundo, qui appellatur Iupiter, ab alijs Verbũ Dei, prolificũ, seminale, uocatur Sapientia, originibus rerum fœcundissima. Nec res (ne forte decipiaris) creatæ sunt è nihilo, id est, nullo earum primordio antecedente, sed antecessit mundus ille, formarum, inuentionũ, rationum locupletissimus, sapientia, ratio uberrima, ditissima rerum aula, unde et potuerint quondam, & possint, cum libuerit, omnia deprom. Hoc receptaculum, sedemq; cunctarum rerum, nomine mortali uocat uterum, ut etiam in nostris literis, uenter aut uterus Deo tribuitur: Ex utero ante luciferum genui te. Appellat item regiam aulam, palatium: In palatio Iouis cuncta, ætheriam uastitatem, cœlum sublime candens, pontum, terram, tartara, flumina: Deniq; & ipsos beatos Deos, antequam crearentur, ut in sua origine, fuisse: Perindeq; illic iacuisse, aliquando in lucem prodituros, sicut in origine sua sunt omnia. Idcirco Deus omnia est, ut à quo nata, & ex thesauris suis deprompta cuncta. Qui producit, inquit noster, uentos de thesauris suis. In illa diuina regione fontes sunt omnium rerum, nihil factum est quod non fuerit in illa latissima Sapientiæ aula, nobilissimarũ formarum rationumq; plenissima, opulentissimo regno: unde rebus origo, etiam Dijs beatis fuit. Ecce igitur ea quæ Diuus Paulus de filio Dei, diuina Sapientia (libet enim sæpius commemorare, ipsa ratione cogente, ut priscæ Theologiæ maiestas, quam maiores ab origine mundi continuatisq; successionibus accepissent, sit clara) Vt conformẽtur, inquit, in agnitione mysterij Dei, & Patris & Christi, ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας, καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et intelligentiæ absconditi, latitantes. Agnoscis consensum? Siquidem totus ille rerum numerus in utero, aut palatio Iouis apud Orpheũ, sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, arcani. Et qui apud nostrũ est Christus, apud Orpheũ Iupiter, ut sæpe probatũ, probaturq; magis: Idemq; noster Theologus de eodẽ Ioue, (sic enim etiam Hebraicè uocatur Iehouah (ὃς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, καὶ αὐτός ἐστι κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας: Qui est, inquit, imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ,

quoniam

quoniam in ipso condita sunt omnia quæ in cœlis, & quæ in terra, uisibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipsum sunt creata. Et ipse est ante omnia, & omnia in ipso consistunt, & ipse est caput Ecclesiæ. Hæc noster Theologus, respondente sibi apud omnes ueritate, sed aperta magis, nouissimis seculis. Vt ergo dixit Orpheus, Iouem esse primum: sic noster, fuisse & esse eum ante omnia, & primogenitũ. Vt ille prædicat omnia intra Iouis arcana latitasse, quæ postea proruperunt in lucem, numerans uisibilia & inuisibilia, terrestria & cœlestia, multusq; est in catalogo rerum terrestrium, quantus noster ut perfectior, sapientiaq; instructior, in catalogo cœlestium, & inuisibilium: sic ipse noster per eum cuncta fuisse creata, contentus res terrestres, ut notiores, uno nomine significasse: res autem cœlestes occultiores aperiens, instansq; declarando nominibus eorum prolatis. Quosq; noster nominatim uocat thronos, dominationes, principatus, potestates, hos uno nomine Orpheus, Deos beatos, poëticeq; addit, Deasq;. Neuter enim sexus est apud Deos, ut utroq; possint appellari. Sed dignius nostra semper Theologia, sexu masculo. Quod ergo Paulus, In ipso & per ipsum condita sunt omnia: Et, quia complacuit in ipso habitare omnem plenitudinem: est quod magis poëticè Orpheus, quòd in eo antequam crearentur, erant cœlestia, et terrestria, perinde ut in arcana sapientia, thesauri, fontesq; rerũ: Vt in utero aut palatio, ditissimaq; aula. Quodq; noster alibi, Vnus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi. Orpheus, Vna Potestas, unum Numen, unus omnium Princeps, Vnum corpus regium, in quo omnia. Quo uel totum mundum possis sentire, qui sit quasi corpus, cuius animatio uisq; sit ipse Deus, uel perstat in eo quod cecinit, omnia in utero Iouis fuisse. Quare redditur omnium rerũ ratio, quas conditas à Deo memorat Moses, cum refert eum, ignem, aquam, terram, maria, cœlum, noctem, diem, fontes, flumina, plantas, animalia creasse, quia scilicet in thesauris suis, unde facilè depromi possent, latitabant. Erat adeò sapiens, & solers, plenusq; rerum, fœcundusq; conditor ille, ut quidquid cuperet fecerit. eoq; doctissimè, & diuinè subiecit Orpheus:

Πάντα τά δε κεύθας αὖθις φάος ἐς πολυγήθες
Μέλλων ἀχὴ κεκλίνης προφέρειν πολυθέσκελον ἔϛω.
Cuncta hæc absconsa lætas eduxit ad auras,
Pectore mira suo proferens, & facta superba.

Est item hæc omnis Orphei Theologia, ea quæ tam uaria, multiplexq; est de Ideis apud Platonicos: quibus si uerum sensum adhibueris, erunt ueræ, & dignæ quæ recipientur. Siquidem & Mercurius adhibuit mundano opifici εἶδος ἀρχέτυπον. Hæ sunt apud Platonem ζῶον νοητὸν, Animal intelligibile, omnium scilicet rerum origo, Apud Timæum Locrensem κόσμος ἰνδιανικὸς. Nimirum, mundus sapientiæ diuinæ, anteaquam rès crearentur. θησαυροὶ ἀπόκρυφοι.

Neq;

Neq; poſſis rectius de Ideis ſentire, quàm ſi eas appelles, iuxta diuinum Paulum, Theſauros ſapientiæ abſconditos. Dionyſius θελήματος, & προορισμοὺς θεοῦ. Rectè, nã ſola uoluntate Deus creat. Ergo uoluntates, ſunt antecedentes creationes. Hanc item Theologiam Orphei poſtea ſecutus eſt Empedocles. Vt enim cuncta ab Ioue producit Orpheus, etiam Deos beatos: & ut diuus Paulus, ab imagine Dei, uiſibilia, & inuiſibilia: ſic Empedocles Vno, uel Vnitate, res omnes terreſtres, uolucres, piſces, mares, & fœminas, arbores, deniq; etiam Deos longæuos. Et in ea enumeratione eſt idem loquendi modus apud utrunq;:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ pòſt uentura ſequentur. Orpheus,
ὅσσα τ' ἐν ἦμαρ γεγαῶτα, καὶ ὕστερον αὖθις ἐμελλεν.
Γίγνεθαι. Empedocles,
Παύδ' ὅσσα τ' ἦεν, ὅσσα τ' ἔπι, ὅσσα τ' ἔσαι ὀπίσω.

Quam ob rem, conſtat Empedoclem, ab Orpheo ea didiciſſe, appellaſſeq; Vnitatem, quod prior Orpheus, Iouem. Eſt igitur nunc apud tres Theologos, quædã Geneſis, quædam Coſmopœia, Orpheum, Empedoclem, & Paulum, Omnes unanimiter fatentes, terreſtria & cœleſtia, uiſibilia & inuiſibilia à ſummo Deo creata. Enumerantq; in particulari, duo Græci Theologi res terreſtres, utpote ſuperiora minus callentes: noſter autem appellat nominatim omnes ordines Deorum, ſatos ab illo magno Deo, quatuor rerum choris nominatis. Illud quidem Orpheus ſapientiſſimè & quaſi ex fontibus noſtræ Theologiæ, quòd agnoſcens theſauros Sapientiæ diuinæ, eos appellat δῶμα, palatium, aulam Iouis, eos in utero, & pectore, ſeu corde eius latitare, diuinamq; Sapientiam palatium rerum, aulam, pectus fœcundiſſimum, omniaq; bona in palatio et domo Iouis affluere prædicans. Poſt commemoratum diuinum illud & ineffabile omnipotensq; mundi principium, ueram fœcundamq; originem, deſcendit ad creationem, & ad ipſas iam res apparentes Orpheus, eſtq; omnis ei de Chao rerumq; ex eo creatione Theologia, quæ uiſa eſt in Triſmegiſto. Duo ſunt rerum principia: alterum ſempiternum, Deus, inæſtimabilis ſapientia: alterum creatum Chaos, origo, maſſa totius mundi, mundanarumq; rerum materia. Globis informis, præcedens omnia non tempore, nullo adhuc tempore, ſed natura. Fecit enim primò Deus unã rem, ex qua cuncta depromeret, inde Sol, & omnis candida, puriorq; educta eſt ſubſtantia, exinde cuncta coorta, & formata terreſtria. Hoc igitur proſecutus eſt carminibus Orpheus, quæ ſunt in Argonautica, quibus totum mundi exordium, rerumq; ex Chao explicationem, quam ſecinit Ouidius, refert ſe cecinisse:

Πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μελανήφατον ὄμμα.
Ὃς ἐπάμεψε φύσεις, ὥστ' οὐρανὸς εἰς ὠέρας ἦλθεν.
Γῆς τε βυσσέρυσε γάϊσιν, πυθμένα τε θαλάσσης.
Πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολυμήλιον ἔρωτα.

ὅσσάτ'

ὅσα δ' ἐφυσεν ἅπαντα, διεκρίθη τ' ἄλλο ἀπ' ἄλλου.
Καὶ κρόνου αἰνολέτεω. Quæ ut potuerunt, Latina fient.

Principio quoq; uetus Chaos, atro concinit hymno,
Vt naturas mutauit, fuit utq; per ætum
Cœlum, tum latæ terræ ortum, tum maris imum,
Aeternum canit ex se perfectum, sapientem,
Vt quæcunq; creauit amor, tum cuncta diremit.
Saturnumq; uoracem. Hæc Orpheus. Ecce Chaos antiquũ, quam nuncupationẽ à Trismegisto didicerat. Antiquumq; Chaos designat illud mundi nascentis initium. Rectè uocatum antiquũ, quòd ante omnia extiterit. Et Græcè Archæum, quod in principio mundi fuerit. Hoc apud Mosen est, terra & aqua, quarum duarum rerũ conglobatio dicitur Aphar, cui respondet Græcè ἰλὺς, quod nomen, ut docebo, Orpheus etiam usurpauit. Post Chaos tametsi eius creationem sicut nec Trismegistus, non expressit, naturaliter secutum est, à maioribus auditum & celebratum, ut naturas Chaos mutarit. Hæc fuit secunda mundi creatio, secundus mundus, scilicet ex informi, rudiq; principio, formarum pulcherrimarum productio, ex deformibus formosissimis effectis. Iureq; dixit naturas mutasse Chaos, quippe quæ ex ipso, uelut rudi, incomposta q; origine, eductæ sunt, & pro deformi rudimento, successit multitudo formosarum naturarum. Naturas uocat ipsas res natas, uniuersales, ex quibus omnia nascuntur, cœlum, Solem, terram, mare, aërem. Has docet ex Chao depromptas, non explicans ad amussim sicut Trismegistus, quæ quidq; ratione productum sit, sed eum tamen ordinem retinens, quem in præceptore animaduertisset. Nam in illa explicatione, principium nascendi habuit cœlum, cum diremit, aquis inoperans, diuina Sapientia, selegitq; ex eis ætheriam substantiã. Quocirca docet in hac explicatione, cœlũ ad finem, perfectionemq; uenisse. Ac cũ dicat Orpheus se ceciniſſe quomodo nata sint omnia ex Chao, primumq; cœlum absolutum, necesse est eum animo suo uidisse, notamq; habuisse hanc absolutionem, eamq; spectasse, quæ literis Trismegisti contineretur, de creatione Solis, siue lucis, de creatione purissimi ignis ætherij, quod Trismegistus latè et uerè enarrauit. Igitur ex Chao primũ factum segregatumq; est οὐρανὸς, cœlũ, cœlestis substantia, in primisq; Sol. Et Moses commemorato Chao, subitò perhibet extitisse lucem. Quod idem Orpheum quoq; retulisse paulò pòst constabit. Præcessit igitur Chaos, secuta est naturarum mutatio. Id ut factum sit, explicat. Primum, ait, facta, est absolutaq; ætheria substantia. Exindè tellus latæ sinus aperuit, cœpitq; esse et dici, uideriq; terra, cùm, Sole desuper ardente, & inflamante, exhaurienteq; aquas, ut docuit Trismegistus, latissimos sinus aperuit. Tunc uerè nata est: etsi foret antea cum aqua: sed erat in massa, uerè terra dici non poterat. Ea fuit terræ γένεσις, ortus, exiccatio uidelicet eius, & consolidatio, ac firmatio. Eadem autem opera, qua terra patefiebat, mare dirimebatur, situs, locosq; profundos suos sortiebatur. Eoq;

præ-

præcipuè, non creationem maris, ſicut terræ, ſed profunditatem et concauitatem ſicut Moſes item, memorauit Orpheus. Nam aquarum antea creatarum, in uaſtas terræ uoragines congregatio, mare uocitatum eſt. Moſes igitur dixit, Congregentur aquæ in unũ locum, et appareat arida. Orpheus autẽ expreßit hunc locum in quem diuino imperio coiẽre aquæ, ὠθυμένα θαλάσσης, profundũ maris, ſedem maris profundißimam. Huc uſque mundi creatio. Satis que nunc erat Orpheo, uniuerſalia dixiſſe: Primum Chaos, exinde cœleſtem ſubſtantiam, tum terræ apparentiam, demum ſeceſſum aquarum in profundum mundi. Sed ne putes eum Solis rebus creatis memoratis, contrà quàm maiores tradidiſſent, creatorem ſiluiſſe, & caſui temeritati que ordines pulcherrimos adiudicaſſe, ecce non minus piè, quàm Moſes & Triſmegiſtus, quis fuerit autor tantarum rerum, cum ſuis ueris nominibus appellans, inducit. Nam quem uocat Moſes ſua linguâ, Spiritum, uidelicet Sapientiam, Mercurius autem νοῦν, Mentem, Intelligentiam, Orpheus uocat ἔρωτα Amorem, tribus nominibus maieſtatem eius deſignans: Antiquißimi nimirum ante mundum, ante Chaos illud (dicunt enim Græci & Latini, Antiquißima, ſempiterna) tum αὐτοτελῆ, per ſe perfectum, ſibi ipſi ſubſtantiam, complementum, originem ſui: Poſtremo πολυμήτην, quod Sapientiæ diuinæ, in qua ſunt omnia conſilia ſcientia que omnis, eſt nomen. Amoris autem ratio ea eſt, ut claret, quod deſignatur amor, cupiditas, uoluntas creandi, & creatoris bonitas, quem cupiditas impulerit, ut communicaret bona ſua. Ideo que ſunt apud Hebræos, qui Spiritum illum Moſis, interpretentur uoluntatem. Et Ariſtoteles in Maioris Philoſophiæ, amorem iſtum, rerum principium apud Theologos, cupiditatem interpretatur, dicens Parmenidem amorem ſeu cupiditatem principium ſtatuiſſe: καὶ εἴ τις ἄλλος ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἐδημιούργησεν ἀρχήν, εἴ οὐ τὴν παρμενίδου. Cornutus quoq; ueterẽ Thologiã explicans dicit: ὁ δὲ ἔρως σὺν αὐτοῖς ἐρρήθη γεγονέναι ἡ ὁρμὴ ἢ ὑδὲ γεννᾶν: Amor autem cum eis dicitur fuiſſe cupiditas ad generandum. Hoc quidem teſtimonio nihil diuinius, ut ſcias quid ſit Amor antiquißimus ſapientißimus, per ſe perfectus, apud Orpheum. Illud item mirabile eſt, quod ego cum reperi, miris gaudijs inceſſi, quod Proclus ſuper Timæum, teſtatur Pherecidem priſcum illum Pythagoræ præceptorem, dixiſſe, Iouem cum creare uellet, in Amorem ſe transformaſſe: εἰς ἔρωτα μεταβεβλῆσθαι τὸν Δία μέλλοντα δημιουργεῖν. Hunc Amorem teſtatur Orpheus cuncta produxiſſe, ſeorſum diremiſſe, quod fuit creatio, direptione, ac diuiſione facta omnium rerum, quæ globatæ in ſua maſſa, origineq; latitarunt: Porro Saturnum, ut uidere eſt alibi, uocat tempus uorax, unà cum æthere natum. Atq; hucuſq; eſt conſona cum Moſaica, & Aegyptia ſapientia Orphica Theologia admiranda, naturalis, ſuſpicienda. Rurſum in Argonautica eadem de Chao, rerumq; explicatione deſcribit Orpheus. Quæ carmina conabor pro uirib. enodare.

Ἀρχαίος Μῶρφωτα χάος ἀμείλικτον ἀνάγκην,

Καὶ

Καὶ κρόνον, ὃς ἐλόχευσεν ἀπειρισίοις ὑπὸ κόλποις
Αἰθέρα, καὶ σλιφυῆ περιώπια κυσλοῦντα.
Νυκτός ἀτε γενέτης πατέρα κλυτὸν, ὃν ῥα φάνητα.
Οἱ πλότεροι κικλίσκουσι βροτοί, πρῶτος γὰρ ἐφάνθη

Antiquum, primumq; Chaos, magnumq; neceſſe,
Saturnumq; ſinu immenſo qui clauſerat ipſum
Aethera, tum geminum, uigilem, uenerandum & Amorem,
Aternæ & noctis patrem dixere Phaneta,
Quem poſt nati, nam cunctis prior iſte refulſit.

Principiò neceſsitatem aſcribit Chao, in quo rerum cunctarum neceſſaria materia contineretur. Ingens exordium, magna moles ac globus (uocant enim Philoſophi materiam, neceſsitatem) Poſt hoc principium & rude Chaos, mox extitit ætheria ſubſtantia, quæ certis molibus atq; orbibus diſtributa, tempus expreſsit: commemorantur q; primum Chaos: deinde æther natus ex aqua. Huic adiunctus eſt Saturnus, id eſt tempus. Memorat item Amorem illum diuinum, de quo eſt apud Philoſophos carmen ex eodem Orpheo:

Καὶ μῆτις πρῶτος γενέτωρ, καὶ ἔρως πολυτέρπης.

Prima fuit genitrix Sapientia, dulcis Amorq;

Hoc carmine quo nullum diuinius, clarè, quid Amor priſcis Philoſophis celebris, & ad mundi creationem aſcitus, ſit, quam uim habeat. Ecce ſunt idem μῆτις, Sapientia, atq; Amor. Sapientia dicitur prima fuiſſe genitrix, dicitur etiam Amor. Quem Orpheus ſuperius uetuſtiſsimum, id eſt, ſempiternum, per ſe genitum aut perfectum, ſapientiſsimumq; appellat, eum nunc uocat περιώπια, oculatum, omnia circunſpicientem, ſapientem ſcilicet, deinde uenerandum, cultu dignum. Poſt Amorem creatorem, ſapientem ſicut Moſes, ante res omnes uiſibiles clamat eductam ex Chao lucem: & Triſmegiſtus puriſsimum ignem diremptum, in altumq; ſublatum ex aqua: & Ouidius huius interpres Theologiæ,

Ignea conuexi uis, & ſine pondere, cœli,
Emicuit, ſummaq; locum ſibi legit in arce.

Sic Orpheus prodit, ante omnia Phaneta, hoc eſt, Solem, lucem, apparuiſſe, eo nomine nuncupatum, quoniam prior apparuit, uiſus & ipſe primus, & ut omnia uiderentur, primus autor, deſignans Orpheus, quod Latinis ex eo & Triſmegiſto acceptum, indicauit Ouidius:

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Moſes autem, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſsi. Triſmegiſtus, ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ: Erant tenebræ infinitæ in abyſſo. Quoniam igitur horrorem teterrimũ primus apparens mundo Phanes, diſcuſsit, merito ſuo nomine celebris apud omnes mortales fuit. Atq; agnoſce, quẽ quod Moſes uocat Hebraicè or,

à quo

à quo Græcè factum orao, uideo, uertitur autem ea uox à Græcis interpretibus, φῶς, hunc Orpheus appellat φάνης, Phanes. Vtrunq; nomen ab eadem origine, & eiusdem significationis. Phos apud Moſen lux, lumen primogenitum, apud Orpheum Phanes, opus diuinæ potentiæ, mirabile argumentum, nihil in rebus corporeis melius. Apparuit prior omnibus lux, prior cum ſe uiſibilem præbuit, tum ut cætera uiderentur, fecit. Hæc Græcè uocatur φῶς, phos, & φάνης, phanes. Is apud Orpheum Genitor noctis, quoniam creata luce, diuiſit Deus inter lucem, & tenebras. Eodemq; tempore, eademq; opera, Sol diem fecit, & noctem. Inhorruerat auem nox æterna, quoniam fuit in æternum id quod lucem anteceſſit. Anteceſſit autem priuatio, interciſa, & terminata, cum lux inuecta eſt. Eſt igitur in Theologia Orphei maieſtas ſempiterna ante mundum, creatrix mundi, ineffabilis, inſuperabilis ſapientia, exinde creatũ Chaos, rude & iners põdus, origo informis, deinceps diuiſio, euolutio rerum, primum ætheriæ leuitatis, Solisq; uel lucis, & cum luce diei, ac noctis. Primum egregium mirandumq; opus ſapientiæ diuinæ. Cum Sole creatum eſt tempus, latens ſub ſinibus & reuolutionibus ætheris. Inuentor omnium fuit Amor. Quòd autem ſenſerit Orpheus creationem rerum inchoaſſe à rudi inertiq; congerie, & quòd Chaos fuerit uetuſtiſſimus ille limus ex terra, & aqua, & quòd omnes res ex illo aceruo ſint eductæ, declarat Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, interpretãs ea, quæ prodidit Orpheus, cuius hæc ſunt uerba:

καὶ δεῖ πᾶσιν αὐτοῖς συμφωνεῖ. ὁμήρου μὲν γὰρ λέγοντος,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν.

Ορφέως δὲ, ὃς καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν πρῶτος ἐξεῦρε, & τὰς γενέσεις διεξῆλθε, καὶ ὅσα αὐτοῖς πέπρακται, εἶπε, & πεπίστευται παρ' αὐτοῖς ἀληθέστερον θεολογεῖν, ᾧ καὶ ὅμηρος τὰ πολλὰ καὶ πρὸ θεῶν μάλιστα ἕπεται & αὐτὸ τοῦτο πρώτου γένεσιν αὐτῶν ἐξ ὕδατος συνισάντος. ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσις πάντεσι τέτυκται. ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν τοῖς ὅλοις. ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος, ἰλὺς κατέσκε.

Hoc, ait, inter eos omnes cõuenit, natos ſcilicet, & factos deos. Nã Homerus canit

Oceanumq; Deum patrem, Tethynq; parentem.

Orpheus autem, qui & ipſorum nomina primus excogitauit, & ortus eorum, & quæcunq; eis geſta eſſent, enarrauit, fideliusq; putatur de Theologia ſcripſiſſe, quem & Homerus, maximè in opinione Deorum eſt ſecutus, etiam ipſe primam Deorum originem, ex aqua fuiſſe dixit. Fuit enim ſecundum hunc, aqua omnium rerum principium: ex aqua uerò hylen, ſiue limum dicit extitiſſe. Hæc ille. Claret igitur, Orpheum Theologiam Aegyptiorum expreſsiſſe. Deos enim, ut ſuperius Mercurius, uocabat ſidera cœleſtia, è quibus ſeptem planetas, ſeptem deos nominat Mercurius, formas Deorum Ouidius. Hos Orpheus, ut prior Triſmegiſtus, natos ex oceano docuit, omnem uidelicet ſubſtantiam cœleſtem. Nam

Ignea conuexi uis & ſine pondere, cœli,

Emicuit,

Emicuit, ſummaq; locum ſibi legit in arce

Hi ſunt Dij nati Orpheo ex aqua, quibus ſegregatis, ac ſelectis, terra remãſit hyle, limus, ex quo nata ſunt omnia terreſtria. Quam ob cauſſam iure dicitur oceanus origo cunctorum, præcipuè deorum, id eſt, ſiderum cœleſtium, quos ſolos à motu, ut teſtatur Plato, dixere priſci Deos. Nec ſunt nunc dij, Iupiter, Saturnus, Iuno. Nam etiam Triſmegiſtus, deos nuncupauit, quorum propria eſt nomenclatio θεὸς, ab incitatione & curſu. Hoc deſignat aliud Orphei carmen:

Ὠκεάνου πρῶτον καλλιρόου ἦρξε γάμοιο.

Oceanus primus cœpit connubia pulchra.

Aqua igitur illa primordialis, genuit Deos cœleſtes. Item terreſtria, quæ etiã Moſes quoq; perhibet, nata ex ea, quæ dicitur Hebraicè Aphar, hoc eſt, limus. Nam animalibus quoq; brutis ea dedit principium. Mirus igitur priſcæ Theologiæ conſenſus, cunctis aſſerentibus cœleſtem liquiditatem, ac perſpicuitatem, ab aquis puriſſimè ſegregatam. Tum ſuper antiquiſſima materia, ſeu limo, quorum poſtremũ à Græco eſt ilys, primum dicta eſt materia, quaſi mater omnium rerum, eadem canentibus. Ex his liquet (nam multa alioquin prætereo) Orpheum principẽ Græcæ Theologiæ, & creatum mundum aſſeruiſſe, & docuiſſe qua ratione ſit creatus, mirabiliter cum Moſe congruentem. Repertus etiã fons Theologiæ eius, quòd omnis fluxit à Triſmegiſto. Et quod memorabile eſt, cum ſuperioribus, Orpheo cœleſtia lumina ex oceano ſunt nata. Vidimus qua ratione oporteat intelligere carmen Homeri translatum à Poëta Latino,

Oceanum rerum patrem, Tethynq; parentem.

Homerus autem cecinerat, Oceanumq; Deum patrem.

Deos cum Orpheo dicens, Solem, Lunam, ſeptemq; planetas, quos lumen ſanctum uocat Triſmegiſtus, ex oceano in primordio mundi natos. Quidiusq; de eis, ex eadem Theologia,

Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæq; Deorum.

Prius autem docuerat hanc ſubſtantiam ex aqua natam,

Ignea conuexi uis, & ſine pondere cœli, Emicuit.

Vidimus hylen, ſeu materiam antiquiſſimam. Vidimus quid eſſet Chaos. Apparuit antiquiſſimũ Theologũ, creationẽ apertè fateri: ut ſit ſtupẽda recentiũ Philoſophorũ impudẽtia, ſuper æterni mũdi aſſertione, creatione, & à uetuſtiſſimis eorũ prodita, & maximis Philoſophis priſcæ Theologiæ placita reuerẽter cõfirmanti bus. Scripſit etiã Orpheus peculiares hymnos, ut ipſe de ſe ipſo teſtatur, in Argonautica, de Coſmogonia, de Generatione mundi. Autor quoq; eſt Proclus, Orpheũ ab uno ſingulari Deo cuncta producere, etiam Deos, ſuper Timæum ſcribens, ἐκ τοῦ κρυφίως ὄντος θεοῦ πάντα καὶ ἐκ τούτου πάσας ὑφίστησι τὰς ἀμυήτους τάξεις τῶν θεῶν: A ſecreto, & in arcanis habitante Deo, uniuerſa, & ab eo reliquos ordines ſecundos Deorum, producit.

Homerum atq; Heſiodum ueneratos hanc Theologiam, ſimiliter atq; priores de mundi origine, et eius principijs cecinisse. Terram et aquam Homerum primas res creatas dixisse. Heſiodum primum fuisse Chaos, id est, terram & aquam, totamq; creationem affirmasse ac decantasse. Cap. XI.

SECVTI ſunt poſt maiores hoſce, diuinosq; Theologos, Homerus, & Heſiodus, eidem ſacroſanctæ Theologiæ unanimiter acclamantes, eumque mundanæ creationis ordinem, quem apud Triſmegiſtum, & Orpheum uidiſſent, piiſſimè ſeruantes. Siquidem & opifici autori que mundano meritos creationis honores detulerunt: deinde uerò Chaos illud, rudemque ex aqua, & terra materiam, ex qua ſit informatus, decoratus que mundus, nominauerunt. Nam quod cum maioribus ſenſerit Homerus, principium rerum fuiſſe terram, & aquam, nimirum Chaos, ad alios Iuſtinus Philoſophus teſtis, ipſaque Homeri carmina demonſtrant, cum inducit imprecantes, ut hoſtes in terram & aquam reuertantur:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕλωρ, καὶ γαῖαν γένοισθε.

Se luos in terram cuncti redeatis, & undam.

Subijcit Iuſtinus: ἀλλ' ὑπερβάλλουσαν ὀργὴν εἰς ἀρχαίαν φύσιν αὐτοὺς ἐκ γῆς ἀναλύουν: Per uehementem iram, eos in antiquam originem ex terra reſoluens. Addit que eum hæc ab Aegyptijs didiciſſe. Deinceps Heſiodus. Hinc interpretantur Græci quæ Poëtæ canunt, mundum antiquum fuiſſe πηλέα, καὶ θάτυν, nempe limũ et mare, miſtionem terræ & aquæ. Hocq; Orpheus reſpectans:

Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ, πρέσβυν ἁπάντων.

Nereaq; ante alios omnes appello uetuſtum.

Heſiodus uerò in Theologia, ad uerbum prodidit ea quæ prior Orpheus. Atque cum in libro, qui inſcribitur Opera & Dies, omnique ſua poëſi, det ſummo Ioui principatum, autoritatemq; omnium rerum, tum ſuper omnes Deos & homines imperium, in cuius poteſtate ſint cœlum & terræ, certè conuenit cum Triſmegiſto & Orpheo, ſuper hoc æterno principio, ut prima eius Theologia æquè atq; ſuperiorum, ſit de conditore, de maieſtate, ſingulariq; poteſtate, prouidentiaq; eius: ſecunda de Chao, origineq; rerum, deq; ipſa iam mundi conſtitutione. Eius igitur carmina ex Orphei fontibus hauſta ſunt:

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετο, αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖα εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
Ἠδ' Ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισι.

Extit ante Chaos, poſt hæc latiſſima tellus,
Qua ſuper innixum pondus rerum incubat omne,
Atq; Amor, inter qui diuos ſacer enitet omnes.

Ecce Chaos ante omnia, terra ſcilicet & aqua, ſicut in Moſe, Initium mundi, rudis origo, inchoamentum, materia poſtea natarum formarum mater, informe cœli & terræ ſemen. Naturaliter ante omnia, factum ab eodem opifice, qui difficiliora, nempe mun-

pe mundi qui ſucceſſit, feciſſet. Quiq; ea de cauſa rude rerum inchoamentum ie/ciſſet, & inueniſſet, ut faceret, quod fecit. Qui niſi uerus autor materiæ fuiſſet, nun quam ex ea formas depromere potuiſſet, ſed ideo facile deprompſit, quia qualis ſibi uiſa eſt apta & fœcunda ad generandum mundum, materiam præparauit. Igitur poſt Chaos, ac uile initium, exinde iuxta Theologiam Triſmegiſti, & Moſis, appa ruit terra tremens, madida, lutulenta, quæ ſolis fœcunda calore, peperit arbores, a/nimalia. Non memorat Heſiodus pulcherrimum illum, qui primus uiſus eſt in mun do, & fecit ut uiderentur omnia, Phaneta, ſed tria tantũ conentus eſt principia po/ſuiſſe. Fortè Orphicam, Hermaicamq; theologiã, non uſquequaq; clarè intellexit. Nam Triſmegiſtus, & Orpheus, non poſtpoſuerunt Amorem Chao, & terræ: ſed Triſmegiſtus prodiderat Mentem cuncta feciſſe, exornaſſe, Orpheus Amorem om nia ἔφυσε, produxiſſe. Quare non fuit Amor poſt terram, aut cũ terra, ſed creator et autor, cupidus et ſapiens inueniendi, fuit ante res inuentas. Tria igitur iuxta He/ſiodum, fuerunt in principio, quorum poſtremũ eſt primum, Chaos, Terra, Amor. Fac, ut dixi, & ut Theologia priorum, unde nata eſt Heſiodica, priorem, ipſum Amorem. Inuocarat autem Muſas Heſiodus, hoc carmine:

Εἴπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ, καὶ γαῖα γένοντο,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ πόντος ἀωέιρτος, οἴδματα θίνων.
Ἀστέρας λαμπετόωντας, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν.

Dicite uos, ut primum Dij, telluſq; creata,
Fluminaq; & pontus uaſtus, qui tollitur undis,
Aſtraq; clara, Poluſq; immenſus, in alto.

Conſtat etiam nunc Heſiodum confiteri mundum, Deoſq; ſatos, Deos ſentientem, ut par eſt, eosdem atq; Triſmegiſtus, & Orpheus, & de quibus Ouidius,

Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæq; Deorum.

Hos ergo Deos canit cum cæteris mundanis rebus, cum terra, mari, fluminibus, ſa/tos: Deos inquam, quos Ariſtoteles à maiorum ſuorum ſententia uehementer alie/nè, & ſempiternos cenſuit, & ſubſtantias quasdam diuinas iudicauit. En cuncta ue tuſtas producit cœlum & ſidera ex aqua, & oceano, quo & eorum inchoata pro genies declaratur, & ex eisdem rebus conſtare, eiusdemq; eſſe ſubſtantiæ, atq; o/mnia mundana, cœlum monſtratur. Scilicet non eſſe quintã ullam eſſentiam. Hanc eandem ſententiam eodem opere, carmine mirabili, Heſiodus declarauit:

Γαῖα δέ τοι πρῶτα μὲν γένατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόεντα, ἵνα μιν πόδα πάντα καλύπτῃ
Ὄφρα εἴη μακάρεσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

Principioq; ſibi peperit ſimile undiq; tellus,
Stellatum cœlum, quo circum clauderet ipſam,
Vtq; foret diuis ſedes ſecura beatis.

Hoc carmine non ſolum dicitur natum cœlum, & factum, cum non eſſet, uerum etiam genitum ex terra, his ſcilicet aquis, quæ in regione terreſtri immorabantur: Aequalem autem terræ, uidelicet ſphæricum, rotundum, orbicularis formæ: Genitum à terra, cuius à ſedibus, aquarum plenis, diuino imperio, ſtupendoq; artificio, ſublata puriſſima ſubſtantia, clariſſimas illas luces accendit. Nec poteſt uenire in animum de cœleſti ſubſtantia ueriſimilius. Super quo mirus eſt omnium priſcorum conſenſus. Philoſophia Moſaica, omni ſapientia uetuſtiore, id priore innuente, à noſtris deinceps Theologis aſſertum. Quippe diuus Petrus in Epiſtola docet cœlum aqueam eſſe compagem: ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἐκ πάλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος, καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ: Quoniam cœli dudum facti ſunt, & terra, ex aqua, & per aquam diuino imperio conſtipata. Habes terram, & aquam commiſtas ab exordio, ex aquis tellurem emerſiſſe, ex eiſdem cœlum, qui dicitur ob eam cauſam æther, enituiſſe & exarſiſſe aquis, inaudito, & inſerutabili artificio, à ſapientiſſimo ingenio, in eam liquiditatem extenuatis. Huiuſmodi eſt de creatione mũdi Heſiodi Theologia. Neq; enim laboro nunc uniuerſam eius Theologiam interpretari, his teſtimonijs contentus, quibus cœli, & mundi continetur origo, & quòd ſit aqueum. Quid autem Chaos, quid ue Amor apud priſcos Theologos eſſet, præter ea, quæ diximus, etiam Cornutus oſtendit, explicans priſcam Theologiam: ἔστι δὲ χάος μὲν τὸ ὑγρὸν ἢ διακοσμήσεως γενόμενον ὑγρόν, ἀπὸ ἢ χύσεως ὅτως ὠνομασμένον, ἢ τὸ πῦρ, ὃ δὴ καὶ ἰονεὶ χάον, καὶ αὐτὸ δὲ κέχυται διὰ τὴν λεπτομέρειαν. ὁ δὲ ἔρως σύμφυτος ἐδόκει, γεγονέναι ἢ ὁρμὴ ἢ ὑπὸ τοῦ γένους. ἅμα γὰρ τὸ ἔκπυον γίνεται, καὶ παρεῖναι τῇ γενέσει νομιστέον ταύτην τὴν δύναμιν καλλίστην, καὶ ἀξιοθεατοτάτην ὄσαν, ἐγχύνασι δὲ τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν ἀναθυμιάσεων, ὅπερ καὶ νῦν κοινότερον λεγόμενον παντὸς τοῦ περὶ αὐτὴν λεπτομεροῦς. De Heſiodo uerò, τὰ μὲν τινα ὡς οἶμαι, παρὰ τῶν ἀρχαιοτέρων αὐτοῦ παρέλαφόντος, τὰ δὲ μυθικώτερα, αὐτοῦ προσθέντος ᾧ πρόπω τὴ πλεῖστα τῶν παλαιᾶς θεολογίας διεφθάρη: Eſt, ait, Chaos, ea humiditas, is humor, qui creationem anteceſſit, hoc nomine dictum à Chyſeos fuſione, uel ignis, quaſi Chaos à comburendo, fuſilis & ipſe ob tenuitatem: Amor autem cum eis dicitur fuiſſe cupiditas ad generandum. Simul enim ac ſit aliud ex alio, adeſſe pulcherrimã hanc, dignamq; admiratione uim cenſendum eſt. Genuitq; cœlum ex euaporationibus. Dicitur autem nunc communius cœlum, omnis exilior circum terras ſubſtantia. Atq; Heſiodus, inquit, quædã, ut arbitror, ab antiquioribus accepit, quædam addidit ipſe fabuloſius. Qua ratione, maxima ex parte uetuſta Theologia uitiata fuit. Hæc quidem Cornutus. Ecce igitur Chaos, non aliud, quàm limus ille priſcus, abyſſus illa Moſaica, terris incumbens humiditas, quæ dicitur à Moſe Hebraicè Aphar, Græcè Hyle, ſiue limus. Ecce cupiditatis, diuina ſcilicet ſapientia, cupidiſſima, uolentiſſima, plena

ma, plena impetus, & cupiditatis, ut communicaret ſua bona. Sic item cognoſcit, et fatetur Cornutus priſcam Theologiam fuiſſe meliorem, à ſubſecutis poëtis alicubi fabulis uitiatam. Ecce quoq; cœlum natum ex aquis euaporatis aut extenuatis in liquidiſſimam, qualis cryſtalli, ſubſtantiam.

Parmenidem, Thaletemq; orationem eſſe confeſſos. Amorem eſſe Deum ſempiternum apud eos. Solum Deum æternum dixiſſe Thaletem. Mundum opificium diuinum appellaſſe. Noctem antecesſiſſe diem, dixiſſe Thaletem, ut Moſes tenebras ante lucem. Aquas illas primordiales Moſaicas eum principium dixiſſe, Mentem autem creatricem. Cap. XII.

TEſtatur quoque Plutarchus, Parmenidem, & Heſiodum de creatione ſcribentes, Amorem uetuſtiſſimum retuliſſe: Διὸ παρμενίδης μὲν ἀποφαίνεται τὸν ἔρωτα, τῶν ἀφροδισίων ἔργων προβύτατον ἐν τῇ κοσμογονίᾳ γράφων.

πρώτιστον μὲν ἔρωτα θεῶν μητίσατο παύτων.

Ἡσίοδος δὲ φυσικώτερον ἐμοὶ δοκεῖ ποιεῖν ἔρωτα, παύτων προβύτατον, ἵνα πάντα διὰ ἐκεῖνον μετάσχῃ γενέσεως. Quocirca, inquit, Parmenides pronuntiat Venerecorũ operum amorem antiquiſſimum, ſcribens in creatione mundi: Cunctorumq; Deum, primum molitur Amorem.

Verum Heſiodus naturalius mihi uidetur, antiquiſſimũ omnium Amorem feciſſe, ut omnia per ipſum naſcerentur. Verè, & ſapienter ſentis ô Plutarche. Nã Amor ſapiens, Amor inquã diuinus, diuina cupiditas, non res creata, ſed creator fuit: per ipſum nata ſunt omnia. Ecce igitur poſt Orpheum, et Heſiodum, Homerumq; qui ſecuti ſunt primores Philoſophi, ijdẽ & Theologi, ac Poëtæ creationẽ mundi conſtanter aſſeruerunt. Nam Parmenides, quemadmodum & Orpheus, carminibus Coſmogoniam, creationem mundi celebrauit. Itemq; Empedoclem uidimus ſuperius aſſerentem ab uno cuncta fuiſſe profecta, etiam Deos longæuos: credoq; eum, quemadmodum ſuperiores omnes, Deos appellaſſe ſidera cœleſtia. Exinde Thales Mileſius, qui iuxta Theologiam Orphei, atq; Aegyptiorũ, omnium rerum principium aquã pronuntiauit, non ad eum uidelicet ſenſum, quo creditur paſim, quòd omnia antequam oriantur, ſint aquea, ut animalium genituram, ſed uetuſtiſſimam, primordialemq; aquam reſpexit, è qua primum, autore Triſmegiſto nati ſunt Dij, Sol, Luna, natus item aër, natæ plantæ, camporũ, montiumq; uirores. Inde metalla quotidie, inde carnes animalium principiò coaluerunt. Diogenes item Laërtius, et Plutarchus in Sympoſio teſtantur Thaletẽ dixiſſe, πρεσβύτατον τῶν ὄντων θεὸν, ἀγέννητον γάρ: Deum cunctarum rerum antiquiſſimum: Ingeneratus enim. Si mundum igitur credidiſſet æternum, non Deum ſolum antiquiſſimum retuliſſet Nam etiam mundus, & homo, Sol, Luna, ſidera fuiſſent pariter antiquiſſima, quia pariter æterna. Sol igitur Deo dedit ſummam antiquitatem & æternitatem, non mundo, non materiæ. Quæ ſi etiam manaſſet perenniter à Deo, certè non unus fuiſſet antiquiſſimus. Quid enim aliud deſignat antiquiſſimũ, quàm quod omnia æternaliter anteceſſit? Secus qui contendat, aut peruertit, aut non percipit uo-

cum ſignificatus. Eòdem pertinet quod eodem autore Laërtio pronunciauit idem Thales: κάλλιστον κόσμος, ποίημα γὰρ θεοῦ, Pulcherrima omnium rerum mundus. Fabrica enim & opus Dei. Sentis eum ſubſcribentem Theologiæ Moſaicæ? Moſes, In principio creauit Deus: Græcè ἐποίησε, fecit: Thales per nomen affirmat, Eſt opus Dei, mundus: deſignans quod Moſes per uerbum ἐποίησε. Rogatus etiam, τί πρότερον γέγονε, νὺξ ἢ ἡμέρα; ἡ νὺξ ἑφη μιᾷ ἡμέρᾳ πρότερον: Quid prius extiterit, nox ne, an dies? Nox, inquit, una die prior. Ne putes eum aliud ſenſiſſe, quàm quod Moſes prior tradidiſſet, & quod Poëta Latinus ab ijsdem Græcis audiſſet: Thales autem qui autore Laërtio ad Aegyptios ſacerdotes erudiendus profectus eſt, ab eisdem audierat:

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Si nondum erat luciferum aſtrum, certè nox erat, de qua Moſes, Et tenebræ erant ſuper faciē abyſſi. Orpheus quoq; de Phaneta, id eſt, luce, Sole, πρῶτος ἐφάνθη: Primus apparuit. Hunc igitur anteceſſit nox. Vna autē die anteceſſit, quia primum creata terra, & aqua, quib horrenda nox incubabat, ſubitò lux producta eſt. Non diu, non æternaliter, terra, & aqua cum tenebris anteceſſerunt, ſed paulū, & quaſi una die: ſubitò lux extulit os ſacrum. Qualis igitur Moſis, Triſmegiſti, Orphei Theologia, talis Thaletis. Sicut hi omnes de mundi creatione locuturi, æternum & ingeneratum principium prius memorarunt, eum ſuis laudibus præſertim æternitatis & ingenerabilitatis decorantes: Sic Thales prius pronunciauit, Deum unum antiquiſſimū, ingenerabilēq; eſſe. Rogatusq; quid eſſet τὸ θεῖον, Diuinitas, reſpondit, τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον, μήτε τελευτήν: Quod neq; principiū habet neq; finem. Exinde de creatione mundi, tria perhibuit teſtimonia, Quòd mundus eſt pulcherrimus, quia diuinum opificiū, referens id quod Moſes, ad unamquanq; mundi partem creatā, dicit Deum affirmaſſe, quod eſſet bonum, pulchrum, primū. Et uidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Bonum enim Hebraicè pulchrū. Sic quod firmamentum quòd mare, quòd herbas, & plantas, & animalia produxiſſe pulchrū. Sic opus pulcherrimum mundus. Secundum quod dixit aquam fuiſſe primordium. Laërtius de eo: ἀρχὴν δὲ ἁπάντων, τὸ ὕδωρ ὑπεστήσατο. Quia ex aqua natus ſol, ſidera, nati diſ, quorū luminib. nata, ut naſcuntur, omnia terreſtria. Poſtremo quòd nox anteceſſit diem, nondum creata luce, & tenebris ſuper aqua, quæ fuit primordiū, unde lux nata, incūbentibus. Refert etiam Marcus Tul. Thales, ait, Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſiuit, aquam dixit initiū rerum, deum autem eam Mentem, quæ ex aquis cuncta fingeret. Quibus probatur eadem eum ſenſiſſe, atq; Triſmegiſtum, Anaxagoram, Platonem, qui Mentem reginā mundi, Creatricem appellauerunt.

Phyſicos autore Plutarcho confeſſos creationem mundi, cuius initium fuerit a terra: Ab aquis ſegregatam ætheriam ſubſtantiam primam. Cap. XIII.

POST Thaletem cæteri quoq;, qui propter inueſtigationem Naturæ dicti ſunt Phyſici non ſolum creationem mundi ſunt confeſſi, ſed eum etiam creationis ordinem

dinem posteritati scriptum reliquerunt, quem apud Mosen traditũ cernimus. Mundana creatio, si Mosen consulas, ipsaq; cogit fateri ratio, à creatione terræ incho/ata est. Terra enim erat inanis & uacua. Ea fuit exordium mundi, fundamentum magnæ molis. Nec uerò sine aqua, terra intelligi potest. Hæc itaque duo tanquam origo informis, subiecta sunt, ab his surrexit ingens machina mundi. Dicta sunt autem ea duo, Chaos, ob confusionem ipsarum, mistionem que. Ex his, ut demonstratum est superius, æther primum segregatus est. Hoc igitur referens Plutarchus, οἱ φυσικοὶ ἀπὸ γῆς ἄρξεσθαι φασὶ τὴν γένεσιν τοῦ κόσμου, καθάπερ ἀπὸ κέντρου. ἀρχὴ δὲ σφαίρας τὸ κέντρον. Physici, inquit, à terra uelut à centro dicunt inchoatam creationem mundi. Principium autem sphæræ centrum. Quod ait Plutarchus, eos physica ratione terram subiecisse, nos quidem non modò ob hanc rationem, exordium fuisse fatemur à terra, sed etiam quoniam ea est Theologia Mosaica. Post terram cum qua, ut dixi, necessariò consequitur aqua, quemadmodum Moses, refert exortam lucem. Extemplò enim memorata terra et aqua, creat purissimam lucem: sic pro cæteris Physicis. Empedocles dixit iuxta superiores, ex illa terræ, & aquæ massa, primum separatam ætheriam substantiã, eodem autore Plutarcho, Ἐμπεδοκλῆς τὸν μὴ ἀϊδίως ῥοῦν διακριθῆναι. Vides igitur eundem ubiq; dictorũ ordinem, eandem ubiq; scientiã, & confessionem. Hunc ordinem Theologiæ & confessionẽ creati mundi, Poëtæ et Philosophi qui post primos Philosophos secuti sunt, asseruerunt. Siquidẽ Euripides, et Sophocles, Phocylidesq; prior modũ illum creationis (dicitur enim Anaxagoræ discipulus fuisse) retulit: posteriores autem, quemadmodũ Prophetæ, creatorẽ mundi Deũ cecinerunt. Vt igitur Mercurius, Orpheus, Phœnices, Empedocles, Anaxagoras, quos respexit Ouidius,

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum:

Retulerunt fuisse Chaos, molem rudem, atq; indigestam, duntaxat rerum pondus iners, quod Theologiæ Mosaicæ dogma si rectè quis interpretetur, est, qua dicitur, Terra erat inanis & uacua: sic scripsit Euripides:

Ὡς οὐρανός τε, γαῖά τε, τὴν μορφὴν μίαν
Ἐπεὶ δὲ χωρὶς διέστασαν ἀλλήλων πάλαι
Τίκτουσι πάντα, κἀπέδωκεν εἰς φάος
Δένδρη. πτηνά, θῆρες, ὅσα τε ἅλμη τρέφει,
Γένος τε θνητῶν,

Cœlum q; terraq; unius formæ fuit,
Sed cum fuissent abiuncta amplexu mutuo,
Emersit omnis in lucem res progenita,
Arbores, aues, feræ, quasq; affert mare,
Genusq; mortalium.

Hæc igitur est eadem rerum conditarum dispositio, atq; à superioribus Philosophis

aſſignata, Vnam fuiſſe rerum nondum explicatarum confuſam, ignobilemq; formam: facta autem diſiunctione primum ſegregatum eſſe æthera, deinceps cuncta terreſtria. Sed nolo toties inculcare, quæ ſæpe coëgit dixiſſe neceſsitas. Sophocles autem, reprehendens multorum Deorum cultum, ſingularem Deum prædicat adorandum.

Ὡς οὐρανὸν τέτυχε, καὶ γαῖαν μακράν.
Πόντοτε χάρωπον οἶδμα, καὶ ἀνέμων βίας
Qui fecit axem, terramq; latè patentem,
Aequorisq; pulchros fluctus, uentorumq; impetus.

Hæc, ut cernis, alio, atq; Prophetarum ſenſu, intelligi non poſſunt. Vt dicitur à Moſe, creauit, ſegregauit aquam, iuſſit eſſe lucem: Phocylides ad alia pulchra, quæ teſtantur originem, canit, ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεὸς: Dediſſe Deum cunctis propria animantibus arma.

Aratum fateri Deum ſummum poſuiſſe ſtellas in firmamento cœli, quemadmodum Moſes. Idem cantaſſe Ouidium. Cap. XIIII.

MIrabile mihi uiſum eſt, ut Aratus è priſcis illis ante Platonem Poëtis, non modò cum ſuperioribus omnibus, uerum etiam cum ipſo Moſe, tantopere ſuper creatione cœli, ac ſtellarum conſonet. Quemadmodũ enim Moſes declarans quam ob cauſam, & ad quem uſum, Deus in cœlo lumina poſuiſſet, dicit, Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos, ut lucent in firmamento cœli, et illuminent terram. ſic Aratus eximia quadam pietate, Iouem, quem ſingularem Deum eſſe apud eum, declarat teſtimonium diui Pauli, confitetur in cœlo ſtellas ſtatuiſſe, ut hominum quaſi anteſignani operumq; duces eſſent, ſignaq; rerum gerendarum offerrent. His carminibus:

Αὐτὸς γὰρ τὰ γε σήματα ᾧν οὐρανῷ ἐστερήξεν,
Ἄστρα διακρίνας, ἐσκέψατο δὲ εἰς ἐνιαυτόν.
Ἀστέρας, οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν,
Ἀνθρώποιν ὡράων, ὅφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται.
Τῷ μὲν ἀεὶ πρῶτόν γε, καὶ ὕστατον ἱλάσκονται.
Ille quidem cœlo defixit ſigna ſuperno,
Partitis aſtris, ſtellasq; prouidit in annum,
Quæ tempeſtates homines, & ſigna docerent,
Vt firma in terris eſſent certo ordine cuncta.
Hinc primos illi, extremosq; adhibemus honores.

Docuit & cœlum uarijs luminibus diſtinctum à Deo, defixasq; paſſim ſtellas radiantes, tum diuerſum omnibus ortum, obitumq; attributum. Primumq; uerbum, ἐστερήξεν, eſt quod apud Moſen, Poſuit in firmamento: Aratus autem fixit, ſtabiliuit

uit, alligauit. Quod autem dixit, ἐσέρηξεν, ſpectat eò, quòd data ſint, & diſtributa ſidera cunctis gentibus, totusq; annus ortu, & occultatione ſiderum uariatur. Et quod Plautus ſimili modo dixit,

Qui eſt imperator diuûm atq; hominum Iuppiter,
Is nos per gentes, alium in alia diſparat.

Ex quo tempeſtates, rerumq; gerendarum opportunitates dignoſcuntur. Cui igitur rerum iſtarũ tribuitur inuentio, eſt, eodem autore, is cuius genus ſumus, quum non cœlum modò, ſed humanũ quoq; genus natum ab eo declarat. Sic Philoſophia maiorum, quæ mundo ſuæ origini propinquo, per omnes populos ſui ſimilis circumſonabat, piſſima, longè quàm quorundam è iunioribus ſanior fuit. Fatentur enim omnes cœlum, & à præpotenti, ac ſupremo Deo repertum ac poſitum, & cœleſtes ordines inuentum fuiſſe illius, tum uerò ex ſubſtantia ſenſibili, nota, non extranea, & noua, originem habuiſſe: ut ſi quam cœlum habeat Diuinitatem, ea tum corporea ſit, qualem dicimus formam diuinam alicuius: tum tribuunt ortum eius ſummo Deo. Ouidius etiam, ut profert Lactantius, eorũ aſſertor fuit, quæ Moſes uetuſtiſſimus, & quæ pòſt Aratus ſcripſerant, affirmans Deum lumina cœleſtia creaſſe, & in cœlo poſuiſſe.

Tot, numero, taliq; Deus ſimulachra figura,
Impoſuit cœlo, perq; atras ſparſa tenebras,
Clara pruinoſæ iuſſit dare lumina nocti.

Ariſtotelem, rationem fateri coëgiſſe creationem mundi. In æternitate, uel animos eſſe mortales, uel aſcendere in cœlum non poſſe, corpora ſemper animantes. Sequi ex his in Philoſophia grauiſſimos errores. Ariſtotelem à maioribus in creatione mundi diſſentire non debuiſſe. Verba Ariſtotelis quæ diuerſis locis poſita probant eam creationem prudentem uel imprudentem eſſe confeſſum.

Caput XV.

SEd his omiſſis, quæ priſcorũ ſeculorum, cunctarumq; gentium conſtantiſſimam famam de creatione mundi, conſenſumq; omnium nationum, qui naturæ uox eſſe putatur, demonſtrãt, ad eas rationes nunc ordo uocat, quibus ex ore ipſorum Philoſophorum raptis, probare, luceq; clarius oſtendere conabor, eos ipſos, quos Proclus, & Simplicius Aeternitatem mundi ſenſiſſe aſſeuerant, id eſt, Cratorem, Plotinum, Iamblichum, Porphyrium, prorſus alia credidiſſe. Ipſos quin etiam Aeternitatis aſſertores, ſibi ipſis apertè contradixiſſe. Verum anteaquam huc deueniam, cum Ariſtotele, qui primus omnium Philoſophorum, Aeternitatem inuexit, dictis eius nonnullis obſeruatis, loquar, precaborq; omnes, ut quæ ſequantur, animaduertant. Ac ſit prima ratio, quã breuiter ſuperius explicuimus, cũ qui primus, ſcientia omniũ ante eum ſeculorũ, firmaq; in pectore mortaliũ perſuaſione, in ore omniũ conſtante prædicatione de rerum ortu, repudiata, nefariam de Aeternitate, mundi ſententiã effudit in mundũ, magnæ audaciæ hominem fuiſſe, ut quem nec religio ſuæ gentis, uel Barbarorũ, nec tantorum hominum, qui ante eum in Philoſophia floruerunt, ſapientia, ab hac perſuaſione concipienda reuocarint, nec ſucce-

dentem per omnes ætates famã attenderit. Parte alia, mirari hominis ſapientiã ne-
ceſſe erit, qui corporum cœleſtium, mundiq; huius magis omni genere calamita-
tum redundantis, quàm cuiquam beatitudinem ueram largientis, æternitatem de-
ſiderans, humanarum rerum, cunctis mundanis rebus meliorum euerſionem, in-
gentemq; ſtragẽ attuliſſe ſe non perſpexerit. Hæc uerò admiranda eius ſapientia
fuit. Erit & illa in promptu ratio, ſi quis eam perſpicere, rectéq; ponderare uolue-
rit, quòd eum pleriq; doctiſſimi uiri opinentur eum ſenſiſſe, & clarè præ ſe ferat
ipſe Ariſtoteles, animos immortales, ut quorum nulla in terris ſit origo, omnis hæc
eius oratio uana, ficta, et ignara ſui, plenaq; contradictionis inuenietur, mundo nul
lum habente principium, cum quo ſequitur uel interitus animorũ, uel æternus eo-
rum à corporibus diſceſſus, ac reditus. Cumq; et ipſe quædam quaſi ſomnians de
beatitudine, quam in perfecta contemplatione, animiq; beata actione ſtatuerit, lo-
cutus ſit, uetus item ante eum cuncta priſcorũ corona, hanc ipſam beatitudinem,
quæ quidẽ in terris reperiri non poſſit, extulerit laudibus, celebrauerit, miraq; ra-
pti dulcedine & quaſi collacrymantes prouexerint, hunc portum, hanc ſedem cer
tam, miſeriarumq; finem prædicantes, falſus, & inanis omnis is erit ſermo, quod
in Aeternitate neceſſe ſit, uel animos euaneſcere, uel modò abire à corporibus, mo
dò ea repetere, non aliud in omni Aeternitate munus gerentes. Neque enim reſtat
aliud, quod poſſit de animis ſentiri, mundo ſempiterno. Primũ ſi ſunt immortales,
erit eorũ numerus infinitus, & incomprehenſibilis, Naturæ contrariũ. Si quotidie
naſci, qui prius non eſſent, cenſueris, aut à corporibus originẽ trahentes euanue-
runt, uel aliunde ortũ habuerunt. Quòd ſi non à corporibus, ſed exterius uenerũt,
quid tandẽ iſtud erit exterius, aut Deus ſcilicet, aut aliquis Deorũ? Quid enim poſt
uiſibilia corpora ſupereſt? Igitur ſi ortum à Deo habuerunt, aut eius è ſubſtantia
abſciſſi, ac quaſi diuulſi, aut è nihilo creati, Quorũ cum primũ fieri nulla ratione
poſſit, nec priſcorũ ea fuerit ſententia, ſupereſt tantũ eos à Deo è nihilo procreari.
Dabitur igitur nobis, et cõcedetur, ab ipſis Philoſophis, res altiſſimas, res optimas,
multo q̃ corpora meliores, è nihilo poſſe fieri. Et ſi naſcuntur animi ex nihilo, cur
non etiam mundus? Sed redeo ad primam rationem. Quis poteſt de animorũ beati
tudine loqui, qui mundum dicat æternum? Nam in Aeternitate uel corrumpuntur
animi, uel immortales non habent alium mundum, aliam regionem, ſed has ſedes
mortales obtinentes, ſemper abeunt, redeuntq; ad corpora. At Ariſtoteles in mora
libus, multa de animi beatitudine diſſeruit, eam in actione mentis, quæ uerus homo
eſt, exiſtere confeſſus. Hæc autem actio mentis, & contemplatio, & ſpeculatio, in
hoc mundo, in quo nihil eſt beatũ, ac certum, nec inueniri poteſt, nec inuenta eſt,
neq; inuenietur unquam. Vbi igitur, & quo alio modo erit, niſi quo traditũ eſt à ue
tuſtate, ſapientiſſimaq; religione, traditum etiam ab ipſo Ariſtotele, Quòd Deus ſit
beatus, contẽplans ſe ipſum? qui ſi ſibi tanto, ac tali exuberat, uiſus, & agnitus feli-
citate, facilius minoribus animis exuberabit. Sic quoq; Deos dixit beatos contem-
plando,

plando, et cognoscendo, certè maximũ illum, uberrimumq; uoluptatis fontem. Hic igitur beatitudo minorũ animorũ erit, quã Aristoteles tantumnon agnouit, et confessus est. Ad hanc igitur nunquã attingent animi, hoc mortali mundo sempiterno, in quo necesse est, uel interire eos, & uanescere, uel permanentes, ire redireq; ad corpora, Sic sermo ille de beatitudine uanus, et autori contradicens comprobatur, si stat mundus æternus. Vanum est etiam, ac simulatũ, falsumq; si quid unquam de pietate, quod uidetur in Politicis, et moralibus est Aristoteles locutus, Si uera sunt, quæ magni Philosophi prodiderunt, Aeternitatẽ mundi tollere rationem pietatis, ac prouidentiæ. Sed examinemus exquisitius sentẽtias de Anima: Si mundus est æternus, & animi sunt immortales, quod Aristoteli placuisse, dicta eius, uirorumq; magnorũ autoritas testatur: duo sequuntur, quòd aut in dies procreantur: et si sunt immortales, non ex ullo corpore, elemento ue oriuntur, sed diuinitus dantur. Diuinitus autẽ dicens, sentio quòd abscindi ac quasi diuelli ex substantia diuina, nequeunt, qui nec error, nec prauitas in eos caderet, restabitq; diuinitus eos è nihilo creari. Hinc igitur primùm duo dogmata contra mundi Aeternitatem sequentur, quòd animæ, quarũ est maior pretiosiorq; q̃ corporũ substantia, è nihilo generantur. Tũ datur immortale, et incorruptibile, quod habuit principiũ. In Aeternitate mundi, animi fuere semper immortales, nascebantur quotidie nõ à corporibus, sed à Deo: à Deo autem, non ex Dei substantia: è nihilo igitur. Ergo tum sunt incorruptibiles in posterum, qui principium habuissent, tum fuerunt è nihilo. Quòd si non concedit eos immortales hac ratione, quòd quotidie nascãtur, sed ea quæ supererat, et quæ placuit pleriq;, quòd semper fuerũt immortales, et sine principio, coq; semper incorruptibiles, aut igitur fuit in omni Aeternitate numerus eorũ infinitus, aut certus, ac definitus. Si certus ac definitus, necessariò aut ille numerus meauit, remeauitq; à corporibus ad corpora, quæ in omni Aeternitate pro se minabantur. Sicq; non aliud gesserunt, quàm quod animus Socratis in Aeternitate infinita corpora peragrauit, desertoq; corpore Socratis, conceßit ad alterũ, similiterq; omnes animi: aut si certus erat numerus, et animato uno corpore, post discessũ, non aliud appetierunt, efficitur ut in Aeternitate, paucis illis corporibus animatis, relictisq;, reliqua corpora quæ fuerũt in Aeternitate, infinita, exanima extiterint. Sicq; homines sine animis uixerũt, locuti sunt, cogitauerunt, senserũt. Quòd si fuit numerus eorũ semper infinitus, quæ ratio fuit, ut qui antea in æternũ separati eßẽt à corporibus, traditi sint, ac demißi in corpora? Anima Platonis, cũ esset ingenerabilis, et incorruptibilis, anteaquã ueniſſet in corpus Platonis, tota illa Aeternitate abfuerat ab illo corpore, pariterq; omnes illius tẽpestatis homines. Quæ fuit ratio eos in corpora demitti, cũ Philosophi testentur melius animos manere separatos à corporibus, quàm cũ eis alligari? Deinde ubi in omni Aeternitate habitarunt? Si enim in cœlo, quomodo descendere in terras, & corporibus alligari uoluerunt? Et si non

sponte

ſponte ſua, ſed à Deo coacti uenerunt, cur fecit Deus quod eſſet peius? Iam uerò ſi numerus infinitus animorum fuit, ſuſpicio poßit eſſe æquaſſe eos ipſam Diuinitatem. Nam ſi uel granum ſinapis unus animus ualuiſſet, congregata in unum infinitorum animorũ uirtus, infinita uirtus extitiſſet. Ad hæc quæ fuit ratio, cur cum infiniti animi eſſent, magis is uel ille, putà animus Platonis, uel Socratis demitteretur in corpora, cæteri extra corpora remanerent? Cur data hæc illis pœna, cæteris non data? Quæ porrò ratio, quis ordo in infinitate animorum, quæ cognatio, quis ſenſus inter eos, quæ diſcretio, quæ amicitia, cum infinitas non poßit cognoſci, ac percipi, gubernariq; ? Plena confuſionis infinitas: ſicut ordo eſt ubi res certæ, moderatæ. Quis genius, ut uult Plato, infinitos illos animos rexiſſet, in uitam egiſſet? Quî ſcire potuiſſet, quinam ex infinito numero animorũ ad corpora duci debuiſſent? Infinitas enim, ut dixi, ſub cognitionem non cadit, quod ipſe docuit Ariſtoteles. Quòd ſi ob multas cauſas infinitus numerus animorum eſſe non poteſt, certus autem ac definitus, nunquã aſcendet in cœlum, bibetq; Nectar, nec contemperabitur unquã, quam uerã eſſe beatitudinẽ ſenſit et confeſſus eſt Ariſtoteles cum multis, quia tã paucos neceſſe eſt in omni Aeternitate, infinita corpora animare, modò hoc, modò illud animantes. Et propter hæc incommoda refugis ad aliam partẽ, eos morte multans: id uerò ſi feceris Ariſtoteles, tum te, omnesq; ſequaces tuos, mendacij ratio coarguet. Elabitur enim tibi, quidquid aſſeruiſti in Moralibus de parte hominis diuina, quam uerum hominem, partemq; diuinam, actionemq; eius, & facultatem à corporibus ſegregatam dixiſti. Nec aliam hominis beatitudinem ſtatuiſti, quàm uiuere per intellectum, qui uerus homo ſit, cuius actio non habeat cum corporibus affinitatem et dependentiam. Eamq; partem, ibi Deo ſimillimam, in libris de Generatione animalium, ſolam diuinam prædicaſti. Speculationem autem Dei, ueram beatitudinẽ eſſe cenſuiſti. Sic neceſſariò etiam animis ſi ſpeculandum eſt, & ſpeculando ſunt beati, non eſt alia ſpeculatio, quæ faciat eos beatos, niſi Dei, non cœli, non terræ, non aſtrorũ, non animalium. Hæc ratio, quam tu propoſuiſti, elabitur tibi, ſi ſit animus mortalis. Elabitur quoq; quod in libro de Ortu animaliũ tradidiſti, Solam quæ dicitur mens, νοῦς, exterius aduentare, ſolamq; diuinam eſſe, cæteris animæ partibus ortum à corpore ipſoq; ſemine habentibus, & à natura corporis inſeparabilibus. In libris quoq; de Anima ſemper de intellectu ſeu mente loquens aliam eſſe rationẽ dicis. Ibiq; apertè prædicas, intellectũ ſeu mentem, à ſenſu ſeparari, quemadmodũ corruptibile, ab incorruptibili. Sed quoniam apud doctiſſimos, melioresq; Philoſophos, conſtantiſſima ſententia eſt, Ariſtoteli mentẽ & diuinam eſſe, et alterius q̃ corpora ſubſtantiæ, tũ habere cum natura Deorũ ſimilitudinẽ, quod quatuor ſummũ rationibus conſtat, quòd eam appellat in libris de Satu et ortu animaliũ, θεῖον μόνον, ſolam diuinã: Ibidẽ ſeparatã à corporibus, ſolamq; θύραθεν, exterius aduenientẽ: In moribus θεοῖς συγγενέσταον, Dijs ſimillimã, maximeq; finitimã: Ibiq; uitã beatã mentis, contẽplari, et noſſe decernit: pro cõperto & con-

& confeſſo ſit, eum hoc unum tenuiſſe. Sint igitur Ariſtoteli immortales animi, mundus item æternus. Sic neſſariò eò res reuoluitur, ut uel infinitus numerus eorum, uel certus ac definitus: quarum utranque partem cum fœda in Philoſophia flagitia conſequantur, certè nulla ratione ſtabit cum immortalitate animorum, æternitas mundi. Eritq; in Philoſophia Ariſtotelis, maxima pugna, & irreſolubilis contradictio, conſiderato diligenter, funditusq; penſitato, quod fortaſſe pauci ſciunt, toto negocio, rebusq; cunctis, quod prudentiæ eſt, inter ſe collatis. Decet enim Philoſophos qui ſe ſolos ueritatis ponderandæ tenere rationes arbitrantur, uidere quid quodq; dogma, cuius primum molitionem aggrediuntur, conſequatur. Sed ſunt interdum adeò obtuſi, & hebetes, arroganterq; inepti, ut peius de unaquaq; re, quàm uulgares iudicare cernantur. Nunquã enim ad illam oratoris grauiſſimi monitionem oculos attollunt, In omnibus ſtudijs à multis commodiſſimum quodq; potius eligentes, quàm ſeſe uni alicui certo addicentes, minus in arrogantiam offendere, non tantopere in uitijs perſeuerare, aliquanto ex inſcitia leuius laborare. Hoc igitur eos cauere ferè nunquam uideas, quorũ ſunt in dogmatis unius Ariſtotelis peruerſè tuendis ingenia efferata. Si quis igitur ſit, quẽ ueritatis amor, non certa unius mortalis autoritas ueluti pecudem trahat, agnoſcet cum Aeternitate mundi, tum fœdiſſimas de animis humanis, quos eſſe reges huius mundi, nec in terra omniq; hoc corporeo rerũ ambitu eis melius eſſe, inter omnes conſtat, ſententias, obſcœnasq; opiniones conſequi, tum inexplicabiles ambages, quas nec uiderunt, nec uidere fortaſſe Philoſophi potuerunt. Nec ſolum in omni Natura ſequi abominandã confuſionem, ſed in ipſa eorũ, qui hæc ſtatuerunt, doctrina, locorum, ſententiarũ, dogmatum inter ſe fatalem diſcordiã, ſe inuicem mirificè perimentium, unoq; ſtante, altero uel cadente, uel turpiter conſiſtente. Stante enim Aeternitate mundi, non ſtat uel Aeternitas, uel Felicitas animorũ. Non aſcenditur ab hoc ſtatu uitæ, in cœlũ. Non contemplabitur animus unquã. Quia perfecta, quæ poſſit, redere beatum, contemplatio, non maris aut terræ, animalium, plantarũ, ſiderum eſt, quibus rebus animus ipſe longè ſupereminet, ſed Dei, ad cuius conſpectũ uenire nunquã animi poterunt, aut potuerunt, ſi fuit mundus æternus. Neq; enim is aſcendentium animorũ ordo conſiſteret, æterno mundo. Cum autem animi, ut dixi, ſint omnibus mundanis rebus meliores, qui mundũ ipſum, ſoli ſpeculentur, noſcant, loquantur, rogant, quis eſt tam ſtultus, ac demens, qui cenſeat, mundi nec ſentientis, nec intelligentis, ſed muti, ignari, neſcij, meliorem ſtatum, quàm animorũ, quos incorporeos et diuinos eſſe, et ipſimet teſtantur, & probat ratio? Cum ergo Aeternitas mundi, tollat aut Aeternitatẽ, aut Felicitatem animorũ: & cum unus animus ſit Sole, Luna, totoq; cœlo, & mundo melior, pretioſior: aut ſtultitia fuit rei deterioris cũ exitio, damnoq; melioris, Aeternitatẽ credidiſſe: aut imprudentia, in unius Aeternitate, alterius interitũ non uidiſſe: aut execrabilis inſania mundi ſtatum ſempiternum, quàm Animorũ Aeternitatem, ac Felicitatem maluiſſe. Et cum ipſi iacent,

ſtent, Deum, ac Naturã ſemper facere meliora, uideant utrum naturaliùs, ac melius ſit, reges mundi animos, propter quos omnia eſſe, quibus omnia uelut dominis parêre, clarum eſt, & confeſſum, peruenire ad ueram beatitudinem, q̃ corporeum mundũ in æternũ permanſiſſe. Melius eſt, Naturæq; et diuinæ uoluntati congruentius, ut uel unus animus, qui noſcit, ſentit, uidet, ſit beatus, attingens ad beatã Diuinitatis contemplationẽ, quàm ut Sol, Luna, ſtellæ, maria, terræ, quæ muta ſunt omnia, ſenſuq; carentia, permanſerint in æternũ. Prædictũ quoq; fuit, eius errorẽ fuiſſe, dum cœli motus conſtantes, corporisq; cœleſtis claritatẽ, incorruptionemq; admiratur, dignos Aeternitate cenſuit, excidiſſe illi meliorum conſiderationẽ. Neque enim fingenda mens erat, quanquã altius fortaſſe conſcendere non poterant, in ſola ſtellarũ Diuinitate. Diximus et à Barbaris profectã ſtellarũ adorandarũ ſuperſtitionẽ. Illud porrò poſſet ex Ariſtotele quæri, qui uidit, prædicauitq; de ea uita, quæ degitur extra motus cœleſtes præclara, ubi nec locus, nec tẽpus, nec corpus ſit, ſed animi degentes optimã, uberrimamq; uitam, ſi quis roget. Quid malis Ariſtoteles, quid ue Deo, Naturæq;, quos dicis ſemper affectare meliora, aptius cenſeas, uitam ne beatã illam eſſe, ac uigere in ſempiternũ, an mortalem hanc, quam tot incommoda circunſtant? Quis dubitet, poſtremã hanc, niſi deſipiat, cum reſpondeat? Quid igitur, ſi quærenda hæc beata, omnibusq; conatibus ad eam aſpirandũ, oportuit deificare hunc mundũ, eiq; Aeternitatẽ munerari, cuius Aeternitas, detinuit in hoc corruptibili ſtatu animos in æternũ, nec paſſa eſt eos ad felicitatẽ illam aſpirare? Et ſi meliora quæruntur, cur iſte tanquã optimus perfectiſſimusq; rerũ ſtatus, fuit ſempiternus? Quaſi nihil eſſet melius, cum melius eſſe rectis animis reponatum, quaſi ſit ipſe confeſſus. Prætereo quòd Socrates, et Plato, et Marcus Tullius, omnesq; fermè præclaro ingenio uiri (quod & Ariſtoteli fuiſſet confitendũ) dixerunt, uitam hanc potius mortem eſſe: quam ſi uoluit ſempiternam Ariſtoteles, non modò non optauit ſempiternã uitam, ut potius mortem ſempiternam expetiuerit. Diximus item rationes eius, quibus pro Aeternitate pugnat, in eos tendere, qui uel tempus ſine cœlo putaſſent, ex Chao ſempiterno poſtea mundum creantes, uel natum mundũ poſtea non interiturũ, uel nunc ſtare, nunc deficere, certis temporum periodis. Quorũ nihil opinamur ipſi. Sed rationes, ob quas Aeternitas mundi infirmat, deſipereq; probat Ariſtotelem, ſub Epilogo colligamus. Primum, quod uel audacia fuit, à uetuſtiſſimis gentibus, maioribusq; ſuis de rerum molitione tradita contempſiſſe: uel admiranda inſcitia, neſciuiſſe, uel ſocordia, execrabiliſq; caligo, tantam humani generis ſuæq; Philoſophiæ labem, ex Aeternitate cœli allatã non uidiſſe. Tollit enim Aeternitatem, aut tollit, impeditq; beatitudinem animorum. È duobus bonis deſideratur deterius, creditur q; Deus et Natura peius feciſſe. Nullum autem negotium in Philoſophia maius, nulla maioris ponderis in terris, quàm de animis contemplatio: de quibus niſi bene conſtitutum ac definitũ fuerit, in omni uita ſumma perturbatio conſequatur neceſſe eſt. Vanum eſt philoſophari. Super

quibus

quibus cum bene Aristoteles statuisset, in libris de Anima, quòd mens, id est animus, est incorruptibilis: in libris de Ortu animalium, quòd aduentat, ingrediturq; corpus extrinsecus, solusq; diuinus est: in libris de Moribus, quòd est Dijs simillimus, συγγενέστατος, ex eodemq; maximè genere ibidem, quòd pars melior mens, siue animus, est uerus homo, cuius operatio non sit corporea, cuius uita uera, ueraq; beatitudo, sit intelligere: in libris de Cœlo, hanc beatitudinem bene nosset, collocasset q; extra uertiginem cœli remotissimè, ubi non sit tempus, locus, corpus, sed uita beatissima in æternum, Deosq; beatos esse, quæ est etiam animorum beatitudo, contemplando asseruisset: hæc inquam cum optimè, cum sapientissimè ipsam Naturam, rationemq; magistram, præceptorisq; Platonis philosophiam secutus, statuisset, sustulit omnia, confudit, euertit, astrorum motusq; cœlestis corporeæq; uitæ, quæ mors à Socrate, & ab omni sapiente dicta est, illata Aeternitate. His autem omissis, quoniam plura quoq; superius posita sunt, ea duntaxat uerba adhibebo, quæ super rerum molitione (cogit enim suadetq; sic loqui Natura) imprudenti exciderunt. Vno in loco fatetur ordinem rerum, perennemq; indiuiduorum inuicem sibi succession, quemadmodum & Moses, inuentionem Dei fuisse. Moses ergo dixit, Et ait Deus, Germinet terra herbam uirentem & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terra. De bestijs autẽ, Benedixitq; eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesq; multiplicentur super terra. Eaq; Moses refert facta in principio, in exordio rerum, non in æternum. Ad eandem prorsus rationem locutus est Aristoteles, quòd cum cuiusque rei indiuiduum semper permanere non posset, propterea quòd nimium ab incorrupto æternoq; principio Deo distent: διὰ τὸ πόῤῥω τῆς ἀῤχῆς ἀφίστασθαι, τῷ λειπομένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσεν τὸ ὅλον ὁ θεὸς, ἐν τελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Quo superat modo, Deus uniuersum compleuit, facta generatione perenni. Hic enim duo sunt, exordium mundi, rerumq; hodiernarum ordinem apertè testantia, quòd Deus repleuit defectum eius rei, quasi cui opem tulit, quæ permanere nõ posset. Fieri non poterat, ut ea indiuidua in illo primordio creata, longo tempore subsisterent, illæ arbores, illæ bestiæ primæuæ, illæ uolucres, illi duo homines, ut breui tota rerum compago recens inuenta, dissoluenda esset. Hoc sagacissimus Deus uidens, & animaduertens, nisi noua remedia adhiberentur, quædamq; arctiora uincula rerum pararentur, uanam futuram ipsam creationem, nihil profuisse res è nihilo extulisse: Quocirca, reperit alium ordinem, quo rerum cunctarum indiuidua, licet natura cadentia, ita tamen sese inuicem repararent, instaurarentq;, ut ad omne tempus quasi catenatim se continerent, quasi manum inuicem sibi porrigentia. Nam indiuidua, non sterilia, non infœcunda, non sine semine creauit, sed fœcunda, stirpisque suæ seminibus scatentia. Et quod inauditæ, inexplicabilisque sapientiæ fuit, fecit ut in seminibus, exigua quædam animalia, exiguæque & in-

uisibiles

uiſibiles arbores latitarent, quæ poſtea in lucem erumpentia grandeſcerent. Hoc in uentum Dei fuiſſe, ingenuè fatetur Ariſtoteles, nihil cum Moſe diſcrepans. Sunt q; præteriti temporis uerba συνεπλήρωσεν, τοιήσας. Prouiſio quoque, & quaſi opitulatio rei deficienti uel defecturæ, deſignat interuallum, quo primum res non exiſtentes, paulò pòſt extiterint, ita moderatæ & poſitæ, ut defecturæ breui, non defecerint. Secundus locus huic ſimillimus eſt in Politicis, quod in libris de Generatione, & interitu, generatim tradiderat, preßius ad humanam propagationem referens. Vt enim diuinam inuentionem, perennem hunc rerum ex præcedentibus ortum fuiſſe retulit, ſic in libris de Republica, non dißimulauit quæ ueritas eſſet, ſuper humana creatione. Vt ſi quis benignè ſapienterq; duos hos conſideret locos, agnoſcat eandem de uniuerſali creatione, eſſe Moſis, atque Ariſtotelis Philoſophiam. Nam tametſi Ariſtoteles creationem ipſam, ore pleno non memoret, referens tamen ordinem illum, in quo tota poſteriorum rerum creatio continetur, in Deum, dicensq; ab eo factam indiuiduorum perennitatem, haud dubiè Deũ omnia condidiſſe, quemadmodum & Moſes, confitetur. Quæ igitur Moſes de plãtarum, brutorumq; animalium propagatione, nouiſſimè de fœcunditate, & reſtauratione prolis humanæ ſcripſit, his ſimilia prorſus ſcripſit Ariſtoteles. Moſes, Maſculum & fœminam creauit eos, benedixitq; illis Deus, & ait, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ariſtoteles atuem, ἅμα δὲ ἡ φύσις ἀναπληροῖ τοῦτο τῇ περιόδῳ, τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν δ' οὐ δύναται, ἀλλὰ τῷ εἴδει τὸ προωκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις, τό τε ἀνδρὸς, καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Simul, inquit, natura ſempiternum eße complet, hoc indiuiduorum reparatione. Propterea quòd per ſpeciem tantum durare res poterant, non per numerum. Sic prouiſa fuit ab ipſa Diuinitate, aut Numine diuino natura utriuſque, maſculi & fœminæ, ut inuicem copularentur. Quid hic dißimile inter Moſen & Ariſtotelem? Quo diſcrepat utraque Philoſophia? Et non eſt hoc, quod ipſe Deus dixit, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet? Ieſus eam uocauit coniunctionem, Ariſtoteles κοινωνίαν. Factum à Deo, Ieſus: Ariſtoteles, ὑπὸ τοῦ θείου. Sicut autem Moſes, hunc ordinem factum à Deo, in exordio temporis, non in æternum fatetur: Sic cum ſit eadem prorſus ſermonis ratio in Ariſtotele, nulla ratione poſſumus aliud ſuſpicari, quàm eum à principio factum, ac conſtitutum ſenſiſſe. Quod prudentibus cogitandum relinquo. Duoque hic adhibet Ariſtoteles, Naturam ac Deum. Ex quo declarat, aut idem eſſe Naturam, atque deum: aut, quod uerius eſt, hunc ordinem, qui Natura eſt, eſſe inuentum Dei. Tertius locus eſt in libris, de ſuprema Philoſophia, ubi in maiorum opinionibus, de rerum principijs recenſendis, occupatus, multorumq; placitis reiectis, eorum uerò collaudauit ſententiam, qui mentem omnium rerum inuentricem ſtatuiſſent: eos ita efferens, ut cæteris prælis dormitaſſe, hos uerò ſapuiſſe, uigilaſſe, acri iudicio fuiſſe, aſſereret, his uerbis:

νῦν

νοῦν δέ τις ἀπὼν εἶναι καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις, καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον, καὶ τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρὰ τοὺς πρότερον. οἱ μὲν οὖν ὅλως ὑπολαμβάνοντες ἅμα τε καλῶς τὴν αἰτίαν, ἀρχὴν, εἶναι τῶν ὄντων ἔθεσαν, & τὴν διαίτησιν, ὅθεν ἡ κίνησις ὑπῆρξεν τοῖς οὖσι. Qui uero mentem, inquit nescio quis, dixit quemadmodum animalium, & Naturæ causſam, & mundi, & omnis ordinis, is præ cæteris, qui antea temerè locuti eſſent, euigilaſſe uidetur. Qui hæc igitur ſuſpicantur, ſimul et ipſam cauſſam principiũ rerũ bene ſtatuerunt, et talẽ cauſſam, unde motus rebus extiterit. Hanc Ariſtotelis ſententiã, ſi quis alius põderet, excutiat, euoluat, in ea clarè cõtineri cõfeſſionẽ creati mũdi, ſiue prudens, ſiue ĩprudẽs, eũq; rapiẽte natura locutus ſit, facilè dignoſcet. Atq; adeò clara res eſt, ut mirabile ſit, quo ſæpe ueritatis æſtus rapiat imprudẽtes. Repetamus igitur omnes, qui Mentẽ, mũdi creatricem declarauerunt. In his præcipuè fuerunt Triſmegiſtus, Orpheus, Pythagoras, cum primus uero Anaxagoras, tum Socrates, & Plato: omneſq; hi cum alijs multis aſſeruerunt, Mentem generaſſe hunc mundum, in cœlo lucem accendiſſe, cœlum & tempus condidiſſe, animalia, plantasq; ex humo cooriri feciſſe. Quorum declarans Latinè Ouidius Theologiam, canit,

Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aëre cœlum,
Diſſociata locis concordi pace diremit.
Principio terram, ne non æqualis ab omni.
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis:
Tum freta diffudit, rapidisq; tumeſcere uentis
Iuſſit, & ambitæ circundare littora terræ.

Aliaq; multa, de Sapientia parente, reginaq; huius mundi, cuius aſſerit eam originem. Quicquid igitur ex antiquorum Theologia cecinit Ouidius, aſſeueratur, prædicatur, effertur miris laudibus ab Ariſtotele. Affirmat eos bene, prudenter, ſapienterq; locutos, qui dixerunt νοῦν, id eſt, Sapientiã, Intelligẽtiam, Mentem, omnis ordinis, Naturæ, animalium, totiusq; mundi cauſſam, & autorem. Et bene ſapienterq; eos ſtatuiſſe dicit hanc, quæ dicitur excellenter Cauſſa, rerum principium, et tale principium, à quo motus, uitaq; cunctis rebus extiterit. Hoc ſuo ſuffragio totã collaudat, & comprobat Moſaicam Theologiam Ariſtoteles. Primus enim Moſes, ex his qui uetuſtam Theologiam literarum monimentis tradiderunt, ſcripſit, Spiritum ſiue ſapientiã Domini, quẽ ſua lingua Græci uocarũt νοῦν ornaſſe cœlos feciſſe ut oriretur lumen in cœlo: Hanc ueram mũdi originem fuiſſe, cum terram, & aquas, quod Chaos, à confuſione duplicium harum rerum, uocarunt Græci, primùm è nihilo, tantùm ex Ideis ſuis æternis, quæ ſunt ipſamet, extuliſſet. Quippe quæ cuncta ſinu & pelago ſuæ Sapientiæ contineret. Hãc clariſſima luce cœlĩ

& terras compleuisse, diem noctemq; ab inuicem disiunxisse, aërem in uastas, sublimes regiones, à terris in cœlum usque diffudisse, maria in profundos sinus, concauas que mundi planicies considere iussisse, è terra plantas, animalia que, ex aquis item alia pullulare iussisse. Nouissimè tanquam regem iam genitarum rerum, in mundum ceu pulcherrimam aulam, hominem induxisse. Hæc prior ubique motum uitamq; dedit: prior ipsa mota super aquis, unde cieri omnia, agitari, fieriq; cœperunt. Ex illo motu, Solis iubar emicuit, rapida uerrigine concitatum est cœlum, terræ quoq; & aquæ primũ moueri cœperunt. Sic Mens inuenit omnem ordinem, cunctamq; Naturam, fuit autor mundi, autor animalium. Hoc admiratur Aristoteles, effert præconijs egregijs, tribus uerbis declarans & quàm sibi huiusmodi Theologia placeret, & quàm dininè senserint, qui nobis hanc sapientiam reliquerunt. Primum quod fuerũt νήφοντες, prudentes sapientes. Quòd omnes alij secus suspicantes, temerè & imprudenter locuti sunt. Postremò, quòd καλῶς, bene, pulchrè hi principium rerum appellarunt eam quæ uocatur ab eis αἴτιος autor, causa: quæ est eadem Mens, ut asserit Laërtius sensisse Platonem. Siue igitur prudens, siue nescius, sed solo secreto Naturæ ac ueritatis æstu asseruit, plenoq; ore laudauit mundanam creationem Aristoteles, admiratus est huius Philosophiæ præcones, quàm uelit alibi desipuerit. Sufficit mihi ex inuito (quanquam fortè non inuito) pectore testimonium ueritatis excidisse. Quæ igitur deduxi, & quæ sum hactenus locutus, uidebunt uera esse, qui norint, quam de Sapientia seu Mente diuina, Theologiam maiores, et qui ante Aristotelem floruerunt Philosophi reliquissent. Quæ tanta est, ut dixi, quòd ea creauit mundum, præcipueq; Chaos in ordinem redegit, & rerum formas cæco deprompsit aceruo: deniq;, ut Aristoteles ait, quod fuit autor mundi, Naturæ totius, ordinisq; repertor. Quod cum bene sapienter, præclareq; prædicatum asseueret Aristoles, nemini dubium poterit esse, quin creationis, qualis à Mose & ab Aegyptijs, uetustissimisq; Græcis fuerat decantata, assertor fuerit. Aliud testimonium, quod de creatione, rerum que noua inuentione, prudenti uel imprudenti excidit, quod sanè prudentissimus quisque considerabit, est, quòd quemadmodum Marcus Tulliis, plures que alij, quendam hominem sapientissimum fuisse dicunt, qui dispersos homines congregauit, in quo necessario, aliquod rerum initium continetur, quo rudes, nuper que nati homines, societatis experti essent: sic ab Aristotele similia dicta, uelit nolit, cum origine mundi sequuntur: ὁ δ' ἐπρῶτος συνάσας μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος: Qui primus, inquit, dispersos homines congregauit, maximorum bonorum autor fuit. Videat igitur, quicunque uult, an in æternitate non semper homines congregati fuerint. Nihil enim est nouum in Aetetnitate. Nam siquando congregati homines, prius dispersi erant, in æternum certè dispersi fuerunt.

Ex dictis oratorum & poetarum, artium, sermonis, & humani generis probatur exordium. Cap. XVI.

Eadem

EADEM ratio colligitur ex Tullio contra Philoſophos: aut qui primus, inquit (quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ uiſum eſt) omnibus rebus impoſuit nomina. Si primus enim quis impoſuit nomina, certè antequam impoſuiſſet, non erant nomina. Arguitur ergo humani generis initium: quoniam ſi fuiſſet Aeternitas, ſemper homines locuti fuiſſent, ſemper ſermo uiguiſſet. Nec primus quiſquam nomenclaturas uidere potuiſſet. Si fuit principium locutionis, & ſermonis, fuit etiam uitæ. Sic quod ſequitur, Aut qui ſonos uocis, qui infiniti uidebantur, paucis literarum notis terminauit, aut qui errantium ſtellarum curſus, progreſſiones, inſtitutiones que notauit. Hæc omnia comprobant exordia iſtarum artium. Ergo nec ſemper artes fuiſſe, nec homines eis uſos eſſe. Similiter quod ſubijcit Etiam ſuperiores, inquit, qui fruges, qui ueſtitum, qui tecta, qui cultum uitæ qui præſidia contra feras inuenerunt. Hæc docent aperte, omnium fuiſſe aliquod primordium. Si diluuia attuleris, deſtructum eſt, & euerſum, Nullam unquam potuiſſe tam immanem eluuionem eſſe, quæ totam humanam gentem abſtulerit. Quæ ſi cunctos abſtuliſſet, nemo nunc eſſet ſuperſtes. Quòd ſi fuerunt homines ſemper, ſemper etiam & ſermo. Itaque non fuit quidam, qui primus nomina rebus impoſuerit. Si fuit, non ſemper homo, lingua que ſed fuit exordium. Eadem ratio colligitur ex Platone, & eodem Marco. In Cratylo perhibet priſcos fuiſſe meliores, quia Dijs propiores. Marcus ueriora eſſe à priſcis tradita, quod minus aberant à progenie diuina. Si mundus igitur eſt æternus, ubi priſci, ubi Dijs propiores? In Aeternitate nil prius, nil poſterius, nil propinquius, nil remotius. Fuiſſe quoque Deo propiores aliquos, arguit initium, cum ſcilicet Deus creans, & aſtans cernebatur à priſcis illis, quos priores crearat, quos Marcus progeniem diuinam appellat. Plato θεῶν παῖδας, θεῶν ἀγχιπόρους, Filios Deorum, Dijs proximos, propinquos Iouis. Eadem ratio colligitur ex eodem Marco, cum quaſi ab omni alia dubia opinione, huc tandem ſiſtente, & appellente Natura. Non enim, inquit, temerè, nec fortuitò ſati & creati ſumus, ſed profectò fuit quædam uis, quæ generi conſuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quòd cum exantlaſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum. Si ergo ô Marce ſati & creati ſumus, & ſi fuit quædam uis conſulens humano generi, certè fuit exordium quoddam, cum nondum creatis nobis aut dum crearemur, ab ea ui nobis conſulebatur. Similis probatio colligitur ex Poëtis, ut appareat, undiq; pro ueritate contra mendacium auxilia concurrere. Vergilius canit iuxta priſcos uates, ſponte ſua quondam fruges terram hominibus dediſſe, lætis, ociantibusq;, cum non cogerentur, ad ſuſtentationem uitæ, uarias artes excogitare:

Primusq; per artes,
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno.

Ergo non fuerunt ſemper artes, non ſemper agricultura. Quomodo igitur mundus

æternus, & homines æterni, sine artibus? Et si non sine artibus unquam, quomodo primus quidam, siue Deus, siue homo, reperit eas, cum prius non essent? Reperta agricultura, nauigatio, astronomia, uenatio:

Tunc alnos primum fluuij sensere rapaces,
Nauita tum stellis numeros, & nomina fecit.
Tum laqueis captare feras, & fallere uisco
Inuentum, & magnos canibus circundare saltus:
Tum ferri rigor, atq; argutæ lamina serræ,
Tum uariæ uenere artes.–

Artes igitur, quæ deerant, docent homines natos, non æternos.

Plotinum aperte fateri, contrà quàm Proclus contendat, tempus creatum, cum cuius conditione consequitur etiam cœli, mundiq; creatio. Cap. XVII.

QVoniam uerò Proclus asserit in his, qui mundum sempiternum credidissent, ad alios fuisse Plotinum, ecce ueritas ipsa sibi suppetias afferens, cui cum mendacio bella perpetua, quæ sæpe mentes in mendacium prolapsas, deluctata diu, tandem subrigit ad lucem, & uerum, contrà, quàm ille pronunciet, ostendet. Neque uerò boni iudicis est, in alteram partem inclinantem, audire rationes eius, cui faueas, ad eius quem odio habeas, aures obdere. Sic si bene hic, sicut alijs Philosophiæ locis, rem Proclus ponderasset, fortasse iudex æquior fuisset. Nemo unquam me continebit, quin in ea semper sententia persistam, omnes fermè philosophos super eadem re (quoniam homines quales nos omnes, fuerunt, qui nostra placita tota uita uariamus) opinione alternante, diuersa protulisse. Peßima uerò, sed apud imperitos tantùm, regnat consuetudo, ut unius alicuius autoris, cui se consecrarunt, dicta perinde ac irrefragabilia, inuiolataq;, aut qui sibi contradicere non potuerit, omnibus conatibus defendere certant. Sed his omißis luce clarius ostenditur, Plotinum, aut uolentem, aut eorum oblitum, quæ dixisset alibi, factum tempus, ac mundum asseruisse, factum inquam, non quòd fiat, aut generetur, sed quòd fuerit postea, cum non esset. In libro de Aeuo & tempore hæc scribit, δεῖ δὴ ἀναγαγεῖν ἡμᾶς αὐτὸς πάλιν εἰς ἐκεῖνο τὸ διάθεσιν, ἣν ὡδὶ τὸ αἰῶνα λέγομεν εἶναι τῷ ἀτρεμῆ, ἐκείνην, καὶ ὁμοῦ πᾶσαν, καὶ ἄπειρον ἅμα ζωήν. καὶ ἀκλινῆ παντὶ, καὶ ἐν ἑνί, καὶ πρὸς ἓν ἑστῶσαν. χρόνον δὲ ὅτῳ ἰὼν, ἢ ἐκείνοισι ὃν ἰών. χρυνήσομεν δὲ χρόνον λόγῳ καὶ φύσει τοῦ ὑστερον. τούτων δὴ ἡσυχίαν ἀγόντων ἐν αὐτοῖς, ὅπως δὴ πρῶτον ἐξέπεσε χρόνος, τὰς μὲν μόσας ὅτῳ τότε ὅσας ὃν ἂν ἴσως ἴσως καλοῖ εἰπεῖν τόδε. ἀλλ' ἴσως ὅπερ ἦσαν, καὶ αἱ μῆσαι τότε. αὐτὸν δὲ ἄν τις τάχα τὸν χρυόμενον χρόνον ὅτῳς ὃν ἐκφανὴς, καὶ χρυόμενος, λέγοι ἂν πρὸ αὐτοῦ ὧδε πῶς. ὡς πρότερον πρὶν τὸ πρότερον δὴ ἦν χρυῆσαι, καὶ τὸ ὑστερον διεκδῆναι σὺν αὐτῷ, ἐν ᾧ ὄντι ἀνεπαύετο χρόνος ὃν ἐμ. ἀλλ'

ἐν

φὶ ἐκείνῳ καὶ αὐτὸς ἥσυχίαν ἦγεν. φύσεως δὲ πολυπράγμονος, ἔδει ἄρχειν αὐτῆς βουλομένης, καὶ εἶναι αὐτῆς, καὶ τὸ πλέον τοῦ παρέντος ζητεῖν ἐλομένης, ἐκινήθη μὲν αὐτὴ, ἐκινήθη δὲ καὶ αὐτὸς, καὶ εἰς τὰ ἔπειτα καὶ ἀεὶ, καὶ τὸ ὕστερον: Oportet, inquit, attollere nos ipſos ad illam diſpoſitionẽ, quã in Aeternitate dicebamus eſſe, quietã illam, et ſimul totã et infinitã iam uitã, omninoq; indeclinabilem & in unitate, & ad unitatẽ ſtantem. Tempus autẽ nondũ erat, uel illis certè non erat. Generabimus autẽ tempus definitione et natura poſterioris. His igitur quietẽ agentibus in ſeipſis, quã nam primũ ratione exciderit tempus. Muſas quidẽ quæ nondum eſſent, haud quiſquã fortaſſe inuocet, quæ hoc canant, ſed fortè erant et Muſæ tunc: ipſum uerò creatũ tempus, fortè quiſpiã, quomodo apparuerit, & factũ fuerit dicat, de eo in hunc modũ: Quòd antequã primũ hoc gigneret & poſteriora cum ipſo indigeret, in ente requieſcebat tempus, cũ non eſſet. Sed in illo & ipſum quietẽ agebat. Natura autẽ ſolicita & curioſa, & imperare, uel incipere ipſa uolens, & eſſe ipſa, plusq; habere, quàm quod præſens eſſet, quærere eligens, mota eſt quidẽ ipſa, motũ eſt et ipſum tempus, et in poſterũ & ſemper. Talia locutus eſt Plotinus, in quibus euidens et luculenta eſt temporis creatio. Nos ergo Plotinũ explicantes dicamus. Primũ ut quid Aeternitas cum tempore diſcrepet, noſcas, iubet te attollere mentẽ ad illam, quæ rectè uocetur diſpoſitio, cũ nihil horũ, quæ cernimus & ſentimus, extaret, non natura, non cœlum, non terra, ne tempus quidẽ cum quieſcerẽt omnia uita carentia, ſolaq; eſſet æternitas, uita Dei infinita, ut dixit eodẽ libro. Eſt enim æternitas, Deus ipſe, ipſa unitas, uita ſimplex, ſe cum coniuncta, indeclinabilis, immobilis, infinita. Nondũ erat tempus, nec rebus illis tempus erat. Dico res eas, ipſum Deũ, Ideasq; rerũ, tempore carentes. Vt autem tempus deſcribas, aſſumendã eſt natura poſterioris, ſcilicet quod poſterius eſt, in cuius eſſentia intelligitur tempus, Cunctis igitur rebus quieſcentibus, quia nihildum eſſet exortum, quomodo tempus apparuerit, quis explicet, inquit. An Muſas Poëtarum more, nondum & ipſas natas inuocabimus? ut quod ait Homerus,

Iram pande mihi Pelidæ diua ſuperbi: Sic nos dicamus:
Vos Muſæ nobis exponite temporis ortum.

Atqui fortè etiam erant tum Muſæ, Deæ uidelicet. At tempus ut fuerit creatum, ut emerſerit, Muſis dimiſſis, dicas licet in hunc modum, quod antea quàm iungeretur prius et poſterius, è quibus Ariſtotele autore, conficitur tempus: quieſcebat, et quaſi dormiebat, cum non eſſet, fieri quidem potens, ſed nullamdũ uitam nactum tempus. Quieſcebat autẽ in uaſta totius uniuerſitatis origine Deo. Natura uerò ſolicita excundiq; cupida, lucẽq; appetens, nec præſenti conditione contenta continuò erupit: ſimili quoq; erupit tempus impetu. Nihil igitur clarius & apertius, ipſo uel Sole luculentius, dẽ creatione temporis. Hic enim nullæ latitant ambages, tota in propatulo oratio. Non eſt dependentiæ, fluxusq; perennis, ullum profugium. Ne Moſes quidem tam clarè locutus eſt. Creationẽ autem temporis nemini non perſpicuũ,

trahere ſecum cuncta mundanam creationem. Neq; enim ſine cœlo poteſt eſſe tempus, natis cũ tempore, Sole, omnibusq; cœleſtibus machinis his, quibus motis, efficitur tempus. Sic qui dicit creatum tempus, dicit cœlum, Solem, Lunam, aſtra, totũ deniq; mundum creatum. Tum Plotinus ipſe refert Naturam quieſcentem, nondum exiſtentem, lucẽ, aſpectumq; optaſſe. Atq; alibi quoq;, ut primo libro claruit, confeſſus eſt, omnem mundũ creatum, cum mundum ſic introducit loquẽtem, Fecit me Deus, & inde ego extiti. Et alia, quæ uiſa ſunt illic, quod terra ſit plantis ornata, quòd Mens ſit omnia fabricata, ſtabilis ipſa, & quieſcens. Et quòd prouidentia Dei, ſit quidã proſpectus, & antecedens conſideratio, ut mundus fieret pulcherrimus, bonis & pulchris locupletiſſimus. Et quod de animis ſcribens, ἀϊδιοι γὰρ αἱ ψυχαὶ, πρὸ ὁ χρόνος ὕστερος: Animas eſſe ſempiternas, tempus autem poſterius. Nõne cuncta conſentiunt? In libris quoque de Tribus imperatricibus ſubſiſtẽtijs, de tertio principio diſſerens, quod illi Animum mundi, nos Spiritum diuinum dicimus, apertè ſuper hac re locutus eſt, Hæc, inquit, ἐπόιησε, cuncta creauit animalia, eis inſpirata uita, quæq; terra nutrit, quæue mare, quæ feruntur per aëra, quin aſtra quoq; diuina in cœlo. Hæc Solẽ, hæc magnũ hoc cœlum ἐκόσμησεν, ornauit. Sic loquens Plotinus, nõne mentis ſuæ perſpicuè declarat ſenſus? Eodem quoq; libro, Anima, inquit, ingreſſa cœleſte corpus, ἔσεισε, dedit uitam, dedit immortalitatem, ὕγρε δὲ κειμενον, excitauit cœleſtem illam molem iacentem. Ea circunrotata motum ſempiternum, ab animo ſapienter agente, animal beatum ἐγένετο, factum eſt, cœlumq; habuit decorẽ, anima introducta. ὧν πρὸ ψυχῆς σῶμα νεκρὸν: γῆ πρὸ ὕδωρ, μᾶλλον δὲ σκότος ὕλης, πρὸ μὴ ὄν, πρὸ ὃ συγγενοῦσι θεοῖ, φησὶ τὶς: Cum eſſet ante animam, mortuum cadauer, terra & aqua, imò uerò tenebræ materiæ, & non exiſtens, & quod, ut quidam ait, abominantur Dij. Hæc ad uerbum Plotinus, quibus nihil diuinius. Aperteq; ponitur duplex cœli ſtatus, anteaquam eſſet, poſteaquam fuit. Nullæ hic ambages, ut dixi. Quantumuis uerba diſtorquere coneris, non poßis ea, ut in Platone ſoliti ſunt quidam Platonici, dimouere loco. Neq; enim ſi Plotinus ſenſißet ſemper tempus & mundum in hoc honore fuiſſe, quo nunc eſt, uſus hac & ſuperiore oratione fuiſſet. Hic quoq; eſt ſtatus ille rerum ante mundum, qui eſt apud Moſen, Terra, & aqua, & tenebræ ſuper faciem abyßi, ſuper Hyle, ſuper Chao, ſuper materia, nondum luce creata, quam ſequitur motu eius generatum tempus. Nec poſſum admirando ſatiari, cernens apud Philoſophos, confeßionem Theologiæ Moſaicæ, & apud omnes gentes tanto in precio ueritatem, cuius conſonè mirantur omnes maieſtatem. Dicitur enim à Plotino, quod à noſtro Poëta,

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Dixerat prius fuiſſe Chaos et Moſes, terra erat inanis, et uacua. Aqua uidelicet et terra. Hic quoq; Plotinus innuit in aceruo, et cõgerie informi illa rerũ, corpus cœleſte ut in ſua homœomeria iacuiſſe, et ex cadẽ maſſa, atq; cætera oïa, emerſiſſe, natum, ac

tum, ac factum ex aquis, ubi tanquam cadauer iaceret. Hoc testimonium, non potest nuito Plotino excidisse, sed suapte arbitrio loquente, & eo modo loqui uolente, pronuntiatum, necesse est.

Aperte, perspicueq; Porphyriũ de temporis exordio scripsisse. Iamblichũ multis rationibus omnia nata esse, confiteri: Qui consentanee cũ Mose prædicet hominem diuinitus factum. Itemq; ordines cœlestes à diuinissimo Verbo repertos. Et quod condemnat hunc mundum, asserens ab eo fugiendum esse. Cap. XVIII.

PORphyrium & Iamblichum, quin ipsos etiam creationis inimicos, Proclum, & Simplicium, probabo uel falsitatis oblitos, uel aliquo ueritatis impetu, creationẽ temporis asseruisse. Quorũ dicta, qui diligentius, accuratiusq; pensitet, totamq; eorũ rationem euoluat, & quid ex ea necessariò sequatur, altè spectet, eos deuolui cernet ad creationem, sine qua stare quæ loquuntur (licet ipsi id forsan non animaduerterint) nulla ratione possint. Sed testimonium Porphyrij est omni luce radiantius, admiratione certè dignum, allatum superius. Is loquens de ea quæ dicitur ã Philosophis Mens, Principium & Origo mundi, consideransq; statum eius quo uixisset ante mundum, tribuensq; ei eas Diuinitatis laudes, quibus cum tempore nulla sit ei communicatio, aperteq; & luculenter eam à summo bono æternaliter natam asserens, dixit, quòd hæc natiuitas non modò fuit æterna, sed etiam ante omnem Aeternitatem. Natam autem fuisse, ut dixi, æternaliter dicit, non in tempore, non modò quia sempiterna fuit ea natiuitas, sed etiam quia nondum tempus esset. Hæc enim sunt expressa uerba eius: προελθόντος δὲ ἐκ ἀπ' ἀρχῆς τινὸς χρονικῆς, οὔπω γὰρ χρόνος ἦν, ἀλλ' οὐδὲ χρόνου γενομένου, πρὸς αὐτόν ἐστι ὁ χρόνος: Processisse uerò non ab aliquo temporali principio. Neque enim adhuc tempus erat. Sed nec facto quidem & creato tempore, tempus præ ea quidquam est. Hæc pauca ex multis apud Porphyriũ uerbis. Quid mirabilius? Non potes hic aduocare solitum refugium, Tempus factum quidem, sed æternaliter factum, sicut dicunt de mundo. Ecce duo status proponuntur, æternæ Mentis, æternaliter manantis, atq; temporalis principij. Nominatur principium temporis, & dicitur hoc principium aliquando non fuisse, cum scilicet nascebatur uel nata est æternaliter Mens à summo bono, nondum erat quod postea fuit. Mens non est nata in tempore, quia tempus nondum erat. Etiam uerò post factum tempus, nihil habet cum Mente tempus affinitatis, ut res creata cum æterna. Audis hic, cernisq; γενόμενον χρόνον, tempus creatum. Cernisq; ἀρχὴν χρονικὴν, temporale principium. Vides, οὔπω χρόνος ἦν, Nondũ tempus erat. Ibidemq; dicit Porphyrius, καὶ ἀπ' αὐτοῦ γεγένηται τὰ πάντα: Etiam si ab ipsa Mente facta sint omnia. Hæc igitur cum clara sint, qui secus intelligenda contendat, impudentem: Porphyrium autem, aut inconstantem, si secus alibi statuisse deprehendatur, aut quod fieri solet, ueritatem secretis ad se machinis eum traxisse, dicendum erit. Quomodo autem Iamblichum, quem diuinum non cessant uocare Platonici, confessus sit, mundum, & genus humanum certo temporis initio, à Deo habuisse principium,

hac ratione probatur. In libro de secta Pythagoreorum, ostendens Pythagoreos in omni genere uirtutum claruisse, sapientiam que eorum, ueram illam germanamq; fuisse, in notione rerum diuinarum omnem existentem, quippe qui censerent, persuaderent que sibi, ad hoc ipsum factum hominem à Deo, magnis in animo, & corpore dotibus adhibitis, ut omnis scientiæ capax esset, quo loco prorsus cum Mosaica Theologia consonante, reperto, mira sum affectus lætitia, sum que exosculatus mirum in modũ. Eorũ uerba uidelicet Archytæ sic profert: τοῦτό μοι δοκεῖ ἡμεν ποθ' ἅπερ καὶ γέγονε, καὶ συνέστα ὁ ἄνθρωπος καὶ ὄργανα δὲ καὶ δυνάμις εἴληφεν παρὰ τῶ θεῶ: Hoc, ait, mihi uidetur fuisse quod certè fuit, Factum hominem, organa quoq; facultatesq; à Deo accepisse. Hoc igitur omne Iamblichus approbans & interpretans, & ad comprobationem suorum dictorum adducens, primùm quid illi senserint, ostendit: tum ascensum suum declarat. Itaq; assentitur, probatq; Pythagoram, Archytamq; bene locutos, cum hominem factum à Deo confitentur, καλως ἄρα κατὰ γε τοῦτον τὸν λόγον, πυθαγόρας εἴρηκεν ὡς ἐπὶ τὸ γνῶναι τε καὶ θεωρῆσαι, πᾶς ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ θεοῦ συνέστηκεν: Pulchrè igitur et congruè hac ratione locutus est Pythagoras, ad cognoscendum, speculandumq; factum omnem hominẽ à Deo. Nemini igitur dubium, ut ipse nunc loquar, quin si genus humanũ est creatum, cætera quoq; eo inferiora, & usibus eius cuncta seruientia sint aliquando creata. Trahit enim humana creatio, cæterorũ secum creationem. Hoc Pythagoras, et Archytas censuerunt: Iamblichus multis uerbis explicat Atticè, quod Doricè illi protulissent, additq;: καὶ πρὸς τοῦτο γέγονε, καὶ ὄργανα, καὶ δυνάμις εἴληφε παρὰ τοῦ θεοῦ: Et ad hoc factus est homo et organa, facultatesq; accepit à Deo. Hæc et id genus multa Iamblichus, in quib. cum creatione hominis, clarè & perspicuè, totius mũdanæ machinæ molitionẽ, siue palàm, siue absconditè fatetur. quod qui nõ tardus, aut proteruus sit omnino, facilè noscat. Totũ illum locũ accuratè, diligenterq; interpretãs, ex eoq; ad philosophandũ omnes cohortans, repetit, inculcatq; quasi quandã de humana creatione historiã texens, Deũ, mentẽ & corpus sic fecisse, ut ex omni mũdo, notionẽ capiẽtes, philosophari homines posset, cuius finis sit scientia, cultusq; Dei. Altera ratio, qua persuaderi posit, aut expeditè uolentẽ, aut ratione ex dictis suis manãte, Iamblichũ rerum corporearũ principium credidisse, ea prudentib. erit, quoniã una è præcipuis rationib. quibus pro æternitate mũdi pugnatur à nõnullis, est quod nihil hoc mundo melius, iucundiusq; existimantes, totãq; corporeã uitam admirantes, nefas esse putant, eã non semper fuisse, semperq; futurã esse, nunquã tamdiuino ordine uitæ, clariss. q; illis cœlestib. luminibus defecturis. Huic igitur rationi, quæ fermè precipua est, aduersatur, totãq; hãc destruit persuasionẽ, quod nõ Platomodò sed et ipse Iamblichus, sublimi quadã, admirãdaq; sapientia retulerũt, Qui uelit uerè sapiẽs, et beatus esse, fugiendũ ei celerrimè ex hac uita, odioq; eam habendã: Nos inter magna discrimina uersari, corpus quod mille nobis afferat incõmoda etad notio

nem

nem ueritatis impedimenta, deserendum esse omnino, nunquã nobis ueritatem adepturis, nisi relicta odio q; habita præsenti uita, quæ ueris bonis ignoratis, nos cupiditatibus, uanissimis q; detineat amoribus: In primis q; ait, τὸ μέγιστον ὑμῖν ἡ φιλοσοφία παρέχουσα, τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ γενέσει δεσμῶν: Maximũ bonum afferre nobis Philosophiam, quòd liberat & disiungit nos à uinculis, quæ & in animo sunt, & in hoc præsenti mundo corruptibili, qui dicitur à Philosophis Genesis, fãctio, generatio, instabilitas rerum. De corpore quoq; μηδ' ἐναπιμπλώμεθα φησὶ τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύωμεν ἀφ' αὐτοῦ, ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ὑμᾶς: Neq; uerò repleamur natura huius, sed quàm maximè puri simus ab eo, donec Deus ipse nos ab eo dissoluat. Dicit etiam de anima, huic misero mundo implicata: καὶ ἐν τούτῳ ἄμοιρος εἶναι φησὶ θείου τε καὶ καθαροῦ, καὶ μονοειδοῦς συνουσίας: Ne cupiditatibus, & huic mundo connexa, consortij diuini, purissimæq; et uniformis illius societatis sit expers. De eadem liberata, καὶ ἐπειδὰν τελευτήσῃ εἰς τὸ ξυγγενὲς, καὶ εἰς τὸ τοιοῦτον ἀφικομένη ἀπαλλαχθαι τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν: Et cum abierit ex hac uita, & ad consanguineã gentem peruenerit, liberetur ab humanis malis. Hæc & multa alia præclara philosophatur Iamblichus de contemptu, et fuga istius mundi, beatiorem dicens, qui eo minus utatur. Ex his, cui prudentia, iudiciumq; inerit, uidebit necessariò deduci, non esse tanti mundum hunc, ut æternus esse debuerit, qui sit animis potius causa mali, quàm boni, & in quo magno cum discrimine uersentur animi. Appareteq; ipsum mundum, cum potius malus sit, quàm bonus, uoluptatesq; eius spernendæ, fugiendæq; à sapientibus censeantur, nec melius fuisse semper esse, nec semper esse debuisse, eumq; nec diuinum esse, nec deificandũ, adeo, ut maiorum bonorũ amittendorũ sit causa: et à quo discedentes, à malis potius quàm bonis, ut ait Cicero, abducamur. Huic annexa est ea ratio, qua sumus usi superius, euidentissima sanè, & perspectissima. Cum inconfessio sit apud sapientes, Aeternitatẽ mundi, tollere pietatẽ: Secundò, cum uitæ futuræ Sempiternitas, impediatur ab Aeternitate præsentis: quia si uita præsens est æterna, non potest esse futura, nec possumus quicquam de futura loqui, quia nunquam perfecta cœlestis: apparebit, nisi deleta terrestri, ut propter cœlestẽ, necessariò remouenda sit terrestris: ubi autem finis est, fuit principium: efficitur ut hæc uita, tanquã corruptibilis, fugax, inferior, debilis, fragilis, quo succedat melior, sit interitura: nec æternũ debere fuisse, à quo fugiendũ Philosophi, abstinendumq; crediderunt: nec æternũ esse, uel esse debuisse, cuius Aeternitas sit melioribus bonis impedimento. Huic adiuncta ea ratio est, qua posit intelligi, mundũ nec fuisse perennem, nec esse debuisse, nec futurum esse, ex Iamblicho, qua diximus, Melius non esse prorsus, quàm malè esse. Cũ autẽ mundus potius in statu calamitoso, lugubriq; sit, malis, quàm bonis affluentior, nulli non modò perfectam lætitiam, sed mœrorem afferens, idq; semper, quandiu mundus fuit: Iamblichus autem asserit homini prauo, utiliorem esse mortem, quàm

uitam, his uerbis, τῷ μοχθηρῷ βέλτιον τὸ τεθνᾶναι, τοῦ ζῆν. Videtur certè aliqua ratione posse deduci, si quis totam hanc considerationem explicet, cum iudicare potuisse, mundum, qui refertus miserijs sit, & potius in malo, ac tristi statu quàm bono, ac delectabili (ut in quo non solum leuium gaudiorum, si qua sunt, per mortem sit abolitio, uerum nemo sit mortalium, quem non potius uexatio, quàm laetitia, in omni uita tenuerit) huiuscemodi mundum, nec naturâ semper esse debuisse, nec prudentis esse, Aeternitatem eius aut optasse, aut credidisse, cum melius sit, iucunda, laboriosa, non esse, quàm esse. Hæc ratio potest ex Iamblicho duci. Ea uerò euidentissima est, qua non ambiguè, non inuolutè, sed clarè, aperteque dixit, à diuinissimo Verbo, iuxta Platonem, uisibilem mundum repertum, et instructum: ἕως ἂν ἐξεύρωμεν τὸν ὅλον κόσμον ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος, ὁρατόν: Philosophandum, inquit, donec uniuersum mundum, aut ornatum reperiamus, quem omnium diuinissimum Verbum posuit uisibilem. Qua potuit clariore uoce creatio designari, decantari, prædicari? Quid aliud uetustissimus Iob? Spiritus eius, inquit, ornauit cœlos. Quod λόγος Iamblicho & Platoni, hoc Ratio, Spiritus, Ingenium, sapientia, ipsi Iob. Ea quoque clarissima ratio est, quòd humanam creationem totam attribuit Deo summo, in præteritum tempus prædicans eum, non facultatem modò sese supra mundum, ad aspectum rerum diuinarum attollendi homini dedisse, qui sit finis rerum humarum, uerum etiam duces custodesque, à quib. arcanis documentis agamur ad recta, adhibuisse: primum sic perhibet: τὴν γὰρ πάντων καλλίστην, καὶ θειοτάτην φύσιν ὅσην ἀνθρώποις θεὸς δέδωκε κατιδεῖν: Pulcherrimam omniũ ac diuinissimã Naturam, uiuendo, & contemplando, philosophandoque assequamur, quantam dederit hominibus Deus aspicere. Ecce datum hominibus à summo Deo, tum cum eos creauit, spiritum Diuinitatis suæ similem infudit, mente, intelligentia decorauit, ut creatorem suum, cuius est pulcherrima natura, noscerent, ad scientiam eius assurgerent, ut uenustissimam naturam assecuti, in uero beatitudinis regno collocarentur. Hoc fuit à principio, cum Deus hominem tam inclytum, nobilemque fecit, & super omnes animantes subleuauit, eumque paulominus, quàm Deum nobilitauit. Fuit hoc in exordio, fuit cùm legibus cuncta suis disponerentur. De custodibus autem datis. Oportet inquit, ad omnia, aciẽ mentis inflectere: διαφερόντως δὲ δ' αὐτὸ κυριώτατον ἡ ψυχῆς εἶδος, ὅπερ δαίμονας ὁ θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε, καὶ ὥσπερ ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρει πρὸς τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν. Quod est, Cum primis autẽ, præstantiss. animorũ genus, quòd Dæmonẽ Deus unicuiq; dedit, idq; est quod nos è terra tollit ad cœlestẽ cognationẽ. Sentit Iamblichus Deum non hac parte modò hominẽ nobilitasse, quod ei similitudin spiritus ac Diuinitatis suæ dedit, extulitq; adhibita ratione & sapientia super omnes animantes, sed etiã sublimiores spiritus, socios et comites adiecit, à quibus ut ducib. præsidibusq; gubernaretur. Hoeq; quãdo factũ sit, Plato docebit in Timæo, cum sator hominũ, atq; Deorũ, creato mundo

allocutus

allocutus eſt Dæmones, ſiue Angelos, paulo antè cum mundo ſatos, ut alerent, fo-uerent'que homines, & cuſtodirent. Sunt alia plurima, quibus poſſim, ſi uelim, docere, claras edidiſſe uoces Iamblichum ſuper creatione rerum factarum & inuentarum, cum prius non exiſterent, ſiue natura ſecreta, ſiue uoluntate, certa'que perſuaſione huc eum euocante.

Crantorem Platonicum, uitam præſentem condemnaſſe, eique non eſſe & mortem antepoſuiſſe. Quo ſequitur improbatio Aeternitatis mundi. Idem ex Ariſtotele infertur. Cap. XVIIII.

SIMILIS probatio poſſet, ſi uerum eſt quod Proclus refert, Crantorem Platonicum, Aeternitatem mundi uoluiſſe, ſe'que dictis Platonis uiolenter ad hanc ſententiam adiuuiſſe. Quicunque enim uolunt fuiſſe ſemper mundum, uolunt quia uidetur eis melius ſemper aliquid quàm nihil fuiſſe. Dictis igitur Crantoris probabo, non fuiſſe cur ob hanc cauſam deſideraret mundum æternum, quem dicit eſſe miſerorum mortalium habitaculum, uitamq; datam non ad uoluptatem, ſed ſupplicium. Plutarchus in conſolatione Apollonij, hæc de eo perhibet: πολλοῖς γὰρ καὶ σοφοῖς ἀνδράσιν ὥς φησι κράντωρ, οὐ νῦν, ἀλλὰ πάλαι κλαυσαι τ' ἄνθρώπινα, τιμωρίαν ἡγουμένοις εἶναι τὸν βίον, καὶ ἀρχὴν τὸ γενέσθ' ἄνθρωπον, συμφορὰν τὴν μεγίστην: Multis, inquit, & doctis uiris, ut inquit Crantor, non nunc, ſed olim deploratæ ſunt res humanæ arbitrantibus uitam eſſe ſupplicium, initium'que naſcendi hominem, maximam calamitatem. Plutarchus hæc quidem. Si calamitas igitur eſt naſci, ſi uita ſupplicium, certè non aliud deſiderant, qui mundum retro ſempiternum deſiderant, quàm ſempiternas hominum calamitates, ſempiterna ſupplicia. Sunt enim cum æterno mundo, etiam æternæ uitæ, calamitates æternæ. Aeternasq; hominum calamitates, æterna ſupplicia cupiunt, qui cupiunt mundum æternum. Nec ſolum non meliora ferunt nobis, ſed deteriora. Melius eſt enim aut minus malum, paucis annis, quàm innumerabilibus fuiſſe miſerum. Non ſolum igitur horum iudicio, non debuit æternus, ſed etiam nunquam eſſe mundus. Vera certè ſententia, niſi ſpes melioris uitæ iunctæ cum abolitione præſentis nos ſolaretur. Nam uitam fugacem ueluti umbram, & quod grauius eſt, miſerijs & incõmodis refertam, melius erat nunquã hominibus contigiſſe. Hoc incommodum non accidit his qui creant mundũ, quia & finis fuit malorum aliquando, & erit, cum nullus malorũ finis adſit illis. Eandem rationem ducet ex Ariſtotele, qui uolet: quem autor eſt idem Plutarchus, ſimilia fermè de repudianda, nulliq; ſapienti magnopere expetenda uita prodidiſſe, eodẽ libro ſcribens: Hoc Ariſtoteles teſtatur etiam Silenum Midam docuiſſe. Sed melius, inquit, eſt ipſa Philoſophi uerba ſubijcere. Dicit hæc in eo qui inſcribitur Eudemus, uel de Anima: Quocirca ô optime omnium, et beatiſſime, præter quàm quòd beatos et fortunatos eſſe defunctos arbitramur, etiam mentiri, aut inſultare maledictis in eos, pium, ac ſanctũ, utpote contra eos, qui meliores effecti ſunt, non ducimus. Hæcq; adeò priſca uetuſtaq; decreta apud nos perſeuerant ut nemo neque temporis initium neque qui

primus

primus posuerit recordetur, sed infinitũ æuum semper uti lex inualuerunt. Ad hæc autem cernis per ora hominũ iam multis pridem annis circunferri Quid hoc? inquit. Et ille subijciens, Quòd uidelicet non nasci optimum quidem omnium, et melius est mori quàm uiuere. Quod multis quidem à Deo testimonijs comprobatum fuit. Hoc quidem illi Midæ dixisse Silenũ dicunt, postquam ipsum in uenatione cepisset. Roganti autem, ac scitanti, Quidnam sit hominibus melius, omniumq; maximè eligendũ: primum quidem nihil dicere uoluisse, sed tacuisse. cum uerò tandem omni conatu responsum extorsisset, tum deniq; coactũ respondisse, Fortunæ ærumnosæ, & asperæ diurna progenies, quid me cogitis dicere, quæ præstaret uos ignorare? Iucunda enim uita est, suis cuiq; malis ignoratis. Optimũ primùm hominibus non nasci, natos autem quàm primum mori. His dictis subdidit Plutarchus: Δῆλον δὴ ὡς οὔσης κρείττονος τῆς τῶ τεθνᾶναι διαγωγῆς, ἢ τῆς τῷ ζῆν, οὕτως ἀπεφήνατο: Claret igitur eum pronuntiasse, melius agere cũ mortuis quàm uiuis. Hæc igitur cum Aristoteles ipse proferat, uidetur certè in eadẽ sententia fuisse, hominibus aut nihil prodesse uitam, aut melius fuisse non nasci. Cum quibus sequitur execratio, detestatioq; Aeternitatis mundi. Eorumq; iudicium sanius, & melior cupiditas probatur, qui iudicant mundum nec semper fuisse, nec esse debuisse. Euripides item eadem censuit, cuius carmen sic uertitur à Cicerone.

Nam nos docebat cœtus celebrantes domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ uitæ uaria reputantes mala.
At qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude, & lætitia exequi.

Iudicant igitur omnes meliorem mortẽ, quàm uitam. Sic Solomon laudauit magis mortuos quàm uiuos. Eiusmodi igitur uita, cui mors anteponitur, non debuit esse sempiterna. Qui cupiunt æternam, deteriora cupiunt. cupiunt calamitates, ob quas uitæ mors præfertur, sempiternas. Similia grauissimum autorem Senecam sensisse uidebis in libro de Consolatione, ut ueritas huius rei facile comprobetur, cui sapientes adeo concordes assenserunt: Nihil, ait, est tam fallax, quàm uita humana, nihil tam inuidiosum. Non mehercule quisquã illam accepisset, nisi daretur inscijs. Itaq; felicissimum est non nasci, proximè puto, breuitate uitæ defunctos cito in integrum restitui. Hæc ille. Si felicissimum igitur est non nasci, non nasci autem est non esse: felicius ergo fuit, mundum paucioribus annis fuisse, quàm sempiternis. Ac certè minus malum fuit, si uita miserabilis est (quia non esse, est felicissimum) uitam pauciorum annorum, quàm æternam fuisse.

Epictetum & Arrianum homines a Deo creatos, inq; mundum, operum diuinorum spectatores introductos fateri. Cap. XX.

EAdem ex cæteris Philosophis assumi poterit probatio, si dictis eorum quis prudenter insiterit. Arrianus è Philosophis, aut Epictetus, confessus est ad bene, beatéq;

beatęq; uiuendum, homines à Deo creatos: ὁ θεὸς πάντας ἀνθρώπους ἐπὶ τὸ εὐδαιμονεῖν, ὠδὶ τὸ εὐστατεῖν ἐποίησε. πῶς δ' τὸ ἀφορμὴν ἔδοκε, τὰ μὲν ἴδια πᾶσιν ἑκάστῳ, τὰ δὲ ἀλλότρια. τὰ μὲν ἀκώλυτα, & ἀνάγκαστα, καὶ ἀφαιρετὰ οὐκ ἴδια. Quæ sunt, Deus omnes homines ad felicem, optimũq; statum creauit, ad hoc occasionẽ dedit: alia propria largitus unicuiq;, alia non propria. Sed quæ nõ sunt libera, coacta, et quæ auferri possent, nõ propria. In his quis est, qui non cernat, apertam mundi creati confessionẽ? quia generis humani prædicatur primordium, quum creator & sapiens, optimusq; ille Deus dicitur homines ad felicitatem, optimamq; conditionem creasse. Quæ quidem, si Mosen percuncteris, est, cum creauit eos ad imaginem, & similitudinem suam, dominatum super omnes animantes dedit. Dedit sapientiam, qua se contra malas cupiditates tuerentur, & in optima sese conditione, beatæq; uitæ actione continerent. Hæc omnia respiciunt primordium, non perennem dependentiam nec sine principio, si species altè, potest intelligi, ut Deus creauerit, ad felicitatem occasionem dederit. Semper enim fuit hæc occasio, si fuit mundus æternus. Qui si æternus fuit, nulla fuit ad felicitatẽ, et εὐστατεῖν, compositamq; uitam occasio, sed fuit potius ad infelicitatem, ad confusionem. Idem Epictetus, & Arrianus (pauca enim è multis) τὸν δὲ ἄνθρωπον, θεατὴν εἰσήγαγεν, αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ. καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν: Hominem uerò spectatorem sui, & operum suorum introduxit, nec spectatorem modo, uerum etiam interpretem. Quæso philosophi, quando spectator in mundum introductus est homo, si fuit æternus mundus? Nullum enim fuit unquam tempus, in quo non homines spectatores Dei affuissent. Introducuntur enim prius absentia: æterno mundo, humanum quoque genus æternum. Quomodo igitur introductus homo, quasi prius non adesset? Nec defendes unquam per introductionem sempiternam. Nam tametsi posset æterna creatio, æterna prouidentia dici, absurdè tamen diceretur inductio sempiterna, cum inductioni sit absentia necessaria. Repetit eadem Epictetus: πῶς δὲ γίνεται, ὡς διέταξεν αὐτὰ ὁ διατάσσων, διέταξε δὲ θεὸς εἶναι, & χειμῶνα, καὶ φορὰν, καὶ ἀφορίαν, καὶ ἀρετὴν, καὶ κακίαν, καὶ πάντες τὰς τοιαύτας ἐναντιότητας πρὸς συμφωνίας τῶν ὅλων. ὑμῶν δὲ ἑκάστῳ σῶμα καὶ μέρη τοῦ σώματος, καὶ κτῆσιν, καὶ κοινωνοὺς ἔδωκε. Quæ sunt, Quomodo fiunt hæc omnia? Quemadmodũ inquã moderator ea moderatus est. Ac statẽ iussit esse, hyemẽ succedere, statuit abundantiã & caritatẽ, terræ uirtutẽ dedit, dedit et uitiũ. omnes id genus contrarietates pro concordia rerũ. Vnicuiq; uerò nostrũ dedit corpus et membra corporis, possessionẽ et participes. Hæc Epictetus. quibus omnibus, rerũ dispositarum non æternus, sed inchoatus quidam continetur ordo, eruente Natura uoces has, è pectoribus hominum. Seneca quoque grauissimus Romanæ Philosophiæ scriptor, exordium mundi sæpe fatetur,

cum

cum nominat fundatorem eius, cum docet, qua ratione cuncta dispoſuerit. Deniq; ait in Epiſtolis: A primo mundi ortu, uſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis, ſordidisq; alterna dies.

Ex ſententijs Plutarchi de mundo, Principijſq; eius. Ea in quibus nonnulli peccauerunt, de materia prima, de anima maleficа. Reſponſionis contra calumnias Lucretij, quas contra prouidentiam, temeritatem, & caſum defendens effudit. Cap. XXI.

SVpereſt, ut quoſdam de mundo Philoſophorū non ferendos errores coarguam, Plutarchi ſcilicet & Lucretij. Nam quæ uel Ariſtoteles, uel Platonici quidā in diſputatione de mundo peccauerunt, ſuperius declarata ſunt. Quanquam protinus in ipſo ſermonis limine uera ſeſe offert reſponſio, quòd Plutarchus non ex ſua ſententia, ſed Platonis & aliorum quorundā loquitur. Lucretio uerò ſi leporem poëticum detraxeris, nihil ferè boni reliqueris. Quippe qui eam ſectam ſit profeſſus, cui certum eſſet, nihil quod à ſuperioribus ingenio præclaris philoſophis dictum eſſet, aſſerere: & quaſi ruſtica coacta manu, in Philoſophiæ campos lutulentis pedibus inuaſerunt: ſed celeriter reiecti, latrare tamen non deſiterunt. Videas homines loqui uelut furentes mirificas animorum phantaſias, monſtraq; terrifica quales quibus elleboro ſit opus: ut pariter cum illis deſipiat, qui ſeſe maleſanorum deliryjs opponat. Plutarchus igitur in eo quē de Satu animi in Timæo Platonis inſcripſit, in principio ſic ſcribit: κόσμον τόνδε φησιν ἡράκλειτος, οὔτε θεῶν τις, οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησε: Hunc mundum Heraclitum dicere, neq; Deorum quenquam, neq; hominum feciſſe. Quaſi, inquit, timeret, ne Deo excluſo, aliquem hominem ſuſpicaremur creaſſe mundum. Non ita ô Plutarche, ſed ſentiebat nec hominem ullum, nec Deum ex illis, quos colebant illa ſecula, Mineruam, Apollinem, Dianam, feciſſe mundum. Dein Plutarchus proponit aduerſus Chryſippum rationes de materia prima, in quam cuncta mala, quæ ſuſpicabantur in creatione remanſiſſe, ſolebant reijcere, eſſe materiam ἄπειρίαν, αἰσχρὰν, καὶ κακοποιὸν, αὔθις δὲ ἀνάγκην πολλάκις τῷ θεῷ δυσμαχοῦσαν, καὶ ἀφνιοῦσαν: Infinitam, turpem, maleficam, neceſsitatem quoq; Deo repugnantē, & rebellem. Hæc quidem Plutarchus optimè primum refellit, mihiq; mirificè probantur. Niſi Deus cuncta feciſſet, ſi neceſsitas in rebus ineſſet, non omnium dominus eſſet. Hoc impium & uſq; quaq; rationi diſſonum. Hic igitur laudo Plutarchum, ingenium plenis laudibus honoro. Cū uerò Platonem, uel Chaldæos, Zoroaſtremq; ſecutus, animam quamdam maleficam deſcribit, quæ teneret ante mundum Chaos, elementaq; in confuſione, turbans inordinatè, rebellis Deo, repugnansq; creandi, hic ego clamores continere non poſſum. Falleris ô Plutarche, & te quoque defendentem Platonem, contra Stoicos, & Epicureos, eadem incommoda ſequuntur. Argues bas Stoicos de neceſsitate, de repugnante materia: at idem & deterius flagitium, de anima malifica, ἀντιπάλῳ, aduerſante ſummo Deo. Quid eſt enim quod poſſit Deo ſupremo reſiſtere? Iam non erat ille motus animæ, ſi fuiſſet, ſed elementorum confuſorum, inanimatorum uelut ignis & aquæ: ſic quoq; non omnium Dominus,

minus, cui tu ſæpe ſubmittis omnia, ſceptrum rerum cunctarum dediſti, eſſet Deus. Qui quidē ſi eſſet, nullus ei in creatione obſiſtere potuiſſet, deuictus, & expugnatus, in cineres redactus ab illo. Quis æternæ inexhauſtæ bonitati Dei obſtare potuiſſet? Veritas igitur eſt, quòd ante mundum non fuit Chaos, ut ueriſimis ratiobus Ariſtoteles euincit. Neque fuit Chaos, neque Anima. Si Chaos fuit, ut ueritas eſt, ab antiquiſſimis ſeculis deſcendens, fuit initium rude mundi, non æternis ſeculis ante mundum, ſed ipſum mundi rude exordium, maſſa mundi, primum fundamentum, cui iacto poſitoq; reliquæ mundi fabrica ſuperextructa fuit, ab eodem architecto fundamenti atque totius ædificij. Nullum interuallum, nullum otium à fundamento ad ædificium. Turbatio quidem elementorum, quæ dicitur etiam à Moſe nomine Hebraico rachaph, unde Græcum addita ſyllaba τραχὺ, Tarachi, uerè fuit, ſed fuit non ab aduerſanti anima, ſed ipſo eodem Deo, turbante nempe, fabricante, moliente terribiliter, ex aquis & abyſſo cœleſtes orbes, elementaq; diſiungente. Iam Plutarchus peccat, quòd Platonis in Timæo Phædroq; animam, non uerè nec iuxta mentem præceptoris interpretatur. Anima cuius origo contextusq; deſcribitur in Timæo, non eſt omnis anima, ſed anima cœli. Eodem quoque libro deſcribitur origo particularium animarum. In Phædro quoque ſcribitur de anima humana: ſed in Timæo generatur, in Phædro ſempiterna declaratur. Quod à Plutarcho non eſt explicatum, ambagem hanc contradictionemq; refugiente. Veritas igitur eſt primum, quod Plato (quis enim non præferat hominibus ueritatem?) inconſtans fuit, quòd generatum & ortum in Timæo, ſempiternum in Phædro conſtituat. Deinde nuſquam eſt apud eum anima malifica rebellisq; Deo. Sceleratum Magorum dogma. Si Platoni Chaos Placuit, ſecutus eſt maiores. Non rectè. Delectus enim in dogmatis humanis haberi debet. Aut ſi rectè, ſenſit Chaos nulla comitatum anima, ſed rudem elementorum confuſamq; congeriem, turbatam non ab anima, ſed quia frigida pugnabant calidis. Ad poſtremum uerè defenditur Plutarchus, ueris auxilijs à dedecore redimitur. Non ex ubertate pectoris ſui ſanaque Philoſophia, qua florentiſſimum eius ingenium exuberauit, talia ſcripſiſſe, ſed ex Platone, Platonem autem ex maioribus nonnullis, quorum dogmata pluſquam lynceis oculis euoluenda, ſub eadem maſſa bonis & malis iacentibus.

Diſſoluuntur uanæ Lucretij contra mundi creationem, rerumq; ordinem, calumniæ. Coarguitur neceſſario ſenſiſſe prouidentiam rebus ineſſe, Omnia cauſa noſtri feciſſe Deum: quæ putaſſet Epicurus noxia, uel ſuperuacanea, ſummam prouidentiam habuiſſe. Cap. XXII.

LVcretio uerò propter ſermonis inſolentiam quis reſpondeat? Meras enim, uelut emota mente, crepat uanitates: ſed non poteſt ſic ueritas aboleri, quin illam mens humana nonnunquam profundat. Principio igitur nominat naturam:

Confringere ut arcta

Naturæ

Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.

Videtur item eam deteſtari religionem, quæ peperit ſcelerata & impia facta:

Quin contrà ſæpius olim

Relligio peperit ſceleroſa & impia facta.

Procedamus igitur per ſingula. Coëgit enim inuitum, uel incautum Natura fateri, quod omni eo libro fugiebat. Si natura eſt, ordo quoq; eſt. Quid enim eſt aliud Natura, quàm rerum naſcentium, creſcentium certus ordo, concentus, recta ratio? Si recta ratio & certus ordo rebus ineſt, qui Natura dicitur, ubi caſus, ubi temeritas, quam totis illis libris obnixè tuetur? Vbi temeritas atomorum? Vbi mundi conſtitutio ex concurſu temerè cadentium atomorum? Vbi lapſus & interitus eiuſdem, nullo præſide? Si uult ratione & natura diſcutiendos eſſe terrores, uult agi ratione cuncta, Quæ maior ratio, quàm Deum eſſe, resq; humanas eum ſcire & attendere? Quæ maior ratio, hominumq; conſenſus, quàm mundum conſilijs unius maximè ſapientiæ gubernari? Quæ natio tam efferа, id non confeſſa eſt? Quis animus non animaduertit? Quot argumentis confirmatur? rerum ipſarum teſtimonijs prædicatur? Vult autem ratione nos uti Lucretius, & eius auxilio terrores uanos, falſasq; opiniones diſcutere. Ipſa igitur hæc ratio, docet eſſe falſiſſima, quæ libris illis ſcripſit. Præterea quid ſibi uult quod proſequitur?

Quippe ubi non eſſent genitalia corpora certa,

Quî poſſet mater rebus conſiſtere certa?

At nunc ſeminibus quia certis quæq; creantur,

Inde enaſcitur, atq; oras in luminis exit

Materies ubi ineſt cuiusq; & corpora prima.

Atq; hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,

Quòd certis in rebus ineſt ſecreta facultas.

Audis ut ſeminũ certos ac præſcriptos ordines fateatur? Vt rerum formas inuariabiles, conſtantes, æternosq; reditus rerum naſcentium? Hæc conſtantia et certus ordo ſeminũ, quid eſt aliud, quàm conſilium Dei, quod Moſes explicuit datum, cum cuncta producerentur? Dixitq; Dominus, producat unumquodq; iuxta genus ſuũ, habens ſemen in ſemetipſo. Vides ordinem, ſecretamq; facultatẽ, quam Lucretius agnoſcit & fatetur fuiſſe imperiũ Dei. Secreta rerum et certa facultas arguit quandam ſapientiã inuentricem & præſidẽ. Certa quoq; genitalia corpora, quod Ariſtoteles et priſci plenis uocibus prædicauerunt, temeritatẽ tota Natura exulare cogunt. Proteſtantur artificis mirabilẽ, quæ dedit ordinibus, perennitatẽ, ſapientiam. Situs ille genitaliũ membrorum probat aliquem conſilio, ſolertiaq; potentem: Non caſu, fortuitoq; uenisſe tale, tantumq; artificiũ, quod perennem ſuppeditaret originem. Nam qua temeritate uenisſet, eadem breui concidiſſet. Cito enim cadunt, quæ temeritas inueniſſet. Per tot annos ordo naſcendi ductus eſt, idem ſemper et ſimilis ſui. Quòd igitur creãtur quæq; ſeminibus certis, arguitur ratio magna, mundi præ

ſes,

ſes, ingentium operum opifex, Naturæ rector, arguitur ſpiritus intus alens. Quòd uerò deteſtatur eam religionem, quæ peperit ſcelerata & impia facta: Ergo laudabilis & ſancta, quæ ſanguinem humanum fundi prohibuit, ſcelerata ſacrificia ſuſtulit, iter hominibus ad innocentiã aperuit: eos ſumma charitate, modò ſequantur, deuinxit cuncta flagitia ſummouit. Quòd ſi mala, nefariaq;

Tantum relligio potuit ſuadere malorum,

Certè quæ tot bona quotidie ſuadet, exoſculanda, ſummis laudibus efferenda. Vera generis humani magiſtra iudicanda. Hæc ad alia fatetur, ſuadet, mundum non temerè, ſed conſilijs æterni Dei fuiſſe creatum. Alias autem rationes, quas Epicurus, non contra creationem, ſed contrà quale retulit Moſes, inuexit, ſuperius diſcuſſas non repetam: quòd Deo nullum emolumentum gratia noſtra præſtare poteſt, ut cauſa noſtra mundum moliri uoluerit: Quòd tanto antè tempore quietum nihil illicere debuit, ut cuperet uitam mutare priorem. Fas enim eſſe, rebus nouis ſtudere eum, cui ueteres obſint: ſed cui nulla omni anteacto tempore ægritudo accidiſſet, cum pulchrè degeret æuum, non potuiſſe amore nouitatis accendi. Nobis quoq; non naſci nihil mali fuiſſe. Reſponſum enim ſuperius, Maiorem eſſe bonitatem, charitatemq; diuinam, quàm cuiuſuis hominum. Nec ſi homines remunerantur, qui beneficium dediſſet, eadem ratione Deum eos remunerari, à quibus beneficium accepiſſet: ſed cuius omnes uirtutes ſunt uirtutibus humanis in immenſum maiores: ſic benignitatem & clementiam tanto noſtra eſſe debere maiorem, quòd noſtra remuneratur à quibus acceptiſſet, illa gratificatur à quibus nihil accepiſſet. Improbatur etiã & criminibus inceßitur à mortalibus amicitia, quæ remunerationes expectat, mercatura dicitur, non amicitia. Contrà, ſummis laudibus tollitur uera charitas iudicatur, cum gratificatur amicus amico, nullius remunerationis cauſa, ſed ſola bonitate ſua. Deo quoq; ſimillimi iudicantur, qui beneficiũ inimico contuliſſent, qui pepercisſent. Vera igitur bonitas Dei fuit beneficium dare creandi mundi, à quibus nihil accepiſſet. Sic enim magnitudo bonitatis ſuæ cognita fuit. Quòd autem Deum creando mundo, uitam mutaſſe priorem, et quaſi tædio prioris ætatis accuſas ad creationẽ uenisſe, magna cæcitas, inexpiabilis error. Si Deus cauſa noſtri, non ſua, creauit, cur putas cum uitam mutaſſe priorem? Mutaſſet, ſi propter ſe mundum feciſſet, ſi quaſi malè prius habitans mutare ſedes, reficere domum ſtatuiſſet. Hoc ſtulti dicant: ſapientes autem, Deo ſemper ubertate felicitatis ſuæ circunfuſo, nunquam ſempiterna gaudia ſua defuiſſe. Quibus cum bonitas quoq; par adeſſet, alios eius afficere participes uoluiſſe: Id autem in Aeternitate fieri non potuiſſe. Solus enim ipſe potuit æternus & lætus eſſe lætitia ſempiterna. Homines igitur & Deos feciſſe, terras hominibus, Dijs cœlum, utriſque cœlum & terras, ut maieſtatem ſuam noſcerent, colerent, pariterq; ſecum beati eſſent. Quod in tempore duntaxat, in Aeternitate minimè fieri potuiſſet. Solius enim eius æternum æuum. Sed his facilè reſolutis, quæ mouere forſan aliquem poſſent,

quæ posuit Epicureus idem probaturus temerè, & fortuitò, non à Deo creatum mundum, quòd tantis culpis subiectus sit, quod magna ubique temeritas & inordinatio, & confusio, refellantur.

Principio quantum cœli tegit impetus ingens,
Inde auidam partem montes, syluæq; ferarum
Possedere, tenent rupes, uastæq; paludes,
Et mare quod latè terrarum distinet oras.

Hæc Lucretius. Ad hæc, quòd duæ maximæ mundi partes, aliæ feruoribus, aliæ gelu assiduo mortalibus sint ablatæ: quicquid autem arui restet, ruinis humanæ sistat, breui sentibus obducatur. Et cum iam latè uirere, florereq; fruges cœpissent, partim nimijs feruoribus. Solis, partim hymbribus gelidisq; pruinis auferri: Vexari uiolentis flatibus uentorum. Adhæc cur feras horriferas, hominibus infestas alant mare & terræ. Cur anni tempora morbos apportent. Quare mors immatura uagatur. Cur infans humi proiectus, contrà quàm bruta, indigus opis, implet locum uagitu. Nec pecudibus quemadmodum nobis, opus est mœnibus altis, quibus se tuentur. Quibus omnibus Epicureus nitebatur probare, mundum non Dei consilijs, sed temeritate & casu emersisse, cuncta Fortuna gubernante. Ad quæ è uerissimis Naturæ thesauris rationes depromptas, poterit, qui uoluerit, obijcere. Principio ut in omni causa, atque opere, qui bonis silentio præteritis, mala et accusationi obnoxia persequeretur, improbus haberetur: sic improbus habendus, qui tam mirabilibus rebus, quibus conficitur ornatus mundi, tacitis, ea tantum insectetur, quæ calumniandi locum præbere possent. Verè enim dixit grauis orator, sed est iniqua in omni re accusanda, prætermissis bonis, malorum enumeratio, uitiorumq; selectio. Innumerabilia sunt in mundo, quæ non admirari modò sapientes, sed obstupescere coëgerunt. Nec satiare sese considerando illi potuerunt. Improbantur, stultiq; dicuntur, qui uel ignem, uel aquam, uel ferrum conuitijs insectentur, quòd aliquas clades ab his importatas audiamus. Deniq; nulla res, cunctorum iudicio, utilis, necessaria que iudicata, quæ non ob aliqua aduncta incommoda uituperari possit. Considerandæ sunt igitur longè plura ac meliora, quàm paucissima, ac minima mala. Quemadmodum qui eloquentia quàm diuina uirtus sit, uult noscere, non urbes euersas malorum loquacitate, sed innumera bona bonorum eloquentia parta consideret. Vt igitur dem, in tanto bonorum numero, quædam mala interuenisse, non protinus assequeris ut calumniari mundū, mentemque magnam, qua gubernatur, tollere possis. Sed præter hoc respōsum, mihi non modò calumniæ patere non uidentur, quæ Lucretius obiecit, ut non minus in his ipsis prouidentia uigilasse, ingeniumq; suum exercuisse uideatur, quàm his, quæ claram prouidentiam protestantur. Montes, syluæ, uastæq; paludes, & mare latissimum Lucretio uisæ sunt, quæ prohibeant ne fateamur mundum diuinitus creatum. Audiat igitur principiò. Montes nihil habent in terris, quod non maximorum commodorum, incredibilisq; ue-

lis'que uenuſtatis cauſa factum uideatur: ut ſi montes in terris non adeſſent, multa mala cum dedecore conſecutura fuiſſe uideantur. Cernentur autem mala montibus abſentibus, ſi commoda uenuſtasq; his præſentibus conſiderentur. Iam primum coërcetur montibus rupibusq; celſis mare, ne proſiliat in terras: in eos duriſſimos, et inexpugnabiles carceres illidit fluctus inſanos. Hic rabies efferata quieſcit. In montibus cœlum ſaluberrimum, defecatus aër, corporibus firmandis aptus. Et cum graue cœlum infeſtat æſtate habitantes in plano, qui tenent montes, locorum celſitudine, cœliq; bonitate à morbis defenduntur. Hic amœniſſimi receſſus, hic ſaltus opaci, uirides ſyluæ, ad uoluptatem, uitam'que quietiorem iucundiſſimæ. Secedit in montes innumerabilis hominum multitudo, receſſus illos ſacros, ſyluas'que uiridantes et propria cœlo loca adamantes. In campis nulla grata oculis uarietas, eadem ſemper terrarum facies. Montes autem mirabili uarietate diſtinguuntur. Hic ualles umbroſæ. Hic latè proſpectus oculorum. Nunc tumulus ſurgit, nunc caua uallis hiat. Nunc pendet rupis, nunc occurrit nemus umbriferum. Nihil in montibus ociatur. Nam ſyluæ tum gratiſſimæ ſunt, tum præbent nobis omne genus materiam ad humanos uſus maximè neceſſariam. Tum feras, animalia'que manſueta nutriunt, quæ cauſa hominum eſſe facta, declarat, quòd his ſoli homines utuntur. Qui feras item perſequentes, tum earum uenatu uictitant, tum exercentur: firmant uires corporum: Incredibilis eſt lætitia perſequendis eis. Ad poſtremum, magna montium neceſſitas. Sine his nec hominum uita ſuſtineri, nec ulla in terris uenuſtas inueniri poſſet. Quis eſt enim, qui neſciat, ſi non eſſent fontes & flumina, maximis incommodis humanam uitam fuiſſe uexandam, imò uerò defecturam breui? Montes igitur gignunt nobis fontes & flumina. In cauernis montium cogitur frigidus aër: hic deſtillat, defluitq; in fontes. Fontes aggregati flumina conficiunt. Hæc ad urbes in plano ſitas deſcendentia, deferunt ſecum quæ nullius ore numerari poſſunt bona. E montibus Aethiopiæ oritur, labiturq; per uarias terras Nilus. Heluetiorũ montes quatuor inclyta flumina mittunt in uarias terras, Danubium in mare Euxinum, Padum in Italiam, Rhenum per Germaniam in mare Oceanum, Rhodanum in Galliam. Sic è monte Tauro, Tigris et Euphrates. Deniq; cuncti fontes, è cauernis illis, latiſſimisq; ſpecubus oriuntur. Quid eſſet autem humana uita ſine fontibus, & fluminibus? Qui igitur accuſauit montes, eosq; temerè terras occupaſſe putauit, nec eorum uidit commoda & neceſſitatem, diuinamq; creandis eis prouidentiam non perſpexit, is ſine dubio dementiſſimus fuit. Quorum accuſatione expiata, purgata eſt etiam culpa ſyluarum, quæ tametſi tenentur à feris, tamen feræ ipſæ, ad utilitatem, uoluptatemq; noſtram deſeruiunt: ut, ſi non feciſſet Deus, facienda fuerint ab hominibus earum luſtra: tum maiores capiunt homines è ſyluis fructus quàm feræ, ut propter homines facta, nõ propter feras apertè naſcantur. Venio ad paludes & lacus, & mare, quorum non minor neceſſitas & uſus, quàm montiũ, ac ſyluarũ. Hinc primũ aggredior. Quanto melior Lucretio et poëta et Philoſophus fuit?

qui colluſtrans oculis opera mundana, inq; his lacus & paludes contemplans, ea non temeritatis, ſed ſummæ prouidentiæ, diuinæq; bonitatis munera iudicauit, & inter præcipuas Italiæ laudes aſcripſit:

An mare quod ſuprà, memorem, quodq; alluit infrà?
An ne lacus tantos, cælari? maximè teq;
Fluctibus & fremitu aſſurgens Benace marino?

Laudauit igitur mare, lacus, ad pulchritudinem Italiæ data, non ad infamiam prouidentiæ putauit. Marcus igitur Tullius omnibus laudibus Lucretio ſuperior, quã tus eſt in explicanda diuina prouidentia? quæ perſpicitur in his, quæ mari, lacubus & paludibus naſcuntur. Duos igitur uni Romanos oppono, quanquã nulla ratione cõferendos, Lucretio, ſiue patrij ſermonis elegantiam, ſiue mentis diuinitatẽ cõpares. Lacus igitur in terris etſi prohibent habitationes humanas, nõ tamen tollunt commoda, decorem, neceſsitatẽ. Neq; enim erant omnia caſis, domibus, palatijs replenda. Pars terrarũ ad urbiũ ædificia, pars ad agros, unde uictitarent homines, parabatur. Vt hominibus replere terras uenuſtiſsimũ fuit, ſic replere piſcibus maria, lacus, paludes. Non decoris tantũ, quòd diuerſi generis animalia nata ſunt, terreſtria & aquatica, uerũ etiam & is, quòd cibus ex omni loco datus hominibus fuit, perſpectus eſt. Ad poſtremum doceo, ſummo conſilio, magna neceſsitate, mare factũ eſſe latiſsmũ, ipſiſq; terris longè magnitudine, uaſtitateq; amplius. Nec ſecus fieri potuiſſe, nec debuiſſe. Omniũ rerũ quibus animantium uita ſuſtinetur, nemo eſt qui neſciat, aërem maximè neceſſariũ. Eo uiuunt, ſpirantq; animantes, eodẽ olfaciunt, eodem uident. Nubes itẽ & uapores, atq; hymbres, ad ubertatem, fœcunditatemq; terrarum neceſſarios eſſe quis neſciat? Hoc igitur tam ſalutare, & omnibus terris uniuerſale beneficium, qui rectè conſideret, nobis mare miniſtrat. Nunquã citra mare contigiſſet. Tantundem eſt ad id in terris mare neceſſarium, quàm Sol ſupernus. Sol igitur ſuper immenſas aquas, quæ per uniuerſum terrarũ orbem circunquaq; diffuſæ ſunt, flammas euomens, easq; irrequietis ignibus excoquens, & reſoluens, elicit reparatq; aërẽ, quo tota inter cœlum ac terras regio repleta, ſuggerit animantibus ſpiracula, recreat hauſtus, frigiditate ſua, cordis æſtuãtes calores. Is, ut dixi, reficitur, reparatur, renouaturq; ſemper extractus è mari, rapidi potentia Solis. Qui quanquam elicitur etiam è terris, at is perexiguus eſt, ut niſi magnitudo maris, aquarumq; numerus tantus adeſſet, nulla ratione tantus aër fuerit reparandus, exhauriendusq; quantus ad omnem mundũ ſatis eſſet. E mari quoque trahitur alia euaporatio, quæ coacta, denſataq; in nubes, preſſaq; ut ſpongia, protinus hymbrem ingentẽ demittit in terras. Is gremio telluris exceptus, magnus alit, magno permiſtus corpore fœtus. Niſi igitur tantus, quantus eſt numerus aquarum, fuiſſet creatus, niſi ſeſe per omnes terras mare diffudiſſet, nec aër reparari potuiſſet, nec nubes è mari ſublatæ, terras hymbribus fœcundaſſent. Vtilius igitur fuit animalibus, & ad eorum uitam magis neceſſarium, ut fieret latiſsimus aquarũ

cumulus

cumulus, quàm ut ubi nunc mare decũbit, eſſet habitabilis terra: quæ nec ipſa, nec alia pars terrarum, quæ nunc habitatur, teneri ab hominibus propter ſterilitatem potuiſſent: ipſiq; animantes nec nati fuiſſent, et ſi nati, reſpirare poſtea non potuiſſent. Hanc calamitatem, quia contra naturam arma ſuſceperat, & in eam ſcripturus uenerat, uidere Lucretius non potuit: cui uiſum eſt, caruiſſe conſilio et prouidentia, quòd mare tantum terrarum occuparit. Mitto enim nunc alia, nullius ore enumeranda commoda, quæ percipiuntur è mari: mitto nauigationes, piſcesq; omnigenos, quibus maxima pars humanæ uitæ ſuſtinetur. Venio ad perpurgandas alias accuſationes, quòd aliæ terræ propter feruores, aliæ gelu aſſiduo ſint mortalibus ablatæ. Eadem atq; ſuperius, Naturæ calumniandæ dira cupido. Principio deprehenſum eſt, nullas eſſe terras uel ob frigora, uel calores, nõ habitabiles. Deprehenſum eſt, eos falli, qui uel Zonam torridã, uel duas frigidas inhabitabiles exiſtimaſſent. Inuentumq; eſt, nec tam ſæua frigora, nec tantos eſſe feruores in mundo, qui prohibeant, quo minus omnis terra colatur, quiſq; locus hominum cultu teneatur. Omnis enim regio, quæ Solis rectis radijs ſubiacet, à Tropico Cancri, ad Capricorni, innumerabiles ſuſtinet habitatores. Mitius quidem cœlum noſtrũ, ac temperatius, at & illis ſunt ſua bona, quæ nos in terris produci noſtris cuperemus. Illiq; ad æſtus aſſueti tam iucundè ac beatè uiuunt in ſua, q̃ nos in noſtra regione. Cunctis Natura propriũ quid gratificata eſt. Si quid aduerſi dedit, remedia quoq;, quibus incommoda locorum leuarent, non denegauit. Eas quoq; Zonas, quæ polis rectè ſubiacent, ubi neceſſariò ſunt dies ac noctes temporibus uarijs bimeſtres ac trimeſtres, uidi qui ferrent non modò facilè ab hominibus habitari, ſed uſq; eò cœlum illud temperatũ eſſe, ut binas ac ternas fruges ſingulis annis legant. Cui ratio quoque aſtipulatur. Quo tempore Sol aſſiduus ſuper terris immoratur, fruges maturari, produci de terra cuncta bona. Denſiores autem tenebræ, menſem duntaxat ingraueſcunt. Hæc uidi qui uidiſſent, fideliſſimeq; referrent. Non illic mare glaciale eſt. Tum ſi glaciale, habitabile quidem, & ueſtigia patiens: ſuper aſtricta glacie cæſas figunt, dum gelu durata ſolidæ terræ modum præbet. illic negociantur. Vbi reſolutio propinquat, tollunt urbem, redeunt in terras. Vbiq; igitur fuit diuinitus conſultum. Cur porrò tacuit Lucretius, qui quæritur æſtus & frigora, quæ ſolis facit acceſſus, ac diſceſſus, diuinum, quo Sol it, reditq; ſingulis annis, ordinem nunc hyemes, nunc æſtates efficiens? Quo quid diuinius? Dum nobis hyems neceſſaria, frigoraq; grauidant terram, & in uiſcera naturalẽ calorem reijciunt, hymbresq; omnia fœcundant, interea dat illis Sol acceſſu feruores, quibus maturatas fruges ad horrea portant. Quòd autem queritur accuſatq; Naturam Lucretius, quodcunq; reſtet agri boni, ni uis humana reſiſtat, ſentibus obduci, partimq; feruoribus, partim caſibus alijs auferri: primùm monebo eum, ſi uoluerit, aut potuerit ſuſpicere, quod longè meliores Philoſophi docuerunt, exemplorumq; abundè eſt, cum felicitas, rerumq; ſecundarum ſucceſſus et copia mortales reddat inſolentes ac peiores,

cum ſint deteriores, quo ditiores, cum corrumpunt animos & corpora haud citra diuinum conſilium euenisse ut uictus ſudore conſtaret, ut excuſſa corporibus atq; animo torpedine, & fortiores fierent homines, & alacriores, addo etiam meliores. Nemo enim eſt qui neſciat, laborando non modò corpora, uerumetiam animos effici meliores, quòd ocium tam corporibus tabē ingenerat, quàm animis rubiginem. Cernere eſt equos longè deteriores, quos ociū & ſagina corrupiſſet. Certiſſimum igitur ſit, niſi uictu quærendo labores hominibus dati fuiſſent, multa mala conſecutura fuiſſe. Nec ulla deſignari poterit honeſta cauſa, cur Deus auferre labores hominibus debuiſſet, quibus ablatis remanēt ocioſi, uentri, libidinibusq; fœdis, quales hodie, quibus res affatim ſuppetunt, ſeruientes. Tales eſſent omnes in ocio & ignauia, quales Campani, quos agri bonitatem grauis orator dicit ſuperbos & crudeles reddidiſſe. Itaque maximè fallitur Lucretius, quod optimum fuit, hominibus que utiliſſimum diuinæq; ſapientiæ teſtimonium, ſuſpicatus fuiſſe temeritatis. Similis eſt reſponſio, de pruinis & hymbribus. Neque enim ſiquando calamitas ab igne contigit, ut domus incenderetur, infans in ignem lapſus arderet, protinus accuſabimus ignem, & temerè non ad utilitatem ex ſumma prouidentia datum arbitrabimur: Sic cum ſint hymbres optimi, neceſſarij, ſine quibus uniuerſa terra ſqualuiſſet, qualis ea regio, ubi mare ſabuloſum eſt: ſiquando cadant uberius, non eſt protinus temeritati tantum, tanquam diuinum munus tribuendum. Sunt autem regiones, quibus pruinæ rosq; cœleſtis, quibus cadit copioſiſſimus, eſt pro pluuia. Eadem de uentis dicenda. Nemo poteſt enumerare commoda, quæ uenti largiuntur. Hi differunt nubes, & grauidas hymbre per omnes terras diffundunt. Per omne mare curſus dirigunt: magnos afferunt hominibus uſus, ut ex omni regione uectigalia, merces, unum in locum comportent: efficiunt ut mores, habitus que peregrinos, quæ ſemper fuiſſent incognita, noſcamus. Sed hæc quidem oblectationis, illa neceſſitatis, quòd ab his uapores è mari Solis ardoribus educti congregantur in nubes & conſtipantur. Ab eisdem uelut manu ſpongiæ nubila compreſſa in pluuias laxantur: quod ſine uentis nulla ratione fieri potuiſſet. Venti præterea purgant aëra, tetros odores, malasq; exhalationes ex omni mundo ſurgentes amoliuntur. Iidem ſerenitatem, iidem nubila, uelut aëris moderatores ac domini, apportant. Sine uentis non minus homines uiuere, quàm ſine Sole non potuiſſent. Nunquam enim his abſentibus pluiſſet. Nunquam ſerenitas cœleſtis affulſiſſet. Vbique caliginoſus aër inhorruiſſet. Numerare igitur uentorum commoda Lucretius, non incommoda deberat. Sic commoda, quæ nimij feruores apportant, quos uehementes fieri ad torrendas fruges conueniebat. Neque uerò bonus apud mortales haberetur, qui ciuiſquam leuioribus uitijs notatis, maximas, inſignioresq; uirtutes omitteret. Si quid igitur nimij feruores frugibus natis nocuerunt, at reſpice ut ab eisdem è terræ uiſceribus promuntur, aluntur ad incrementum et maturitatem, denique maturata calo

ribus, domum ab hominibus deportantur. Sine feruoribus nec naſci, nec creſcere, nec ma/

nec maturari potuiſſent. Ac uerè dixit ille, longa eſt oratio, multæq; rationes, quibus doceri poſſit, omnia quæ terra concipiat ſemina, quæq; ipſa ex ſe generata ſtirpibus infixa contineat, ea, temperatione caloris, & oriri, & augeſcere. Solus autem Deus undequaque bonus ac beatus. Noſtra, bona quidem, ſed quoniam à Deo longè diſſita nõ eadem perfecta, ſyncera, inuiolata bonitate, ut ſemper proſint, nunquam noceant. Quemadmodum nihil eſt luce melius, ac deлectabilius: at Sol ſæpe corpora hominum inflammauit. Quod autem de feris horriferis, quæ nobis infeſtas alant maria & terræ, obiecit Lucretius, ſimilis reſponſio. Pauciſſimæ enim ſunt feræ hominibus infeſtæ, at innumerabiles ad omnes uſus aptæ. Ex eisdem quoque remedia, uel ad earum, uel aliarũ ferarum nocumenta ſumuntur. In omni igitur Europa, ſiue Italiam, ſiue Germaniam, & Galliam aut Hiſpaniam peragraueris, has hominibus infeſtas, niſi fuerint priores irritatatæ, feras pauciſſimas enumerabis. Nam regiones calidiores, neceſſariò multa monſtra, propter feruores, aluerunt: ſed & ea prodigioſa, magnæ uoluptatis cum uiſuntur, magna Naturæ potentis indicia, non unam aut alteram faciem, ſed longè uarias ac diſſimiles nobis offerentis, & quaſi ludentis. Quid Elephantis, Rhinocerotibus mirabilius? Quis Cetum conſpicatus, non obſtupuit, miratusq; uocem & mentem ad artificem ſuſtulit? Quod Naturam accuſans, caſum temeritatemq; defendis, quòd lupos, uoraces que beſtias crearit, cur non laudas & admiraris, quòd boues et equos, ad humanam uitam neceſſarios, quòd tot ferarum genera ad cibos, omnesq; alios uſus eduxit? Cur oculis iniquis munera eius, tam que mirabiles diuitias cernis, nec te uel odium, uel hebetudo laudare ſinunt, quæ meliores non modò laudarunt, ſed etiam obſtupuerunt? Factæ ſunt igitur quot fieri formæ potuiſſent. Mirabilius eſt, & ad diuinam prouidentiam illuſtrius, tot tantas que animalium formas apparuiſſe, tam uarij generis arma, quibus ſe tuerentur, accepiſſe, quàm queſtu dignum, quòd his arma dediſſet. Quæ neque data ſunt, ut hominibus nocerent: ſed ſicut non fuit datum ferrum ad exitium ſed ad uſum, ſic ut his illa ſe tuerentur. Vt igitur cornua tauris, apibus aculeos, ceruis uelocitatem, equis calces dederit, ſi uenena ſerpentibus, morſus feris tetrioribus: quibus ut dixi, non nocerent, ſed ſe defenderent. Hoc fuit naturæ mirabile conſilium. Quòd autem morbos, mortem que immaturam deplorat Lucretius, hinc que prouidentiam, quæ rebus humanis conſuluiſſet, tollere feſtinat, in medium q; protrahit infantes, humi proiectos & flentes, et opis indigos, una eademq; reſponſio. Nam quæ morbos apportant, parte alia ſunt optima, ſalutaria, uitalia. Sol magnis feruoribus febres accendit: at eodem tempore fruges torret: fructus maturefacere cogit: efficit ut uuæ dulceſcant, lectæq; et preſſæ dulcia uina profundant. Hisq; intelligimus, non idcirco totius orbis dominum, nobis lampada Solis inflammaſſe, quò corpora morbis confligerentur, ſed quò frumenta, fruges q; omnes maturatæ carperentur, & uuarum liquores, acerbitate mitigata, ſuaues effecti, non multo pòſt ab hominibus biberentur. Quod ſi eodem tempore febres inflammant,

tum id perr .m (ſt, tum nulla ratione cum bono & utilitate, quam ſeruor ille lar/
gitur, conferendum. Sed noſtræ prudentiæ extiterit, quemadmodum ignem ne læ/
dat, declinamus, duntaxat autem ad utilitatem, quæ tam uaria, mirabilis q; eſt,
utimur: ſic domibus, & tectorijs, quorum faciendorum Deus idem ingenium de/
dit, ſeruores Solis declinantes, eos ſinere flammas iactare per arua, et maturanda/
rum frugum munus abſoluere. Quoties agricolas ipſe uidi, ſummis uotis æſtus in/
gentes efflagitantes, quibus excutiendis frugibus incredibiliter iuuantur. Vidi nau
tas mare, quod nauigantes, tam uaria bona domum aduertunt, dicere mare bene/
dictum, mare diuinum, ac ſanctum: Sic ſeruores Solis agricolæ ſciunt ac fatentur
ſanctos, diuinos q;, propter incredibiles uſus. Mors igitur immatura non fuit Na/
turæ conſilium, quæ cuncta mirabilibus modis ad omnium conſeruationem ſtu/
duiſſet. Raro hæc culpa eius, ſed noſtra, qui cupiditatibus effrænatis ſeruientes, exi
tium nobis acceleramus, & aut inimicitijs, ferro q; ante diem cadimus, aut morbis,
quos uoluptates ac libidines attuliſſent, conflictamur. In unuerſum reperies, uiros
meliores ac modeſtiores diutius uixiſſe, Natura longos eis uitæ curſus aperiente.
Sunt aliæ cauſæ, quas Lucretius uidere non potuit: eas ego contentus his quæ ſunt
in oculis, ſenſu q; pateſcunt, ſciens & prudens relinquo. Nam cur infans, contrà
quam aliæ animantes, omnem locum uagitu compleat, proiectus humi, Philoſophi
ueriſſimas, optimas q; cauſas, quibus aſſignatis, omnis ſuſpicio conticeſcat, addu/
cent. Primum docentes, uagitus infantium, non magis humani generis infelicita/
tem, quàm nobilitatem ſupra cæteros oſtendere. Nam cum reliquas animantes Na
tura uillis et cortice, pelle q; ſepiuiſſet, quo frigora depellerent, animal nobiliſſimũ
leuiſſima cute, quo minimum ponderis Spiritus haberet ex carne, circundediſſe:
Infantes ex calidis matrum uiſceribus egreſſos, frigus externum ſentientes, natura
liter uagire, quos durities cutis, uillis q; obtecta, non defendat. Craſſa igitur anima/
lia, uillis & pellibus armauit: nobile, factum q; magis ad creationem, & cogitan/
dum, quàm ad corporea, tenuiſſima cute contenta eſt protexiſſe? Cui ratio, non cor
nua, uel aculei, aut plumæ, & roſtrum ad præſidium dabantur. Quòd ſi leones
aut equi, propter cutis tenuitatem, dolorem quemadmodum infantes acciperent,
haud dubiè, dolentes aliquam uocem, quemadmodum cum uerberantur canes &
feles, emitterent. Ecce igitur uagitus infantium, non calamitatem, miſeriam q; te/
ſtantur, ſed corporis delicati contextũ, immortalis ſpiritus artificioſam, ac leuem,
minimum q; ponderis habentem ſedem. Simuli modo cœleſte ſacramentum doce/
bunt Philoſophi fuiſſe, quòd opis indigus infans naſceretur: ut animal ſociabile,
uinculum charitatis ex alterius auxilio retineret: parentes qui non modò genuiſ/
ſent, ſed etiam aluiſſent, diligeret & coleret, & beneficiũ quod ab eis infans acce
piſſet, ſenibus redderet. Hoc diuiniſſimum, hoc facit ut contrà quàm bruti, & ra/
tione carentes animãtes, parentes diligamus, et colamus, ueneremur, pro eis in fer
rum, flammas q; ruamus. Genuerunt, difficilimam educationem præbuerunt. Quo

tempore,

tempore, ipſi quoque parentes optimum beneficumq; Deum, natis educandis, imitantur. Fitq; amoris maxima coniunctio. Animantes rationis expertes, niſi ſubitò nati in pedes ſtetiſſent, educationis indigentes, quòd rationis expertes eſſent, è uestigio periiſſent. Charitas igitur ratioq; parentum, plus eſt ad educandum, quàm brutis naſci non opis indigna. Eadem quoque de mœnibus altis, quibus nos defendimus, pecudes defendi non indigent, dicenda. Multo enim melius fuit mœnibus altis indiguiſſe, quæ cum uellent homines, ædificarent, quàm non indiguiſſe. Hæc enim ædificiorum egeſtas arguebat animal nobiliſſimum, quod ad habitandum parare ſibi domicilium, tueriq; ſe ab iniurijs externis deberet & poſſet. Pecudes autem ſi mœnibus indigentes inſuper ingenio condendorum caruiſſent, ſine dubio non uixiſſent. Homines ergo mœnibus altis indiguerunt: ſed huic egeſtati ratio pulcherrimum remedium, quæ ſolis hominibus dabatur, erat adhibitura. Ad hæc poſſent homines ut tempore priſco, pecudes imitati, ſine mœnibus habitare, ſed melior, nobiliorq; eſt habitatio ſub tectis, præclarasq; urbes apparuiſſe. Quapropter hæc egeſtas peperit hanc toto orbe pulchritudinem, quòd urbes aſpeximus hominum ſolertia conſtructas. Quis neſciat, ſi poſſent pecudes, quemadmodum homines, urbes ſtatuere, potius in his ipſis, quàm teterrimis, horridisq; ſpeluncis, aut caulis habitaturas? Quocirca quod optimum, & humanæ nobilitatis teſtimonium fuit, id Lucretius, qui neſcio qua beneuolentia pecudibus homines ſimiles uolebat, dedecus infamiamq; prouidentiæ, temeritatis argumentum putauit, eadem cæcitate magis temeritatem, quàm prouidentiam defendens, qua ſimiles brutis homines habitationes non habuiſſe queſtus eſt.

FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER OCTAVVS.

De Angelis, & ea natura, quæ inter Deum ſupremum, atque homines intercedit, & quod de his etiam priſci Philoſophi ſunt locuti: Et de ueris Dijs, fabuloſis excluſis. Cap. I.

NVNC de dijs, & omni ea gente, quæ maior homine, minor principe, ac ſummo Deo, media inter nos, & illum creditur, de qua uarius ſermo priſcis & iunioribus Philoſophis habitus, agendum, hinc inde mendacijs, & fabulis à ueritate ſegregatis: & quod nominibus confuſum, confuſas quoque res exhibet, moraturq; mentem ab aſpectu ueritatis, ſeiungendum, et in ſeparata genera partiendum: ut quæ

bona, & uera ſunt, iucundè ſuſcipiantur, in ſuos ſitus, & ſacrum domicilium re/uocata ueritate notam ſemper hominibus, & cœlesti beneficio ſemper in terris radiantem, luculentiſſimam autem magni Dei in terras aduentu, ob quæ uenerari Theologiam ueram neceſſe ſit. Ac iuniores Platonici omnia firmè Deorum ge/nera, quæ noſtris in literis uidiſſent, furtimq; uſurpaſſent, celebrauerunt: apud ſuperiores, uetuſtioresq; Philoſophos uaria ratio, nunc qui moueant lumina cœleſtia Deos, nunc alia quædam numina uaga, nulli corpori alligata, cœlum, & terras inambulantia, celebrantes. Sed quoniam ad unum ueritatis filum cuncta reuocanda ſunt, reiectis his, quæ minus rectè ſenſerunt, eorumq; teſtimonio declaratis, reſtabit nuda, exutaq; mendacijs ueritas ſola. Omnes quidem propè uetuſtiſſimæ gentes, cum iam ueritas, priorumq; ſeculorum bonitas obſoleſceret, poſt primum, ac ſupremum Deum, ſtellas deinde ut Deos coluerunt. Veriſimumq; eſt quod ſuſpicatur in Cratylo Plato: Videntur mihi, ait, priores homines Græciæ, hos ſolos Deos putaſſe, quos nunc plerique Barbarorum, Solem, Lunam, terram, & aſtra, cœlumq;. Quæ concita perenni curſu intuentes, ab hac currendi natura Theos eos uocarint. Deinde, inquit, deprehendentes alios, iam omnes ipſo iſto nomine nuncuparunt. Eadem in libris primæ Philoſophiæ affirmat Ariſtoteles, Veteres primas ſubſtantias Deos putaſſe. Verùm quod arbitratur, corpora ſolum, Intelligentiasq; cœleſtes, Deos dixiſſe, non eſt uerum omnino. Docebo enim tam ex Chaldæorum, quàm Aegyptiorum, Hebræorum, denique ueterum Græcorum Theologia, non Deos iſtos modò, id eſt cœleſtes Intelligentias, priſcos, ſed alia quoque Deorum genera putaſſe. Alterum quod peccat idem Philoſophus, nec rectè ſententias antiquorum interpretatur, eſt in ſecundo de Cœlo, Antiquos ſuperiorem locum Dijs attribuiſſe, uelùti ſolum immortalem: Inde confieri, ut nec genitus unquam. Nam omnis uetuſtas, & cuiuſuis gentis Philoſophia credidit, conſeſſaq; eſt cœlum quandam diuinum & incorruptibile, at creatum, cuius uel ipſe Ariſtoteles arguit Platonem. Duoq; malè de priſcis interpretatur, quòd primas ſubſtantias, & Deos, ſola ſidera, Intelligentiasq; cœleſtes crediderint, quòd tribuerint eis cœlum uti ſempiternum. Quorum falſitas colligi poterit, tot ſuperius prolatis teſtimonijs. Vt igitur omnia ſegregata, ſepoſitaq; melius inſpiciantur, dicendum eſt, tria fuiſſe, & eſſe in Philoſophia, ueteriq; Theologia genera Deorum. Ac ſicut ſeparauimus Dæmonas fabuloſos à ueris, ſic ueris Deis & fabuloſis & poëticis ſegregatis, Primum genus dicendum, Solis, Lunæ, ſtellarum: Secundum eorum Deorum, qui à motu cœli abſoluti, per terras uagari, è cœlo terras petere, in cœlo beatè uiuere, res humanas gubernare, dixerunt: Tertium eſt genus eorum, quos ex hominibus in Deorum concilio collocarunt poëtæ. Ex his generibus, ſolum medium, ſi quis altè ſpectet, & non Naturam modò, ſed omnem ueterum, maiorumq; Theologiam conſulat, inueniet ueros Deos, primum, et tertium fictitium, & fabuloſum: ſed poſtremum à poëtis: primum ab his, quibus apud Barbaros, uiſum

ſunt

ſum eſt cœlum habere Diuinitatem, fictum. Vt quo errore terram, quod Plato peribuit in Cratylo, aſſeruit in Timæo, oceanum et flumina, omnemq; mundum deificarunt, eodem tribuerint & cœlo Diuinitatem. Vtq; fictiuia fuit Diuinitas Herculis, Martis, Palladis, totq; poëticorum Deorum, ſi modò homines eos conſtet fuiſſe: ſic Diuinitas cœli fuit ex errore poſt antiquam, ac ſacroſanctam Religionem, uniuerſalemq; Dei cultum extinctum, aſcita. Nam uetuſtiſſima Hebræorum Philoſophia, longè & Chaldæorum, & Aegyptiorum Theologia ſuperior, nunquam dedit cœlo, ſicut nec cæteris rebus Diuinitatem. Quæ Religio et Philoſophia quoniam antiquiſſima eſt, illud priſcis illis ſeculis, anteaquam pro ueritate ſuccederet mendacium, placuiſſe, creditumq; fuiſſe ſentiendum, quod traditur in ea. Ac Plato quoque teſtis eſt in Cratylo, & in Legibus, à Barbaris allatam ad Græcos aſtrorum Diuinitatem. Sed ubi inueneris non uetuſtiores, ſapientioresq; barbaros id feciſſe, nec ſemper apud Barbaros hunc errorem uiguiſſe, pronunciandum erit, Græcos in eo non ueram Barbarorum Theologiam, ſed eorum uanitatem, erroresq; ſecutos, cùm cœlo dederunt Diuinitatem. Nec Ariſtoteles fecit aliud, cum Diuinitatem ſiderum adeò ſuſpexit, hucq; mentem omnem defixit, quàm quòd Barbaros ſecutus eſt in eo, in quo poſt multa ſecula ab ortu generis humani illi errauerunt. Atque Ariſtoteles quoniam hanc cœli, ſiderumq; Diuinitatem à præceptore Platone, Triſmegiſto, Chaldæis, accepit, certè fatendum eſt ei, quod priores illi prodiderunt, Deos quidem eſſe planetas, ſed creatos à ſummo Deo, quod Plato toties, ut uidimus, confitetur, & Triſmegiſtus. Igitur autore Platone nil aliud eſt cœli Diuinitas, quàm Barbarorum ſuperſtitio, qualis fuit Diuinitas terræ. Siquidem eodem tempore, eadem religione terræ, ac cœli Diuinitatem ſuſcepere. Sed facilius de terra, quoniam præſens eſt, negari poteſt quòd ſit Dea, quàm de cœlo ab oculis remotiſſimo, & incorruptibili, tum ordinum ſempiternorum pleno. Triaq; de cœli, & ſiderum, planetarumq; Diuinitate ſtatuenda. Eam ſuperſtitionem eſſe Barbarorũ, tum eodem honore, eadem opinione cœlum, atq; terram ab eis deificatam: ut tam deſipuerint in Diuinitate cœli, quàm terræ et oceani. Poſtremò, quòd tametſi Deos uocent Solem, Lunam, ſtellas, ab ſupremo tamen & magno opifice Deo facta confitentur. Hoc Mercurius, hoc Timæus Locrenſis, hoc Plato. Excluſa igitur ueluti fabuloſa, fermeq; poëtica, cœleſti Diuinitate, cuius in Theologia Moſis, omnium uetuſtiſſima, nulla fit mentio, imò quæ ſit infamis apud Prophetas, & quæ, ſi quidem ulla ſit, creata ſit à ſummo Opifice, & quæ nil aliud niſi motus cœleſtes operetur, quo ſola corporea uita adminiſtratur, ad animos nihil attingat, de ueris Dijs loquendum eſt, ex Philoſophia. De quibus quoniã multa uera, admirationeq; digna, rurſum fabuloſa & fictitia multa diſputantur à Platonicis, conandum eſt pro uiribus, aurum quaſi ex ſcoria deligere.

In ſermone Platonis, Ariſtotelisq; apparere Deos alios, quàm qui moueant orbes cœleſtes. Nec alios eſſe poſſe, quàm Angelos ſupercœleſtes. Cap. II.

Ex om/

EX omni ueterum Philoſophorum, Theologorumq; ſermone ratio quædam de Dijs colligitur, id quod poſtea beneficio Chriſtianæ religionis, melius et explicatius Platonici tradiderunt, apud quos nomina Deorum, ſiue Angelorum diſtincta, officia quoq;, quæ tribuit eis ſacra Theologia, Theologorumq; Coryphæus Dionyſius, quem clàm præcipuè Proclum, Platonicos ſecutos Græci teſtantur inueniuntur. Quos autem ueteres omnes promiſcuè Deos uocarunt, & quæ in mundo munera eis attribuerunt, deprehenſa ſunt eſſe, quæ dilucidè, & clarè, ex uetuſtiſſima Hebræorum Theologia, expoſuere noſtri. Permanauit quidem ex Hebraica Theologia quædam in omnes gentes fama de diuino illo genere, quod inter homines & Deos intercedens generatim ſit appellatum Deorum, ſeparatim autem apud Platonem, pluresq; alios, Dæmones. Ac quoniam apud quos eſt mentio iſtorum Deorum, quibus munera quædam diuina, præcipuè gubernacula humani generis aſſignent, & beatos eſſe eos, cœlumq; colentes prædicent, eſt etiam ſummi, ac ſingularis Dei mentio, deducendum eſt, eos aſſeruiſſe genus illud, quod aſſeritur à noſtris poſt Deum altiſſimum, omnemq; de eis Theologiam eam propoſuiſſe, quæ uetuſtiſſima docuit ſapientia noſtra. Dico uidelicet quòd cum apud Platonem, Ariſtotelem, omnes deniq; Philoſophos, & Poëtas ſint, ac nominentur ſæpe Dij, rurſum celebretur ſingularis ille, ſempiternus, & omnipotens Deus, neceſſariò cogũtur de Dijs illis minoribus ſentire, et definire, quæ uetuſtiſſima docuit ſapientia noſtra. Rurſum cum Ariſtoteles, & Plato quædã de Dijs illis prædicent, quæ quidẽ facere non poſſent, ſi ad cœleſtes orbes adhæreſcẽtes, inde moueri non poſſent, quoniã dicunt eos intereſſe rebus humanis, multaq; alia gerere, quæ nõ poſſent, ſi cœleſtes orbes animãtes ab illo ſuo corpore diſcedere non poſſent, deducendum eſt ex his, aut per errorẽ eos cœlo Deos affixiſſe, aut aliud Deorũ genus tradidiſſe, à cœli motu uagũ, ac liberum. Nam ſi Ariſtoteles affirmat probabile, et ueriſimile, Deos curare res humanas, et gratos eis eſſe, et acceptos, pios, eosq; præmijs afficere, certum eſt hoc eos facere non poſſe, ſi cœlũ uelut corpus ſuum animantes, ſeparari ab eo, uenire in terras, et prouidere, et conſulere bonis, et eis pro pietate reddere præmia nequirẽt. Rurſum eũ Ariſtoteles multa ſæpe de ſingulari, ac ſupremo Deo prædicet, neceſſe eſt Deos iſtos, quos alibi memorauit, longè illo minores eſſe. Vt quoniã ille ſupremus, hi minores, neceſſariò tanquã uniuerſali Imperatori obſequentes introducantur. Eadẽ ratio ualebit apud Platonẽ, Tullĩu, Poëtas, et omnes, qui de Deo, et Dijs loquuntur. Quod quidẽ alij clarè et apertè prædicauerunt ſubijcientes Deos minores uni maximo: alij ſi non apertè, hac tamen, quam dixi, ratione aſſerere coguntur. Ac primũ hac agendum ratione cum Platone. Prædicat in Timæo duo genera Deorũ, quod etiam in Legibus, et in Epinomide, aſtra ſcilicet, & Dæmones: primi noti, clari: ſecundi obſcuri, inuiſibiles: utroſq; ab opifice mundi fatos aſſerens. In cæteris autem libris ubiq; & ſingularis Dei eſt mentio, et Deorũ, qui rebus humanis interſint, ſpeculentur, quæ fiant in terris. Ad

hæc

hæc in Phædro, in Gorgia, in Phædone, alijsq; libris, prædicat ſupra cœli uertice, ubi nec Sol, nec Luna ſit, nec aſtra, Deos beatos & felices uiuere, quibuſcũ, animi hominũ puri, ac ſancti pariter triumphent. Et illi igitur, qui res humanas præſentes uideant, & illi, qui ſupra cœlo uiuunt beatiſſimè, quinam ſint, quoniam nec ſunt animi ſiderum, & aſtrorum, quippe quæ nequeant à corporibus ſuis ſeparari, nec ſunt Dæmones, quibus locos ſublunares attribuunt, diligenter ſunt inquirendi. Eadem quærerem ex Ariſtotele, qui preſtius, & cautius loqui uiſus eſt. Aſſerit in libris de Cœlo extra cœli uertiginem, uiuere Deos, omne æuum beatos. In libris de Moribus, Deos proſpicere rebus humanis, præmia reddere bonis, & iuſtis. Quid igitur ſequitur aliud, quàm fabuloſam eſſe aſtrorum illam Diuinitatem? Quomodo enim ſupra, uel extra cœlum ſunt Dij, ſi cœleſti corpori ſuo inſeparabiliter inhæreſcunt? Quomodo etiam prouident hominibus, dant præmia iuſtis, ſi cœlum relinquere, ne quieſcat aliquando, mundiq; accidat euerſio, diſcedere à cluo, & reuolutione non poſſunt?

Quod Plato de Dijs ſiue Angelis uera ſenſit, & ſcripſit. Et quod eorum ſedes in cœlo conſtituit, quibus Deus gubernationem humani generis tradiderit: & de eorum natura. Cap. III.

CVm igitur apud Platonem ſit unus maximus, ac princeps Deus, ſæpe autem nominetur multitudo Deorum, aut eum multitudinis ritu loqui, non ad Philoſophiæ præſcriptum, aut naturam illam, genusq; Deorum quos intercedere, quaſi legatos, & internuncios inter hominem, & Deum dixit in Sympoſio, ſpectaſſe, fatendum eſt. Ac Laërtio de Platone dicente, οἴεται δὲ καὶ θεοὺς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ δαίμονας εἶναι: Exiſtimat Deos aſpicere res humanas, & Dæmonas eſſe: & cùm ipſo Laërtio teſte creatorem mundi Deum collaudet, & ſuſpiciat, toto autem opere nominet plures Deos, qui uerſentur in terris: ad hæc autor ſit Philo Dæmones eſſe apud Philoſophos, quos apertè Moſes, & appoſitè uocarit Angelos: conſtat quicquid de multis illis Dijs locutus ſit Plato, etſi non habuit nomen Angelorum notum, ſcripſiſſe, & ſenſiſſe de Angelis; qui etiam apud Prophetas, & in Theologia Moſis, & apud Sibyllas, Dij uocantur. Nã Elohim, quod eſt ſingularis Dei nomen, ſæpenumero Angelis adiudicatur: In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Hebraicè, In conſpectu Elohim Deorum. Et, Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. Hebraicè, ab Elohim, à Dijs. Sibylla quoq; ſuperius, ut uiſum eſt, Patrem conſtituiſſe Prolem ſuam dicebat ἡγεμόνα θεῶν, Ducem, Principem Deorum. Quos item choros, & Hierarchias Angelorum deſcribit Dionyſius, Platonici acies, & ordines Deorum ſolent appellare. Ex his igitur fit clarum quicquid de multis illis Dijs omnes, ſed Philoſophi præcipuè loquuntur, aut uolentes, aut rationis neceſsitate ſenſiſſe de Angelis. Ac primũ quod ait in Eutyphrone Plato, quòd ſanctitas φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν, diligitur, charaq; habetur à Dijs, iuxta ſuperiorem rationem, cum ſingularem Deum alibi introducat, cum Philoſophi ſit unum caput, unam originem ſtatuere, cum Platonici contenta uoce fatcantur

apud

apud Platonem iuxta Pythagoram, priscosq; Theologos Deũ uocari, τὸ ἕν, Vnitatem, & cum Dij illi cœlum uertentes, quos alibi nominauit, non possint res hominum præsentes cernere, quòd curã uertendi cœli, & illuminandi terras deserere non possunt, necessariò hi, quos in definitione sanctitatis ascisçit, definiens sanctitatem, quæ Dijs placeat, sunt quos Moses uocat puros, ac sanctos Angelos. Sic quod scripsit in Phædone εὐλέγεδη, τὸ θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελουμένους & ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἑαυτῶν κτημάτων θεοῖς εἶναι: Rectè solere dici Deos curatores esse nostros, & nos esse quasi possessionem, aut peculium Deorum, clarè de Angelis locutus est. Laërtius enim perhibet Platonẽ confessum, Deos res humanas respicere, Eosq; Dæmones esse. Dæmonas autem Philo esse qui apud Mosen uocentur Angeli, testis est. Et Plato refert in Phædone, quod in Politico, & Legibus, in quibus libris fatetur supremũ Deum quosdam hominibus diuinos, non humanos adhibuisse ueluti gregi custodes, utens eisdem illic, atq; in Phædone nominibus, uidelicet κτήματος, gregis, ouilis, et ἐπιμελεῖδη, custodire, gubernare. Quare tota ratione consentiente, illi in Phædone, et Eutyphrone Dij sunt Angeli, rebus humanis à Deo præfecti. Propterea sanctitas, quoniam sunt ipsi sanctissimi puritateq; delectantur, definitur esse, quæ placeat eis. Illud quoque quod item in Phædone est, ratio ipsa demonstrat, nec stellas esse Deos illos, quibus Deorum nomina data sunt, nec aliud Deos esse posse quàm Angelos. Viros sanctos & probos post mortẽ proficisci: πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς θεοὺς ἄλλους, σοφούς τε & ἀγαθούς, ἔπειτα καὶ παρ' ἀνθρώπους τετελευτηκότας ἀμείνους ἔν δοῦλε: Ad Deos quidem alios sapientes, et bonos, tũ homines iam uita functos, longè his, qui apud nos sunt, meliores. Non ne & nostræ literæ diuinitus scriptæ uociferantur semper, exertaq; uoce promittunt rectè uiuentibus, Deorũ, Angelorum consortium, & quòd erimus æquales Angelis Dei? quòd filij Dei? Nam & Angeli nonnunquam filij Dei uocantur. Nec aliud egit nostræ felicitatis autor è cœlo profectus in terras, quàm quòd nos Deos effectos, in Deorũ regionibus, et regnis collocaturus uenerat. Item quod ait eo loco Plato, Deos esse omniũ optimos, ἐπισάτας, præfectos, quid aliud ratione fateri cogetur, nisi Deos istos esse præfectos Angelos à Deo? Et Philo insignis Platonicus, scribens de Angelis, Platonis hoc utitur nomine ἐπισάται. Deus summus præfecit eos à quibus regimur, ut rectè uiuentes, in cœlũ ab eis adducamur, Clarius itẽ quod antè proposuerat, repetens in Phædone, quòd immundus iacebit iuxta Orpheũ, in cœlo illo turpi inferorũ, purgatus autem, & expiatus illuc appellans, μετὰ θεῶν οἰκήσει, habitabit cum Dijs, Angelorũ innuit commerciũ, & celeberrimã in sacris literis ἀποθέωσιν. Hanc Plato ab omnibus retro seculis auditam, celebratã, Socratem fecit moriturũ decantare. Quicunq; iustè uixisset, lætus iam cum Dijs futurus moriatur. Eodẽ libro iterat, ei qui non fuerit rectè pureq; philosophatus, id est, qui curã carnis non abiecerit, sordes uoluptatũ non eluerit, in genus Deorũ aspirare nefas: εἰς δὲ γε θεῶν γένος

μὴ

μὴ φιλοσοφήσαντι, καὶ παντελῶς καθαρῶς ἀπιόντι, οὐ θέμις ἀφικνεῖ θῦ. Quinta quoq; maiestas est & eorũ quæ deniq; eodem libro concludit, quæ de fontibus his, à quibus fluxit Theologia nostra, per omnẽ mundũ iam inde ab ortu hominũ manantibus, habuere originẽ? Quòd in cœlo sint diuina spectacula, beati spectatores, καὶ δὴ καὶ θεῶν ἅλση τε & ἱερὰ αὐτοῖς εἶναι: Etiã uerò lucis, et templa Deorũ esse, ἐν οἷς τῷ ὄντι οἰκητὰς θεοὺς εἶναι: In quibus ueri habitatores Dij incolant. Quodq; euidentius probat planetarũ Diuinitatẽ esse superuacaneã, ueros autẽ Deos esse cœlicolas illos beatos, ecce manifestè fatetur Plato ab illis Dijs cœlestibus, Solem, Lunã, & astra, qualia sint, cuius ue naturæ, uideri, reliquamq; omnẽ comitari eos felicitatẽ: & τὸν ἥλιον, & σελήνην, & ἄστρα ὁρᾶσθαι οἷα τυγχάνοντα ὄντα, & τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι. Qui sunt igitur isti Dij, qui sub pedibus labẽtia sidera cernũt, cernunt quæ substãtia Sol et astra, in cœlestibus tẽplis habitãtes, cũ quibus iusti triũphant? Videt ordines, motusq; cœlestes: Videlicet illi in nostra Philosophia, nusquã non obuiam Angeli cœlicolæ: Quorũ multitudinẽ adorare uirũ in excelso throno sedentem, & psallere unà uidit Propheta: quorũ esse tẽpla in cœlo et Plato dicit, et felicissima, iucundissimaq; spectacula cerni: Et in Cratylo cũ dubitat de Dijs loqui, quid aliud suspicandũ q̃ substantias illas inuisibiles eũ sensisse? Hi quoq; sunt Dij, quorũ nemi nem inimicũ homini esse dixit in Theæteto: οὐδεὶς θεὸς δύσνους ἀνθρώποις. Quo quidem liquet solos qui dicuntur à nostris Angelos, tales esse, qui custodes ubiq; & fauentes hominum asseruntur, & qui gaudent in cœlo super uno peccatore pœnitentiã agente, ob incredibilem erga genus humanum beneuolentiã. Neque enim hi, uel Homerici Dij possunt esse, qui sæpe mortalibus nocuere, neque Dij, qui Aristoteli concitant orbes cœlestes, quòd naturaliter agentes, homines neque odisse, neq; amare possunt. Quod autem dicit ibidem, peritura omnia uel apud Deos uel homines, si rapidus cœli cursus semel consisteret, ostenditur hos Deos esse cœlicolas illos, quorum sint cœlestia domicilia, cum Solis orbe adiuncta. Sic necesse est Angelos sentire eum, cum ait eodem libro, mala nullum apud superos habere locum. Eoq; conandum, ut illuc quàm ocyßimè conuolemus, οὗτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι. Deus quoque hospitalis, quem memorat in Sophista, qui nos comitetur, bene, ac malè facta intuens, est primum quidem ipse summus Deus, tum uerò Angeli, qui uenerunt Sodomam sceleratorum facinora cognituri, ut animaduerterent. Veneruntq; peregrinorum habitu, καὶ δὴ καὶ τὸν ξένιον οὐχ ἥκιστα θεὸν συνόπαδὸν γιγνόμενον, ὕβρεις τε καὶ εὐνομίας τῶν ἀνθρώπων καθορᾶν. Nec aliud fermè est Angelorum munus quàm quod ibi ex opinione maiorum Plato pronunciat, eos peregrinorum habitu uersari per urbes. De quibus etiam diuinè iuxta Theologiam nostram in Politico, quòd omnes mundi partes distribuerint inter se principes Dij: ὡς νῦν κατὰ τόπους ταυτὸμ τοῦτο ὑπὸ θεῶν ἀρχόντων πάντη τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα.

Qui ſunt enim hi Dij principes, niſi qui à noſtris item priſcis Theologis principes prouinciarum, nationumq; declarantur? Et Deus conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Dei. Hi ſunt, quos beatos omnes dixit in Sympoſio, & in Phædro, quos item ſenſiſſe Deos par eſt, niſi Angelos, cum ait eruditione nihil apud Deos, & homines eſſe honorabilius. Ἡ ψυχῆς παίδευσιν, ἧς οὔτε ἂν ἀνθρώποις οὔτε θεοῖς, τῇ ἀληθείᾳ τιμιώτερον. Et cum memorat eodem libro, equos Deorum, & aurigas, & dicit in cœlo habitare τὸ τῶν θεῶν γένος, Deorum genus: Et quod omnium euidentiſſimum, magnum in cœlo principem Iouem currum agitantem uolucrium equorum, ire per cœlum ornantem omnia, & diſponentem, hunc autem ſequi totum exercitum Deorum, ac Dæmonum. Hi Dij neque poëtici illi, neque ſiderum, qui nequeunt à corporibus luminibusq; ſuis diuelli. Et ipſe Plato dicit hæc fieri ἐντὸς οὐρανοῦ, intra cœlum ſupra ſideribus. Idq; etiam Ariſtoteles ſuſcepit, ut poſtea monſtrabitur. Et quòd ibi ſit uita Deorum, Ambroſia, Nectarq;, & quòd locum illum nemo pro dignitate decantauerit Nónne hæc excludunt hinc Deos Poëticos, illinc cœleſtes Intelligentias inſeparabiles, ut toties dixi, ab orbibus ſuis? & qui infra Deos illos beatos, Iouis aſſeclas habitent? In Alcibiade, qui dent hominibus bona largientes, & qui non exaudiant iniuſta precantes, & quòd muneribus non capiantur. Et quod in Protogora, qui à Dijs diligantur ſint optimi. Et in Gorgia, minus miſerum eſſe, qui det pœnas ὑπὸ θεῶν καὶ ἀνθρώπων: à Dijs, & hominibus. Ab illis nimirum qui per omnem mundum inuiſibiliter commeantes, caſtigant ſæpe delinquentes. Eodemq; libro, ſententiam ſapientum eſſe, Deos, hominesq; habere τὴν κοινωνίαν, ſocietatem. Et quod ſit lex apud Deos, ſanctè qui uixiſſet, tendere ad inſulas beatas. Demiq; non manifeſtos illos, & claros aſtrorum Deos, Platonem, ſed quoſdam alios diuinos animos, ignotos autem nobis, ſenſiſſe, apparet quòd in Cratylo uertitur de eis loqui: ἔτι μὲν τῶν θεῶν, πρὸς θεοὺς ἀπαλλαγῶμεν, ὡς ἐγὼ λέλεικα περὶ αὐτῶν διαλέγεσθαι. Deorum, inquit, ſermoni, per ipſos Deos ſuperſedeamus, nam de eis uereor loqui. Sunt alia multa toto opere exempla, ex quibus hæc neceſſariò conſequuntur. Primum, Deos hoſce neque Intelligentias cœleſtes eſſe, neque Deos Poëtarum, ex hominibus in Deos relatos. Secundum, quòd cum ſeparatim nominet multis in locis, Deum eminentiſſimum, in Timæo ut alia taceam, cunctarum rerum opificem, in Epiſtolis, principium, medium, finem, omniumq; rege, neceſſariò quos alibi dixit, ac celebrauit Deos, eſſe genus illud, quod antiquiſſima Moſis Theologia uocauit Angelos. Cumq; ferat in Timæo cuncta ab illo ſupremo ſatore creata, etiã Deos, hi & inferiores erunt ſummo illo, et erunt creati, omnisq; eorum natura talis erit, & munera, quæ uera Theologia tribuit Angelis.

Ex Ariſtotele de Dijs ſiue Angelis, quos ſimiliter ac Plato in cœlo ſupra motus ætherios locauit, & beatos eos, rerumq; humanarum cuſtodes dixit. Cap. IIII.

Eadem

EADEM ratio ualet apud Aristotelem, & quidem uel inuitis, si qui forsan obtusiores, efferacioresq; sunt, Peripateticis. Aristoteles in libris uniuersalis Philosophiæ, in cæteris item libris, unius primi motoris celebrat maiestatem, ei solam hãc tribuens mirabilem, stupendamq; potentiam, quòd indefatigabiliter cœlestes orbes intorqueat, prætermißis indignè multis longè melioribus, quibus altißimi Dei maiestas præcellit, sensibilibus modò consideratis, inuisibilibus, quæ religiosè tota uetustas concelebrauit, silentio posthabitis. Quo flagitio etiam peccauit, cũ esset aliæ Diuinitas audita sibi, traditaq; à patribus, quorum diuinam censet sapientiam, præterquã illam cœlestium sphærarum motricem, eam tamen dißimulanter ubi dissendi locus erat reticuit. Verum quoniam quod bene interdum dißimulamus, languescente uigilia elabitur incautis, sic eximius uir tandem à barbarica illa, coacta, atque superstitione reuocatus, aliam confessus est, & summi illius Dei, & diuinorũ animorũ Diuinitatẽ. In libris de Cœlo, si quis originem sermonis recognoscat, scripsit, quæ præceptor antea Plato in Phædone, & Phædro de Dijs supercœlestibus, semperq; beatis, quibus & templa in cœlo dedit, & lucos, aureasq; domos, itẽq; spectacula diuina, diuinas uoluptates, Nectar, Ambrosiam. Hoc igitur sentiens, & respiciens Aristoteles, in primo de cœlo primam de tribus nuncupationem uocari cœlum asseruit, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν: In quo totã dicimus habitare Diuinitatem. Hanc aũt diuinitatẽ, ne stellarũ arbitreris, ecce primum, hoc significatu refert cœlum appellari, extremam totius mundi circunferentiã, quicquid extra Solem, Lunã, omnesq; cœlestes orbes putatur esse. Siquidem statim subijcit secundum & tertiũ significatũ. Secundum, cœlum esse quod his extremi mundi regionibus subiaceat, in quo luceat Sol, Luna, multaq; alia astra. Tertium significatũ esse, totum uniuersum, quod ab ultimis mundi regionibus clauditur. Apparet igitur primum cœlum, & Deos eius, neq; Solis, Lunæ, stellarumq; orbem esse, neq; Deos illos esse intelligẽtias, orbis quamq; sui motricem. Intelligitur eum prædicasse quod in nostra Theologia, Chaldæorũ, Aegyptiorũ, ueterũ Græcorũ habetur et sæpe dulci amore raptus Plato prædicauit, fecitq; Socratẽ decantare moritu rum, quo sit accessus iustis, ac bonis. Ac ne putes Aristotelem iuxta consuetudinẽ, quotidianumq; sermonem fuisse de hoc cœlo locutum, ecce melius, & clarius, & ex intimis Philosophiæ mysterijs repetit, extra cœlum ostensum, ac probatum sibi nullum esse, neq; esse posse corpus. Itaq; perspicuum esse, neq; locum, neq; uacuum, neq; tempus esse extra mundum. Quocirca neq; in loco quæ ibi sunt, esse, neq; facere tempus ea senescere: neq; ulli mutationi subiacere, quæ longißimè sita sunt supra cœlesti concitatione: Sed immutabilia, & impoßibilia, optimamq; uitam, & opulentißimam perenniter, omniq; æternitate degere. Hanc Aristotelis rerũ beatarum descriptionem, omnem sermonem, scito esse, quem Socratem moriturum, cui mors ob hanc fidem non modò displicere, sed propemodum placere uidebatur, inducit Plato prædicantem, in quo miris laudibus patriam cœlestem commendauit,

eam esse è lapidibus pretiosis, omnem uisibilem pulchritudinem superantibus, Sardis, Iaspidibus, Smaragdis: Hic auream esse terram, diuina spectacula, beatos spectatores, multaq; alia egregia, ut suo loco narrabitur. Antea uerò dixerat, ὅτι ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς οὐρανὸς, καὶ τὸ ἀληθινὸν φῶς, καὶ ἡ ὡς ἀληθῶς γῆ: Quòd illud sit uerum cœlum, & uerum lumen, & uera terra. Postremo templa Deorum ibi, Deosq; ueros esse habitatores: Non scilicet poëticos illos, aut stellas. Sic cœlum aliud esse longè quàm istud, sicut Aristoteles de primo cœli significatu locutus est, eoq; præmisit tanquam dignius omnibus cœlum illud. Et res quas dixit illic incorruptibiles, beatas, sunt quas antè uocauit πᾶν τὸ θεῖον, totam Diuinitatem. Omnis igitur hæc duorum magorum Philosophorum descriptio, & omnis de beatitudine sermo est de Angelis, qui etiam à nobis dicuntur Dij, quia quos describit, neq; sunt poëtici illi, neq; motores orbium. Nam docuit eos esse longissimè supra & extra motus cœli, non in loco, non in tempore. Hæc autem Theologia uera. Cum igitur Aristoteles, & principem quendam Deum, & item Deos extra Solem, & Lunam beatissimè, sempiternumq; uiuentes prædicet, certè non possunt hi esse, nisi Angeli apud Moscn, quod nomen officij est non Naturæ. Nam ad Naturam debent appellari aut Dij, aut animi beati, aut mentes, ut à nostris, & à Platonicis uocantur. Etiam uerò interpretes Aristotelis, uidelicet Simplicius, plures q; alij, sentiunt eum illic in libris de Cœlo de separatis Intelligentijs locutum, sed orbium motoribus: Cæteri inquit, interpretes omnia, de ἀκινήτων αἰτίων, immotis causis, cœlestia mouentibus, dicta uolunt intelligi, probatq; Simplicius contrà quàm sentiret Alexander, de corporibus diuinis Aristotelē hæc dicere non potuisse. Nam cum dicat extra cœlum degere beata illa, quomodo cœlum extra cœlum esse potest? Et cum dicat nullius eorum esse mutationem, cum cœlum semper moueatur. Sed neq; ea quæ sunt remotissima à motu cœlesti dixisset. Tū concludit: περὶ τῶν θεανιῶν καὶ τῶν ἀκινήτων ἀρχῶν ἔοικε λέγειν, τῶν τὰς θεανίας κινούντων σφαίρας. ἡ γὰρ πρόνοια παύτα χωρὶς εἶσιν ὧν τὰς νοητὰς καὶ ἀκινήτους, καὶ ἔξω τοῦ κόσμου ἱδρυμένας, ὡς ὑπερκόσμους ἀνάγκη: De cœlestibus & immotis principijs uidetur dicere, sphæras cœlestes mouentibus. Sed omnia, quæ præcedunt, fieri potest, ut minime uiolenter ad intellectuales, & immobiles causas, & quæ dicuntur extra mundum esse, ut supermundanæ, possint applicari. Cernis substantias supermundanas. Sed interpretes addiderunt motum, quem nec Aristotelis memorauit, nec rationi est consentaneum, ut substantias extra cœlum remotissimas, dixerit mouere cœlum. Ergo sunt Angeli, siue Dij, & eorum munera respexit quemadmodum Philo Iudæus, quæ Plato & Aristoteles tacitè senserunt: ἄγγελοι πρὸς ὑπηρέτας ἱερὰς καὶ θείας φύσεις, ὑποδιάκονοι, καὶ ὕπαρχοι τοῦ πρώτου θεοῦ, διὰ ὧν οἷα πρόβρυτων, ὅσα ἂν ἐθελήσῃ τοῖς γένεσιν ἡμῶν προθεσπίζας ἀγγέλλει.

Et

Ex cæteris locis probatio, Deos Angelosq; Aristotelem sensisse supra sidera motusq; cœlestes, eumq; de beatitudine eorum uera scripsisse. Caput V.

EADEM ratio apparet, & colligitur ex his, quæ cæteris in locis est sæpenumero locutus, quæ declarantur in libris de Cœlo testimonijs. Nam referens oculos ad eam beatitudinem, quã in libris de Cœlo, Deos, beatosq; animos illos extra motus machinamq; cœlestem, & extra flammantia mœnia mundi frui dixit, in libris de Moribus addit, τοῖς γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος: Dijs enim omnis uita beata est. Repetamus igitur rationem: cum unum singularemq; sæpe Deum nominet, cum sit Philosophis principem, singularem, summum, unumq; fateri, qui tandem erunt hi Dij beati? non uidelicet ex hominibus arbitrio poëtarum deificati: Deos autem illos oportet ab hominibus differre, neq; animi siderum, sed illi quos extra cœlum supra mundum uiuere felices prædicauit. Superest igitur in quo Platonem est secutus ut sint animi, mentesúe, quas nostri ad hunc Aristotelis sensum, uocant ὑπερουρανίους, supercœlestes, quorum incredibilis fertur beatitudo, et agere dicuntur, quod Deorum proprium censuit Aristoteles, intueri, intelligere, noscere, cum omnia, tum uerò pulcherrimum, formosissimum Deum. Dicit enim ibi Aristoteles, ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία, ὅτι θεωρητική τίς ἐστιν ἐνέργεια καὶ ἐν θεωρίᾳ ἂν φανείη, τοὺς θεοὺς γὰρ μάλιστα ὑπολήφεμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι: Quòd perfecta beatitudo, contemplandi sit actio quædã, uel inde claret, quòd Deos maximè beatos, & fortunatos arbitramur: Deinde durationem nullam esse actionem, quam dijs illis dignam adiudicemus, quàm contemplationem. Ex hoc igitur apparet eos esse Angelos, quorũ unus uidelicet Raphaël, unus inquam ex septem dixit se uesci cibo inuisibili, qui ab hominibus uideri non possit, & quod astaret conspectui diuino. Hæc contemplatio, quam Aristoteles, siue ex superiore Theologia, siue ingenij bonitate sensit, iudicauitq; solam dignam, quæ & actio diceretur Deorum. Astare se præsentiæ diuinæ fatentur illi, Aristoteles eos contẽplari, intueri, speculari. Quid aliud à cœlestibus Theologis expectes? Eosdem Deos, & hanc rerum felicitatem cum necesse est innuere, cum in eisdem libris de Nectare Deorum loquens, quod uulgares arbitrentur uinum, quoniam nihil uino dulcius opinentur. Id ait eis accidere ex insolentia, quasi decernens Nectar illud Deorum, non quidem uinum esse, sed omni uino suauius, longeq; iucundius. Cumq; superius nihil aliud agere Deos, quàm contemplari ex ratione reperisset, bibunt autem Nectar, claret certè Nectar esse contemplationem. Sicq; eò deuolui tur ratio, ut etiam hi Dij contemplantes sint, qui se cibo inuisibili, isto nempe Nectare uesci prædicabant. Verisimileq; fit Aristotelem sensisse, de beatitudine Deorum scribentem quæ priscus uates Homerus cecinerat, θεοὶ ῥεῖα ζώοντες: Dij beatè, & facilè, sine labore uiuentes. Et de Olympo:

Τῷ ἐνὶ τέρπονται μάκαρες θεοὶ, ἤματα πάντα.

In quo Dij gaudent, exultant tempus & omne.

Et quòd sunt ἀκήδειες, citra dolorem, & curam. Quam solam uerã esse de Dijs sententiam Plutarchus existimat. Vt item Plato ex antiquissima Theologia docuit Deum supremũ diuinos principes quosdam, qui regerent homines, præfecisse, qui scirent, cernerentq; pia & impia facta, sic tales etiam Aristotelem spectasse necesse est, in decimo de Moribus, usus Platonis nomine: εἰ γάρ τις ἐπιμέλεται τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν, γινεσθ' ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἰη ἂν εὔλογον: Si quæ enim rerum humanarum est apud Deos prouidentia, ut uidetur, etiam rationi consentaneum, delectari eos re optima, & sui simillima: Quæ quidem est mens. Et eos qui partem hanc honorent, excolant, redamare, remunerari, ceu qui rem sibi amicam & consanguineã curent, laudabiliter item, & honestè uiuant. Talia fatur Aristoteles de Dijs curantibus res humanas, quibus mens, quam solam in libris de Generatione animalium diuinam, solamq; exterius uenire in libris de moribus, differre, & separabilem esse à composito, dixit, sit συγγενέστατος, maximè consanguinea, coniunctissima, simillima, gentilissima, ut sic nunc loquar. Hanc docet amari à Dijs, uti rem eorum simílem, ut ille dixit, Conseruus enim tuus sum, & fratrum timentium Iesum. Hanc Deorum in terris esse prouidentiam, quòd gubernet in uniuersum quidem res humanas: in particulari autem, eos qui excolant animum, purum, integrumq; habeant, amicam Deorum & consanguineã mentem non sinant ímpurari, uiolari, contaminari, hos redamare, hos remunerari Deos. Qui sunt igitur hi Dij, ab illo summo, quem singulariter toties celebrat, nomine multorum distincti, qui ueniunt, uidentq; res terrestres, non scilicet corpoream uitã suppeditantes, sed etiam subtiliora cernentes, uidentes qui bene, qui male agant: Qui sunt inquam qui amore afficiuntur erga bonos, erga sapientes, redamantes eos uti fratres suos. Quid enim aliud est συγγενής, ab eadem stirpe, ex eisdem fontibus ortus, ex eadem Diuinitate delibatus? Ecce quanta sit de Dijs, aut Angelis apud Aristotelem Theologia. In libris de Cœlo explicat eorum beatitudinem, describens locum, quòd sint ultra Solem, & Lunam, ultra definitionem hanc, qua cuncta claudantur, cœlestẽ, in alio meliore mundo: Hic eos agere beatos omne æuum, nec tempori subiectos, nec locis interceptos. In libris autem de Moribus, particularius, & clarius beatitudinem, præstantissimasq; uoluptates eorum esse, quòd contemplantur, quòd sunt sapientissimi. Et dicit eos suauioribus interesse mensis, quàm sint uita mortalium, respiciens illam contemplationem, panemq; Angelorum. Rationem igitur attende. In libris de uniuersali Philosophia, inquirit de beatitudine eius, quæ dicitur Mens: deniq; multis examinatis, eò tota ratio recidit, quòd Mens est beata contemplando, sed non contemplando aliud quàm seipsam. Hanc autem Mentem requirens eadem, de ea in libris de moribus, Deum illum summum appellat. Quid igitur sequitur? Deus summus qui dictus est à prisca Philosophia Mens, contemplatur, et contemplando est beatus, non contemplatur autem nisi seipsum, quia si quid aliud contemplaretur, quod contemplando felicitaretur, omnino excellentius

esset,

eſſet, à quo Deus eſſet beatus. Sed non eſt Deo melius, ergo ſeipſum contemplatur, & ex ſeipſo ſit beatus. Item Dij contemplantur, ex eo beati: ſed non niſi unus eſt, qui dicitur propriè Deus, cui nihil anteſtat, & præſidet, qui ex ſui contemplatione fiat beatus. ergo Dij, quos in libris de Cœlo, & de Moribus, ſeriò, & aſſeuerantèr beatos dixit, & beatos ex contemplatione, non ſunt beati contemplantes ſeipſos, cum ſit unius eminentiſſimi, quo nihil excellentius, ſuimet contemplatio. Ergo cum Dij illi ſint beati, beatitudo ſit contemplatio, non ex ſeipſis ſunt beati, quòd ratio quæ facit primum contemplari ſeipſum, quia non eſt ſuperius, eadem facit eos contemplari maximum illum, ſuperemunentem. Efficiturq; ut iſti Dij ſint beati ex contemplatione illius maximi, cuius contemplatio & ipſummet, & minores Deos reddat beatos. Hæc omnis ratio fluit ex Ariſtotele, Sicq; deſcripſit locum, deſcripſit beatitudinem. Definiuit eam, luculenterq; expreſsit, quod ſit contemplatio: ex dictis autem ratio deſcendit, hanc contemplationẽ eſſe Dei illius ſuperni. Adhæc Ariſtoteles, de dijs his naturæ bonitate, nouit hanc Theologiã, eos gubernare res humanas: in particulari autem, bonos, rectè, iuſteq; uiuentes, ſapientesq; nec diligere modò, ſed ex amore, & beneuolentia remũnerari eos. Sicq; colligitur tota, quæ noſtris in literis Spiritus ſancti inſtinctu ſcriptis, de Dijs, uel Angelis extat, apud philoſophos Theologia. Ducit enim uocatq; nos Natura ad has conſiderationes, et confeſſiones. Et ſicut literæ nos docuerunt beatitudinem eſſe, uidere illum facie ad faciem, et ſicuti eſt: ſic docuit eos Natura, non aliud eſſe beatitudinem, perfectiſſimam, locupletemq; omnium magnarum uoluptatum, quàm contemplari Deum, quem dixerunt contemplari ſeipſum, ex eo beatum. Deus autem ſi ſit ex ſeipſo beatus contemplando, certè et minores omnes mentes reddit uſus beatas. Sicq; ex contemplatione Dei naſcitur omnis generatim beatitudo, et omnium Platonicorum eſt confeſsio, nos redire oportere ad unitatem, à qua proceſsimus, quod ſola perfectè docuit horũ temporum Theologia. Hæc erit illa, quam Ariſtoteles dixit à Dijs remuneratio bonorum, quod ad has inauditas ducent eos uoluptates. Nihil enim licet aliud cogitare remuneratione Deorum dignum, cum terrena bona ſint corruptibilia non ipſa modò euaneſcentia, diffluentia, ſed corrumpentia etiã poſſeſſores. Quæ nemo ſapiens unquam concupiuit, nec Deus ipſa nobis ea largiri, nec polliceri uoluit. Et hoc item eſt, quod diuinitus omnis confeſſa eſt uetuſtas, et approbauit idem Ariſtoteles, in Eudemijs moralibus ſeptimo: ὥσε εἰ καθάπερ φασὶν ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοί, δι' ἀρετῆς ὑπερβολὴν: Sita eſt, inquit, ut dicitur, homines fieri Deos, ob uirtutis excellentiam, hanc uirtutem eſſe heroicam, quam ipſe ſcribit eſſe ſupra nos. Hoc præmium Deorum collatum ſui ſimillimis, quod quaſi in hoc mundo excellenti uirtute deificatos, efficit ex hominibus Deos: fiunt æquales Angelis Dei, fiunt filij Dei, cohæredes Chriſti. Hæc tota uetuſtas clamabat, ſentiebat, erãt uoces quædã per omnem mundum, de præmijs cœleſtibus, quòd iuſtiſſimi, ſapientiſſimi, patriæ, ſuorum, Dei cum primis & uirtutis amantiſſimi, ex hominibus fiunt Dij: æquales

ſcilicet ſupernis illis. Et nos fatemur eos diuos, qui uirtutibus his heroicis inclaruerunt, quos nulla fraus corrupit, excellens uirtus, ſtabilis beneuolentia, & charitas, inſignisq; iuſtitia decorauit, pepercerunt inimicis, quos multo quidem dignius, & magis ex Philoſophia retulimus in diuos, quàm illi Herculem, multosq; alios mortales, in quibus uirtutes heroicæ illæ perfectæ non fuerunt. Poſſem alia multa deducere ex Ariſtotele ſuper confeſſione Deorum, quos ipſa ratio & ſermo et Philoſophia ſeparat ab illo primo, & ſermo de his neceſſariò cadit in eos, quos Angelos Moſes, omnium ſcriptorum uetuſtiſſimus appellauit.

Quod uitam, naturamq; Angelorum, & fœlicitatem Poëtæ ſicut & Theologi deſcripſerunt. Cap. VI.

DEOS etiam ſiue Angelos innuunt Poëtæ, beatitudininem que eorum habent exploratam à ſacris literis non diſſentientes, cum de eis multa diſſerunt: Vt quæ canit optimus Poëta Callimachus:

Κεῖνοι γὰρ τ' ἄνοσοι καὶ ἀγήραοι πόνου θ' ἅπειροι
Βαρυβόαν πόρθμον περφευγότες ἀχέροντος
Hi morbis, ſenioq; carent, neſciuntq; labores,
Traiectum reſonum qui effugerunt Acherontis.

Et quod Homerus præter ſupradicta, qui regionem eorum, locum, uitam, eſcamq; ſæpe pulchrè deſcripſit:

οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσιν, ὃ πίνουσιν αἶθοπα οἶνον
τοὔνεκα ἀναίμονες εἰσὶ καὶ ἀθάνατοι καλέονται.
Non pane ueſcuntur, non guſtant cærula uina,
Sanguinis expertes hinc ſunt, immortalesq;

In noſtris literis fatentur ſe cibo ueſci, qui ab hominibus uideri non poſſit. Panisq; Angelorum notus, non quo ueſcimur ipſi. Hi ſunt etiam, quorum ſe naturam nominaq; neſcire fatentur. In Cratylo Plato: ὅτι περὶ θεῶν οὐδὲν ἴσμεν οὔτε περὶ αὐτῶν, οὔτε περὶ τῶν ὀνομάτων: De Dijs, inquit, nihil ſcimus, neq; eorum nomina ſunt nobis nota. Eorum cibũ, ueramq; beatitudinẽ aud iuit nouitq; uetuſtus Pherecydes, Pythagoræ præceptor, de quo Plutarchus in eo quẽ de facie quæ uiſitur in Luna: ὡς Φερεκύδης ὁ παλαιὸς οἴεται σιτεῖσθαι αὐτοὺς θεοὺς ἀμβροσίᾳ καὶ νέκταρι: Quemadmodũ ſentit priſcus Pherecydes, eos ipſos ueſci Nectare et Ambroſia. Agnoſcunt omnes igitur, Deorum cibum non mortalem, ut noſtrum.

Conſiderationes ex Marco Tullio, apud quem eſt Deus ſupremus, & item alij Dij nominantur, qui præterquam Angeli eſſe non poſſunt. Cap. VII.

EA dem ſi quis uelit, ex Marco Tullio, quem ego Romanæ non modò facundiæ, ſed etiam cum Varrone Philoſophiæ principem libenter prædicauerim, præcipuè quòd fermè quæ apud Philoſophos Græciæ ſcripta reperiſſet, cum delectu, & iudicio ſuo, Romana lingua expreſſit, deducet. Eſt apud eum ſupremi Dei ſæpenumero confeſſio, quem modò uocat, ut dixi, ſupremum: Animum, inquit in Le-

gibus,

gibus, generatum esse à supremo Deo. Nunc appellat Mentem diuinam, nunc summum Iouem. Orta, inquit, simul est lex cum Mente diuina. Quamobrem lex uera, atque princeps ad iubendum, & ad uetandum ratio est recta summi Iouis. Ortam dicit cum Mente diuina, id est, æternam, comitem æterni Dei sapientiam: Modò Platonem secutus in Timæo mundi pro creatorem, qui animum ex sua mente & Diuinitate genuisset: Modò creatorem Solis, qui eum in secundo ambitu seu sphæra supra terram accenderit: Et in Somnio, Animus datus à Deo: Et, ab eo munus humanum assignatum. & quòd princeps ille Deus mouet, moderatur hunc mundum. Hæc que declarant unius magni, ac sempiterni Dei excellentiam. Supremus, summus, creator mundi, & lucis, creator animi, princeps Deus, motor mundi. Cum igitur hæc eminentissimum, singularem, unum que designent, quò pertinebit cum Deos multos nominat, præcipuè poëticis illis exclusis, quos nec ipse, mea quidem sententia admitteret in Philosophia? Ergo cum quærit de Natura Deorum, Quid hæc nominatio designabit? Omnem fortasse naturam, quæ diuina putatur. Quid illud in secundo? Itaque fit credibile Deorum, & hominum causa factum esse mundum, quæ que in eo sunt omnia. Si factus est causa Deorum mundus, certè fuit tempus, cum non essent Dij, quib. factus est mundus, sicut item non erant homines, quibus item factus est. Sed mouet admirationem, quod addit: Facilius que intelligitur à Dijs immortalibus hominibus esse prouisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnis que humanæ naturæ figura, atque perfectio. Quantus error? quàm non digna tanto uiro inconstantia? Paulò antè, Dijs creatus est, & hominibus mundus, ut una probetur generis utriusque conditio. Si creatus igitur, an supremo, ac præponti Deo, an ab his, quos postea dicis hominibus prouidisse? Si à præpotenti Deo, non à Dijs est hominibus prouisum, sed ab ipso ipso principe Deo. Si ab illis, non est ergo eorum causa factus mundus, quippe quo tam diu carere non potuisset. Hoc item consequitur, si Dijs hominibus est prouisum, Dij non sunt homines in Deos relati, quia res creabantur, prouidebaturq; hominibus à Dijs, nondum poëticis Dijs illis exortis: sic neque sunt, aut esse possunt Dij siderum, ac astrorum, qui præter motus illos perpetuos, nihil largiri possunt hominibus, solam lucem, & calorem terris infundentes: cum autem prouidentia, quam prædicat, sit multiplex, ac uaria, præcipuè quòd eam, quæ ad figuram humanæ naturæ, & totam hominis fabricationem pertinet, narrauit, si recte censeas à Dijs illis motoribus, quos sola uersandorum perenniter cœlestiu orbium cura sollicitat, profectò exerceri non potuit, qui relictis motibus cœlestibus, in terras ad humanã tam solertem fabricationẽ descenderent. Huc adde, quòd nec isti erant anteaquam prouisum esset à Dijs. Superest igitur corrigendũ quod secundo loco dixit, & testimonijs eius destruendum, cum dicit Deum supremum præclara quadam conditione hominem genuisse, uiuendi munus hominibus assignasse, animum in corpus induxisse, à quo iniussu eius discedere non liceat. In Timæo fatetur

cum cum Platone mundi parentem, ac procreatorẽ. Illud igitur uerius, hominum, & Deorum causa, à principe, ac supremo Deo factum esse mundum: Deos autem animos esse maiores hominibus, minores ipso principe, non Deos autem stellarũ, aut poëticos illos in catalogo hominum, non Deorum referendos. Nam Dij stellarum faciunt quod supremus Deus decreuisset, ut hominum causa Deus eos feciſſe uideatur, nempe ut lucem, caloremq; in terras mitterent. Eorũ autem causa factum nihil uidetur, qui seruiunt consilijs eius, qui cuncta hominũ causa facere decreuisset. Tuq; in libris illis repetens rationem, iterum fateris mundum Deorum, hominumq; causa factum, quæq; in eo sunt omnia, ea parata ad fructum hominum, & inuenta. Esse enim mundum quasi communem Deorum, hominumq; domum, aut urbem utrorumq;. Denique subijcis, Hæc si hominibus solis nota sunt (loquens de stellis, & effectibus) hominũ causa facta esse iudicanda. Sic dicis ab hominibus solis notata esse tempora, cognitos ortus, obitusq; siderum, ut appareat te iudice, ea facta propter homines, ut Moses docuit à supremo Deo. Ex his igitur testimonijs claret eum contra naturam, Dijs toto illo opere demandasse rerum prouidentiam, ac creationem. Quoniam poëticis Dijs, qui creare mundum, attendere ad omnia nondum nati non poterant, & Dijs astrorũ exclusis, qui nec ipsi adhuc extabant, facti postea cum toto mundo, nihil apparet, nec cadere in animum potest, quod nomine multorum Deorum sit sentiendum, quibus nec nomina sunt, nec capit mens, ut Deorum multitudo concurrere ad creandos homines, omnemq; mundũ potuerint. Tum testimonijs eius tota res destruitur, nunc principẽ, supremumq; Deum, nunc summum Iouem, nunc singulari nominatione parentem mundi nominantis. Videat igitur ipse, quid tandem sit, quod ait, Vt uero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est à prouidentia Deorum, ut semper essent et bestiarum genera & arborũ, omniumq; rerum. Quæ tanta inconstantia, nunc unum singularem rerum creatorem, nunc multos, declarantis? nisi fortè Platonem est secutus, qui generationi animalium non eundem illum maximum, quem mundo nascenti præfecit, sed Deos inferiores. Quod item apud eum inconstanter dicitur. Eo autem uel maximè declaratur, Tullium incertæ mentis fuisse, quòd eorundem rerũ nunc naturam facit inuentricẽ, nunc Deum singularẽ, nunc Deos plurimos. Nam quod dixerat magnam prouidentiã adhibuisse Deos, ut semper essent genera bestiarum, de his ipsis loquens, Nam primũ, inquit, aliæ mares, aliæ fœminæ sunt, quod petuitatis causa machinata Natura est. At non uides admissa Natura, quam pateat Epicureis, et Cottæ contradicenti insultandi locus, qui quadam Naturæ necessitate, nullius Dei consilijs, fieri cuncta contendunt. At Aristoteles, quod quidẽ arbitror etiam Marcum sentire, ferè semper Naturam cum Deo conuocat, Deum et Naturam nihil temere facere prædicans, Deos autem multos in creatione rerum, nunquam admisit. Et hoc ipsum quod nunc est à Marco dictum, duobus locis memorans, in libro de Generatione & interitu, de Republica, Deo singulari utrobique adiudi-

adiudicauit. Ipſeq; repetit hæc opera fuiſſe prouidæ, ſolertisq; Naturæ. Deinde exclamans, Sed illa quanta benignitas Naturæ? Cum igitur hanc Naturam, ſolertem, prouidamq; prædicet, quis erit niſi Deus, qui ſit Natura prouidentiſſima, ſolertiſſimaq;? Siquidem infert nouiſſimè, Sic undique omni ratione concluditur, mente, conſilioq; diuino, omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium, conſeruationemq; mirabiliter adminiſtrari. Quibus intelligimus, nunc natura nominata, nunc Dijs illis, reuolui tandem cum ac referri quaſi Naturæ æſtu, ad confeßionem magnæ, ſingularisq; Diuinitatis, quæ fuerit rebus origo: Qui fecerit mundum earum animantium cauſa, quæ ratione utantur: hos autem eſſe Deos, & homines, Naturāq; ſolertem, & prouidam, ſolum Deum eſſe. Hæc igitur ueritas erat, ut hi Dij, nec autores mundi, rerumq; fuerint, & quorum, & hominū cauſa facta cuncta dixit, non poëticos, et ſuperſtitionis Deos, ſed naturales ſentiret, nec Deos aſtrorum. Nam Cotta contradicens graſſatus eſt, et deſæuit pro libidine contra Deos, uidelicet poëticos, & ſuperſtitioſos. Facileq; fuit tollere, qui non eſſent, his auferre mundi, rerumq; molitionem, qui quoniā homines fuiſſent, nullum Diuinitatis ſuæ ſignū dediſſent. Perſpicuum igitur, niſi Deos, quos ſæpenumero creatores, prouidentes uocat, animos illos diuinos ſentiat, nomen inane eſſe Deos, quibus nihil ſubſit, qui nec poëtici, Dijq; illi, quos ex hominibus in deos relatos fatebantur, poßint eſſe, nec motores orbium cœleſtium. Et ſæpe ſingularem nominauit. Illis autem Dijs, & animis diuinis creationem rerum ac prouidentiam etiam ipſius teſtimonijs, & rationibus, eam ob cauſam detrahemus, quòd cum iuxta Platonem fateatur unum totius mundi creatorem, cum mundo neceſſe eſt omnes animos creatos: Sicq; creare mundum, qui non erant, non potuerunt. Minus item ſuapte natura prouidere, niſi magnus ille poſtea præfeciſſet. Hiq; erunt, quorum & hominum cauſa effectum mundum prædicauit. Nam Deus ſummus, qui mundo ſua Diuinitate, omni mundo meliore contentus, nunquam eguiſſet, ſui ipſius cauſa mundum non effecit. Noſtra igitur, & illorum cauſa fecit omnia. Illis cœlum, nobis terram dedit, daturus etiam nobis cœlum: quod Marcus Tullius ipſe etiam aſſeruit. Hos igitur quos ſemper habet in ore ex ſuperſtitione potius q̄ phyſica, conſtantiq; ratione, & quos contra naturam interdum præfecit creationi Deos, non eſſe Deos ueros, ſed à ſummo Deo creatos conſtat: quo redarguitur eos laborare creando non potuiſſe, totumq; penè fictitiū eſſe, quem de eis ſæpe fudit ſermonem, apparet ex eo quòd Cotta euertens de Dijs habitam orationem, de Mente diuina ſic loquitur: Audit igitur Mens diuina etiam de ſingulis. Videtis ergo eam non eſſe tam occupatam, quàm putatis. Fac eſſe diſtentam, cœlum uerſantem, terram tuentem, maria moderantē, cur tam multos Deos nihil agere, & ceſſare patitur: cur non rebus humanis aliquos ocioſos Deos præfecit, qui à te Balbe innumerabiles excogitati ſunt? Hæc ille dicens, profectò ſentiebat aliam eſſe Mentem illam diuinam omnipotentem, cœlo, & terra præſentem, omnia gubernantē, alios Deos ab ea præfectos, aut

qui præfici debuiſſent. Et Dij à Balbo explicati ſunt, quos diuina Mens præficere debuiſſet: Eoq; merito concluſit, Itaque aliunde mihi quærendum eſt, ut & eſſe Deos, et quales ſint, diſcere poßim, quàm quales tu eſſe uelis. Quare hoc primum reprehendendum in eo, niſi quòd more ſuorum temporum locutus eſt, quòd de Natura diuina, à qua cœlum, ac terra regatur locuturus, præmiſit in titulo, de Natura Deorum. Quòd ſi de Dijs ueris, fabuloſis, & non naturalibus amandatis, ad quorum explicationem cum delata fuerit oratio, non habet ut in re commentitia quidproferat, deficitq; omnis ratio, & ad Poëtas accurrendum eſt, uenerat quæſiturus, non de Natura Deorum debuit inſcribere, ſed ui, mente q; diuina, aut Diuinitate. Sed dicamus propoſuiſſe eum quandam Deorum farraginem, ut in ſermone & uera, & omnis ea, quam uulgus coleret, Diuinitas quæreretur, ratio autem naturaliſq; inquiſitio ſepararet à falſis uera. Sic certè effectum eſt. Nam is, de cuius prouidentia ac ſolertia, locupletißimaq; omnium bonarum rerum inuentione, pulcherrimè & fœcundißime diſſeruit, eſt uerus, ac naturalis, ſingulariſq; Deus.

Ex alijs autoribus de Angelis ſiue Dijs, poſt ſummum Deum. Cap. VIII.

OMnes igitur mortales, poſt unum principem, ac caput, fontemq; omnium, genus minorum animorum, quod ab omnibus retro ſeculis audierant, conſtituerunt. Nec fabula fuit, quòd Homerus, Deum hominumq; Deûmq; patrem toties appellat, ſed rem naturalem & ueram poëticè decantauit. Nec aliud eſt, ut ſæpe numero dictum, quod uetuſtas uſurpare ſolebat, à ueteribus poëtis decantatum, cuius meminit in Republica Plato, quòd

Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστροφῶσι πόλιας.
Hoſpitibus ſimiles, uariaq; in ueſte, figuraq;
Ipſi adeunt urbes ſuperi, ac uerſantur ubiq;.

Quàm quod ſæpe literæ ſacræ referunt ad uiros innocentes, & integros uenisſe Deos, ipſos ſcilicet Angelos, quos illi primum peregrinos arbitrati, ob eximiam, quæ tempore eo uigebat, hoſpitalitatem, mutuamq; charitatem, accurreban, prenſaq; manu, ad hoſpitium deducebant, inſtruebant conuiuium, pedes lauabant, ut eſt etiam apud Homerum tam crebrum. Hoc memorans item Philo, παλαιὸς λόγος ὅτι τὸ θεῖον ἀνθρώποις ἐπιζόμενον, ἄλλοτε ἄλλοις περινοεῖ τὰς πόλεις, ἐν κύκλῳ, τὰς τε εὐνομίας καὶ παρανομίας ἐξετάζων: Priſca fama Diuinitatẽ in humana ſimilitudine nunc hoc, nunc illo habitu obumbulare urbes, æquitatem, & iniquitatem contemplantem. Quod Philo, & Plato prior ex poëtis antiquis retulerunt, factum fuit eo tempore, quo duo Angeli Sodomam uenerunt, ſceleratí populi facinora diligentius conſideraturi. Eoq; dixerat Deus, Clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: deſcendam & uidebo, utrum clamorem qui uenit ad me, opere comple-

compleuerint, an non est ita, ut sciam. conuerterunt; inde Sodomam, et abierunt. Ecce Deus quidem effatus est. Tacetur autem quod illi postea docuerunt, dicentes uiro iusto Loth, Delebimus enim locum istum, eò quòd creuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos: Missi ergo fuerant à Domino, eoq; Angeli, & missi, etiam Hebraice. Tales Deos audierat, & norat uetustas adire urbes. Atq; ea quæ pauca, & potiora referuntur in sacris literis, credendum est, non apud sanctos uiros illos modò, sed etiam gentes alias accidisse, ut Dij præsentes aut ad beneficia bonorum, aut supplicium malorum, aut alia in terris necessaria uenirent, unde apud omnes constans ea fama generatim increbuerit. Catullus igitur potius ex antiquis, quàm nouitijs poëtis, quæ quidem audierat:

Præsentes nanq; ante domos inuisere castas
Cœlicolæ nondum spreta pietate solebant.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamq; omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primæui funera nati,
Liber ut innuptæ potiretur flore nouercæ.
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non uerita est, diuos scelerare penates.
Omnia fanda, nefanda, malo permista furori,
Iustificam nobis mentem auertere Deorum.
Quare nec tales dignantur uisere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Tales igitur cœlicolæ adiere castas domos sanctorum integrorumq; uirorũ, Abraham, Loth, Iacob. Inde increbuit fama, Deos obambulare urbes, humanos inuisere cœtus, et Plato eodẽ loco ex poëtis famã esse, ὡς ἄρα θεοί τινες περιέρχονται νύκτωρ, πολλοῖς ξένοις, καὶ παντοδαποῖς ἐνδαλλόμενοι: Circumuagari Deos quosdã noctu, uarijs peregrinis similes. Noctu uidelicet per insomnia: ut Iacob uidit per Somniũ scalã super terrã cacumine tangentẽ cœlũ, et descendẽtes, et ascendentes Angelos, et Dominũ innixũ scalæ. Quã scalã uidetur penè Homerus audisse, appellans eã aureã cathenã Iouis, qua cœlũ, ac terræ sint deuinctæ. Et mirũ in modũ placuit Philosophis. Illud adeò mirabere in Philosophis, et sacris literis, qd promiscuè nunc Deũ unũ principiũ, et autorẽ omniũ gerendarũ rerũ, nunc Angelos eius inducunt, simile quid extat apud Philosophos. Vides enim Platonẽ, Tulliũ, multosq; alios, in eadẽ re, nunc Deos nominantes, nunc Deũ singularẽ, In sacris literis itẽ quod Deus ipse dixit, Descendã, et uidebo, utrũ clamorẽ, qui uenit ad me, opere cõpleuerit, an non est ita. Postea nõ ipse refertur uenisse, ac deleuisse, quod ibi toties minatur se facturũ, sed duos Angelos, qui et uenerunt, et deleuerunt urbem.

urbem. Et cum ſubuerterent urbem, dicitur Dominus pluiſſe ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphur & ignem à domino de cœlo. Additur inde: Cum enim ſubuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus Abraham, & liberauit Loth de ſubuerſione urbium, in quibus habitauerat. Atqui duo Angeli liberauerant Loth. Sic in libris Iudicum, cum Angelus apparuiſſet, allocutusq; fuiſſet Manue patrem Sampſon, deniq; eo recedente, & intelligentes illi, Angelum eſſe dixerunt, Morte moriemur, quia uidimus Dominum. Sunt alia quædam exempla, quæ nunc libens prætereo. Similis igitur eſt loquendi quædam Philoſophis conſuetudo, ut quoniam quicquid nunores Dij faciunt, maximi illius imperio faciunt, narrent modò Deum feciſſe, modò Deos. Vergilius:

Attonitus monitu tanto, imperioq; Deorum.
At Iupiter miſerat.

Sed hoc habent ſacræ literæ melius, quòd in rebus maximis, ut in Creatione mundi, nunquam memorant Deos illos, clariusq; eſt in eis ſingularis illius, æterni, diſcrimen ab iſtis. Illud tamen obſeruabit prudentiſſimus quiſq;, quò ſcriptores ſint ueuſtiores, eo ſanctius, & diſtinctius de ſingulari Deo loqui: ut quod aſſeruit Cyrillus, cum ab origine mundi ad eluuionẽ uſq; noſcerent omnes, fateranturq; ſingularem Deum, tum propinquiora ſecula temporibus Noë, ſimiliter unum eſſent confeſſa. tandem emerſerint malorum examina, & fabulæ de Dijs, ac principe Deo.

Ex oraculis Chaldaicis de poteſtatibus, ſiue mentibus ſummis: & quod has rectores mundi Chaldæi dixerint. Cap. IX.

POteſtates igitur poſt altiſſimum Deum, cum ea apud Homerum alios que ratione, tum magis clara, & Phyſica, & aperta agnouerunt Philoſophi, ſimilia de his loquentes, atq; noſtri. Ac Magi Chaldæorum à quibus multa delibarunt Platonici, delibaſſe Platonem, & Ariſtotelem autor eſt Pſellus, & Pletho, propoſuerunt, & deſcripſerunt eas, πῶς ἔχει κόσμος νοερὸς ἀνοχὰς ἀκάμπτους: Vt mundus habet intelligibiles ſuſtentatores, inflexibiles. Hæc nomina ſunt Angelicarum poteſtatum, quæ uocantur etiã in noſtris literis Autoritates, Virtutes, Dominatores. Nomen quidẽ νοεροὶ, eſt eorũ ſubſtantiæ, quòd mentes, quòd intellectus ſunt, omniumq; Angelorum ſubſtantia, à noſtris ab illis dicitur νοεραὶ. At uerò ἀνοχὰς ſonat, quod appellantur à noſtris Dominationes. Quemadmodũ enim Dominatores, regunt, agunt q; ac ſuſtinent ea, quibus imperãt: ſic qui ſuſtinẽt, dominantur & præſunt. Eſt aũt in hoc ueluti carmine ἀνοχεὺς, ſuſtentator quod clarioribus apud Platonem nominibus de eiſdem loquentem deſignatur, ἐπιμεληταὶ, ἐπισκοποὶ, curantes, præfecti: paſtores item & gubernatores, nomina diuinarum harum poteſtatum. Hoc igitur & id genus multa carmina ueriſimile ad Platonem peruenisſe, ſuſceptis hinc, quæ de præfectis à principe Deo ſuper omnes mundi partes locutus, audiens mundũ quoſdam habere rectores, ac ſuſtinentes, eoq; inflexibiles, incorruptos, immotos ſtabilis, ſolidæ fortisq; naturæ. Hoc igitur carmẽ explanãs Pſellus ſcribit: δ' ὑνάμεις οἱ χαλδαῖοι ἐν τῷ κόσμῳ τίθενται, καὶ ὀνόμασαν αὐτὰς κοσμαγοὺς

κοσμαγὸς, ὡς τὸν κόσμον ἀγούσας πρὸς νοητικὰς κινήσεις. ταύτας δὴ νῦν ἀνοχὰς καλεῖ, ὡς τὸν πάντα ἀνοχέως ἀνέχοντας. ὑφ' μὲν ἀναμπεῖ φ' θατηρὰς αὐτῶν ἁπλεμφύλης δυνάμεως. ὑφ' δὲ ἀνοχικῷ τ' φρρητικῆς. ταύτας δὲ τὰς δυναμεις ἀπὸ μονῆς τοῦ κόσμου αἰτίας, ἃ ἀπλανῶς ὁρίζονται τάξεως. εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεραι δυνάμεις λεγόμεναι παρ' αὐτοῖς ἀμείλικτοι, οἷον φύλακοι, καὶ ἀνεπίστροφοι πρὸς τὰ τῆδε. καὶ τὰς ψυχὰς ποιοῦσαι τοῖς θελητηρίοις μὴ μειλίσσεσθαι πάθεσι, Potestas stat tuunt in mundo Chaldæi, easq; appellarunt mundi ductores ceu quæ mundum agant, motibus prouidentiæ. Has igitur nunc uocat sustentatores, uidelicet mundum suffultiendo tenentes. Ac quòd eas uocat inflexas, designat stabilem, firmamq; eorum potestatem, quòd sustentatores, indicat custodiam. Hos autem potestates definiunt permanentiæ, perennitatisq; mundi, & ordinis immoti causas, Sunt autem & aliæ potestates, quæ dicuntur ab eis amilicti, quod est, intensi, inuertibiles, ad ea quæ sunt hic, & facientes animas illecebris et affectibus non demulceri. Hæc Psellus. Ecce igitur claro in lumine omnis omnium gentium consonat Theologia. In uetustissimis Hebræorum literis, principes prouinciarum, populorum, & in bello duces protectoresq;, contemplatores humanorum factorum declarantur, à Platone Græcaq; Theologia similiter principes, legati, interpretes à Chaldæis, nunc sustentatores, custodes, conseruatores mundi, nunc humanũ genus tuentes, agentes, moderantes prospectores.

De triplici ordine Deorum, siue Angelorum ex Platonicis, præcipuè Proclo in quo uidetur nostros secutus, ubi à ueritate dissentiat: & de primo Deorum ordine. Caput X.

GEneratum igitur à priscis illis cognitæ, & prædicatæ sunt diuinæ potestates, particularius à subsecutis Platonicis eorum genera, nationesq;, & actio uitæ descriptæ, maxima ex parte è nostris libris, licet hoc ab eis dissimuletur, accepta. Primus omnium Platonicorum Proclus (Nam neque apud Plotinum, neq; Iamblichum, neq; Amelium, nec superiores ea mysteria reperio) ausus est locupletius de his in sua genera distributis loqui. Quæ cum superiores Platonici, quos in cæteris ferè semper imitatur, non prodidissent, nouimus apertè, ut Græci quoq; testantur, eũ ex Dionysio Areopagita surripuisse, sed multis adiectis cõtaminasse. Dico scilicet hæc tria genera Deorũ, siue Angelorũ, qui dicuntur νοητοὶ, νοητοὶ καὶ νοεροί, νοεροὶ μόνον: id est, intellecti, intellecti & intelligentes, intelligentes solũ, quæ sunt tres Angelorum à Dionysio constructæ Hierarchiæ. Proclum secutus est Hermias, & Damascius, aliiq; nonnulli. Cum igitur primus Dionysius Deos illos intellectos, & intelligentes nominasset, omnemq; de eis Theologiam ex sacris literis accepisset, Proclus uiolenter, & contaminatè colligens ex fabulis Poëtarum & Platone, cum primis Parmenide, ueram super his Theologiam infecit: Restituentes igitur omnia in sua loca, Proclumq; partim declarantes, partim cum Dionysio

ſio collatum, paucis (Nam alioqui numeroſe de his ille ſcripſit) emendantes Theologiæ conſenſum demonſtramus. Is igitur in eo, quem inſcripſit de Theologia Platonis, poſt ſingularem, atque ineffabili ſummi Dei Vnitatem, neceſſariò de generibus Deorum ſermonem habendum eſſe dicit. Ac primũ cenſet, in quo ſecutus eum Simplicius eſt, Quemadmodũ Natura naturaliter, Mens mentaliter, Anima quoq; per modum animæ operetur, & gignat: ſic ſupremam Vnitatem quoniam uniſicè, & per modum Vnitatis ſuæ oporteat eum gignere, ante omnia producere diuinas quaſdam ἑνάδας, unitates, ipſi principi Vnitati ſimillimas. Nam optimum, ut Timæus ait, niſi optima facere nefas eſſe. Hæc ab eis etiam uocatur ἑνιαῖον πλῆθος, unifica multitudo. Dicitur fons bonorum Deus, multas producere bonitates, Vnum eſſe Deum & multos Deos, unam Vnitatem, & multas ante omnes res unitates. Vnam bonitatem, & multas poſt unam. Non eſſe autem diuinas has unitates imparticipabiles, & omnino ab omnibus rebus ſeparatas, quemadmodum excellentiſſima illa Vnitas. Quid enim ab ea differrent? Sed eſſe ueluti flarem, aut ſummitates, & ſummum in unaquaq; re. Easq; eſſe medias, quibus omnia uniantur ad ſupremam Vnitatem. Vnitates igitur Deos eſſe participatas, quæ coniungant omnia, & uniant, quæ poſt ſe ſunt, ob illam Vnitatem, quæ tranſit in eos omnes. Quamiã igitur quilibet Deorũ Vnitas eſt, & ab aliquo rerum ordine participatur, ob hanc cauſam eſſe participationem, cum ordine, quod prima à primis, ſecunda à ſecundis participantur: Sicq; propinquiores ſummæ Vnitati unitates à primis et ſimpliciſſimis ſubſtantijs participari longinquiores ab his quæ magis ſunt compoſita: concluditq; de his omnibus Proclus: εἴπωμεν ὅτι μετὰ τὴν μίαν τῶν ὅλων ἀρχὴν, μονάδες ἡμῖν αὐτοτελεῖς ἐφάνησαν οἱ θεοὶ, μετεχόμενοι μὲν ὑπὸ τῶν ὄντων ἁπάντων, οἱ δὲ πρὸ τὴν σωτηδωτέραν τὴν εἰς αὐτὰ ποιησάμενοι πρόοδον. Quæ ſunt, Dicamus quòd poſt unũ rerum principium, unitates nobis Dij apparuerunt, per ſe perfectæ. Qui ſubſtantialiter à rebus participentur: alij uerò ſecundũ compoſitionem, ſubſtantiam facientes in eundem proceſſum. Hæc à Proclo dicuntur, examinanda poſtmodũ, & quid ueritatis habeant dijudicanda. Item Proclus ait, ut ex his ea, quæ ſequentur, melius innoteſcant: ἁπάντων μὲν τῶν ὄντων, καὶ αὐτῶν τῶν τὰ ὄντα παραγόντων θεῶν μία καὶ ἀδιαίρετος ἕνωσις, καὶ ἀμέτεκτος αἰτία πρόεισιν, ἄῤῥητος μὲν πάντι λόγῳ, καὶ ἄφραστος ἄγνωστος δὲ πάσῃ γνώσει, καὶ ἄληπτος, πάντα μὲν ἀφ' ἑαυτῆς ἐκφαίνουσα, πάντων δὲ ἀῤῥήτως προϋπάρχουσα, καὶ πάντα πρὸς ἑαυτὴν ὡσαύτως ἐπιστρέφουσα, τέλος δὲ ἔστι τὸ πάντων ἄῤῥητον. ταύτην δὴ τὴν τῶν ὄντων ἐκβεβηκίαν χωρὶς ὢν ἀπὸ πασῶν, καὶ πάσας μὴ τὰς ἑνάδας τῶν θείων. πάντα γὰρ τὰ μετὰ τὸν ὄντων. καὶ τὰς πρώτας ἑνιαίως ὑφίστησι, πάσης θεότητος αἰτία. τὸ γὰρ εἶναι θεὸν, πάντες οἱ θεοὶ σφᾶς τὸ πρῶτον ἔχουσι θεὸν: Omnibus igitur rebus, etiam ipſis Dijs, qui

qui res producunt, una separata, segregataq; & imparticipabilisq; causa præexistit. Ineffabilis quidē omni sermone, & indicibilis: omni autem cogitationi incomprehensibilis, & ignorabilis, omniaq; ex se producens, et ante omnia ineffabiliter præexistens, cuncta ad se reflectit. Finis optimus omnium rerū. Hanc igitur separabiliter et uerè ab omnibus segregatā, et omnes Deorū unitates, generaq; rerum & processus unificè creans uocat Plato Solē, uocat regē circa quē omnia. Hæc omnis Diuinitatis causa. Nā ut essent Dij, cuncti Dij à primo Deo habent. Ad hunc modū Proclus diuinè, si perseueraret, insisteretq; semel inuentæ et prædicatæ ueritati. De Dijs autē primis, quorū est post excellentissimā Vnitatē primus ordo, præter superiora subijcit: ἑνάδες γὰρ ἐφάνησαν ἡμῖν ἀπὸ τῶν σωμάτων ἀνιοῦσιν οἱ θεοί. ἑνάδες ὑπερούσιοι γεννητικαὶ τῆς οὐσιώδους καὶ τελεωτικαί, καὶ πάσας ὁλοτελεῖς τὰς πρωτίστας εἰς ἑαυτὰς ἀναδησάμενοι: Vnitates, inquit, apparuerunt nobis Dij à corporibus ascendentibus. Vnitates supersubstantiales, genitrices substantiarū, et perfectrices, & omnes substantias proximas ad se ipsas colligantes. In hoc Procli dogmate hoc iudiciū adhibendū est, ut eum qui bene, rectéq; Deos post altissimā Vnitatē locaut, errare constanter asseramus, & quæ apud maiores, ipsumq; Platonē nusquā extent, confingere, cū Deos illos primos dicit supersubstantiales. Asserunt enim Damascius, et Iāblichus, sed prior Dionysius, Vnū duntaxat esse supersubstantialē, Vnū illum singularē, eminentissimumq; Deum iure uocari supra substantiā, ut qui fuit, estq; autor substantiæ. Qui cū fuerit, ipsis etiā testibus, autor Deorū, quos creauit, planè supra Deos ineffabiliter extat, et hæc ineffabilis excellentia dicitur supersubstantialis, quæ soli illi congruat, cui soli congruit nomē Vnitatis. Quare idololatria est hæc Procli, & crimen læsæ maiestatis, incommunicabile Decus, honoresq; singulares, et soli Dei inhærētes, creaturis uindicasse. Itaque eiusdē impietatis est, hos Deos substantiarū prædicare genitores, nimirū creandi singularē Dei, et imparticipabilē potestatē transferre ad minores Deos. Et quod Plato, cæteriq; omnes de custodia generis humani, quā summo consensu Dijs adiudicarunt, ad generalē substantiarū creationem deducere. Non ne Platoni mundanus opifex, quem Mentē et causam, et Deū uocat autore Laërtio, creat omnia corporea, & incorporea, ipsos etiam Deos? Vbi sunt apud eū Dij substantiarū genitores? Similiter errat assertio Deos alligare ad se cuncta. Nam Philo Iudæus optimus è Platonicis, Verbum Dei solū dicit esse, quo cuncta ligantur, sustinentur, uinciuntur. Et Trismegistus, in eo, quē inscribit, Quòd in solo Deo sit bonū et pulchrum: πάντα γὰρ ὅσα ἐστὶν ὦ Ασκληπιέ, ταῦτα ἐν τῷ θεῷ ἐστί, καὶ ὑπὸ τοῦ θεοῦ γενόμενα, καὶ ἐκεῖθεν ἀρτημένα. Quæ sunt, Omnia quæ sunt, inquit, ô Asclepie, sunt in Deo, et à Deo fiunt, et illinc dependēt, et sustinētur. Paulò uerò superius: ἀρχὴ δὲ καὶ περιοχὴ, καὶ σύστασις πάντων ὁ θεός. Hoc est, Principiū, cōplexus, continentia rerum omnium Deus. Quare Proclus finxit nouā nunc Theologiam, à qua maiores sui prorsus abhorruissent. Nam item allegationem, & reductionem

non

non ad ſeipſos dixerat Dionyſius, quem Proclus imitari conatur, non imitatur be/ne: ſed, αἱ πανιερὰι δυνάμεις ἀναγωγικὰι πρὸς τὸ θεῖον: ſacræ poteſtates ſunt reductrices ad Diuinitatem. Reducunt ergo non ad ſe, ſed Deum. Sed nos de/lectum habentes in illis, quoniam ſolis ſacris literis data eſt incorrupta, & inuiola/bilis ſapientia, probamus eos in admiratione & aſſertione diuinarum rerum pari/ter contendere nobiſcum.

Generatim de Diis, & eorum prima acie, quid'ue Proclus commentitium af/fixerit. Caput XI.

EXinde is idem cum diuum Dionyſium tres Hierarchias Deorum ſiue Angelo/rum uidiſſet, refugeret autem uerum ueritatis ac religionis fateri fontem, diſſi/mulata horum trium diuinorum ordinum doctrinæ origine, ſuæq; ſuperſtitioni co/lorem adhibens, conatur ex Platone deducere, præcipuè ex Philebo, ubi ſint termi/nus Deus, & indeterminatio, in medio, id quod dicitur miſtum. Quo libro ſit etiam hæc trinitas, κάλλος, ἀλήθεια, συμμετρία, pulchritudo, ueritas, commenſurabi/litas. Hæcq; eſſe tria illa genera, & tres ordines Deorũ. Ac de ſuperioribus ſic ſta/tuit: ὧν τὸ μὲν πέρας ἐστὶ θεὸς, ἐπ' ἄκρῳ τῶν νοητῶν, προελθὼν ἀπὸ τῶν ἀμεθέκτων, καὶ πρωτίστως θεὸς πάντα μετρῶν. καὶ ἀφορίζων, καὶ πᾶν τὸ πατρικὸν, καὶ συνεκτικὸν, καὶ ἄχραντον τῶν θεῶν γένος ὑφιστάς. τὸ δὲ ἄπειρον δύναμις ἀνέκλειπτος τοῦ θεοῦ τότε, πάσας τὰς γονικὰς διακοσμήσεις ἐκφάνσασα, καὶ πᾶσαν τὴν ἀπειρίαν, τήν τε πρόσθεν καὶ τὴν ὀπίσθιον, καὶ μεχρὶ τῆς ἐσχάτης ὕλης. τὸ δὲ μικτὸν πρώτιστος, καὶ ὑπερτάτου διακόσμου τῶν θεῶν, καὶ περιόντως τὰ πάντα σωτηρίως ἐν τριάδι μιᾷ νοητῇ συνεκτικῇ συμπληρούμενος, παντὸς δὲ τοῦ ὄντος τὴν αἰτίαν, ἐνιαίως προέχων, καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς τοῖς πρωτίστοις ἀκρότητα, καὶ τῶν ὅλων ἐξηρημένῃ ἱδρυσάμενος. Quæ ſunt, È quibus, inquit, terminus eſt Deus in ſummo intelligibili pro/grediens ab imparticipabili, & primo Deo, omnia commenſurans, & determi/nans, & totum paternum, & contentiuum, purumq; Deorum genus creans. At infinitum uirtus eſt indeficiens iſtius Dei, omnes generat ordines, efferens, & om/nem infinitatem, & anteſubſtantialem, & ſubſtantialem, & uſq; ad extremam materiam. At uerò miſtum primus, & altiſſimus Deus, ordo Deorum, ſecreto cun/cta complexus, per trinitatem intellectualem, contentiuã, repletus, omnis rei cau/ſam unifice complectens, & intellectualibus primis, ſummitatem, & ab omnibus ſeparatam ſtatuens. Hæc Proclus, nimium certè allegorica, imò uerò friuola, & commentitia, ex fonte uero, locoq; detorta, in ſomnijs humanis, chimerisq; conta/minata. Adhibenda igitur correctio, errorq; omnis, bonis ſelectis à malis, aperien/dus. Prima igitur emendatio, idq; ex doctrina Dionyſij, unde manarunt iſta Procli, erit, quòd ille Deorum ordo non ſunt unitates ille fontales, nequicquam eſt, cur

hoc

cur hoc nomine uocentur, nec ſubiacet nomini quod ſuſpicatur, & aſſeuerat Proclus. Quod ut clarius intelligatur, intelligenda eſt, & conferenda ſententia Procli, & Dionyſij. Primum conueniunt uterq; quòd ineffabilis, ac ſupere minens Vnitas ſit cauſſa omnium Deorum. Quod in ſuperiore teſtimonio Proclus dixit, Dionyſius autem de cœleſti Hierarchia, de Ieſu: ὑπὲρ τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν ὑπερού σιος αἰτία: Supercœleſtium ſubſtantiarum, ſuperſtantialis cauſſa. Non conueniunt autem, errorq; Procli eſt, quòd non dicit genitos aut factos aliquando ab eminenti Deo, Deorum hos ordines, ſed generari, fieriq; ſemper, & quaſi ſemper nitescere, innuens quendam ſempiternum ordinem naſcentium Deorum à ſupremo. Vera autem doctrina eſt, quòd Deus eſt æternus, ſubſtantiæ ſupercœleſtes, & ſi maximæ ſunt, maximeq; diuinæ, creatæ tamen ſunt. Et id deſignat Dionyſius, cum Ieſum uocat cauſſam ſupercœleſtium ſubſtantiarum. Generatio autem illa cum ſit impoßibilis, & non naturalis (quia qui naſcerentur, manarentq; à Deo, eodem genere Diuinitatis, atq; ſupremus, Dij eſſent, habentes fluentem in ſe ſubſtantiam, Diuinitatem, & dicunt tamen ipſi nobiſcum, ineffabilem illam Vnitatem ab omnibus eſſe ſeparatam) certè uerius eſt & naturalius, ut ſupercœleſtes ordines ſint creati, illaq; perpetua dependentia, manatioq; quaſi radiorum à Sole, ſic à ſupremo Deo, ipſorum Deorum eße non poßit. Secundum emendandum eſt, quòd Proclus idcirco uocat primos illos Deos, & quaſi primam Hierarchiam, θείας ἑνάδας diuinas unitates, quia deprauans ueram, quam ſuperhoc apud Dionyſium deprehendiſſet Philoſophiam, cenſet ad eos, quaſi fontes omnium rerum, & , ut ipſe uocat, ἀκρότητας, ſummitates, cuncta reuocari, atq; uniri, totum hoc ad creationem, generationemq; rerũ uniuerſalem referẽs, quæ à ſupremis hiſce Dijs adminiſtretur, Creditq; Deos hos ſupernos, eſſe Ideas illas ſummas, & quaſi uniuerſalia rerũ cunctarum, quod & impoßibile eſt, & naturæ contrariũ, Ideis neq; per ſe ſubſiſtentibus, neq; modũ, & rationẽ inueniente animo, huiuſmodi cõmenti. Vera igitur doctrina eſt, & id prodit Dionyſius, quòd Angeli, ſeu Dij, ſunt unifici, quia per eos, genus humanũ edocetur, & ad autorem ſuũ reuocatur, ſicut ipſe multis exẽplis ex ſcripturis declarat Dionyſius, dicens alios initiare, alios initiari: alios illuminare, alios illuminari: πάντὸς τοῦ ἱεροῦ τὸ ὑπερέχον, ἐξηρημένως, εἰ γοῦν ἐγγίσει τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν ἀμίκτως. Ita nõ attingit creationẽ, neq; deſignat, neq; uniuerſalis eſt iſta unio, ſed particularis adminiſtratio humani generis, quo et à Platone, et à Dionyſio dicũtur πτερορυέντες, tranſportantes, et inter homines, ac Deũ intercedentes. Hæc unio eſt. Hoc uocati unifici, cõiunctores, ductores: creatio aũt nõ eſt eorũ. Itaq; emendandũ quoq;, diligenterq; diſcutiendũ, quod ſuper eorũ actiõe uitæ traditur à Proclo. Neq; enim agũt Dionyſio et ſacris literis dij, quod illi ex inepta ſuperſtitiõe uoluerũt. Vera enim et naturalis doctrina Dionyſij, Platõis et Ariſtotelis eſt, quòd eorũ uita eſt contẽplatio dei, amorq; inauditus, et inebriatio, æternaq; dulcedo, et Nectar ex intuitu diuinæ præſentiæ, ſecreta

colloquia, gaudiaq; omnibus mortalibus incognita. προσεχεῖς μὲν σαι, καὶ εἰς τὸ ἄνω τὸν ὡς θεμιτὸν, ἐν συντονίᾳ τὸ θεῖον καὶ ἀκλινῶς ἐρώτος, ἀνατεινόμενοι, καὶ τὰς ἀρχικὰς ἐλλάμψεις ἀΰλως, καὶ ἀμιγῶς δεχόμενοι. Vt ait Dionysius, proximi assistunt, defixiq; intuentur, quantum eis datur, in Deum amore diuino nunquam deficiente, accensi. Regiosq; illos radios immaterialiter, & impermistè accipiunt. Deinde generis humani administratio, procuratio que, ut ad eadem gaudia homines perueniant. Hæc agunt Angeli, id est, Dij. Proclus autem dimissa nobilissima hac actione uitæ, & à dignissimis rebus ad inferiorem mundum eos auocans, sicut humani generis immortalitate, deificationeq; uera contempta, ineptissimè deificarunt hunc mundum, facit eos occupari in procreatione, & genituris omnium corporum. Itaq; nec unitates sunt hac ratione: nec est rerum inferiorum cum eis participatio. Non enim participāt res terrestres ipsos Angelos. Solius Dei rectè dici potest uniuersalis participatio: quia solus ab omnibus, præcipuè Angelis participetur: designante participatione, uniuersalem, diffusamq; per omnem naturam prouidentiam, tutelam, quod solius Dei est, & esse potest. Nec res sustantialiter participant illos ordines Deorum, in quibus non sit uniuersitas Naturæ. Et participationem scribit: αἱ μὲν ὑπερβεβηκυῖαι τοῦ ἐξ εἴχουσιν τὰς τῶν ὑφειμένων διακοσμήσεως ἐλλάμψεις καὶ δυνάμεις. ἀμέθεκται δὲ αὐτὰς ὑπερκειμένων εἰσὶν αἱ τελευταῖαι: Ordines supereminentes, habent radios & uires ordinum inferiorum, imparticipabiles autem sunt, id est, non participantes nouissimi supereminentium eos. Postremo uelut totum commentitium, ac fabulosum & minimè naturale reijciendum, quod tradit de Deo Termino, & de Apiria, deq; Misto, Primum quòd ea Platonis mens nō fuit in Philebo, ad hæc non est Naturæ, rationi consentaneum, ut Terminus sit Deus, creans ordines inferiorum Deorum, cum omnis creatio sit solius Dei. Et quòd Apiria sit infinita Dei istius potentia. Nam nulla nisi supremi, eminentissimiq; Dei est immensa potestas. Ad hæc nulla est Apiria, id est, immensitas, nisi Dei. Nulli quoq; sunt ordines Deorum γεννητικοὶ, generatores, uno creatore sufficiente. Præterea προούσιος, & ὑπερούσιος, sunt nomina solius Dei, non ullius ordinis Angelorum. Solus enim Deus quod superioribus libris ipsimet fatentur, est supra substantiam. Ea quoq; quæ de Misto loquitur, friuola sunt omnia, uitiatis bonis suorum commercio commentorum. Quod autem sint maximè uiolenta, & coacta, quæ de Infinito, Termino, & Misto comminiscitur, apparet ex ipso Philebo, quo libro Plato disserit de tribus rebus, quibus omnis res corporea subsistat, indicans iuxta Pythagoreos omnia constare ex materia, quæ ab eis dicebatur Infinitum, & ex forma quam Terminum appellabant, qua definiatur infinitas materiæ. compositum autem ex materia, & forma uocabant Mistum. Hæc est sententia Platonis: Factum est autem, ut quoniam arbitrariè interpretatus est hæc Proclus, quibus nullum subest fundum, meritò fabulosa, uanissima ex his sint nata. Insatiabiliterq; nugatur super re commentitia, longam fabu-

gam fabularum, commentorumq; animi ſui contextam ſeriem ducens, in quibus ne que ordo eſt ullus, neque ratio. Sed nobis ſatis eſt docere, ut ueritas eis etiam hoſtibus placuerit, & ſuis ſuperſtitionibus accommodare conati ſint.

De triplici Hierarchia Deorum, & quid ueri, aut a uero diſſentiens de ea ſcripſerit Proclus. Cap. XII.

RVrſus Proclus miſcens bona malis, hæc de Hierarchijs uera, noſtrisq; literis cõſona loquitur: καὶ γὰρ αἱ τρεῖς αὗται τελάδες μυστικῶς ἐπαγγέλλονται τὸ πρώτως θεῖον καὶ ἀμετέκτως παντελῶς ἄγνωστον αἰτίαμ. ἡ μὲν τὴν ἄρρητον αὐτῆς ἕνωσιν, ἡ δὲ τὴν πασῶν δυναμεῶν ὑπεροχήν, ἡ δὲ τὴν παντελῆ τῶν ὄντων ἀπογέννησιν. Etenim, ait, hæ tres trinitates myſticè enunciant primi, & imparticipabilis Dei omnimodo ignotam cauſam. Alia ſecreta eius Vnitatem, alia omnium uirtutum eminentiam, alia omnimodam rerum generationem. Hæc de Natura, ſuper qua longè falſiſſima narrat, ſed officia congruentia noſtris è literis ſumpſit Proclus. Nam ut hoc nunciandi munus, myſteriorumq; notionem amplectitur, ratione docente, & ſummo Theologorum Dionyſio eadem tradente, ſic reijcimus fabuloſaq; iudicamus, quæ de poimo genere Deorũ eloquitur: καθάπερ ἑνάδες εἰσὶν οἱ νοητοὶ θεοὶ πρώτως καὶ πατέρες εἰσὶ πρώτως αἱ γὰρ ἑνάδες αἱ θεῖαι καὶ βραχύ προϊοῦσαι, πάντων τῶν ἐγκοσμίων τὸ πλῆτος ἀπεγέννησαν. ἐσὶν οὖν ἡ τριὰς αὕτη πηγὴ, καὶ αἰτία πάντων, καὶ ἀπ' αὐτῆς πᾶσα ζωὴ, καὶ πᾶσα πρόοδος ὑπόστασις, θεῶν τε καὶ τῶν κρειττόνων, ἡμῶν γενῶν, καὶ τῶν θνητῶν ζώων: Quemadmodũ unitates ſunt intellectuales Dij primò, etiam patres ſunt primò. Nanq; unitates diuinæ, paulatim emanãtes, omnium mundanarũ rerum multitudinem progenuerũt. Eſt igitur trinitas iſta fons, & cauſa omnium, & ab ea, uita omnis, & proceſſus ſubſiſtit, uidelicet Deorũ meliorumq; nobis generum Deorum, & mortalium animalium. Hæc à Proclo inconſideratè, ne dicam impiè dicuntur: primum quòd ipſe ſibi pueriliter contradicit, ut qui multis in locis tria rerũ principia ex Theologia Platonis erigens, à quibus corporea, & incorporea naſcantur, uidelicet ſummo Bono, Mente, quib. ſuperius cuncta res genitas referebat, nunc adeò deſormat, lacerat prædaturq; eorum imperiũ maieſtatemq; lædit, ut putet, & eò adducatur, ut credat poſſe alios eſſe Deos, à quibus omnia cœleſtia, & terreſtria ſint progenita. Nec uidet indigna Philoſophia, et rebus, quas extulit, inconſtantiã, friuolasq; ineptias, et contra Naturæ leges impietatem. Si Deus unus eſt autor hominũ, atq; Deorum, ut Plato, ut Ariſtoteles, ut ipſi fãtentur, ut Natura fãteri cogit, quid opus erat, Dijs his genitoribus aliorum Deorum, mortaliũ, quàm animaliũ? Cauſa mali fuit, quòd Deos iſtos, Ideas illas Platonicas primus credidit, per quas omnia nata prodierint in lucẽ, ſeparans Ideas à Mente diuina, quod nec Plato, nec boni Platonici fecerunt, easq; quaſi quendã potentiſſimarum Dearũ chorum, primosq; fontes ſtatuens. Et tamẽ priſca Philoſophia, ut tot ſuperius exemplis eſt probatũ, Ideas Mentẽ diuinã dixerunt ipſam maximam Ideam,

ac formam uniuerſalem, fontemq; genitorem omnium rerum. Qui autem Ideas à diuina ſapientia ſeparatas diuinam eſſe gentem contendat, non ſecus deliret, atque is cui flumina, fontes, arbores, Dij prædicantur, & quaſi poëta Idearum eſt. præterquàm igitur quòd ſunt falſa, & impia, etiam uerò non naturalia, quæ dicit, ratione ſentiente, ipſis item docentibus, unum duntaxat ſingularem fontem, & autorem eſſe hominumq; Deũmq;, idq; nullo Idearum interueniente patrocinio. Quæ ſi ſunt Deus ipſe, ſunt diuina Mens, incomprehenſibilis, ineffabilis, inexhauſta ſapientia. Quare abijciantur tanquam ſcelerata, et ſacrilega, impiaq; figmenta hæc Procli, quòd nec Plato diuinus, nec cæteri Platonici ea tradiderint. Tum uero Philoſophia Dionyſij ab his Procli deliramentis inuiolata nobis remaneat, quam cum imitaretur, & è Platonis libris non inuentam uiolenter deduceret, quibuſcunq; cauſis tuliſſet, nugis adhæſit. Præclara quidẽ de ſummo Deo Plato locutus eſt, itemq; de Dijs, qui inter ſupremum Deum, & homines intercedant: locutus autem eſt, quòd medij ſint, & internuncij, quaſiq; legati, quòd preces, & beneficia humana ad Deũ perferant, ad homines diuina beneficia. Sed quòd ſint poſt ſingularẽ Deum, ceu fontes aliorum Deorũ, mundanarumq; rerum, multaq; alia prodigia longis ſermonibus à Proclo contexta, hoc uerò nuſquam nec ſenſit, nec dixit Plato. Itaq; his annotatis reliquam nugarum ſeriem, quam mihi curæ non fuit euoluere, dignoſcent, qui in libros Procli inciderint. Quem enim habent in ueritate locum, quæ addit, quòd hoc genus Deorum νοητὸν, ab omnibus diuinis ordinibus unifice ſeparatur, & quòd ante omnia quæ intelliguntur, ſubſiſtat, quia imparticipabile ſit, & diuinum, intelligibile. Violenta ſunt ſedibusq; ſuis tranſpoſita, Dei ſunt, non Angelorum, ſiue Deorum. Illa quidem uera etiam à Dionyſio tradita, quòd hoc genus πληροῖ ἄνωθεν τοὺς θείους καὶ νοεροὺς διακόσμους, Replet ſupernè diuinos, & intelligentes ordines: uidelicet irradiat, ut ait ſummus ille theologus, Angelorum primus ordo, ſecundo, & tertio ueritatem, lucem, myſteria, communicatq;, & quaſi initiat. Vera quoque ſunt & illa, & eiuſdem generis, ἀκότως λέγομεν νοητοὺς θεοὺς τῆ ἀῤῥήτου ἐκφαίνειν τῶν πάντων ἀρχήν, καὶ τῆ θαυμαστὴν ἐκείνης ὑπεροχήν, καὶ τῆ ἑνωσιν. Quod eſt, iure dicimus Deos ſiue Angelos intellectuales ſecretam efferre omnium originem, & admirabilemq; eius excellentiam, & unitatem. Hæc enim ſunt arcana illa myſteria, quæ primo ab altiſſimis illis, Deoq; proximis Angelis noſcuntur, de quibus tertio & quarto capite, in cœleſti Hierarchia loquitur Dionyſius. Ea uerò partim uera, partim falſa. Quòd ſunt reges omnium cum cæteris Dijs incoordinabiles: Et quòd ſummum Bonum intellectuali luce afflauit omnia: & Deos ἀνέφηνε, declarauit, patres omnium: & quòd primum Deorum genus propter propinquitatem, & ſimilitudinem, cum ſummo Deo ſubſtantiam dat ſecundis Dijs. Si igitur adimas creationem rerũ, quam Dijs hiſce ſupremis iniuſt conceſſit, cætera à fermè uera ſunt, & ex fontibus Dionyſij ſyncerè fluentia.

De-

De secundo Deorum siue Angelorum ordine, quem ex Dionysio deducat Proclus. Cap. XIII.

PRosequitur post hos Proclus secundum Deorum genus, quos appellat νοητοὺς καὶ νοερούς, intellectos siue mentales, & intelligentes, προέρχονται τοίνυν ἐκ τῶν νοητῶν οἱ μὲν ὅλως νοεροὶ θεοί, περὶ πάσας ἄρα τὰς νοητὰς οὐσίας ἀπεγλυφθεῖσαι αἱ νοηταὶ καὶ νοεραὶ διακοσμήσεις τῶν θεῶν. τῶν γὰρ νοητῶν ἐν τῇ τριαδικῇ προόδῳ τὴν ἐνιαίαν ὑπάρξεως, ὅταν ἀφεστάντων, οἱ νοητοὶ καὶ νοεροὶ θεοὶ τριαδικῶς ὑποστήσονται: Procedunt igitur ab intellectis, intelligibiles, ac mentales Dij. Itaq; secundum omnes intellectuales causas geniti sunt ordines intellecti, & intelligentes Deorum: intellectis Dijs in triplici processu, non discedentibus ab unifica sua essentia. intellecti, & intelligentes Dij tripliciter subsistunt. Hæ tres propositiones de hoc secundo genere, apud Proclum. Declarans autem quare intellecti & intelligentes dicantur, dicit: νοοῦντες μὲν τοὺς πρὸ αὐτῶν, νοούμενοι δὲ ὑπὸ τῶν μετ' αὐτούς θεῶν: Quia intelligãt eos, qui ante se sunt, intelligentur autem ab his qui subsequuntur. Tum id ipsum à principio commonstrans, & post Deos intellectos succedere intelligentes dicens in duo genera distributos. De his inquit, τὰ μέν ἐστι νοητὰ καὶ νοερά, ὅσα νοοῦντα νοεῖται, κατὰ τὸ λόγιον, τὰ δὲ νοερὰ μόνον: Alia quidẽ sunt intellecta, et intelligentia, quæcunq; uidelicet intelligentia intelliguntur, ut ait oraculũ, alia intelligentia solũ. Hæc Procli dogmata, quoniã à uera Theologia, quam in Dionysio uidebat, nascebantur, speciem habent ueritatis: rursum sordent falsitate, humanis commentis uiolata. Ac quemadmodũ hi Dij, partim intellecti sunt, quòd ab inferioribus intelliguntur: partim intelligentes, quòd supernos intelligunt: sic dogmata, & dicta Procli, partim uera sunt, quia de fonte bono prodierunt, partim falsa, quia uera Philosophia uiolentis insomnijs est contaminata. Verum igitur est, post primam Hierarchiam summorum, excellentissimorum Angelorum, sequi secundam. et uerum est, à Dionysio q; item traditum, quòd primi dicuntur intellecti solum, quòd ab inferioribus tanquã discipulis, ipsi eorum magistri, doctores q; aspiciuntur, considerantur. Vtitur enim ea uoce Dionysius, quòd inferiores: μαθητεύσι, cupiunt ab eis noscere, seq; eis uti discipulos offerunt, à quibus arcana mysteria, quæ Deo proximi, noscunt, accipiant, eoq; Dionysius utitur frequenter nomine irradiationis, ἐλλάμπεσθαι, irradiari, illuminari: & ueritas, ac sapientia, quæ traditur, & qua inferiores initiantur, dicitur irradiatio. Atq; ad alia super hac re ait, τοῦτο γὰρ σαφῶς οἱ θεολόγοι δηλοῦσι τὸ, τὰς ὑφ' ἡμῶν λεγομένας ὑπὸ οὐρανίων ὑπὸ διακοσμήσεις πῶς τῶν ὑπερβεβηκυιῶν ἀνακόσμως ἐκδιδάσκεσθαι τὰς θεαρχικὰς ὑποδοχάς. τὰς δὲ πασῶν ὑψηλοτέρας ὑπ' αὐτῆς θεαρχίας, ὡς θεμιτὸν τὰς μυήσεις ἐλλάμπεσθαι: Hoc enim clarè Theologi significãt, inferiores ordines cœlestium substantiarũ à supernis per ordinẽ scientias diuinas edoceri: Ipsas autem omnibus superiores ab ipsa summa Diuinitate, ut fas est, initiationes ir-

nes irradiari. Vides fontē Theologiæ Procli, unde loqui de diuinis ordinibus (Nam in Platone, ut ego quidē sentio, ordines hi non sunt) animatus. Adducit Proclus tamen Chaldaicū oraculum, Quæcunq; intelligunt, et intelliguntur, medio in ordine esse. Nam multa admiratione digna, maximeq; diuina apud Chaldæos illos deprehendas: Quùm sint autem concordes in eo, Dionysius, & Proclus, & quòd secutus sit Proclus Dionysium, declarant, quæ simili modo de irradiatione loquitur Proclus, dicens de sapientia, quā uult esse ordinē Deorū: Ὃ ὅσωερ ὁσίας ἐκείνα πάσιν ἐκλάμπουσι, ὅτως αὕτη τὰς γνώσεις ὡσαύτως λάμπει τοῖς θεοῖς, ἐκ δὲ ἀνίσχος ζωφόμενος τοῖς νοεροῖς ἐναίσως μετέχει τῆς ἀφθάρτου καὶ τῶν θεῶν ἀμιάντου μένης: Et quemadmodū illa dat omnibus substantiā, sic ista cognitiones irradiat Dijs. Igitur auriga, quidē nutritus intelligibilibus unificè participat perfectionē à Dijs radiantem. Sunt igitur hæc omnia uera, nota, non solū nostris, sed etiā Chaldæis, qui substantias has appellant, ut superius uisum, κοσμαγοὺς, mundi ductores, et propter summā sanctitatē ἀχράντους, intactos, intemeratos, et ἀμόλυντους, incorruptos, indemulcibiles. Illa uerò nec apud Chaldæos sunt, nec usquā in sacris literis. Naturæ quoq; et dictis eorū sunt contraria, quòd q̄ bene de doctrina, et initiatione, et irradiatione dicuntur, quæ à maioribus detur inferioribus, tam malè de generatione, et ortu, quòd minores à maioribus nascantur, ac subsistant, hoc ab ipsomet Proclo additum est. omnia enim à primo principio immediatè profecta, & creata etiam ipsi fatentur. Quare falsum est medios à primis oriri, & subsistere. Reliqua doctrina, cum tota fermè fabulosa sit & fictitia, ut quæ non ex apertis testimonijs sit, sed uiolentis allegorijs collecta, quas inexplicabiliter adamauit Proclus, ut, si meieret Socrates, allegoricè meierit, non est nec excutienda, nec admiranda. Illud item considerare operæpretium, ut scias Proclum, hæc ab alio fonte accepta quibusdam uanis suis insomnijs coloraſſe, in hoc ordine Deorum intellectorum, & intelligentium dicit esse hanc trinitatem, τὸν ἐκφαντορικὸν, τὸν συναγωγὸν, τὸν φρουρητικὸν, Annuntiatricem, colligentem, custodientem. Hæc nomina si uideris Dionysiū, uidebis ab eo prius inuenta, & formata. Additq; Proclus: Διόπερ ἡ μὲν ὅλη σωναγωγὸς τριὰς, ἡ δὲ συνεκτικὴ τοῦ πλήθους, ἡ δὲ τελεσιουργὸς: Vt alia trinitas sit colligens, alia continens multitudinis, alia perficiens totum hoc genus. Et hæc trinitas, nomina que sumpta sunt ex Dionysio, cuius peculiare nomen est ἐκφαντορία, neque à Platone, neque Orpheo, nec ullo ferè ex Platonicis usurpato. Illud quoque Dionysij est, quod Proclus ait de Dijs, siue Angelis, qui dicuntur τελεσιουργοί, ὅτι δὲ τελειούμεθα μὴ αὐτόντες, ὑπὸ τοῖς τελεσιουργοῖς θεοῖς, μυούμεθα δὲ τὰ ὁλόκληρα τῆς ἀτρεμοῦς φάσματα ὑπὸ τοῖς σωτηρικοῖς. Quæ sunt, Ergo, ait, perficimur aſcendentes sub perficientibus Dijs, initiamur autem uisiones perfectas & stabiles, sub contentiuis. Hæc inquam Dionysij sunt omnia, non res modò sed etiam nomina. Illud quoq;

Illud quoq; Dionysij est, quod ait, εἰς ἣν δὴ καὶ ἡμᾶς οἱ τῶν ὅλων ἀγαθῶν ἡγεμόνες τελετάρχαι καταπέμψειαν, οὐ λόγοις, ἀλλὰ ἔργοις φωτίσαντες, Ad quam teletam & nos omnium bonorũ principes Teletarchæ deducunt, non uerbis, sed rebus illuminantes. Hoc totum Dionysij est, cuius sermo plurimus est, quòd ab Angelis irradiatur, illustratur, perficitur animis. Nomen quoq; Teletarches ipsius est, quo primum, ipsum initiationis principem Christum, exinde Angelos appellat. Totaq; res de illuminatione spirituali, quæ etiam initiatio ab eo uocatur, Dionysij est. Neq; Proclus de his loqui quicquam potuisset, nisi libros eius legisset, sed dissimulato præceptore uero, ex Platone miris artificijs, ordines hos Angelorum deducit. Quo fit ut eius doctrina sit plena confusionis, mirificarumq; fabularum, quas pro ueris traditionibus, ut ueritati, & his quæ erant alterius, germanum nitorem detraheret, supposuisset. Adeoq; in hoc est impudens, ut meras deliberationes, arbitria, ac decreta, de Dijs, eorumq; uita, genere, moribus, differentijs statuere non erubescat, quasi qui semper eorum fuisset à secretis, & à cubicu-lis, cum eis omne æuum exegerit, ut non exteriores actiones modò, & quas in omni mundo gerant prouincias uiderit, sed cogitationes etiam, arcanaq; pectoris abdita penetrauerit. Quæ breuiter ego admonuisse contentus, nec arbitrans ad singula quæq; operæpretium insistere, selectis bonis, & ostenso, eos super Angelis, ordinibusq; eorum conuenire nobiscum. Nam congruente Proclo facile cæteros assensuros, docet consecutio, assensusq; est Damascius, & Hermias. ueniо ad tertiam Hierarchiam.

De tertia Hierarchia, uel ordine Deorum, ex Proclo, & quod in eo secutus est Aeropagitam. Cap. XIIII.

HAnc Proclus, ut à principio dixi, uocat νοερους μόνους, Intelligentes tantum, quia cum intelligant, aspiciantq; superiores, à quibus, ut ait Dionysius, ueritatem, ac sapientiam irradientur, ipsi in ultimo ordine, nullos alios illuminantes, dicti sunt Intelligentes tantùm. De his Proclus in hunc modum disputat: Τὸ δὴ μετὰ τοῦτο, τρίτιον ἄλλων διακόσμησιν θεῶν, τῶν νοερὰν ἀκρολεμένων θεωρήσωμεν, συνεχῆ μὲν τῇ πρὸ αὐτῆς, συμπεραίνουσαν δὲ τὰς ὅλας προόδους τῶν θείων καὶ ὡσπερέφουσαν εἰς τὴν ἀρχὴν καὶ κύκλον ἕνα τῶν πρωτουργῶν καὶ παντελῶν διακόσμων ἀκροτελῆσαν: Post hæc, ait, tertium, aliũ exercitũ, uel ordinem Deorum, qui uocatur intelligibilis, consideremus, continuũ quidem ei qui ante se est, absoluentẽ autem omnes processus diuinorum, et reflectentẽ ad principiũ, circulumq; unum omnium ordinũ, qui primi opifices sunt, absoluentẽ. Hæc Proclus. Tertius igitur ordo Deorũ, est continuus secundo, deinde in eo absoluẽtur omnes diuini ordines, et quasi facto circulo, ad caput reflectũtur. Hæc uera sunt, et à Dionysio priore, pdita, quibusdã aũt adiectis, et uariata uerborũ serie, à Proclo dissimulata, Sed uniuersale scelus Procli, Dionysius igitur: λοιπὸν ἡμῖν εἰς θεωρίαν ἱερὰν διάκοσμος ὁ τὰς ἀγγελικὰς συγκλείων

ἱεραρχίας, ὁ πρὸς τῶν θεοφιλῶν ἀρχῶν ἀρχαγγελικὴν ἀγγέλων διακοσμούμενος: Reliquus nobis ad ſpeculationem ſacram ordo, qui Angelicas concludit Hierarchias, quiq; à diuinis poteſtatibus Archangelis, & Angelis ornatur. Hæc Dionyſius. Flagitium igitur Procli, Deos hos à ſuperioribus producentis, ſuppoſititium, non germanũ dogma. Nam quod ait, αὐτὴ τοίνυν ἡ νοερὰ τῶν θεῶν ὑπόστασις, ἤρτηται μὲν ἀπὸ τῶν πρωτίστων καὶ πληροῦται παρ' αὐτῶν ὅλης ἀγαθότητος καὶ αὐταρκείας. Nempe, Hæc igitur intelligibilis Deorũ ſubſiſtentia, pendet enim ab antiquioribus cauſis, repleturq; ab eis uniuerſa bonitate, & ubertate. Hæc ex Dionyſio deſumpta, id habent uerum ex fonte ſuo, quòd replentur inferiores hi à ſuperioribus, irradiantur, docentur, aſflantur, initiantur: ſed quòd pendeant uelut à cauſis, et autoribus ſuis, ſuppoſitum, & adulterinum. Melius igitur Dionyſius, quem locum totum uſurpauit, donauitq; libro ſuo Proclus: Archangelorum, inquit, diuinus ordo attingit communiter ſupremam per medietatem Hierarchiam. Nam & ſanctiſſimis principatibus communicat, & ſanctis Angelis: Illis quidem, quoniam ad ſuperſubſtantiale principiũ principaliter conuertitur, & ad ipſum, ut fas eſt, formatur, & Angelos ἐνοποιῶν, uiuificat ſecum, inuiſibiles, coordinatosq; eius principatus: τοῖς δὲ, ὅτι καὶ θεουργικῆς ὅσιον, τάξεως, τὰς θεαρχικὰς ἐλλάμψεις ἱεραρχικῶς δι' τῶν πρώτων διακόμως ὑποδεχομένη, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτὰς ἀγαθοειδῶς ἀγγέλουσα, & δι' ἀγγέλων ἡμῖν αὐαφαίνουσα: His autem, quoniam eſt ex ordine interpretũ thearchicas irradiationes Hierarchicè per primas poteſtates excipiens, et Angelis eas boniformiter annuncians, et per Angelos nobis oſtendens. Vides totum locũ à furaciſſimo Proclo, ſed callidè et artificioſè latrocinia ſua occultante, ſublatũ. Vides quid minores à maioribus accipiãt, irradiationes ſcilicet, & ſcientias, ſapientiam, myſteria, ſacramenta, non ſubſtantiam, non eſſentiã. Non dependet hypoſtaſis eorũ à ſuperioribus, ſed à ſolo, atq; unico Deo. Replentur autem bonitate, ſi bonitatẽ interpreteris ſapientiam, cognitionem, non ſubſtantiã, & eſſentiã. Sed ut agnoſcas, quàm approbauerit Proclus noſtra, licet hoſtis, & quid de eo ſit iudicandum, addit Dionyſius: οἱ γὰρ ἄγγελοι καθὼς ἤδη προειρήκαμεν συμπληρωτικῶς ἀπερατοῦσι τὰς ὅλας τῶν οὐρανίων νοῶν διακοσμήσεις, καὶ τὸ τελευταῖον. Angeli, inquit, quemadmodũ diximus, complete abſoluunt & terminant omnes ordines cœleſtiũ mentium. Proclus autẽ paulò antè: συμπεραίνεσθαι τὰς ὅλας πρόοδους τῶν θείων: Complentem totos ordines diuinorũ. Apud utrunq; igitur abſoluit, terminat omnes ordines Deorum, hæc ſuprema acies Deorum, aut Angelorum. Totus itaq; ſumptus eſt è libris Dionyſij, horũ Deorum ordo, quem nulla ratione ex Parmenide Platonis, ut fingit Proclus, ne Minerua quidem magiſtra informare, & quaſi in catalogum aſcribere potuiſſet. Proſequitur eadem illa ſuo de pectore: προέρχονται δὲ ἀπὸ πάντων τῶν πρὸ αὐτῶν οἱ νοεροὶ θεοί: Procedunt, naſcuntur ab omnibus, qui eos antecedunt

dunt intelligibiles Dij. Hoc iam dixi fieri non posse, summo Deo, cunctarum rerū primo, ac uniuersali fonte. Sed maiores ineptias, ne dicam impietates adiecit, quae quomodo uel animus suus somniare, uel cuiquam probabiles fore credere potuerit, satis admirari non posum: Vnitates, aut unitiones, inquit, accipiunt ab unitate, quae est ante intelligibilia: τὰς δὲ οὐσίας ἀπὸ τῶν νοητῶν, τὰς δὲ ζωὰς τὰς παντελεῖς, καὶ συνεκτικὰς καὶ γεννητικὰς τῶν θείων ἀπὸ τοῦ νοητοῦ καὶ νοερῶν. τὰ δὲ νοερὰ ἰδιότητα παρ' ἑαυτῶν λαχόντες: Substantias aūt ab intellectis. At uitas uniuersales & cōtentiuas & generatiuas diuinorū ab intellectis & intelligenibus. Verū intelligibilē proprietatem à se ipsis. Quae est haec distributio, ac quasi dilapidatio, aut uerius fabrica, ut tanquā ad aedificiū palatij, sicut alius calcem, alius lapides, alius ligna cōfert, sic ad compositionem istorum Deorum, Deus unitatem, prima Hierarchia substantiam, uitam autem apportet secunda: cur qui dedit unitatem, non etiam dedit uitam? Nouis igitur quibusdam Dijs, ueris, ac naturalibus expulsis, cœlum ac mundum complere, nouamq; quasi eorum Rempublicam conscribere satagit. Sed ego cupidior bonorum, ac ucrorum, quàm malorum fictorūq; esse narrator, productis quae bona, nostraq; Theologiae conformia uiderentur, cætera ipsi Proclo de fece suarum fabularum hausta relinquam.

Quod Hermias item, quemadmodum & Proclus, secutus est Dionysium in describendis Hierarchijs cœlestibus: & quid non uerè addiderit. Caput XV.

DIONISIVM quoque & Proclum secutus est Hermias, ea nomina Deorū, & res afferens, quae clarè sunt apud diuinum, supremumq; omnium Theologorum. Vtitur etiam irradiationibus illis Dionysiacis, quibus minores ab altioribus, Deoq; propioribus Angelis afflantur. E quibus ad alia super Phaedrum Platonis ait, τὰ γὰρ ὑπέρτερα τοῖς κατωτέροις, ἀληθείας φῶς ἐλλάμπει: Superiora, inquit, lumen ueritatis inferioribus irradiant. Hoc quàm sit Dionysij, uidere est, in omni propè opere de cœlesti Hierarchia, uisumq; abundè superius. Prosequens autem Hermias, resq; acceptas à Dionysio, nominibus suarum fabellarum appellans, addit: νοήσωμεν τοίνυν τέσσαρα ταῦτα, τὸ ἕν, τὴν πρώτην αἰχμὴν τὸν φάντα, ὅπερ ἐστὶ πέρας τῶν νοητῶν θεῶν, ἀρχὴ δὲ τῶν νοερῶν ἐξηρημένη. Quae sunt, Quatuor, ait, haec consideremus, Vnitatē, primumq; principiū, Phaneta, qui est terminus, finisque intellectorū Deorū, principium aūt ab intelligentibus separatim. Reuocando igitur cuncta in suum locum, & nostra à fabulis eorum segregando, dicatur uerissimum esse, quod de primo principio, quae concorditer ab illis, priscaque omni Philosophia uocatur Vnitas, asseuerat. Quòd autem ait Phaneta finem, absolutionemq; Deorum intellectorum, principium, intelligentiam, sentitq; Deos intellectos, ut sæpenumero docui, primos illos celsissimosque Angelos, quos inferiores aspiciunt, intuenturque uelut doctores suos

intelligentes autem hos ipſos, quorum in ſublimes ſupremosq; illos acies eſt defixa, dicendum Orphicũ illum Phaneta, non eſſe cum Dijs cœleſtibus, intellectiſq; adnumerandũ. Phaneta enim Solem appellabat Orpheus, cuius reddidit ipſe rationem, quòd primus fecit, ut omnia uiderentur in mundo, uiſus ipſe primus, omnibus antea cœcis, teterrimaq; in nocte ſepultis. Nam

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Dictus eſt Phanes ipſe Titan. Cum igitur Phanes ſit corporeus Sol, & cum ſenſibilia, & intelligibilia ſuos tueri locos, quos Natura præſcripſit, debeant, utique non erat inter choros Deorum ſiſtendus: Sola fortè poterat allegoria, ut ſit allegoricè Phanes Deus inter Deos intellectos, ſicut Sol iuſtitiæ eſt Deus. Sed ſi Phanes eſt Deus, utique Deus ille, non qui claudat Deos ſupremos, ut finis primæ Hierarchiæ, principium ſecundæ, ſed ſupremus Deus, Sol omnium cœleſtium Intelligentiarum. Id enim locutus eſt Plato, aptans exemplũ Solis ad intelligibilia, quemadmodum Sol eſt cauſa ut omnia ſenſibilia ſint & uideantur, ſic ſummũ Bonum ceu infinitam lucem, ut ſit, & intelligat omnis ordo cœleſtis. Addit quoque Hermias: ζεὺς ὑπερκοσμίων βασιλεὺς πέρας ἰδέων νοερῶν θεῶν. ἕκαστος δὲ τῶν τοῖς ὑπ' αὐτῷ φῶς ἐλλάμπει, τοῦτ' ἔστιν ἀλήθειαν, ὃν ἔχει ἀπὸ τῆς ὑπερκοσμίου πάξεως. οἷον ὁ ἥλιος φῶς ὑπέμπει τοῖς αἰσθητοῖς ὑποκόσμιοις. διὸ καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ λέγεται ἀπὸ τῆς ὑποκοσμίων εἶναι. πάλιν ὁ ζεὺς φῶς ἐλλάμπει τοῖς ὑποκοσμίοις νοεροῖς. πάλιν ὁ φανὴς φῶς ἐλλάμπει τοῖς νοεροῖς θεοῖς νοητοῖς. ἡ δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ τῶν νοητῶν θεῶν καὶ πάντα, ἀπ' αὐτῆς θείου πλήρους φωτός. Quod eſt, Iupiter ſupermundanarum rerum, finis propriorũ intelligibilium Deorum. Vnuſquiſq; igitur horum, ſibi ſubiectis lucem irradiat, hoc eſt, ueritatem quam habet à ſupremo ordine, ut Sol lucem immittit ſenſibilibus ſupermundanam. Quocirca, & ſubſtantia eius dicitur à ſupermundanis eſſe. Item Iupiter lucem irradiat intelligibilẽ. Iterumq; Phanes irradiat lumen intelligentibus Dijs intellectuale: Principiũ autem uniuerſale, et Deos intellectos, & omnia diuina luce ſua complet. Hæc Hermias. Primum quæ de irradiationibus diſputat, uera ſunt & noſtra. Sed quoniam uerus ordo Theologiæ peruertitur, paulum emendare operæpretiũ eſt. Quomodo enim Iupiter rerum intelligentium infundere lucem eis ab ordine ſuperno acceptam dicitur, ſi generatim apud priſcos, Iupiter eſt pater hominum atque Deorum, eſt ſator cœli, & terræ? Non ſuperare Diuinitate debet omnes cœleſtes ordines, qui creauit omnia, quem uti ſummum Deorum ſuſpexere omnes? Quæ nouitas iſta Proeli? Nam hunc ſecutus Hermias in Deorum choris deſcribendis. Quæ audacia, Iouem è culmine Diuinitatis ſuæ deiectum, redigere in ordinem Deorum inferiorũ, qui lucem accipiant à ſuperno ordine? Quaſi non ſit ipſe lucis omnis, ueritatiſq; fons, & principium, nullius luminis indigus: Verum igitur eſt lucem ueritatis irradiare Iouem, ſed à nemine acceptam, ut qui ſupremus ſit omnium Deorum, dicendumq;, & prædicandus

dum de Ioue, quod nouissimè prædicat de principio unuersali. Est enim hoc principium ipse Iupiter. Et quod ait de hoc principio, à quo tota curia cœlestis, omnesq; ordines Deorum, larga luce Diuinitatis compleantur, lux autem ueritas est, et initiatio, & sapientia. Acceptumq; ex uberrima illa, quæ loquendi de rebus hisce audaciam dedit Platonicis, Theologia Dionysij, quæ ad alia hoc habet: συῆκται τοίνυν ἡμῖν, ὡς ἡ μὲν πρωτίστη τῶν περὶ θεὸν, νοῦν διανόσεως ὑπὸ τελεταρχικῆς ἐλλάμψεως ἱεραρχικῶς ἐνεργουμένη τῷ ἐπ' αὐτὴν ἀμέσως αὐχτείνεσθαι κρυφιωτέρα, καὶ φανωτέρα τῆ θεαρχίας φωτοδοσία, καθαίρετῆ καὶ φωτίζετῆ, & τελεστουργετῆ, κρυφιωτέρα μὲν, ὡς νοητοτέρα, καὶ μᾶλλον ἁπλωτικὴ & γνωποιῶ, φανωτέρα δὲ ὡς πρωτοδότῳ & πρωτοφανεῖ, & ὁλικωτέρα. Quæ sunt, Collegimus igitur, & concluſimus, quòd nobiliſsimus, ſupernusq; mentium, quæ circunſtant Deum, ordo, à Teletarchica, id eſt, initiatrice, irradiatione, ſacris modis recta, quòd in eam immediate intendat, occultiore, & clariore illuminatione à ſummo Deo manante purgatur, illuminatur & perficitur. Occultiore quidem, ut intellectiore, magisq; ſimplici, & unifico. clariore autem, ut quæ prima datur, primoq; apparet & uniuerſaliore. Hæc ille, omniq; opere diſſeritur de lumine ueritatis, à fonte diuino in ſuperiorem inferioremq; mundũ manante. Inde diuini operis principium auſpicatus, dixit πᾶσα πατρωκινήτου φωτοφανείας πρόοδος εἰς ἡμᾶς ἀγαθοδότως φοιτῶσα. Omnis, ait, luminis & claritatis à Patre ſcatentis in nos, beneficia manatio. Quæ hinc accepere minores Platonici, quorũ certè nemo erit, qui non miretur (ut loquar grauiſsimè) prauitatem, eam religionem infenſam eos habuiſſe, cuius myſterijs ſuam Philoſophia nobilitare ſtuduerunt, ſine quibus fabularum ineptias colorare nequiuiſſent. Nam nobiliſsima materia, diuinisq; nominibus, totoq; ſermonis ordine à Dionyſio ſuſcepta, fabularum ſordes, ut ſectionem Saturni ac Cœli, expulſione dilacerationemq; Dionyſij, cæteraq; id genus affixerunt, & tanquam nobilẽ ueſtem centonibus aſſutis, dehoneſtarunt. Sed boni eſt, nec bona ſpernere, necnon acri iudicio ueritatem à mendacio perpurgare.

De alijs generibus & nominibus Deorum apud Proclum, ex Dionyſio, & quid in his diſſentiat à uero. Cap. XVI.

SVnt item apud Proclum, etiam à Dionyſio deſumpta alia genera Deorum, ſiue Angelorum, quorum unum uocatur ἀπόλυτοι, abſoluti, exempti à mundanis gubernaculis, et quaſi ſemper cœleſtes, alij his oppoſiti, ἐγκόσμιοι, mundani: de quibus Proclus: λοιπὸν δὲ οἱ ἐγκόσμιοι πάντων ὑποδέχονται τὰς ἐλλάμψεις τῶν πρὸ αὐτῶν, διὸ καὶ φωτίζεσθαι λέγονται πάντα μιμούμενοι τοὺς ἀπολύτους, & τοῖς εἴδεσι διακοσμοῦσι τὰ ὧδε. Deinceps, inquit, mundani, omnium qui ante ſe ſunt irradiationes accipiunt. Quocirca dominantur uniuerſo, imitantes exemptos, & ſpeciebus informant res has noſtras. Sic ille. In quibus, ut moris eſt, ſunt falſa & uera. Quod enim de adminiſtratione generis humani dixerat Dionyſius, quòd Angeli mundani rebus humanis præ-

præſidentes, uerſantur in hoc mundo, unde & uenti, & fulgura uocati, quòd iuſſa Dei in hac prouincia celeriter exequuntur, longè à ueritate eſt, hoc à Proclo dogmatum eſt munus, quòd creationem formarumq; productionem moderentur: ſolita ſcilicet temeritate plus res naturales, quàm humanas, & hunc corruptibilium rerum ordinem, quàm felicitatem hominum attendentes. Eadem de uerorum dogmatum deprauatione: εἰκότως ἄρα καὶ οἱ τὰ θεία σοφὶ ἐπιστάμενοι τὴν τῶν ὄντως ἀληθῶν νοητῶν αἰτίαν ἔλεγον, τὴν τετραγωνίαν, ἣ ἐστὶν ἀρχικωτάτη θεῶν. Iure, inquit, diuinarum rerum prudentes, extremam trinitatem Deorũ intellectorum cauſſam dixerunt fontalium & principalium Deorum. Ego uerò, Procle, neminem inueni, qui Deos aliorum Deorum cauſſam, autoresq; aſſereret, uni ſupremo Deo, rerum cunctarum, uiſibilium, & inuiſibilium imperium, cunctis, ipſo uel Platone, & Empedocle adiudicantibus. Deos autem fontales ubi reperies, niſi in dogmatis Chaldæorum? in quibus delectum habere oportere boni Philoſophi iudicarunt. Vnus modò fontalis, cuius fuit, eſtq; cuncta creatio. Principales autem Dij, noſtri ſunt, uocati à ſummis Theologis, ἀρχαί, principatus, non ἀρχικοί. Illud porrò examinandum: ἅπαντες γὰρ ἡγεμόνες εἰσὶ καὶ ἄρχοντες ἐν τῷ παντὶ: καὶ πολλὰς μὲν ἀγγέλων τάξεις περιχορεύουσιν ἀνδράσι, πολλοὶ δὲ δαιμόνων ἀριθμοί, πολλαὶ δὲ ἡρώων ἀγέλαι: Omnes enim ſunt duces & principes in uniuerſo, & multi ordines Angelorum circunſtant eos, multæ Dæmonum copiæ multi greges Heroum. Dicendum ubi nomen Angelorum Proclus inueniſſet, ibi reperire potuiſſe omnes ſuper nos animos uocatos Angelos. Et quanquam uerum eſt infimam Hierarchiam, quæ ex Angelis apud Dionyſium conficitur, ſubiectam eſſe ſuperioribus, qui poteſtates, & principatus uocantur: at quòd circunſtent illos undiq; Angeli, fortaſſe non eſt uerum, ne maieſtatis unius, ac ſingularis honores ad alios transferantur. Ad hæc uanum eſt Dæmones ab Angelis ſeparare, quos quidem ſeparat, dum cum Angelis, ut & ipſos bonos ſupremos illos, uult circundare. Nam boni Dæmones, ſunt Angeli, autore Philone. Commentitium quoq; Heroas ab animis hominum ſeparare, quod eo ipſo loco, cum multis alijs Platonicis facit. Quid enim aliud Heroës ſunt, quàm iuſtorum, bonorumq; hominum animi? Sed ſatis eſt eos ex parte ueritatem uidiſſe, & agnouiſſe, gratamq; habuiſſe.

De eſca Deorum, uel Ambroſia, & Nectare: quæ cum uere a Platone, & Ariſtotele fuerint aſſignata, Proclus parumper infecerit. Caput XVII.

EXAMINANDA quoque ſunt, & conferenda, quæ de eſca Deorum locuti ſunt noſtri, & Philoſophi. Vidimus ſuperius, præclaram Ariſtotelis ſententiam, Deorum felicitatem, indeficientemq; beatitudinem eſſe cognitionem, ſcientiamque perennem. Deducebat autem ex dictis Ariſtotelis ratio, qui cenſuit ſupremam, diuiniſſimamque Mentem, beatam eſſe contemplando ſeipſam, ex maieſtate ſua diuina gaudia decerpentem, inferiores mentes eadem ex cauſſa beatas eſſe, & ſupremũ illum intuentes. Qui cũ ſibi ipſi ſit infinitæ uoluptatis cauſſa, multo facilius

facilius felicitet inferiores mentes. Cur autem non aliunde, quàm ex ſe ipſo beatus ſit Deus, cauſa dicebatur, quòd non habeat maiorem ex cuius contemplatione, & notione fiat beatus. Quæ ratio efficiebat, ut quoniam minoribus mentibus unus eminentiſsimus ante ſtat Deus, hunc unum neceſſario reſpectent demerſæ in pelagus infinitarum uoluptatum. Hoc Plato prior dixerat, ſecutus eſt Ariſtoteles, cæteriq; Platonici, Dionyſius autem noſter omni opere ſuper hac Angelorũ felicitate diſſeruit. Hæc igitur omnia partim Proclus de eſca horum Deorum loquens ſecutus eſt, partim adiecit ex ſuo pectore, perpendenda nobis an uera ſint. Secus autem quàm deceat, mea quidem ſententia, Platonem interpretatur, qui cum prata in cœlo ad exprimendam cœleſtem felicitatẽ ſtatueret, nil aliud in hac re quàm beatitudinem Deorũ, qui ſemper ſunt beati reſpiciens, per commentitias allegorias à Proclo contaminantur, eam eſſe uim feracem omnis uitæ formarumq; omniũ. Eſſe porrò Deorum eſcam unitionem quandam intellectualem, Ambroſiamq; & Nectar, notionem, et prouidentiam eſſe inferiorum, ἐπειδὴ τὴν ἀμβροσίαν, σειρὰν προφὴν εἶναι φασὶ, τὸ δὲ νέκταρ, ὑγρὰν: Quandoquidẽ Ambroſiam robuſtum pabulum eſſe ferunt, humidum Nectar. Hanc ob cauſam, ſolutam peráq; omnia tendentem prouidentiam Nectar eſſe, robur autem, firmamq; aſsiſtentiam, in ſuperioribus eſſe Ambroſiam. Concludensq; Proclus, νέκταρ οὖν ἡ ἀμβροσία, θεῶν τελειότητες, ἥ θεοί: Nectar igitur & Ambroſia Deorum perfectiones, quatenus Dij. Hæc de eſca, ab eorum, opinor, qui melius hæc ante eum norant ſententijs, aliena, cum nec Plato, nec Ariſtoteles, Dionyſiusq; ac poëtæ aliam Deorum Ambroſiam, ac Nectar celebrauerint, quàm ineffabiles eorum uoluptates, quod iuuenes ſemper procul ab omni clade, & uexatione, futuri ſemper tales, quòd aſsiſtant uultui diuino, in quo contemplando, inæſtimabiles uoluptates nullis niſi his, qui fruuntur cognitæ. Eſt quidem, & eſſe putandum eſt beatitudinis partem eorum, lucis illam myſteriorumq; mutuam communicationem, qua minores à maioribus irradiantur, dum tam ſublime, diuinumq; inter eos tranſigitur munus, ſed perfecta beatitudo eſt intuitus glorioſiſsimæ Diuinitatis, largos maieſtatis ſuæ, quemadmodum Sol in mundo ſenſibili, in regione ſuperna radios effundentis, implentisq; circunſtantes beatitudine.

Circunſtant animæ, dextra, læuaq; frequentes:
Nec uidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat uſq; morari.

Hoc nectar Deorum, & Ambroſia, quod Raphaël confeſſus eſt. Ea deniq; exibilanda, quoniam Naturæ contraria tendunt, quæ de Dijs omnibus in uniuerſum eſt locutus. Alium eſſe Deum ſimpliciter, alium per unitionem, alium per participationem, alium per συναφὴν, connexionẽ, alium per ſimilitudinem. Et quòd unuſquiſq; τῶν ὑπερουσίων, ſuperſubſtantialium, πρώτως θεὸς, ſit primo, principaliterq; Deus. Quilibet ex intelligentibus per unitionem, Dæmones diuini per copulationem: cum illis, Animæ hominum per ſimilitudinem. Quoniam igitur unus

eſt

eſt duntaxat ſuperſubſtantialis, & principaliter Deus, cœleſtes autem omnes & terreſtres Dij ſunt per ſimilitudinem, redundat unitio & copulatio, & cum poëtis fabulis connumerabitur.

Ex Theologia Damaſcij de Dijs, ſiue Angelis, & uno ſuperſubſtantiali Deo, & quod is etiam imitatus eſt Dionyſium. Cap. XVIII.

DAmaſcius quoque ſimilis eſt cæteris Platonicis in deſcribendis mentibus cœleſtibus Dionyſium & ipſe imitatus, qui præbuit Platonicis loquendi de choris cœleſtibus exemplum. Ex fontibus igitur eius, non modò rebus, ſed nudis etiam ſimplicibus q; uocibus uſurpatis, hæc ſcribit: ὡσαύτως δ' ἐ φαίη τις ἂν καὶ τὰς πολλὰς εἶναι λοκάδας ζωὰς, ἐλλάμψεις εἶναι ζωτικὰς ἀπὸ μιᾶς ζωῆς ὑφεώσας, αὐαρρεούσας εἰς παύτα τὰ ζῶντα καὶ τὰς πολλὰς πάλιν ἐκλόσεις εἶναι ἢ ἐλλαμψιν ἀπὸ μιᾶς οὐσίας πᾶσάδας εἰς τὰ παύτα τὰ ὄντα. τίδ' δεῖ πολλὰ λέγειν; ὅτε καὶ τὸς θεὸς ὅτως ὑποτίθενται πολλὸς οἱ πρὸ ἰαμβλίχε φιλόσοφοι, ἕνα μὲν τὸν ὑπερούσιον θεὸν λέγοντες, τὸς δ' ἄλλος θεοὺς εἶναι τοῖς ἀπὸ τ' ἑνὸς ἐλλάμψεσιν ἱδρυμένος. καὶ εἶναι τὸ μὲν ὑπερούσιον πλῆθος ἑνάδων, ὃ κ αὐτοτελῶν ὑποστάσεων, ἀλλὰ τῶν ἐλλαμπομένων ἀπὸ τὸ μόνε θεῦ, καὶ τοῖς οὐσίας ἐνδιδομένων θεῶν: Similiter item dicat quispiam, & multas, quæ uidentur eſſe, uitas irradiationes eſſe uitales, ab una uita ſubſiſtentes, promanantes in omnia uiuentia. Multasq; item miſſiones ſecundum radiationem ab una ſubſtantia, procedentes in omnia quæ ſunt. Quid multis? quando et Deos multos hi omnes ferè qui ante Iamblichum floruerunt Philoſophi ſic ſtatuunt, unum quidem ſuperſubſtantialem Deum dicentes, alios ſubſtantiales eſſe, radiationibus ab uno deificatos: & eſſe ſuperſubſtantialium unitatum multitudinem, non per ſe perfectarum ſubſiſtentiarum, ſed radiantium ab uno Deo, & ſubſtantijs manantium Deorum. Hæc à Damaſcio dicta eo iudicio perpendenda ſunt, quo multa Philoſophorum dogmata cœleſtibus literis non irradiata, digna fuerunt, quæ paulum lucis acciperent. Principio uerum eſt, & exempli uice ſeruiens ad agnoſcendum rerum præcipueq; animorum creationẽ, lucis manantis, ac radiantis exemplum: ſic omnibus rebus, omniq; uita animis natis, & profectis à Deo, quemadmodum radij funduntur à luce. Eoq; Philo uocat animos ἀπαυγάσματα, radiationes. Radiationes inquam uitales ab una maxima lucidaq; uita profectus. Sed quòd hæc quaſi radiorũ, Deorum multitudo perenniter lucens fluat à Deo, nunquam radijs à Sole ſuo non manantibus (quod eius, aliorumq; Platonicorum uidetur dogma) multis de cauſis uerum eſſe non poteſt. Eſſet primum Deorum ac ſummi ſingularisq; Dei ſempiterna coniunctio, ſemper Sole ſuas fundente luces. Eſſent æterni Dij minores, ſicut maximus æternus. Subſtantiam ſummæ Diuinitatis fluentem in eos, uel ipſi fluens ipſa Di-

ſa Dei ſubſtantia forent: ſicq; non unus ſolus æternus, ſolus uerus ſubſtantialisq; Deus, ſed in tot partes ſciſſa Diuinitas, quot à Deo manarent luces. Quocirca ne/que fieri etiam poteſt quod Iamblichum, multosq; ante eum Philoſophos opina/tur ſenſiſſe, eſſe multos θεοὺς αὐθυπάρκτους, ſubſtantiales Deos, radijs diuinis deificatos, id eſt, quorum Diuinitas radiet cum primo ac ſingulari Deo. Nam is qui eſt ſuper/ſubſtantialis Deus, ueram ſolus obtinet ſubſtantiam Diuinitatis. Reliquorum ſimi/lis ſubſtantiæ diuinæ, non ſubſtantia diuina: quemadmodum ſolus habet ſubſtan/tiam humanitatis, quicunq; eſt ſubſtantialiter homo: qui autem non eſt naturali/ter, ſubſtantialiterq; homo, nunquam ſubſtantiam humanitatis poſſidebit. Eſt au/tem ſubſtantia natura cuiusq;. Quare cuicunq; ſubſtantia Diuinitatis adeſſet, uera ſupremaq; diuinitas etiam adeſſet. Vt igitur Philo mentis humanæ creationẽ, pul/chro declaraturus exemplo, eam uocauit ἀπαύγασμα, radium, ſcintillam à Deo, ſenſit autem non æternam ſcintillationem, ſplendoremq; perenniter lucen/tem, ſed ſemel quiddã ſplendoris ex æterna luce diuina demiſſum: ſic ſi Damaſcium ſenſiſſe putemus, ſanum erit dogma, et Deorũ quos ait radiationibus à Deo ἀπο/θεουμένους, fieri Deos, quos etiã Dionyſius teſtatur in Theologia Deos uocari, di/cemus creationẽ fuiſſe, cum diuinitus à poteſtate prolifica ſua Deus ſplendores quoſdam uitales, qui Dij nempe mentes angelicæ fuerunt, demiſit, non ex ſua Diui nitate, ſed fœcunda poteſtate luces illas ſui ſimiles accendens, quemadmodum ex ditißimis poteſtatis ſuæ theſauris lucem corpoream, quæ nuſquam prius eſſet, in/flammauit. Obſeruandũ igitur Dionyſium non uſum eſſe nomine creberrimo ipſi, & Platonicis ἐλλάμψις ſuper eorũ à Deo radiante ſubſtantia, ſed ſuper ſapien/tia, doctrina, ſcientia, myſterijs, quæ tanquam lumen à Deo ſupremo Angelis ſuis infundatur. De quo in cœleſti Hierarchia, Inferiorum, inquit, ſubſtantiarum ordi/nes, igneæ, ſapientis, intellectualis, diuinæ uirtutis, ſunt participes, inferius, & ad ipſas priores reſpicientes. Ipſæ enim prius Deum cognoſcentes, & diuinam uirtu/tem excellenter cupientes, etiam priores merentur, quoad eis fas eſt, diuinam pote ſtatem æmulari. Tum eas, quæ poſt ſe ſunt, ſubſtantias omni poteſtate inflammant, dantes eis copioſè ſplendorem, qui in eas deſcendit. Similiter et hæ inferioribus, per ordinẽ quælibet prima ſubſequenti. Tranſitq; in omnes, ex proportione, πρόνοια διαφοιτῶντος θείᾳ φωτός, Diſpenſatio per omnes cõmeantis diuini luminis. Eſt igitur omnibus illuminatis principiũ illuminandi, Deus quidem natura, et uerè, proprieq; ut luminis ſubſtantia, & ipſius eſſe, ac uidendi autor, uerũ & omnibus mentalibus, ex proportione ἐπιφαίνεται, apparet, lucęſcit, propriã illuminatio/nem præbens proximis, ac digniſſimis. Hæc ad uerbũ Dionyſius, in quibus appa/ret, quàm non ſyncerè Platonici, quemadmodum multa, ſic nec dogma de illumi/natione & irradiatione intellexerunt. Eſt igitur illuminatio Nectar illud, & Am/broſia diuina, cognitio, ſapientia, quam ſupremam animorum uoluptatem ſenſit Ariſtoteles. Hæc incipiens à ſupremo Deo, qui primus dat ſapientiæ ſuæ lucem,

tranſit

transit per omnes ordines diuinos ex proportione, & ordine, prius primis, exin postremis. Hæc illa θεωρία esca Deorum ineffabilis uoluptatis, spectaculum impletis animos uberrima lætitia, iure lux appellata, ut quæ non sit nisi cognitio, contemplatio diuinorum mysteriorum. Quare quod Iamblichus dicit, referturq; etiam à Damascio, ἓν ἀνυπερόστιον θεὸν τοὺς ἄλλους ἐλλάμψεις ἀπ' αὐτοῦ θεότητος. Quod est, Vnum esse supersubstantialem Deum, cæteros radios ex Diuinitate eius. Errabit, quicunq; non rectè interpretatus fuerit, ut radius Dei sit Angelus, quemadmodum est mens humana. Creata scilicet à Deo, & tanquam lux accensa creando. Vnus est enim Deus supersubstantialis, de cuius prolifica potestate cuncta manarunt.

DE DAEMONIBVS.

Priscis Dæmonum naturam innotuisse. Profanas literas similia sacris de Dæmonibus perhibere. Nomen Dæmonum, Græcum, Hebraicumq; esse posse. Esse hoc nomen commune bonorum, ac malorum. Cap. XIX.

NVnc erit sermo de Dæmonibus: propositisq; ex prisca Philosophia, cui natura, uisq; eorum non fuit incognita, sententijs, in sacrarium ueritatis bona reuocabuntur, fabulis, & seculorũ diuturnitate è sedibus suis transposita. Omnia quidem propemodum apud exteros, super natura, casu, genere Dæmonum deprehenduntur, atq; in Theologia uera, si ueritatis origine reperta, & quoniam inter ueritatem, ac falsitatem sæpe magnum est commerciũ, prudenti ab inuicem iudicio separentur. Vt autem præpotens Diuinitas, Diuinitatisq; mysterium, creatio mundi, principium generis humani, immortalitas animorũ cognita fuit cunctis, & prædicata: sic quandã fuisse semper de Dæmonibus scientiam apparet, quam nostræ literæ postea melius explicuerunt. Ac primum nomen ipsum uestigandum, & in quos pertineat, apud Philosophos, ac Theologos dirimendum, ut locis cunctis suis datis, ueritas eluceſcat. Tres sunt huiusce appellationis rationes, duæ Græcæ, una Hebraica. Plato primus autor fuit in Cratylo, quo tamen libro, cum de re difficillima, atq; ab animo longinqua quæreret, dubius ubiq;, & incertus uelutiq; palpitans ingreditur, censet Dæmonas ex sententia Hesiodi uocatos, quasi δαήμονας, prudentes, scientes, in uetusta lingua Græcorum eo nomine nuncupatos. Atq; ait esse non modò Hesiodi, sed multorũ aliorum è poëtis sententiam, uiros probos magnis honoribus affectos post mortem, Dæmones, iuxta hoc prudentiæ, sapientiæq; nomen, fieri. Eiq; sententiæ se quoq; libenter assentiri, ut optimus quisque, siue uiuens, seu defunctus sit, rectè quàm uocetur Dæmon. Hoc de eorum nomine sensit Plato. Quæ autem de re dicit, paulò pòst disquirentur. Cæteri Græci, præcipuè Eusebius, Dæmonas putat dictos ab eo, quod est δαιμαίνω, exterreo, paueſacio, quod spectrorum, Dæmonumq; sit proprium. Tertia deductio, uera ni fallor est. Sa-

pe enim

pe enim ſum arbitratus quemadmodum magna nominum uis ex Hebraica lingua fluxiſſet ad Græcos, quoniam nati ſunt Græci à uetuſtiſſimis cognatis eorum, qui Hebræorum, Ægyptiorumq; gentem progenuiſſent: ſic hoc nomen antiquum à uetuſta Hebraica lingua: quã uidetur ſomniaſſe in Cratylo Plato, aſſerens quandam barbaram linguam dediſſe cæteris linguis nomina, ad eos uenisſe. Hebraicè Schadai dicitur Deus & Dæmon. Scribiturq; in ea lingua, quæ ſolas conſonantes, rarò uocales ſcribit, prior litera ſhin coniuncta cum daleth. Videntur itaq; Græci illi uetuſtiores reiecta priore litera, aut iuncta cum ſequenti uocaſſe Daimones, qui dicuntur Hebraicè Sdaim, ut ſi reijcias priorem conſonantem, fiat Dai, in numero multo Daim. Quod ne cuiquam mirum uideatur, norit pleraque nomina Hebraica, in lingua Græca, uel detractis ſyllabis uel auctis inueniri: Hebraicè dicitur Rapha, mederi, Græci addiderunt unam ſyllabam Therapha. Hebraicè dicitur Banum, intelligere, Græci unam ſyllabam detraxere νοῦν, Num. Hebraice eſt Ba, ambulare, Græci, & Latini addidere: Latini unam, Græci duas ſyllabas: illi Vado, hi Badiſſo. Itaque minimè mirum, cum ſint alia complura exempla, ab Hebraico Sdaim, factum Græcum Daimon: nam diphthongos ueteres Latini & Græci proferebant. Cognita igitur etymologia nominis Hebraici, unde Græcum defluxit, tum de natura Dæmonum melius diſſeremus. Eſt Hebraicè nomen Sdai, Dei omnipotentis, fortis. In numero multo Sdaim, ſemper Dæmones malos deſignat. Dicitur autem nomen à uerbo Hebraico, Sadad, euertere, uaſtare, inde nomen fortis, & omnipotentis. Vt igitur in cæteris diuinis nominibus Hebraicis, Græcis, & Latinis, communicatio fuit cum hominibus, ſuperioribusq; ſubſtantijs (Etenim Elohim, quod Dei nomen eſt, etiam Angelis & iuſtis hominibus eſt attributum. Erant item Dij gentium, hoc nomine dicti: Græci autem θεὸν, non illum modò, uerum ſingularem, unicumq; Deum, ſed multos alios appellarunt, item & Latini) ſic uidetur nominis diuini Sdai, facta Dæmonibus, ſpiritibusq; malis communicatio. Niſi malis opinari uocatos Sadaim, quaſi euerſores, deſtructores: ſed, ut dixi, id etiam eſt in ſacris literis nomen omnipotentis Dei. Videtur igitur reclius, arbitrari id nomen datum eis ex communicatione, et ſimilitudine quòd ſint poteſtates ſuperiores, Angelis ſimiles. Proinde ſimile nomen obtinuerunt. Illud quidẽ mirabere in ſacris literis, quòd promiſcua ſunt nomina bonis et malis poteſtatibus. Quippe cum ſit unus Rex omnipotens mundi, hos tamen diuus Paulus etiam uocauit κοσμοκράτορας, mundanos principes. Ergo ueriſimũ eſt, & ad intelligendũ quicquid de Dæmonibus à Philoſophis diſputatur, maximè opportunũ, quod Philo Iudæus admonuit in libro de Mundo, his uerbis: Animas, inquit, & Dæmonas, & Angelos nomine quidẽ differre: unam autem atq; eandem eſſe rem. tibi perſuadens, moleſtiſſimã ſuperſtitionis ſarcinam abijcies. Vt enim bonos Dæmonas & malos plerique dicunt, ſimiliter animas: ſic et Angelos, alios quidẽ, qui futura prædicerent, legatos quoſdam hominum ad Deum, ſacros, & incorruptos cu

ſtodes propter præclaram hanc, & inculpatam adminiſtrationem: contrà alios im puros & indignos, qui prædicerent, ipſe arbitratus, haudquaquam errabis. Hæc Philo. Eſtq;, ut dixi, optima, neceſſariaq; in omnibus Philoſophorum libris admonitio. Monet autem tum eandem eſſe naturam animarum, Dæmonũ, Angelorum, & ſæpe alterum eſſe pro altero, tum hæc omnia, bona eſſe, & mala, bonas animas & malas, bonos Dæmones, & malos, bonos Angelos, et malos. His cognitis fieri, ut grauiſſimũ ſuperſtitionis onus non feras animo. Neq; enim decipieris, impieq; peccabis, Dæmonas malos, arbitratus bonos, quod peccauit Plato, interdũq; Porphyrius, multiq; alij Platonicorum. Rurſum non errabis, audiens apud Philoſophos Dæmonas cuſtodes generis humani, interpretaberiſq; eos Angelos illos bonos. Sic noſces prædictionem rerum futurarum, legationemq; Dei ad homines, bonorum eſſe Dæmonũ: bonos autem Dæmonas, intelliges Angelos. Quoniam igitur hæc omnia ſunt in libris Philoſophorum, obſeruanda ſunt diligenter, ne altera, pro alteris accipiantur.

Exempla quibus monſtratur hoc nomen, diuinam potentiam, numen q; deſignare, & uſurpari pro Deo, Dijsq; a Poetis, & Philoſophis. Demum quod malorum poteſtatum ſit proprium nomen. Eſſeq; apud eos bonos & malos Dæmones. Cap. XX.

AD intelligendum igitur ea, quæ à noſtris, & à Philoſophis, de Dæmonibus, poſt nominis etymologiam, quam Hebraicam illam ueriorem credimus, à qua totius rei ſermo dependet, oportet ex illo præcepto Philonis noſſe, uarium ac multiplex eſſe Dæmonis nomen apud Poëtas et Philoſophos, ſicut ipſum Hebraicum Sadai eſt omnipotentis, & fortis Dei, Dæmoniũ item malorum. Etenim Orpheus cum de ſingulari Deo, quem Iouem nuncupat, loqueretur, ut uidimus, dixit:

Ἐμ κρατερ⊙, ἓς δαίμων γένετο, μέγας ἄρχ⊙ ἁπάντων.

Imperium, Dæmonq; unus, mundiq; ingens Rex.

Homerus item promiſcuè pro eodem nomine Dei ac Dæmonis abutitur, ijdemq; ſunt apud eum Dij, ac Dæmones, quod et apud priſcos omnes plurimum inoleuiſſe uidetur. È quibus eſt, quòd uim diuinam, uniuerſalem, cuius nutu cuncta gubernantur, ſolitus eſt, ut Orpheus, appellare Dæmona, ueluti cum Vlyſſes fluctibus oppreſſus, tempeſtatumq; procellis iactatus, et naufragus timebat, ne Dæmon immiteret aliquem immanem cetum:

Ἦ ἔπι μοι κὰι κῆτ⊙ ὤπασεν μέγα δαίμων
Ἐξ ἁλός, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς ἀμφιτρύτης.

Aut mihi cetum immanem Dæmon mittat ab undis,
Qualia pontus habet ſub aquis & plurima paſcit.

Et alio loco, de reddita diuinitus tranquillitate:

Ἡ δὲ γαλήνη
Ἔπλετο νηνεμίη, νοίμισε δὲ κύματα δαίμων.

Tum uenti poſuerunt, ſtrauitq; æquora Dæmon.

His

Hic Dæmonem appellauit uim uniuerſalem, diuinam, ut ſi Deum ipſum nominaſſet, ut ante eum Orpheus, Vnus Dæmon, una poteſtas. Similiter locutus eſt Ariſtophanes, quòd Dæmon efficiat alios dominos, alios ſeruos, & parentes. Is enim Deus uniuerſalis eſt. Homerus item cum Deum ipſum uniuerſalem, Dæmonem, tum generatim quos Deos, eoſdem etiam Dæmonas dicit. Vt quòd Neptunus profectus eſſet ad Aethiopas, -μετὰ δαίμονας ἄλλους, ad cæteros Deos. Et cum in hymno Apollinis apud Ioue, -Ἔπειτα δ' αἵμονες ἄλλοι Ἐνθα καθίζουσι, Dehinc alij Dæmones conſedere. Hi enim Dæmones ſunt, quos ſemper Deos appellat. Denique teſtatus eſt etiam Plutarchus, Homerum uideri uti utroq; nomine promiſcuè, eſſeq; quando Deos uocet Dæmonas. Primum autem Heſiodum ſeorſum rationalia genera in quatuor diuiſiſſe partes, Deos, Dæmonas malos & bonos, Heroas, & homines. Verum ut poſtea monſtrabitur, illi apud Heſiodum Dæmones, non ſunt ueri, naturalesq; Dæmones. Thales Mileſius, ut refert Athenagoras, primus partitus eſt naturam diuinam in Deos & homines. Hac ratione locutus eſt Ariſtoteles exordiens librum de Mundo, Semper ei Philoſophiam uiſam fuiſſe θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον χρῆμα, diuinam quandam, & dæmoniam rem: Pro eodem dicens diuinam, & dæmoniam, alterum alteri ſimile. Idemq; ait de inſomnijs, an fieri poſſit, ut per inſomnia, futura cernantur: & ſi cernantur, an ea, quorum homo cauſſa, ἢ ὧν τὸ δαιμόνιον ἔχει τὴν αἰτίαν, uel quorum cauſſa eſt Dæmonium, Hic Dæmonium eſt Deus. Nam de hac ipſa re loquens de diuinatione per inſomnia, etiam ſapientibus futuram ait hanc inſomniorum diuinationem, εἰ θεὸς ἦν ὁ πέμπων, ſi à Deo darentur. Et Plutarchus, quem alij diuinum Platonem, Dæmonium in libro de Educatione. Et quod ait ſolitum ſuo tẽpore mores & uerba & uiros uocari dæmonios & diuinos. Item de his, qui ſero à Deo puniuntur, tunctationem Dei, ac tarditatem uocat βραδυτῆτα τοῦ δαιμονίου, Dæmonij, quem toto corpore Deum dicit. In Galba, qui adoptaret Piſonem, Cæſaremq; declararet, tempeſtates, hymbres, tonitrua, tenebras fuiſſe, quaſi Dæmoniũ declararet, adoptionẽ boni cauſſa minimè factam non approbare, ὡς κατὰ δῆλον ἔναι, μὴ πρόσφορον, μηδ' ἐπαινοῦν τὸ δαιμόνιον, γινομένην οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ, τὴν εἰσποίησιν. Et inde diſcernendo ab adulatore amicum uerum, adducit Euripidem dicentem, ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐδαιμῶ, τί δεῖ φίλων, Cum Dæmon bene dederit, quid amicis opus eſt? Hic enim Dæmon eſt Deus, Fortuna. Sic Ariſtophanes dixit Dæmonẽ facere ſeruos. Sic & ad Apollonij tribus rebus proſperis nunciatis Philippo, manus eũ in cœlũ tetendiſſe dicentẽ, ὦ δαίμων μέτρι' ὅ τι τούτοις ἀντίθες ἐλαττωμα, O Dæmon, moderatã his iacturã recõpenſa. Sic Græcus uetus ſermo beatos uocauit εὐδαίμονας, quibus eſſet Deus propitius. Eandẽq; Fortunã, & Dæmonẽ dixerũt. Eſt enim Deus ipſe, operans occultè, Fortuna uocatus. Sic fortaſſe locuti ſunt Epicurei et Stoici, diuo Paulo Ieſum Chriſtum Athenis prædicante, ξένων δαιμονίων δοκῆς καταγγελεὺς εἶν: Quòd

norum Dæmoniorum nunciator. Dæmonia enim Deos promiſcuè uocabant, diuo Paulo nouum eis, & antehac inauditum Deum prædicante. Plutarchus item referens, quæ apud Tragicum Siſyphus ait fuiſſe ſapientem quendam, qui diceret oportere ſibi perſuadere homines, ὡς ἐσὶ δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ, ὃς ταῦτ' ἀκούει, καὶ βλέπει φρονεῖ δ' ἃ ἄγαν: Quòd ſit Dæmon, immortali æuo beatus, qui hæc audiat, ſentiatq; mirum in modum. Hic enim Dæmoni eſt, ſicut apud ſuperiores, Deus uniuerſalis. Ibidemq; profertur, quod dixerat Callimachus, εἰ θεὸν οἶσθα, οἶσθα δὴ ὅτι καὶ δαίμονι ῥέξαι τῶν δ' ὑνατὸν. οὐδὲ γὰρ ὁ θεὸς δύναται πᾶν ποιεῖν. Si Deum noſti, ſcito quòd & Dæmoni faciendi cuncta poteſtas eſt. Siſyphus autem impius reſpondet, Deum omnia facere non poſſe. Hic apparet pro eodem uniuerſali, magnoq; Deo, Dæmonem eſſe, ſicut apud Orpheum. In Politico Platonis eſt maximus Dæmõ, et cæteri cum eo principes. Et in Eutyphrone dicit ſe accuſari Socrates, ὡς καινολομοῦντα περὶ τὰ θεῖα, καὶ ποιητὴν τῶν θείων: Veluti nouos Deos introducentem fictoremq; Deorum. Sentiebat autem de ſuo Dæmonio. & Deum uocat Apollinem, quem fatentur omnes Dæmonem fuiſſe, ut & Plutarchus. Sunt alia per omnes ſcriptores exempla, ex quibus facilè cernas, ſicut nomen Hebraicum Sadai, eſt omnipotentis fortiſſimiq; Dei, in numero multo Sdaim, ſunt Dæmones mali: ſic priſcis Græcis ipſum Dæmonis nomen deſignaſſe deum omnipotentem. Secunda igitur Dæmonum ſignificatio inoleuit apud poſteros, ut dicerẽtur genera Deorum à primo illo maximo ac præpotenti Deo conditorum. Hoc autem ſignificatu idem ſunt Philone teſte Dæmones, atq; Angeli, ut quos Angelos literæ ſacræ uocent, hos Philoſophi Dæmones, Angelos eos nunquam prope modum appellantes, ſicut Dæmones nunquam ſacræ literæ. Eisq; omnia, quæ noſtra Philoſophia Angelis, dederunt. Nomen quidem Angeli in Philoſophia cœleſti, promiſcuum eſt pro cœleſtibus Angelis, & pro eo quicunque mitteretur, ſiue à deo, ſiue ab hominibus, etiam uerò pro poteſtatibus malis. Tertius Dæmonum ſignificatus eſt, ſicut in ſacris literis Sadaim malorum, ſic ſemper malorum apud profanos. His ita ſeparetis facilius de natura eorum, ex priſca Philoſophia diſſeremus. Sunt autem ex Philoſophis, qui Dæmones bonos & malos agnoſcant. Quo perſpicuum eſt, ſentire Dæmones eos, quos noſtri Angelos: qui autem ſemper malos eos putauerunt, eo in loco habuerunt, quo ſunt apud noſtros. Semper enim pro malis ſunt in noſtra Philoſophia. Ac ut ait Pſellus de Chaldæis: καὶ ὁ μὲν χαλδαῖος τινας μὲν τῶν δαιμόνων ἀγαθὰς, τινὰς δὲ κακὰς τίθεται, ὁ δὲ ἑλληνικὸς θυσεβὴς λόγος, πάντας κακὰς ὁρίζεται ἐκ προαιρέσεως ἐπὶ πλῶ μᾶλλον, τῆ κακίᾳ αὐτὰ μεταβαλόντας τῆ ἀγαθότητος. Chaldæus, inquit, alios bonos, alios malos Dæmonas agnoſcit: ſacra, uera, piáque Theologia noſtra omnes definit malos, quoniam uoluntariè peccauerunt, bonitate in ſcelus commutata. Hoc inquam quod Chaldæus habet, eſt etiam apud multos poſteriores Philoſophos, quibus ſunt Dæmones boni & mali. Ac uariant ſcriptores fermè omnes,

nes, alij tantum bonos agnoſcentes, alij bonos & malos, cæteri promiſcuè, ſicut Chaldæus: Platoni nunquam mali: Mercurio Triſmegiſto nuſquam boni: Chaldæo potius mali, quàm boni: nonnullis, ut Porphyrio, utrunque. Quoniam autem ſicut in omni Philoſophiæ quæſtione, uetuſtiora cum primis rimanda, ſic potiſſimum in inueſtiganda Dæmonum natura facere conuenit: cum primis autem Philonis præceptum oculis intentis obſeruandum, moleſtiſſimum ſuperſtitionis pondus abiecturi, ut quæ de Dæmonibus bona dicuntur apud ueteres, ne malis tribuantur: ſed ita de his eos locutos putes, ut ſi de Angelis ſermo eis fuiſſet.

De uario genere Dæmonum apud Philoſophos: & quod non ſemper phyſice nomen hoc uſurpent, transferentes nomẽ, naturamq; Dæmonum ad alios. De Dæmonibus ueris & fabuloſis ex Platone, & Poetis. Et quod ueri Dæmones ſint aerij. Correctio eius, quod ſitum aerium dicunt naturaliter Dæmonibus attributum.

Caput XXI.

INcipiens igitur à Platone, non unam eandemque apud eum, nec Phyſicam ſemper de Dæmonibus, ſed fabuloſam nonnunquam deprehendes rationem. Phyſica ratio, uereque Dæmonibus congruens eſt, cum eos in Epinomide iuxta ſenſus omnium ante, & poſt eum Philoſophorum, definit genus aërium. Nam de prioribus Dijs aſtris ſcilicet, quorum præclaram naturam preciosiſſimamque docuiſſet, locutus, addidit: μετὰ δὲ τούτους καὶ ὑπὸ τούτοις ἐξῆς, δ' αἰμονας, ἀέριον δὲ γένος ἔχομεν ὅλραν τρίτην καὶ μέσιν, ἣ ἑρμηνείας αἴτιον, εὐχαῖς τιμαῖν χρεὼν χαίριν ἣ εὐφήμοις διαπορθὰς: Poſt hos, ait, & ſub his deinceps cenſendi Dæmones. Eſt autem genus aërium, habens tertium, ac medium locũ interpretationum, legationumq; autor: eosque honorare uotis ualde operæpretium eſt, ut fauſta ſit eorum pro nobis legatio. Hæc Plato locutus ſubijcit: Horum duorum generum animalium, alterum ex æthere, alterum ex aëre, prorſus utrunque non cerni, adeſſe nobis tamen, etiam non perſpicuum, perſuadere debemus: Eſſeque mirabili ſapientia præditum, utpote genus docile, ac memor, cognoſcens omnem noſtram cogitationem, mirabiliterque amplectens, qui ex nobis boni, probique ſint, odio habens incredibiliter malos, ceu qui mœroris ſint capaces: Deum enim ſupremam dignitatis arcem obtinentem, extra dolorem, & uoluptatem eſſe, ſolum ſapere & noſſe dicendum: Cumq; munduis animantium ſit plenus, eos adinuicem, & ſupremos Deos omnes, omnia perferre, eò quòd animalia interiaceant, quæ mira celeritate in cœlum, ac terras, omnemq; mundum ferantur. Hæc Plato, recto, ſanoq; iudicio perpendenda: quoniam plurima uera multis fabuloſis temperauit. Adiecit enim, quaſi ſuum quendam ordinem ſecutus, genus aqueum, ſcilicet, Tritones, Leucotheam, Matutam, Inous Melicertem, cæterosq; id genus poëtarum, non Naturæ Dæmones, à Poëtis, non à Deo factos. Vt autem in Timæo et in Epinomide, in Dæmones recenſet Iouẽ, Iunonẽ, quos homines fuiſſe conſtat, idq; poëtarũ teſtatur deſcriptio, hi quoq; dicendi ſunt, in natura, & in hac Platonica ſuperius definitione nullũ habere locum. Cauendũq; ne fabulis ueræ Naturæ inquiſitio deprauetur. Dæmonas igitur illos aqueos conſtat, eſſe fabuloſos, & poë-

ticos, ab ipſismet Poëtis, non à Deo repertos, qua licentia deificant flumina, fontes, arbores, antra. Itaq; etiam Dæmonas illos Iouem, Iunonem non eſſe naturales, de quibus quærimus, Dæmonas, teſtantur hi, à quibus accepti ſunt. Vbique enim Poëtæ demonſtrant eos partim Deos, partim homines fuiſſe, non agnoſcentes cum fabuloſe loquuntur alios Deos. Quare etiam Apuleius, qui Platonem imitatus in his Dæmonibus cenſet Palladam, quæ Græcis ferret opem, palàm eſt à uera Philoſophia ad fabulas delapſum. Quomodo enim perſuadere ſibi poterat Pallada Dæmonem eſſe, ſi cum cæteris, qui Deorum apud Poëtas implent, numerum, ex hominibus eſt in Deos relata? An igitur ante Deos, Dæmones non fuerunt? At Plato in Timæo cenſet Dæmones in principio rerũ, imperio Dei homines creaſſe. Huc quoq; pertinet, unde ſententiam hanc hauſiſſe Platonem palàm eſt, quod idem ait in Cratylo, ſecutus Heſiodũ, Dæmonas eſſe probos homines, quibus poſt mortem id præmij ſit datum, ut Dæmones effecti cuſtodes eſſent generis humani. Verum enimuero etiam hæc non naturalia, ſed poëtica. Quærimus ipſi Dæmonas eos, quos genus, & natura ſeparet ab hominibus, & quos oportuerit cum toto mundo fuiſſe creatos. Nã ſi ex hominibus aſſumpti, & tralati in Dæmonas fuerunt, nulli, antequam hi excederent è uita, Dæmones fuiſſent. Nos autem quærimus naturales Dæmones, excluſa uanitate, ac ſuperſtitione. Nam hæc Platonis in Cratylo, et Timeo ſententia, etiam ipſius autoritate reſellitur: quoniam et in Phædro, et in Republica cenſet eos dari cuſtodes & duces, ſimul ac nati ſint homines. Ergo multi homines anteaquam homines in Dæmones referrentur, ſine ducibus fuiſſent. Teſtatur item in Legibus Deum adhibuiſſe humano generi cuſtodes, non adhibuiſſe autem eiuſdem generis: ſicut nec nos mortales poſtores pecorũ, aliquam pecudẽ, uel capram, ſed hominem adhibeamus: ut tantũ inter duces illos intereſſe, atq; nos ſtatuat, quantum inter homines et pecudes. At hæc cum in Epinomide de naturali rerũ ordine, mundanisq; regionibus, & incolis loquatur, tribuens ſupremam ætheriamq; Diis cœleſtibus, aëriam Dæmonibus, uidetur illi naturale eſſe, ut cũ Deus crearet mundum, replens eum animalibus, ſimul impleuerit cœlum, ſimul aëra, ſimul aquas, ſimul terras. Quòd ſi uera eſſent, quæ ex ſententia Heſiodi diſputat, aër in creatione ſuis animalibus caruiſſet, neceſſeq; fuiſſet expectare, dum probi homines uita functi Dæmonesq; effecti, aëriam regionem complerent. Quoniam igitur Plato et Apuleius cum Natura Poëſin contaminarunt, pugnantia ſcilicet inuicẽ, effectum eſt, ut nihil rectè, et ex Philoſophia eis ſucceſſerit. Aut enim ſequenda ſeorſum Poëſis eſt, aut Natura. Si temperes, coinquines, nihil efficias clarũ et certum. Examinanda igitur Platonis illa deſcriptio, amandata procul interim Poëtice: quoniã ipſe quoq; proponit quendã ordinem naturæ. Plato igitur ſentit Dæmonas aërios, etiam in eo fortaſſe Heſiodum ſecutus, qui ex hominibus in Dæmones commutatos ait:

Ἀέρας ἑσσαμένοι πάντη φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν.

Aëraq; induti tota tellure uagantur.

Tribuit

Tribuit ſcilicet aërium corpus Dæmonibus, ut etiam Apuleius ex ſententia Platonicorum. Sed Plato & Apuleius etiam aërem eis tribuunt, non modò ex quo corpora eorum ſint formata, exigua, tenuia, ſed etiam quem habeant pro regione, & regno, exiſtimantes nullam fuiſſe mundi partem, quam Deus animalibus non repleuerit. Sicut autem cœlum plenũ eſt ſideribus, diuinis ſcilicet animalibus, ut ipſi cenſent: ſic aërem fuiſſe animalibus natura, & Diuinitate, genere cœleſti inferioribus repletũ. Excluſis igitur fabuloſis illis, poëticiſq; Dæmonibus, naturales Dæmones priſcorum omnium, ac Philoſophorum eſt ſententia, aërios eſſe, duabus de cauſis: quòd & in regione ſint aëria proximè poſt Lunam, orbemq; cœleſtem: & quòd ſint corporibus aërijs, ſed propter tenuitatem, quales ſunt ſoni & uoces, & id genus ſpiritualia, inuiſibilibus, quibus induti per omnem mundum inambulant. Hæc autem definitio erit omnium generatim Dæmonum tam bonorum, quàm malorum. Quod autem Plato de interpretatione, legationeq; dicit, ſanabitur illo documento Philonis, hoc munus Angelorum, non Dæmonum eſſe, quod eorum nomine ſignificatur, quo in Hebraica lingua, & ab antiquiſſimo Moſe, & ab anteceſſoribus eius ſunt ab eo munere appellati: ab Aegyptijs, ſuperioribusq; Theologis, Platoni auditum, ſed nomen immutatum: Aut dicemus eum ſecus quam maiores prodidiſſent, fuiſſe locutum, aſcribentem Dæmonibus, quod erat apud priſcos, meliorum poteſtatum, quos fama, certa´que ſcientia erat, creditis eis à Deo rebus humanis, à cœlo in terras nuncios mitti. Hoc non Dæmonibus decuit aſcribi, ſed ut apud maiores fama increbuiſſet, Dijs ipſis cœleſtibus, & Angelis, quos ſuper ſcala, quæ ſolo fixa cœli cacumen tangeret, uidit aſcendentes, & deſcendentes. Iacob. Id officium in ſacris literis dicitur ἀγγέλλειν, nunciare, apud Philoſophos ἑρμηνεύειν, interpretari. Inde Hermes, diuũm interpres. Dicitur etiam προφέρειν, intercedere, perferre, tranſmittere. Definitionem igitur Platonis, quòd Dæmones ſit gens aëria, non modò aërijs, inuiſibilibus´que corporibus, ſed etiam regione, ut ſint quaſi mundani Dij, proxima cœlo loca obtinentes, quoniam is eſt omnium fermè Philoſophorum conſenſus, approbabimus. Sed officium, quod tribuit eis, dicemus iuxta Philonem, non ipſorum eſſe, ſed Angelorum, quibus ueritas cœleſtis, non aërem tribuat, ſed ipſum cœlum habitandum, diuina´que præſentia ſemper frui, excepta´que mandata proferre in terras, affirmat. Quod cum ſit ipſorum proprium, Dæmones à tam præclaro, ut ait Philo, munere excludamus, ne mala pro bonis accipientes, deceptiq; rerum ſimilitudine, ſuperſtitionis pondus noſtris ceruicibus imponamus. Aut dicemus unam quidem gentem, unum genus eſſe Dæmonas & Angelos, ſed non omnes Dæmonas, duntaxat autem bonos legationibus fungi. Definitio igitur Dæmonum erit, quòd aërijs corporibus regiones aërias incolant: legationes autem erunt Deorum ætheriorum, non Dæmonum, quibus morum prauitas dignitatem, decus´que hoc eripuit. Veritatemq; à fabulis, & mendacijs, attentis oculis, ſic apud Platonem, ut apud cæteros

Philoſophos ſecernentes, duabus correctionibus utemur in explicatione Platonicæ de Dæmonibus: primum reijcientes poëticos illos Dæmones, qui cum homines fuiſſent, ſeparatum à Dæmonibus genus habuerunt, nominaq; ipſa fuerunt hominum nuncupationes: ſecundum, ut legationem, cuſtodiam generis humani non Dæmonũ eſſe, ſed eorum, quos Deos appellant, dicamus. Aut ſi demus bonos, & malos Dæmones eſſe, bonos, Angelos appellabimus, quorum ſint legationes, & interpretationes. Sed definitio, quòd ſint aërij regione, quoniam angeli, ac Dij in ſacris literis (nam nomen Dei Elohim, eſt etiam Angelorum, ſic etiam in prophanis) legationibus fungantur, humano generi dati à Deo præſides, & ſunt cœleſtes, non aërij, niſi forte corpore, non congruet, nec erit eorum cum Dæmonibus miſcenda natura. Separato igitur munere legationis, & interpretationis, reliquam definitionis partem accipiemus, eſſe eos aërios, à cœleſtibus aulis, commercioq; Deorum excluſos, & in terram, aëremq; tenebroſum deiectos. Illud item uidetur in Platone, Apuleio, forteq; etiam Philone corrigendũ, ſitũ aërium datũ Dæmonibus nõ naturaliter, ac quaſi ſuccedentibus inuicẽ ſibi mundanis regionibus, quæ fuerint in creatione repletæ, cunctis elementis habẽtibus ſua animalia. Nam ſi natura ſitus is Dæmonibus eſſet, nunquam mali, ſed boni ſemper fuiſſent: quoniam tum autor omnia bona fecit, tũ nihil eſt à Natura factũ deprauatum. Nec Deus malis habitatoribus mundum ſuum repleuiſſet. Ille igitur aëris ſitus accidentalis fuit: non natura, nec fuit diuina diſpoſitio, ut cœlo diuinis animis repleto, compleretur aër item ſuis incolis. Quod ſi Deus feciſſet, bene feciſſet, nec mali Dæmones eſſent, nec aërem, ſed cœlum incolerent. Relinquitur igitur has ſedes datas uti malis, uel ut quibus non licuerit ad cœleſtia templa propter ſcelus aſpirare. Quocirca quod Philo perhibet in libro de Mundo ſecutus Platonem, ἀέρι μὲν γὰρ πλησιάζοντας καὶ δυνάμεις ἄλλας αἰδίσασθαι δὲ ἀμὴ δύναμῶς καταλαμβανομένας, ψυχῶν ὁ θυμὸς ὅτι ἀσωμάτων ἐστὶ, διακεκοσμημέναις οὐσίαις αὐτὰς ἐνταξεσιν: Aëri, inquit, attribuit uolucres, & poteſtates alias, quæ ſenſu non poſſint percipi. Eſt autẽ is chorus animarum incorporearum, per acies & ordines diſtinctus ſuos. Deinde infert, Quarum alias ratio probat corpora mortalia ingredi, certiſq; temporibus rurſum migrare, diuiniorem compagem ſortitas, omnis terrenæ habitationis expertes eſſe, ſed ſupernè ad ipſum æthera purißimas eſſe. Quas Græcorũ Philoſophi Heroas, & Dæmonas uocant, Moſes recto nomine Angelos, legationibus fungentes, & nunciantes à Principe bona ſubditis, & ipſi Regi ea, quibus indiget ſubiecti. Et in libro, quòd inſomnia ſint à Deo. ἀὴρ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος: Aër incorporeorum animorum domiciliũ. Quandoquidẽ omnes mundi partes replendas eſſe, pulchrũ iudicauit opifex. Quocirca terrã terreſtribus, mari & fluminibus aquatica, cœlo ſtellas attribuit. Quarũ ſingula non modò animal eſt, ſed etiã purißima mens. Quare etiam in alia regione uniuerſi, aëre, ζῶα γέγονεν. εἰ δὲ αἰδήσει μὴ κατάληπτά, τί γάρ, καὶ ψυχὴ γὰρ ἀόρατον, καὶ μέρεικός

γε

γε ἀέρα, γῆς μᾶλλον & ὕδατος ζωοτροφεῖν: Animalia creata sunt. Quòd si sensu non percipiuntur, quid mirum? Siquidem & anima inuisibilis. Atqui ueri sit simile, aërem multo magis quàm terram animalia nutrire. Hoc igitur Philonis dogma, dicerent Theologi non esse planè Mosaicum, negantes esse in aëre animas, anteaquã in corpus descendant, aëremq; purissimos animos habitare non concedentes, qui locus datus sit eis à Deo, tanquam naturalis, ut legationibus fungantur. Si enim accedunt ad Regem, certè cœlestes sunt, non aërij. Et ipsi Angeli confessi sunt se semper astare conspectui diuino. Si sunt cœlestes, ut clara ratio est, quoniã sunt Angeli, qui Dij dicuntur à Philosophis, etiamq; in Theologia, superest eos etiam cœlum habere pro regione, eosq; solos legationibus fungi. Eos autem qui tenent aëra, non modò non esse purissimos, sed aliorum Theologorum testimonio. inquinatissimos, utpote uetitos propter impuritatem cœlestes penetrare domos. Quare secutus in eo Platonẽ Philo, dogma proposuit non usquequaq; Mosaicum Probarem enim testimonio Mosis, tum Angelos cœlestes esse, semper in aula regis sui commorantes: tum aërem non alia animalia, quàm uolucres habere: nec aliud animantis genus aëri necessarium fuisse, quo repletur, nisi uolucres & uolatilia: sicut nec aquæ sunt alia animalia, nec terræ nisi corporea, & uisibilia. Dæmones autem quoniam tantus est Philosophorum consensus aërios esse, dicerem non consilio creatoris, & natura situm hunc habuisse, sed casu & uitio suo, quibus cœlum, quemadmodum cæteris animis, esset paratum. Eadem correctione uterer in Apuleio, selectis bonis multis, quæ de Dæmonibus sentit.

Declaratur sententia Platonis de Dæmonibus, qua tribuit eis legationes, intercessionemq; inter hominem, atq; Deum. Et quod hi sunt Angeli cœlestes. Cap. XXII.

DEclaratum est igitur, quod Plato prodidit in Epinomide. Cum ergo legationes, et interpretationes, non Dæmonum aëriorum, sed cœlestium Deorum esse deprehenderimus, recognoscere, & in sedes suas restituere necesse erit, quod item Plato dixit in Sympostio de dæmonibus: Etenim, inquit, omne Dæmoniorum genus interiacet inter Deum, & mortales, referens Dijs res humanas, hominibus diuinas: Hominum quidem preces, & sacrificia: Deorum imperia, & præmia sacrificiorum. Cumq; sit in medio amborum, efficit ut uniuersum sit inter se deuinctum. Per hos tendunt omnia uaticinia, arsq; sacerdotũ, eorumq; omnium, qui sacrificijs & initiationibus, incantationibusq; & ueneficijs insistunt. Deus autẽ non habet cum hominibus commercium, sed per hos omnis sit legatio et allocutio Dijs ad homines. Vigilantibus item & dormientibus. Atque qui in his doctus est, uir dæmonius dicitur. Igitur hi Dæmones multiplices sunt & uarij. Hæc Plato. Quæ quidem eodem atq; superiore calculo examinanda esse, ne uel in suspicionem, uel indignam Philosophia hallucinationem cadamus, certum est. Tanta est enim propter separationem à corpore inter Dæmones bonos & malos, aut Angelos, & Dæmones similitudo, & quia mali sæpe transformant sese in Angelos lucis, ut ea-

dem eisdem apud Philosophos tribuantur, deceptos eorum nonnullos, ut ait Porphyrius, ea similitudine. Quoniamq; credendum est Platonem, sicut omnem aliam Philosophiam, sic de Dæmonibus hanc ab Aegyptijs, cæterisq; Barbaris, etiam iudice Plutarcho hausisse, ueri simile fit quæ de utroq; genere audisset, huc cum in commune attulisse. Dico igitur in hac Platonis relatione, etiam Platonicorum testimonio, cum mista sit duplex natura, non congruere Dæmonibus omnia, separandaq; esse recto sanoq; iudicio: quoniam nihil est aliud miscere superstitionem cum religione, quàm indigna Deo, indigna malis, prædicare, ut siue bonis mala, siue malis bona assignes, par utrinq; periculum adeas. Functio igitur illa, legationes, & interpretationes, et inter Deum, hominemq; intercessio, delatio mandatorum Dei ad homines, precum, & benefactorum ab hominibus ad Deum portatio, non est eorum, quos ibidem incantationibus, & ei quæ dicitur γοητεία, maleficium, initiationibus item, quæ sæpe fuerunt execrabiles, præfectos dicit, & quibus totam attribuit Magicen: sed est cœlestium Deorum, & eorum qui semper assistunt diuino conspectui, quos Aristoteles & Plato beatos in cœlo prædicant ob hanc causam uiuere. Quòd longè quàm Aegyptiorum, & Græcorum Theologia Mosis uetustior, in qua Dij cœlestes à summo & Principe, ac Rege suo Deo monstrantur, ad homines missi, rursum ab hominibus preces, et benefacta attulisse, probat. Ac ut taceam Mosen, de precibus clarum. Apud Tobiam inquit Angelus, Quando orabas cum lacrymis & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Deo. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te: nunc misit me Dominus ut curarẽ te, & Saram uxorem filij tui Dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphaël unus ex septem, qui astamus ante Dominum. Hæc ipse Angelus, addens se uescj cibo immortali, inuisibili, qui ab hominibus cerni non possit. De sacrificijs autem in Apocalypsi: Ascendit fumus aromatũ ante conspectum Dei de manu Angeli. Ergo nõ à Dæmonibus, sed ab ipsismet Dijs functio hæc celebratur. Triaq; sunt in hac Platonis assignatione corrigenda, ut Theologiæ transpositus ordo in suas regiones reuocetur: Quod ait Dæmonas intercedere inter Deos & homines. Nam qui inter Deum, homines que intercedunt, quasiq; mediatores, & προξενοι existunt, non sunt Dæmones, sed ipsimet Dij: nec est cum Dijs illis multis, quos & ipse confessus est Plato ab Opifice mundi creatos, interces sio: nec ad eos fit relatio, sed Deum supremũ, nec habent ministros, internuncios, & legatos. Qui enim sunt Dij illi, inter quos, & homines, medij, & internuncij Dæmones intercedant? Transpositus igitur est ordo, corrigendus et restituendus à nobis, ut quos dixit Deos, & quos Aristoteles prædicauit extra cœli uertiginem uiuere beatos, quod etiam Plato ubique, descendant è cœlo inter homines Deumq; altissimum intercedentes, digni qui uocentur, sicut in sacris literis uocantur, Dij: Quos omnis uetustas etiam cognouit, & sensit, & audiuit, expertaq; est ad homines uenire. Nanque Catullus,

Qui cœtus

Qui cœtus humanos inuisant: & quod Plato in Epinomide, Bonos & pios amplectuntur: non aërios illos Dæmones, sed Deos cœlicolas dixit, qui quondam sumptis pulcherrimis, uisibilibusq; corporibus, darent sese in conspectum pijs, ac iustis, ut Abrahæ, ut Mosi, ut Iacob, plerisque probatissimis uiris post & ante eos. Scelera autem nostra auertisse, iustitiæ, probitatisq; amatricem, eorum mentem à nobis. Hi sunt legati, interpretes, relatores, ultro citroq; à cœlo in terras, à terris in cœlum, legatorum more reuolantes. Secundum corrigendū est, ut quemadmodum non est inter Deos, hominesq; interceßio, sed inter Deum principem, quem & ipse agnoscit, ueneraturq; Plato, nec ponere fas est aliū ordinem inter homines, & Deos: sic prædictio futurorum, legatio, & allocutio, Dæmonibus & aërijs illis potestatibus erepta, tradatur Dijs melioribus, non nuncijs ex potestatibus, sed ipsis nunciorum munere fungentibus. Tertium, quòd quemadmodum munus istud præclarum traditum Dæmonibus, restituitur ueris possessoribus Dijs: sic officium execrabile, ueneficiorum, incantationum, teletarum, quæ sæpe turpissimæ, abominandæ que fuerunt, non bonis illis, & potentibus Dijs, quibus mens est, ut Catullus ait, iustifica, tradatur, sed relinquatur aërijs istis Dæmonijs. Hoc igitur pacto fiet, ut datis suis cuique locis, ordo Theologiæ uerus appareat. Habemus interim à Platone, Dæmones esse genere aërios, magicæ, ueneficijs, incantationibus, oraculis præfectos: Legationes autem, ut ipsa ratio docuit, restituimus Dijs. Docet enim ratio, non inter Deos, sed maximum præpotentem que Deum intercedere legatos. Ergo si sunt Dij cœlicolæ, ut fatetur Plato, hi maximè parentes principi Deo, legationibus funguntur. Sequitur item ex dictis Platonis, necessaria, naturali que deductione, Dæmones non esse bonos, id que duabus rationibus. Sunt aërij, non admittuntur in cœlum, non fruuntur, diuina præsentia. Sunt item sceleratis maleficis que artibus, teletis execrabilibus præfecti. Quo arguitur eos impuros esse, & inquinatæ mentis, nec eos delectari, quod in Epinomide dixit, bonis, odisse malos, quod est ipsorum Deorum cœlicolarum, ut Catullus ostendit. Emendandum item aut declarandum, quod ait, Deum uel Deos cum hominibus non habere commercium. In Gorgia sentit contrarium: φασὶ δ'ἐ οἱ σοφοὶ, κὰι οὐρανὸν, κὰι γὴν, κὰι θεοὺς, κὰι ἀνθρώπους τ῀ κοινωνίαν συνέχειν, ⓒ τ῀ φιλίαν, ⓒ κοσμιότητα: Aiunt sapientes cœlum & terram, & Deos, & homines habere societatem, & amicitiam, & inter se ordinem. Hucusque possent sic Dæmones definiri secundum Platonem: Dæmones genere sunt aërij, id est, loco, & corpore: sunt malis affectibus, quia delectantur impuris ueneficijs: præsunt incantationibus, quæ sine impuritate, & sine flagitijs non fiunt. Habemus etiam ex Platone, & Catullo definitionem Angelorum, siue Deorum, quòd sunt cœlestes, præfecti legationibus, inter nos & Deum intercedentes, imperia Dei nobis, nostras Deo preces perferentes. Delectantur mirum in modum bonis, adeunt domos castas, execrantur malos, auertunt se se ab eis.

Separantur

Separantur ea, quæ promiscuè de Dæmonibus aerijs & Angelis cœlestibus locutus est Plato. Et, quod mire cum sacris literis consentit, de principibus humano generi datis. Cap. XXIII.

VT Plato in Epinomide, & in Sympoſio confudit naturam bonorum, ac malorũ, tranſtulitq; Deos in Dæmonas: nos autẽ ſeparatis à ueritate mendacijs, ſua quibuſq; reſtituimus: ſic faciendum eſt cæteris locis, in quibus de Dæmonibus eſt locutus. Quarto de Legibus hæc ſcribit, Cognoſcens Saturnus, quemadmodum natura uiuimus, humana natura, cuius imperio ſubiecta cuncta eſſent, fieri non poſſe, quin iniuſtitia, & iniquitate in gubernando uteretur, ἐφίετο βασιλέας γε καὶ ἄρχοντας ταῖς πόλεσιν ὑμῶν, οὐκ ἀνθρώπους, ἀλλὰ γένος θειότερον καὶ ἀμείνονος ἀγαθοῦ δαίμονας: Præfecit Reges, & Principes urbibus noſtris, non homines, ſed alterius generis diuinioris Dæmonas. Tum ſubijcit: Sicut nos facimus pecori et omni domeſticorum, manſuetorumq; animaliũ gregi, non boues boum, neq; capras caprarũ principes, ac duces damus, ſed nos dominamur genus quàm ipſa præcellentius. Sic uidelicet clemens Deus genus excellentius Dæmonũ præfecit nobis. Quod ſumma pace, & clementia, ſummaq; erga nos prudentia, libertatem, abundantiã, modeſtiã affatim afferebat, efficiebatq; ut ſine tumultu, beatè res humanæ agerent. Ac uera hæc fama addit quoq;, quibus urbibus mortalis quis, non Deus imperet, nec malorum, nec miſeriarũ fore finẽ. Hæc et alia Plato. Hic quoq; duplex neceſſaria uel correctio, uel declaratio, ipſo etiã Platone nobis eam oſtendente, quòd hoc non fecit Saturnus, ſed Deus, ut idem poſtremò profatus eſt, & docuit in Timæo, & in Politico. In Timæo mundanus opifex, ſummusq; Deus iubet Deos minores, quos Dæmones Græci, Latinè Genios dictos putat Marcus Tullius, in corpus humanũ, quod imperio eis collectis ex omni elemento puriſſimis quibuſq; partibus effinxiſſent, anima, quam ipſe creaſſet, incluſa, omnem dein generis humani curam eos ſuſcipere, regentes ante uitam, in uita, poſt uitam. Quare non fuit is Saturnus, ſed Deus ſempiternus, omnipotens. In Politico quoque dicit ad uerbum Sicuti nunc per loca idem fit à Dijs principibus. Nam omnes mundi partes interceptas, & quidem etiam animalia, generatim et greges, ueluti paſtores diuini, partiti ſunt inter ſe Dæmones, quorum quiſq; ſufficit ſuæ gubernandæ prouinciæ, quam Deus eis credidit, Paulò pòſt: Deus ipſos diſtribuit, præficiens ipſe ſicuti nunc homo animal diuinius, cætera inferiora genera paſcit. Ecce refert eadẽ hoc libro Plato, atq; libris de Legibus, nominans apertè Deum, quem Saturnum in Legibus. Ipſe igitur uel corrigit, uel declarat ſeipſum. Secundo loco emendandum, uel declarandum, quæ poſsit etiam ex Platone colligi correptio. Hoc munus mundi gubernandi, ac regendi, non fuiſſe à principe Deo Dæmonibus delegatum, ſed Dijs illis cœleſtibus, ut ſuperius Catullus cum Platone prædicabat: poſſetq;, quod ipſe fortaſſe non grauatè acciperet, autoritate uetuſtiſſimi Moſis corrigi Plato, qui in ſuo diuino carmine longè ante natum Platonem cecinit, Conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Dei. Quanquam Hebraica lectio eſt filiorum Iſraël

Item

Item Daniel genere Barbarus (à Barbaris autem fluxit ad Græcos Theologia) multos natus annos ante Platonem, inducit quendam è cœlitibus, nimirum Angelum Gabrielem, cui populus Hebræus creditus esset, dicentem restitisse sibi principem Persarum, uenisse, autem Michaëlem unum de Principibus primis in adiutorium suum. Ibidem est princeps Græcorum, & Michaël item princeps Hebræorum. Hi sunt igitur quos Plato similiter dixit ἄρχοντας, Principes, mundi rectores, Præsides generis humani. Nec alia sentiebat ipse, quàm à Barbaris audita, nomine tantum dissensit, nec quæ Barbari docuissent, quoad decuisset, percepit. Possemq; ex ipso declarare, uel corrigere Platonem, qui cæteris libris non à Dæmonibus, sed Dijs asserit curari genus humanum. In Phædone, ut alia loca taceam, Bene, inquit, illud celebrari, crebrò quæ iactari mihi uidetur, θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ὠνιμελεμβήτους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἧ τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶν, Deos esse gubernatores, custodesq; nostros, & nos esse Dijs, quasi peculium. In Apologia quoque dicit non negligi res uiri pij, ac iusti à Dijs. Ergo correxit Platonem Plato, tulitq; etiã pro ueritate suffragium. Vt ergo fabulosè propè fuerat pro uero Deo Saturnus, sic pro ueris Dijs, aut Angelis, nominati sunt Dæmones. Sed corrigitur et autoritate Prophetarũ, quorum uetustior est, quàm Platonis Theologia, & ipsiusmet testimonijs Plato. Habes igitur præter supradicta nihil aliud quidem de Dæmonibus: de Dijs autẽ, quod concorditer cũ uera Theologia, distributas partes omnes mundi à principibus suis Dijs asserit Plato. Sicq; poterunt Dij definiri. Dij cœlestes, quos Angelos & nuncios cæteri uocant, incolunt cœlum, sunt legati Dei, inter Deum, & homines intercedentes: sunt item principes prouinciarum, urbium, locorum rectores, ac pastores diuini quidam, à quibus tanquam ducibus & principibus gubernantur res humanæ. Hosq; distribuit præpotens ille Deus. Quare non sunt Dæmones illi aërij principes, quos dixit Plato, cum Dæmones magnis illis principibus longè sint inferiores & imbecilliores. In Tobia uidimus ab Angelo fugatum Dæmonem utpote immundum, impurum, imbecillum, à sancto, puro, præpotẽti. Hi sunt igiur ueri principes, et hos uerisimile fit ex Theologia Barbarorũ audisse, et scriptis suis celebrasse Platonem. Et nos in suũ locum theologiam restituimus, etiam non reclamante Platone: qui & in Politico hæc ipsa disserens, πάντες οὖν οἱ κατὰ τόπους συνάρχοντες τῷ μεγίστῳ δαίμονι θεοί, γιγνόντες τὸ γιγνόμενον, ἀφίεσαν αὖ τὰ μέρη τοῦ κόσμου φύσεσιν ἰδίαις ἐπιμελείας: Omnes, ait, qui cũ magno Deo per loca imperabant Dij, cognoscentes iã quod fieret, partes mundi suis gubernaculis destituerunt. Sic Deos appellat, quos alibi Dæmones. Mirabile, diuinumq; propè oraculũ apud Platonẽ, principibus diuinis creditas res humanas, eos & Principes appellantẽ sicut literæ sacræ, et eam gerendã prouinciam demandantem, quam item literæ sacræ, per omnia sanctæ Theologiæ conformis. Et Philone dicente, apud Philosophos Dæmonas esse, qui in sacris literis Angeli, noscimus principes Dæmonas esse principes Angelos.

De

De Dæmonibus eligendis, eorumq; præsidio, custodiaq; hominum in uita, & post, a Platone tradita, in Deos, uel Angelos congruere. Quis sensus, cum aiunt iustos post mortem fieri Dæmones. Cap. XXIIII.

ILlud item obseruandum suspiciendumq; est, & (ut fecimus) etiam declarandum, quod alijs multis in locis de Dæmonibus tradit Plato, Quos ut docui tribus uitæ conditionibus, sortitos res humanas, eas administrare, ante uitam, in uita, post uitam asserit. Quæ dicta sunt, spectant ad conditionem, qua uiuimus: quæ autem in Phædro, decimo de Republica, ante uitam & post. In Timæo quoque cum iubentur humano corpore formato animas diuinitus creatas inserere, & regere, atque alere, & consumptos sinu recipere, tradit ea, quæ cæteris libris. Et quod progressus in Timæo: τῶν δὲ θνητῶν τὴν γένεσιν, τοῖς ἑαυτοῦ γεννήμασι δημιουργεῖν προσέταξε, οἱ δὲ μιμούμενοι παραλαβόντες ἀρχὴν ψυχῆς ἀθάνατον, τοὺτῳ μετὰ τὸ θνητὸν σῶμα αὐτοῖς περιετόρνευσαν: Mortalium autem fatum & opificium suis filijs aut progeniei demandauit: Qui quidem eum imitantes, acceptoq; animæ immortali principio, deinceps ipsi corpus effinxerunt, & adornarunt. Iuxta igitur hoc suum dogma in creatione hominis, quod autoritate eius, aut corrigitur, aut declaratur, Plato multa alijs locis disseruit. In decimo de Republica docet electionem Dæmonum, quos ipsi uitam ineuntes eligimus, uel ipsi nos eligant, nostram esse. Referendumq;, ut dixi, ad Angelos & Deos cœlestes, quos dari simul ac nati sumus, custodes nobis, omnes propè sacri scriptores consentiunt. Eliguntur autem à nobis, quòd quancunque uiam, electionemq; uitæ suscipere uelimus, nostræ sit libertatis: uita uerò susceptâ, susceipitur, eligiturq; Genius siue Angelus, qui diligunt, amplectunturq; bonos, execrantur, auertuntq; sese à malis. Cui iustitia, pietas, probitasq; placuerit, Angelum sibi custodem, præsidemq; elegit. Nam Plato & Aristotes, ipsa quoque sacra doctrina bonos cum primis à Deo curari, diligi, foueri contestantur. Viroq; iusto nec uiuo, nec defuncto nocere quicquam ob illam custodiam posse asseruit Plato. Nostra igitur est electio, nostrum est decernere, utrum pijs castisq; factis puros illos, sanctos, & cœlestes animos uelimus aduocare et conciliare nobis, an sceleratis, impurisq; auertere. Quod ubiq; in nostris literis decantatur. Reuocabitur igitur & istud, quod ad statũ ante uitam pertinet, in suum Theologiæ locũ, aut mentem Platonis fuisse dicemus, quod apertè & in Phædone, et Politico, alijsq; locis demonstrauit, Dæmones esse Deos illos cœlestes humani generis præsides à Deo datos. In Phædone quoq; ubi loquitur de statu animorum post uitam, hæc ad alia habentur, referente ipso famã quandam priscam Animam indigere custode, ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαστον, ὃ ἕκαστος δὴ λαίμων ὥσπερ ζῶντα εἰλήχει, οὕτως ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δήπου τόπον, οἷ δεῖ τοὺς ξυλλεγέντας διαδικασομένους εἰς ἅδου πορεύεσθαι: Scilicet, unum quenq; uita functum uniuscuiusq; Dæmonem sicut uiuentem sortitus fuisset, sic conari agere ad quendam locũ: Quo collectos, oporteat ad inferos tendere iudican-

iudicandos. Hæc Plato, addens quòd animas, quæ uel homicidijs aut iniurijs, uel alio scelere se commaculassent, earũ duces execrati, & perosi, neq; proficisci cum eis, neq; duces esse uelint. Ipsas ire uagas, & palabundas, donec certa temporis re uolutione peracta, à necessitate ad dignum sceleribus suis locum rapiantur. Quæ autem purè, ac sanctè, moderateq; uixissent, factas duces & comites Deos, in lo/ cum congruum deduci. ξυνεμπόρους, καὶ ἡγεμόνας θεῶν τυχόσας ὧν ησε τῶν αὐτῆ ἑκάστην τόπων προσήκοντας. Ipso igitur etiam attestante Platone, ui demus duces illos, et comites animarũ esse Deos. Apparetq; uenerabilis, primæua, per omnes ætates descendens, habens ortum à cœlo Philosophia de Dijs, siue An/ gelis cœlestibus: Eos à Deo rebus humanis præfectos, quàm natura hominum, su/ perioris conditionis, iussos & antequam uitam ineant animi, & cum in uita de/ gunt, & cum excesserint, sequi, comitari, amplecti, regere ueluti gregem. Tra/ duntur eadem in Theologia, Quòd Michaël princeps iustarum animarum: Et in Petro pulsante hostium suspicio, quòd Angelus eius esset. Et quòd ab his in terra uita nostra munitur. Et quòd ascendit fumus aromatum de manu Angeli in con/ spectu Domini: Et quòd Angelus eius nobiscum est: & quòd Angelus meus præ/ cedet te: Et in Tobia, Angelus Domini comitetur uobiscum: & quòd tradit Deus Miahaëli animas sanctorum. In quibus apparent non res modò, sed nomina simi/ lia, duces, principes, comites, munientes, ferentes sacrificia, præcesq;. Apud Pla/ tonem ξυνέμποροι ἡγεμόνες, ἑρμηνευταὶ, προφῆται, Hæc apud Plato/ nem Theologia, est illa seculorum omnium, est ingens, quod semper cœlo cum ter ra fuit commercium: quo, sicut cœlites, et princeps ipse Deus, exploratas habuere semper res nostras, & claras, defixeq; eas intuebuantur: sic terræ propter id ipsum commercium, cum crebrò ante domos castas uentitarent, nouerunt, uiderunt eos in omni seculo, sicut apud Hebræos, & nostros, sic item exteras gentes. Omnes e/ nim sumus filij Dei. Et prioribus illis seculis nondũ terra uiolata idololatria, sæpe Angeli in terris uisebantur. Dogma uerò, quod ijdem ducant, animas corporibus exutas, mirabile est, ut illis etiam perspectum fuerit. Sic undiq; omni ratione con/ cluditur eandem semper fuisse pietatem, religionem, Philosophiam, sed nominibus mutatis, & ordine Theologiæ transposito, aut ab aliquibus ineptis, & malè sanis temerato, primorum seculorũ sanctitatem caligasse: donec magna Mens, creatrix hominũ, cœlestibus aulis digressa in terras, eas larga bonitatis suæ luce repleuit, se citq; sapientiæ suæ fontibus exuberare omnia. Hactenus habemus seorsum ex Pla/ tone, nempe ex prisca Philosophia, eoq; uetiore. Nã et Plutarchus perhibet hæc à Chaldæis, Aegyptijsq; manasse, quæ de medijs inter Deum & homines Dæmoni/ bus posuit Plato, natura Angelorũ, siue Dæmonum bonorũ, sicut superius aërios illos à cœlestibus separauimus, semouimus etiam fabulosos, et nõ naturales Dæmo nes, poëticos scilicet à ueris. Poëtici Dæmones sunt homines, ex hominibus in Dæ/ mones relati, Pallas, Minerua, Iuno. Qui cũ non sint naturales, mirũ est Apuleio,

sed

ſed antea Platoni fuiſſe inductos. Quod poterit tamen rectè interpretari. Vt enim in noſtris literis homines pij fieri ſicut Angeli Dei dicuntur, & ut oſtenditur finis totius beatitudinis eſſe ἀποθέωσις, deificatio, ut efficiamur Dij, conſortes imaginis filij Dei, & cohæredes eius: ſic tale quid innuebant illi, poſt mortem fieri bonos, ac iuſtos uti Deos, ac Dæmones. Sic etiam Plotinus credidit malos animos fieri Dæmones malos. Sed Theologiæ, rerumq; uitanda confuſio. Quod & Iulianus Philoſophus admonuit: δαίμονες δὲ οἱ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτάττοντες, οὐκ ἐσιν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ, πῶς γὰρ ἂν γένοιντο δραστικαὶ, & μετὰ τὸ ἀποθανεῖν, χωρὶς σώματος ζῶσαι καὶ ἄνθρωποι; Dæmones, ait, qui hominibus imperant, non ſunt hominum animæ. Quomodo enim eſſent operantes, poſt mortem niſi uiuat homo? Hæc ille. Sed non placet autoritas eius, quantum Chryſoſtomi, & aliorum.

Separantur ueri Dæmones à fabuloſis, quos celebrant poëtæ, Veros Dæmonas aërios illos eſſe. Cap. XXV.

TRia igitur, ut ſeorſum, ſeparatim q; cuncta tradantur, ſunt apud Platonem Dæmonum genera, è quibus una tantum natio ſunt ueri, naturalesq; Dæmones, reliqui non naturales. Naturales & ueri ſunt aërij illi. isq; eſt omnium Philoſophorum, totiusq; Philoſophiæ conſenſus, eſſe naturales, quos Plato ueneficijs, incantationibus, Magicæ, γοητείαις, ſacerdotumq; artibus oraculisq; præficit. À quibus ex una parte ſeparandi ſunt Dæmones fictitij, & poëtici, ut Matuta, Oceanus, Galacia, Phorcis, Saturnus, Opus, Iupiter, Iuno, quos memorat in Timæo Plato, in libro de Vniuerſitate Marcus. Ex altera porte cœleſtes illi Dij, quibus aërij Dæmones ſubiecti, reformidant, tremuntq; ad potentiam eorum, poſſuntq; uarijs cruciatibus ab eis torqueri: Et quos nonnulli Philoſophorũ miniſtros Angelorum, id eſt Deorum, dixere. Hac ſeparatione facta, facilius omnia, quæ traduntur à Philoſophis, et à Theologia uera cognoſcemus. Tam uerò ſunt in Theologia ſeorſum Dæmones à ſuperioribus, & ab hominibus diſuncti, quàm apud nonnullos Philoſophos confuſi. Confuſum eſt igitur, primum quod Laërtius ait. Platonem exiſtimaſſe θεοὺς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ δαίμονας εἶναι: Deos intueri, & regere res humanas, & Dæmonas eſſe. Dico Dæmones hic, non eſſe ueros illos, aërios q; Dæmones, ſed ut à principio demonſtraui, ex communicatione nominis Dæmonis, quod apud priſcos erat etiam nomen Dei, ut exempla probabant, Deos, id eſt Angelos, Dæmonas dictos. Dæmonium autem Socratis, cuius meminit tot locis Plato, cum Socrates eſſet uir bonus, hortaretur q; ad uirtutem omnes homines, & ab ipſo Dæmonio ad bonum ſemper uocaretur, fortaſſe non malè eſſet, ſentire fuiſſe Angelum ipſius, qui & Bálaam hariolo, & Mago apparuit, à ſcelere q; auertit. Quod autem dicit in Apologia Dæmonas, aut Deos eſſe, aut filios Deorum nothos ex Nymphis, dicendum eſt hos poëticos, & fictitios, fabuloſos q; Dæmones eſſe, non ueros illos, ac naturales, & quos in Epinomide genere aërios

definiuit

definiuit. Et nec filios Deorum Dæmonas, nec Deos esse posse. Præter naturam, so lumq; poëticum, esse ut Deus misceatur cum muliere, indeq; nascatur Dæmon. De quo postea. Sic quos dixit in Cratylo ex sententia Hesiodi Dæmones, homines scilicet iustos uita functos, non minus erunt fabulosi, atq; poëtici illi: habebit autem res ueri quandam similitudinem, si Dæmonas uelut Angelos interpreteris, quibus post hanc uitam similes fiant homines, iusti, ac pij. Ad eandem rationem attinebit uocatus Trismegistus Dæmon, quasi Deus quidã, non Dæmon uerus. Et quod Plutarchus ait, uti nonnullos mutationibus, ut quemadmodum è terra aqua, ex aquæ aër, ex aëre ignis fit, sic ex hominibus Heroës, ex Heroibus Dæmones, è Dæmonibus pauci in Deos abeant. Hæc ratio uera non est, Naturæ modos non seruat, datos, ac præfixos à Deo. De quo posthac. Ex genere quoq; fabulosorum, poëticorumq; Dæmonum erunt, quos ex sententia Hesiodi refert Plutarchus, proferens quædam ex eo carmina:

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἠβώντων, ἐλαφὸς δὲ τέτρατα κόρων·
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται, αὐτὰρ
Ἐννέα τοὺς κόρακας, δέκα δὲ ὑμεῖς τοὺς φοίνικας ὁ φοῖνιξ
Νύμφαι δυπλόκαμοι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Quæ non curabo reddere carmine. Nouem, inquit, secula uiuit arguta cornix uirorum adolescentium. Ceruus autem quatuor cornices. At tres Ceruos Coruus senescit. Verum Phœnix nouem Coruos. Decem autem Phœnices uiuitis uos. Nymphæ crinitæ, filiæ Iouis Aegiochi. Arbitratur enim Plutarchus has Nymphas ex sententia Hesiodi Dæmones esse. Dicendum igitur hos minimè ueros, sed fictitios, & fabulosos Dæmones, & à poëtis introductos, sicut fontes, quercusq; Deos, reliquamq; fictitiam Diuinitatem. Item erit falsa commentitiaq; prorsus persuasio, ut superius, bonos uiros in Dæmonas bonos migrare dicebant, sic quod à sanctissimis, et grauissimis Theologis nostris repudiatur, homines malos post mortem Dæmones redditos, nonnunquam corpus humanum uexare. Eò enim non esse credendum Chrysostomus inquit, quoniam Dæmones ipsi deceptores semperq; mendaces id fateantur. In hac persuasione fertur fuisse Plotinus. Quod nisi similitudinem interpreteris, ut sicut bonis detur habitatio, quædamq; similis Angelorum natura, animo, & corpore beatis effectis, sic mali sint Dæmonibus corruptis, & infelicibus pares, loco & sorte, aliàs uiolandus & transponendus ordo Naturæ non esset. Similiter quos ipse in tertio de Republica reijcit Dæmonas, Heroasq; fictos ab Homero, pariter reijciemus.

Veri Dæmones ostenduntur esse aërij, natura malefici, ingenio praui, boni nunquam ipsissimet Philosophis autoribus. Et quod etiam Aristoteles de Dæmonibus est locutus. Cap. XXVI.

Electis igitur, & accuratè cunctis ſepoſitis, ueri Dæmones, omnis Philoſophiæ conſenſu, dicendi ſunt aërij malefici. De quibus Platonis etiam teſtimonio, hæc pronunciandа ſunt, primum eos aërios eſſe habitatione & corpore, tum ſcelere, turpitudine delectari. Quod propoſitionibus ex ipſo Platone prolatis probabitur, altera ex altera naſcentibus. Prima propoſitio eſt, quod ait Dæmones præfectos ei, quæ dicitur à Græcis γοητεία, hoc autem eſt deceptio, qui decipiunt ſunt mali, Dæmones ergo mali. In tertio de Republica: ἔοικε γοητεύειν πάντα ὅσα ἀπατᾷ: Videntur inquit Plato, facere præſtigiũ, quæcunq; decipiunt. ergo ex Platone nihil eſt aliud γοητεία, præſtigiũ, quàm deceptio, cui præfectos dixit Dæmones. Secunda propoſitio eſt ex ſecundo de Legibus, ubi nititur omni conatu probare Deũ eſſe bonũ. Bonũ autem non fallere, neq; eſſe γόητα, præſtigiatorẽ. Ergo ſi Deus, quia bonus, non eſt γόης, ut loquitur ibi Plato, neceſſariò quicunq; eſt γόης, eſt malus. Longè autem peior, qui præeſt ueneficijs, uel præſtigijs. Dæmones igitur maximi deceptores, & implanatores, nec mali modò, ſed etiam peſſimi. Tertia propoſitio ex decimo de Legibus, ubi prohibetur ea, quæ dicitur γοητεία, & quæ ἐπῳδαί, incantationes, ut quæ funditus urbes euertãt, ſuppliciáq; ibi exercẽtibus adhibentur, ὡς δυσίαισί τε καὶ εὐχαῖς καὶ ἐπῳδαῖς γοητεύοντες, ἰδιώτας, καὶ ὅλας οἰκίας, καὶ πόλεις, χρημάτων χάριν ἐπιχειροῦσι κατάρρᾳξαι ῥᾳδίως: Quaſi ſacrificijs et uotis et incantationibus præſtigiantes, priuatos ité & domos integras, atq; urbes pecuniæ cauſa conãtur funditus euertere. Ecce docet Plato euentũ, ſtudiumq; incantationũ, ac præſtigiarũ, euerſionem nempe priuatorum, familiarũ, & urbium, idq; ob pecuniã. Quicunq; igitur hæc exercent, mali, execrabiles, quicunq; præſunt, ſceleſtiſſimi, nocẽtiſſimi. Itaq; Dæmones ore ipſius Platonis, Platonicorũq; ſunt, quales teſtãtur noſtræ literæ, inquinatiſſimi, ſceleſtiſſimi. Deniq;, quæ nos ex coniecturis colligimus, Porphyrius aperta uoce confeſſus eſt in ſecundo de abſtinentia: διὰ μέντοι τῶν ἐναντίων ἡ πᾶσα γοητεία ἐκτέτεται. τοῖς γὰρ μὴ μάλιστα, ἢ πρὸ πρωΐου τὰ αὐτῶν ἐκπιμῶσιν. οἱ τὰ κακὰ δι' αὐτῶν γοητεύοντες πάσης φαντασίας. ὄρνιθι καὶ ἀπατῆσαι ἱκανοί οἱ δι' ἀλεκτρυόνος. δι' αὐτῶν φίλτρα, ἢ ἐρωτικὰ κατασκευάζουσιν οἱ κακοδαίμονες. πᾶσα γὰρ ἀκολασία, καὶ πλάνων ἐλπὶς καὶ δόξης, δι' αὐτὸν, καὶ μάλιστα ἡ ἀπάτη. τὸ γὰρ ψεῦδος τοῖς οἰκεῖον. βούλονται γὰρ εἶναι θεοί, καὶ ἡ προσῳδία δοκεῖ θεὸς εἶναι: Per contrarios, ait, Dæmones, omne maleficiũ peragitur. His enim maximè eorum principem colunt, qui mala in maleficijs, aut præſtigijs omnigenæ apparẽtiæ aucupantur. Hi et decipiendi artifices per oblata oculis portenta. Per hos amatorias illecebras componunt miſeri homines. Omnis enim intemperantia, diuitiarũ, honoriſq; ſpes, per hos eſt, maximeq; deceptio. Mendaciũ eſt his proprium. Volunt enim eſſe Dij, & præſidens eis poteſtas uidetur Deus. Ecce eos præſtigijs præfectos, et per eos exercẽti

ceri Porphyrius teſtis. Sic omnis deceptio, infandáq; cupiditas, Veneris, pecuniæ, dignitatis, quæ Plato in Legibus, per eos fit. Mendacium eſſe eis familiare, idq; in portentis, falſisq; miraculis: & quòd uolunt uideri Dij, & princeps eorum Satanas eſt Deus huius ſeculi. Quare in contrarium & ſibi contradicens quod in eiſdem libris Plato: Ξύμμαχοι δὲ ἡμῖν θεόιτε ἅμα καὶ δαίμονες ἡμεῖς δὲ αὖ κτήματα θεῶν καὶ δαιμόνων: Coadiutores nobis Dij ſimul, et Dæmones. Nos rurſum poſſeßiones Deorum, et Dæmonũ. Clarum eſt hæc in contrarium tendere Platoni. Nam præſtigiatores confeſſus eſt urbes euertere, multo magis qui præſunt diris his artibus. Non ergo auxiliatores Dæmones, ſed euerſores, hoſtes inimici. Quarta propoſitio ex ipſo Platone: οὐδεὶς θεὸς δυσνοῦς ἀνθρώπῳ: Nullus Deorum hoſtis homini. Ergo neq; Dij ſunt Dæmones, neq; non inimici. Si enim præſunt maleficijs, & præſtigijs, & incantationibus, odere homines: ex quo naſcitur, ut non ſint Dij. Ex primo naſcitur odium, ex hoc ſecundo, quòd non ſunt Dij. Quinta propoſitio ex Homero:

οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.
Ἀλλὰ δίκην τίουσι, καὶ αἴσιμα ἔργα ἀνθρώπων.

Dij ſcelerata adamant haudquaquam facta, beati.
Iuſtitiam ſed amant, rebus lætantur & æquis.

Ex quibus exiſtit euerſio ſuorũ poëticorum Deorũ, qui noxij fuerũt omnes, ut Diana interficiens Actæonẽ, et alij, ut Mars: ſequitur itẽ Dæmones nõ eſſe Deos, neq; etiã bonos, quia diligunt præſtigias, et incantationes, et ſacrificia, quæ præ ſe ferunt odiũ, & mentem inquinatã. Quinta propoſitio, ex Euripide: εἰ θεόιτι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί: Si quid turpe faciant Dij, non ſunt Dij. Cũ Dæmones operentur ubiq; omniũ conſenſu turpia, nefanda, certè nec boni ſunt, nec Dij. Hæcitẽ probantur ex his quæ multipliciter attulit, et in multa abeuntia, Plutarchus. Ex cuius dictis, bene animaduerſis, nulla ſupererit dubitatio, quin Dæmones ſint, quales induxit Plato, præfectos maleficijs: tales autẽ exiſtentes, quin neceſſariò ſint mali, et impuri. Quæ et ipſa in ſuas propoſitiones diſtinguã. Primum quod ait de defectu oraculorũ, ſtultum eſſe et puerile, ego impiũ dixerim putare Deum ſubeuntẽ uiſcera uentriloquarũ, quæ Græcè ἐγγαστρίμυθοι, ex eorũ ore loqui. Huic addit Chryſoſtomus, eũ qui partes impudicas mulierũ, è quibus loqueretur, ſubiret, clarã fateri ſolitũ ſuã impuritatẽ. Ex his igitur efficitur, ſicut ex illo Platonis teſtimonio, ut Dæmones ſint omniũ conſenſu mali, et inceſti, Proſequitur aliã propoſitionẽ Plutarchus, Magnis difficultatibus Philoſophos liberaſſe, qui Dæmonũ genus in medio Deorũ, nempe Angelorũ, atq; hominum ſtatuiſſent, qui quidem Dæmones τὰ θνητὰ, & μεταβολὰς ἀναγκαίας, affectus mortales, neceſſariasq; mutationes reciperent. Ex his enim efficitur, ut affectus mortales excipientes indigni ſint, qui uel Dij uel boni habeantur. Nam illi homines, etiam Philoſophorũ conſenſu meliores, diuiniores q; habentur, qui diligenter, prudenterq; affectus hos humanos,

nos, ac mortales ſopierunt. Deinde quòd interiecti ſint inter Deos & homines, ea cauſa fuit, quòd cum multa fieri uidiſſent à ſuperiore, quàm humana poteſtate, ſed ea mala, ac ſcelerata. Deoq; indigna, mediam poſuerunt poteſtatem, cui malas affectiones has affigerent: Nefas enim putat Plutarchus, & qui cum eo ſuper hac re philoſophabantur, humanis affectibus, malis ſcilicet, non bonis, admiſcere Deum. Ergo qui præſunt his, & per eos exercentur indigni, & Diuinitate, & nomine bonorum. Ac fatetur Plutarchus, ſicut in hominibus, ſic in eis ineſſe differentias uirtutis, id eſt, poteſtatis, καὶ τὸ παθητικὸν, καὶ ἀλόγον, affectionũ et irrationabilitatis. Ergo ubi & affectus ſunt, et pars bruta et feritas, certè neq; Diuinitas eſt, neq; Bonitas. Rurſum apertè Plutarchus aſſerit, Orgia quædam et humana ſacrificia, multaq; alia nefanda, θεῶν οὐδενὶ, δαιμόνων δὲ φαύλων ἀποτροπῆς ἕνεκα, Nulli Deorũ fieri, ſed cauſa auertendi Dæmones malos: Et quòd uiolenti Dæmones quidã expetant animam humanam, corpore circundatã, cum qua per corpus miſceri non ualentes, tempeſtates, bella, ſeditionesq; ciere ſoleant, donec potiantur. Ex quibus et illi cognouere Dæmones eſſe peßimos, interitus humani cupidos, animarũ expetentes. Plutarchus item prædas, erroresq; Deorũ, fugas, occultationes, non Deorũ, ſed Dæmonũ affectiones habendas ait. Deniq; concludit Cleombrotus apud eũ, diſcrimen quo differant à Dijs Dæmones, non poſſe monſtrari, ſi & ſine affectibus et peccatis ſint, et non ſubſtantia, uirute, incorruptioneq; differãt à Dijs. Hæc Plutarchi præpoſitio ueriſſima: Omnis enim differentia, quæ conſtituit duo genera, alterũ Deorum cœleſtiũ, alterum Dæmonum ſubcœleſtiũ, qua ſeparatim cognita ſunt à mortalibus duo genera, fuit probitatis & improbitatis. Et quòd cœleſtes illi ſemper boni, eoq; humanæ ſalutis amantes, hi ſemper mali, inceſti, debiles, polluti, deceptores, affectibus malis obnoxij: Hoc fecit ut in omni ſeculo dignoſcerentur, ſeparatimq; prædicarẽtur. Deniq; Plutarchus ait Dæmones malos, non Empedoclem ſolum ſcriptũ reliquiſſe, ſed etiam Platonẽ, Xenocratem, Chryſippum, quin etiam Democritũ, qui cum precaretur bona ſpectra, mala quædã ex aduerſo noſſet. Ad hæc proponit dignã, quæ debeat attendi propoſitionẽ, ſoluens ea, quæ obijcerentur Empedocli de Dæmonibus malis, Nõ poſſe ſempiternos, & immortales eſſe malos. Affert exemplum in contrariũ, Multos malos diutius uixiſſe, q̃ bonos. Hæc propoſitio neceſſaria, ne putes ideo bonos, Dæmones, quia incorruptibiles. Ex his igitur omnibus, ſenſum illatis, et inuicẽ ſe conſequẽtibus, ſolũ reſtat, Dæmonas eſſe malos, idq; cognitũ, et prædicatũ non à noſtris ſolũ, ſed etiam ab omnibus gentibus, præcipueq; uetuſtiſſimis Philoſophis: confeſſos eſſe Empedoclẽ, Platonem, Xenocratem, Chryſippũ, etiam Mercurium Triſmegiſtũ, Chaldæos, Pherecydem, Syrũ, omnis deniq; mortales, omnia ſecula: ut duo dicta et prodita fuerint à cunctis, quæ quidẽ nec Ariſtoteles omnino negari poßit, Dæmones eſſe cunctis ætatibus, omni religione conſentiente, tũ eos eſſe malos. Fuerat igitur Platonis ſuperiorumq; omniũ ſententia, Dæmones eſſe animalia aëria, ex aërio corpore conſtan-

tia,

tid, quemadmodum terreſtria ex terreſtri. Nam Plato tum in cæteris locis, tum ue rò in Timæo ea maximè ratiõe Dæmonas eſſe corporeos innuit, quòd opifex mundanus iubens nouitijs Dijs, qui ſunt omnium conſenſu Dæmones, genij à Romanis appellati, ut ibi Marcus interpretatur, ut corpus humanum, animaliaq; terreſtria effingerent, partibus ex omni mundo, quibus corpora ſtiparentur, acceptis, adiecit, οὐ τοῖς ἀλύτοις, οἷς αὐτοὶ ξυνέχοντο δεσμοῖς: Nõ eiſdem, ſcilicet, uinculis, atq; eadem diſſolubili compage, qua ipſi ligati eſſent, aſtringerent. Quibus Plato demonſtrat corpora Dæmonum conſtare quidem ex elementis, ſed ea compage, eaq; temperie reuinctis, atq; ſtipatis, ut ſint indiſſolubilia. Eoq; mundanus opifex alloquens hos ipſos nouitios Deos, eos, quoniam creati ſunt, & ex elementorum tẽperie compacti, pronunciat eſſe non omnino indiſſolubiles. Hinc Apuleius definiẽs Dæmonas, ait eos eſſe genere animalia, corpore aëria. Hanc igitur Ariſtoteles priſcorum ſuperiorumq; Theologorum ſententiam declarans, & ſentiens idem, atq; illi, de Dæmonibus in quarto Metaphyſi ſcribit: Subſtantia, inquit, dicuntur ſimplicia corpora, ut terra, ignis, aqua, & id genus, omninoq; corpora, & ea, quæ ex his cõſtant, ζῷά τε καὶ δαιμόνια καὶ τὰ μόρια τούτων, Animalia, et Dæmonia, et partes horũ. Ecce igitur aſſerit Dæmonia cõſtare ex elementis, quemadmodũ et animalia. Quo autẽ elemento, quoúe corpore cõſtent, eorum quis locus, aut regio, quæ gens item Dæmones, in primo de Anima cum ſuperioribus conſentiens ἔτι γὰρ ἄντις καὶ διὰ τίνα αἰτίαν, ἢ ἐν τῷ ἀέρι ψυχή, ἢ ἐν τοῖς ζῴοις βέλτιον ἐστί, καὶ ἐν ἀναπνοῇ: Quærat quiſpiã, quã ob cauſſam anima, quæ eſt in aëre, ſit potior & magis immortalis ea, quæ eſt in animalibus. Hæc Ariſtot. quorum quanta cum noſtris concordia, uel inde clarũ, quòd dicta diui Pauli Græci exponẽtes aiũt, σαφῶς ἡμᾶς ἐδίδαξεν ὡς πάλαι ὁ μὲν διάβολος τοῦ ἀέρος ἐνεπιστεύθη τὴν ἐξουσίαν φύσει γὰρ τοῖς πνεύμασιν ἡ ἐν ἀέρι διατριβή: Aperte nos docuit quòd olim Diabolo data eſt aëria poteſtas. Eſt enim natura ſpiritibus, aëria regio, regnumq;. Hæc igitur animalia aëria ſenſit Ariſtoteles, Simpliciusq; eius interpres: ἀλλὰ ὁ μὲν γὰρ ἰαμβλιχος πολλὰ τὰ ἀφανῆ ἡμῖν οἴεται εἶναι ζῷα, δαιμόνιά τε καὶ ἥρωα. Hæc Ariſtoteles, qui tametſi improbet eorũ ſententiã, qui putabãt animã ineſſe omnibus mũdi partibus. Improbat aũt, quoniã ſi anima in omni parte mũdi neceſſariò exiſtit, anima in igne erit ignea, in aëre erit aëria, quia pars eſt ſimilis toti. Volebant autẽ illi animã eſſe partẽ eorũ, è quibus deſumeretur. Improbat igitur Ariſtoteles ſi dicatur anima pars elementorum, quæ inhabitat. Ego autem pro priſcis dico, eos non dixiſſe Dæmonas eſſe animas, quibus ineſſet uis aëria, ſed quorum corpora ex aëre conſtantia ab animis excellentioribus inhabitarentur. Propter corpus igitur aërij Dæmones dicebantur. Tertius locus eſt item in libris de Anima. Alijs, inquit, cogitatiua ineſt, atq; item mens, ut hominibus, & ſi quid aliud excellentius. Quem locũ Simplicius explicãs, τιμιώτερον ἢ εἰ καὶ δαιμόνιον ὑποτεθείη γένος ποτε,

Ἢ ἀυτὸ εἰς παθητόν προϊον σῶμα: Pretioſius, inquit, ſi genus Dæmoniũ ſtatuat unquam progrediens & ipſum ad paſsibile corpus.

Dæmones eſſe gentem aëriam. Hoc ſacram & profanam ſentire Theologiam. Idẽ Platonẽ, Pythagoram, Ariſtotelem prodidiſſe. Teſtimonium etiam diui Pauli. Cap. XXVII.

HAEc igitur ultima de Dæmonibus fuerit reſoluta explicataq; ſententia, primũ cunctis Theologis & Poëtis uetuſtiſs. teſtibus eſſe Dæmonas, eſſe itẽ aërios, animi aũt conditione malos, & improbos. Itaq; quod ad genus eorum definitionemq; attinet, credendũ eſt Ariſtotelẽ, apud quẽ de Dæmonibus mirũ ſilentiũ, innuere uoluiſſe, quæ prior Plato, totaq; priſcorũ ſchola prodiderat, ut ſuperius uiſum. Subſtantia, inquit, dicũtur tũ corpora ſimplicia, ut terra, ignis, aqua, cætera q; id genus omninoq; corpora, tum ea quæ ex his conſtant animalia, & Dæmonia. Credendũ eſt inquã Ariſtotelem nunc ſpectaſſe publicam quandam cõmunemq; inter omnes gentes de Dæmonijs ſententiam, ea eſſe ex elementis compoſita, ſicut animalia, quorũ quo plus terræ corpora poſsideant, eoq; uiſibilia, & tangibilia, tanto minus corpora Dæmoniorum ſolum aëria. Conſtant igitur ex elementis animalia & Dæmonia, ſed animalia magis ex terra, Dæmonia magis ex aëre. Illa propter terrã uiſibilia, hæc propter aërẽ inuiſibilia. Illa corruptibilia, quoniã magis cõpoſita: hæc incorruptibilia, ut ſimpliciora. Cõueniũt igitur Plato et Ariſtoteles in definitione Dæmoniũ, eos eſſe genere aërios: genere autem dico corpore, & ſede, habitatione. Plato ſedem expreſsit, Ariſtoteles craſim, compoſitionem. Heſiodus item craſim:

Ἡ ἑρα θ' ἑσαμένοι πάντη φιτῶσιν ἐπ' ἄλαν.

Aëraq; induti, tota tellure uagantur.

Noſtrorũ quoq; unus idẽq; conſenſus, ſemper aëris poteſtates, Dæmones uocantiũ ſiue quòd in aëre morentur, ſiue quòd corporibus ſint aërijs. Sed qui ſtatuat alterum, alterutrum ſtatuat neceſſe eſt, ut ſi des Dæmonibus aërem habitandum, propter corpus uolucre, ſicut corpora terrena, tenẽt terrã, ſiue des aëriũ corpus, neceſſariò des corpori uolucri conuenientem habitationem. Ariſtoteles igitur & Plato definiunt Dæmones aërios. Hæc de cauſſa putatur à Theologis ab Apoſtolo dictum, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου πρός τε πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, Contra mundanos principes tenebrarũ harũ, aduerſus aërios, et ſpiritualia ſceleris in cœleſtibus. Tria ſunt nomina, uim, naturam Dæmonum declarantia, quòd ſunt principes tenebrarum. Tenebrasq; aërem circum terras omnem caliginoſum dicit, quidquid intra Lunam & terras interiacet. Hunc ipſum etiam uocat ἐπουράνιοι, cœleſtia: cœlum enim aër eſt Latinis, Græcis, Hebræis, in cœleſtia dicuntur, quæ in cœlo hoc tenebroſo. Sunt iſtæ poteſtates in caligine, ſunt in aëre, uocatæ ob id ἐπουράνιαι, quaſi aeriæ. Tertium nomen πνευματικὰ, ſpiritualia, uentoſa, aëria, ex aëre, ex uento, qui dicitur πνεῦμα, non ſpiritualia, ut cœleſtes angeli, ex ætheris ſerenitate, ut ait Caleidius, corpora tenẽtes, ſed ut corpore ueſtita aerio, aut habitatione aeria, circa caligi-

nem

nem hanc terris incumbentẽ habitantes, excluſi à conſortio diuorũ. Natura igitur, Dæmones iuxta ſublimẽ Theologũ, ſunt aërij, loco et corpore, ſunt mali, ſcelerati: Sicq; conueniũt ſacra et prophana. Dæmones eſſe aërias poteſtates, malas, ſcelera-tas, ut Plato, ut Plutarchus, Chryſippus, Empedocles, et Philo ſuperiores Theologos ſecutus, Platonẽ, Ariſtotelẽ, ſed priores Aegyptios, Chaldæos, Empedoclẽ. In libro de gigantib. ipſe Philo: οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους μωσῆς εἴω θεν ὀνομάζειν, ψυχὰς δὲ εἰσὶν κατὰ τὸν ἀέρα πετόμενας: quos, inquit, alij Philoſophi Dæmones, Moſes Angelos ſolitus eſt appellare. Sunt autem animæ per aëra uolãtes. Sed aduerte ô Philo, quòd iſti per aera uolãtes Angeli, nõ ſunt illi boni ac cœleſtes, qui propriè dicũtur Angeli, nuncij Patris ſũmi, ſed quos ſuperiores philoſophi dixere malos, incantationib. ueneficijsq; præfectos, cum quibus nobis collu ctatio. Eadẽ Euſebius, ſecutus Theologos, et Philoſophos omnes, exiguã qui ex tanta bonorũ Angelorũ gente cecidiſſent partẽ, datã exercitationis cauſam circũ aera, & terras habitantem: ὧν βραχύ τι & μικρὸν ἀπόσπασμα γυμνασίου χάριν τῶν εὐσεβείας ἀθλητῶν ἀμφὶ γῆ, μηκὺ τὸν ὑπόσελήνιον ἀέρα, καὶ ἀλφίτεν. Auguſtinus itẽ ſuper Geneſim Dæmones dicit aeria animalia. Similia in oratione regia Euſebius, αὐλαὶ γὰρ αἱ δυνάμεις, αἱ τὸν ἀέριον χωροῦσιακαὶ τέχνσαι δυνάμεις ἐρανῶν εἶναι: Hæ poteſtates aeriæ uel celeſtes dictæ, quòd aeriam regionẽ obtineãt. Cœlũ enim aer eſt in Theologia. Iterũ Philo in eo, quod inſomnia ſint à Deo, ἀὴρ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος: Aer, ait, incorporearũ animarũ domicilũ. Hoc ſuum dogma ea, ut ſuperius dictum, ratione probant, quoniam cũ omnes mundi partes complendas uiſum fuiſſet Opifici, terris animalia, mare piſcibus, cœlo ſidera, quæ non modò animalia ſint, ſed etiam mentes uniuerſales purißimæ, dediſſe. Quocirca etiam in reliqua uniuerſi parte animalia facta eſſe. Quæ etſi ſenſu non capiantur, quid mirum? Siquidem & anima inuiſibilis. At qui ueriſimile eſt, aerem magis, quàm terra & aqua, animalia nutrire. Sic ille. Sed ſciat Philo hunc non naturã diſponentis, ſitumq; rebus dantis Dei ordinẽ fuiſſe, ut quemadmodum omnia elementa ſunt animalibus, ſic ſuis & aer repleretur. Fuit alia recondita magis, et nõ cuiuis perſpicua ratio, cur aer datus ſit illis pro domicilio. Sed nũc conſtetiſſe Dæmones aerios. Idem perhibet incorruptibiles, æternasq; animas habere aerẽ. Ad hanc rationẽ uidetur Pythagoras locutus, cum præcepit, uenti flantis ſonitum uenerari. Quod explicans Iamblichus, αἰνίττεται γὰρ ὡς δεῖ τῶν θειῶν οὐσιῶν & δυνάμεων τὴν ὁμοιότητα ἀγαπᾶν: Innuit, inquit, oportere, diuinarum ſubſtantiarum & poteſtatum ſimilitudinem amare. Diuinas ergo ſubſtantias, quibus aerẽ ſimilẽ dixit, fortaſſe dæmonas ſentit, quanquã idpatet latius etiã in ſupercœleſtes. Eandẽ fermè adhibuit definitionẽ Fatianus: Dæmones, inquit, πεῦμα τῶς σάρκιον ὁ κέκτηται, πνευματικὴ, δ' ἕξις αὐτῶν ἡ σύμπηξις ὡς ὠυρὸς ὡς ἀέρος, μόνοις δὲ τοῖς πνεύματι θεῷ φρονοῦσιν εὐσύνοτα & ἕδρα μόνων ἐστὶ σώματα τοῖς δὲ λοιποῖς, οὐδαμῶς: ἅ ſüt, ὅnino carnẽ nõ poſſi-

dent, ſed eorum compoſitio ſpiritualis eſt, ut ignis, uti aëris. Solis autem his, qui ſpiritu Dei cuſtodiuntur, conſpicua ſunt eorum corpora: cæteris haud ita. Eadē ferme Plotinus: καθόσον δαίμων μετά τινος σώματος, ἢ ἀέρος, ἢ πυρὸς εἶναι: Vt Dæmon, ait, eſt cum aliquo corpore, ſiue aërio, ſiue igneo.

Ex priſca Magorum Theologia, naturæ Dæmonum clara definitio. Eos eſſe maleficos incantationibus præſidentes, quod Plato aſſeruit: eſſe feras agreſtes. Stygios canes, Vltores, carnifices malorum: affectibus malis delectari, domicilijſq; impiorum: Transferre ſeſe in Angelos lucis. Cap. XXVIII.

ET ſi Dæmonum propria ſedes aër, quoniã ſunt aërijs uolucribusq; corporibus, dicitur apud antiquiſſimos tamen, datæ ſunt eis, præcipuè inquinatiſſimis, ſubterraneæ partes, conſentiuntq; ſuper eorum improbitate. Apud Mercurium igitur Triſmegiſtum audies Dæmonas eſſe, et eſſe malos, ſceleratorum carnifices, quibus Deus dignam ſua natura demandarit prouinciam. Sic & Chaldæi, & Magi, à Zoroaſtre fatentur Dæmonas impuros, inquinatos, ultores hominum malorũ. Ac primum extant apud eos, quæ Plato ab eis accepit, eos incantationibus ueneficijſq; præfectos eſſe. Sententia Chaldaica, ἥνίκα δὲ ἐρχόμενον δαίμονα πρόσγλοῦ ἀθρήσῃς, θύε λίθον μυύζιριν ἐπαυδῶν: Cum uideris uenientem Dæmonem terreſtrẽ, ſacrifica lapidem Mnuzirim, excantans. Hoc dogma Chaldaicũ probat Dæmonas præfectos incãtationibus, ideo malos. Sed Pſellus explanãs, inquit, Mendaces, inquit, natura ſunt Dæmones terreſtres, ut qui procul à diuina cognitione ſummoti, & tenebricoſæ materiæ impliciti. Quòd ſi uis ab eis uerũ capere ſermonem, præpara ſacrificiũ, et offer lapidem, Mnuzirin. Lapis autem is uim habet euocandi alterius Dæmonis maioris: qui obſcurè accedens ad materialẽ Dæmonem elicit ueritatẽ eorum, quæ poſcuntur, quam ille reſpondebit ſciſcitanti. Dic etiam et nomen euocatiuum, cum ſacrificio lapidis. Atq; Chaldæus alios Dæmones bonos, alios malos ſtatuit: noſtra autẽ pia Theologia, in uniuerſum decernit malos. Hæc ille. Sed ſciat Pſellus, nulla ratione Chaldæum decernere Dæmonas ullos bonos, ſed generatim omnes malos et inquinatos. Et hæc ipſa excãtatio, aduẽtusq; Dæmonis, probant eos eſſe ſceleſtos, non probant eſſe bonos, quoniam præſtò adſint. Ex his Chaldaicis uerbis apparet Platonẽ, qui hæc ipſa, teſte Pſello, legit, præfeciſſe Dæmonas ſacrificijs, præſtigijs, incantationibus, ex quo nequitia eorum, et quam dant ei noſtræ literæ fallacia ſceluſq; probatur. Nihil enim aliud innuebat in Sympoſio, cum Dæmones incantationibus præfecit Plato, quàm quod traditum fuiſſet ab his Chaldæis. Audiſti quoq; Dæmonem materialem, terreſtrem, ſiculentũ, ſordidum, humoribus fœdis gaudentem, qui ambulans per loca arida, & inaquoſa, nec inueniens humorẽ, reuertitur in locum priſtinum. Sunt quidem Dæmones omnes generatim aërij, quia corporibus aërijs, inuiſibilibusq;, et per aëra uolant: ſed nonnulli, quoniã magis petunt terram, humoresq; terreſtres, terreni, inquinatioresq; dicuntur. Ex Chaldæo igitur habemus Dæmones ſceleſtos, et malos, duabus de cauſis, tũ quia præſunt incantationibus, ſceleſtisq; præſtigijs, tum quia terreſtres dicuntur.

Con-

Confirmaturq; magis improbitas eorũ, quam eis antiquiſſimi Philoſophi tribue/runt, ut ſuperius oſtenſum. Hoc itẽ melius, & apertius duabus alijs ſententijs Chaldæus declarauit: è quibus prior prædicat Dæmonas inſidere corpus humanum, impurũ, affectibus malis mancipatũ: altera, quod ueluti carnificibus hiſce tradũtur mali homines. prior, σὺ δ' ἀγγεῖον θῆρες χθονόσοι κάτοικοι: Tuũ uas feræ terreſtres inhabitabũt, Quod explicans Pſellus, Vas, inquit, eſt cõpoſita uitæ noſtræ conſtitutio. Feræ terreſtres, qui circũ terras uagantur Dæmones. Igitur noſtrã uitam ſcatentẽ malis affectibus, eæ feræ inhabitabunt. Siquidẽ hæc genera cũ ipſis affectibus coaleſcunt, fiuntq; eadẽ ſubſtantia, & ſedem habent et ordinẽ materialẽ. Quocirca cum & ipſi affectionũ ſint pleni, ad corporea, et incorporeas affectiones, adiunguntur, et connectuntur, ſimile ſimili attrahentes, cũ habeant uim mouendarũ affectionum. Sic Pſellus. Feras ergo terræ, uetuſtiſſima Chaldæorum Theologia uocat Dæmonas, in quibus feritas eſt, et crudelitas. Et ſimiliter in noſtra Theologia uocatur, Leo rugiens, Draco inſidians, Echidna, Serpens. Hi circum terrã uolutantur, ſedibus ætherijs excluſi. ſed cum ſint inuiſibiles, et uolucres, feruntur per aëra inuiſibiliter. Affirmauit autem Chaldæus, & tradidit, hoc dicto, quod toties habetur in noſtris literis, & quod ipſe Deus dixit, Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, & inaquoſa, quærens requiẽ, et non inuenit. Ecce enim et Chaldæus docet inhabitare Dæmones humani corporis domicilium. uerum non cuiuſuis corporis, ſed malis affectibus ſcatentis. Quod et ipſe ſeruator dixit, quòd inuenit domũ ſcopis mundatam: uidelicet quaſi per ironiam, aptam habitationi Dæmonis, plenã malarum affectionũ, quas Dæmones conſectantur, ut qui ſunt etiam ipſi affectibus hiſce detenti, pleni. Sunt autẽ affectus uel paſſiones, mediæ inter animam et corpus, nõ ſunt prorſus corpora, nec prorſus incorporei, Dæmones, et ipſi huiuſmodi quadã præditi natura, qui nec corpora craſſa ſint, nec penitus incorporei, magnam habent cum affectionibus affinitatem. Affectiones ſunt motus impotentes animi, iræ, cupiditates, uehemens in terram inclinatio. Hi motus cum uigeant cum primis in illis, quibus in omnia ſcelera rapiuntur, feruentq; mentis æſtu, ardentes cupiditate nocendi, ſi quem eius generis hominem nacti fuerint, propter ſimilitudinem aſſociantur illi, quorum eſt in humoribus, et omni mala materia, à qua affectus ſæpe excitantur, ſedes. Ad hos humores libenter inhæreſcunt, uniuntur, aſſident, alligant ſæpe. Ex his igitur etiam elucet magis natura Dæmoniorũ, conſentientibus omnibus, eos circum terras, per aëra uagari, delatos ubique corporibus inuiſibilibus, corpora malarum affectionum redundantia inſidentes. Quo & improbitas eorum noſcitur, & quod ipſe Deus apertè pronunciauit, Spiritus immundus cum exierit, &c. Sunt enim immundi, immundis, & inquinatis domicilijs, terraq; gaudentes. materiales ob hanc cauſam uocati: & confitentur Philoſophi nidoribus eos ſacrificiorum delectari: incantationibus item, quæ plerunq; ſanguine fuſo, ſuffumigationibus adhibitis celebrabantur, præfuiſſe. Vbi

etiam intentio nocendi. Apparetq; omnium conſenſu Dæmonas eſſe malos, & immundos, quod ſtudium & delectatio declarat, aërios eſſe, quia corporibus aërijs πόντῳ φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν, tota tellure uagantur, ut ait Heſiodus. Poſtremo ἐμπαθεῖς, affectos eſſe, affici ſemper. Et quod Plutarchus ſuperius, plenos ἀλόγου irrationalitatis. Sed multò magis eorum improbitatẽ, naturamq; mentiendi confeſſus eſt alia ſententia Chaldæus, affirmans ea, quæ noſtra Theologia: ἐκ δ' ἄρα πόλπῳ γαίης θρώσκουσι χθόνιοι κύνες, οὔποτ' ἀληθὲς σῶμα θεοῖσι φανύντες: Ex finibus terræ exiliunt canes terreſtres, nunquam uerum ſignum mortali oſtendentes. Quod explanans Pſellus, De Dæmonibus, inquit, materialibus eſt ſermo. Et canes quidem eos appellat, uelut animarũ ultores: terreſtres autem, ut è cœlo lapſos, circumq; terras uagos. Igitur iſti, inquit, longi à uita beata ſemoti, intellectualiq; contemplatione deſtituti, prædicere futura non poſſunt. Quocirca quicquid dixerint, & oſtenderint, falſum eſt, & arbitrariũ. Vident enim per phantaſias præſentia: ad futura uerò coniecturis incertis, & non clarè expreſsis, ſed confuſis notionibus utuntur. Sic Pſellus. Superius Feras, nunc Canes appellat uetuſtiſſima Chaldæorum Theologia Dæmones: quæ cum præcipuè coluerit artem Magicen, quod ipſum Chaldaicum nomen indicat, cùm prima dicatur incantationibus malorumq; Dæmonũ euocationibus uſa, fatetur tamen ingenuè, ueniſſe quidem eos uocatos è terra, ſed ueri nihil unquam oſtendiſſe, quidquid prædixiſſent, oſtendiſſentq;, falſum fuiſſe ſemper & ſimulatum. Sicq; conuenit cum Theologia noſtra, quam Deus ipſe reuelauit, quòd Diabolus eſt mendacium, & pater, inuentorq; ipſius mendacij. Etiam Cerberus ille apud ueteres Poëtas, qui latratu triſuleo terret exangues animas. Vt conueniunt cum noſtra uetuſtiſſima Sapientia cuncta, quòd feras crudeles, quòd canes eos appellat, uiperas, ſerpentes, leones, draconesq; Terreſtres autem, tametſi proprij ſint aërij, quia corporibus aërijs circum terras uagantur, tamen ſceleſtiores eorum in altiſſimis cauernis immorari par eſt, fateturq; multi. Ideo dixit eos emicare, emergere è terra uocatos. Sed an ſit in eis differentia, quod Plutarchus dixit, poſtea diſquiretur. Alia ſententia Chaldæus expreſſit qui ſint Canes et feræ ἃ δὲ τοὺς πλὲχθῶν κατωρύκται ἐστέκνα μέχρις. Hoc eſt, Terra mugit, uociferatur a a, contra hos, ad filios uſq;. Deſignatur hoc oraculo latratus Stygiorum canum contra ſceleratos. Ideo terra mugit in eos, in ſubterraneis cauernis: Idq; uſq; ad filios, quando filij paternas impietates perſequentes, permittuntur ultoribus Dæmonijs. Hanc ſententiam declarans Pſellus, De impijs loquitur, inquit, quòd uſq; ad poſteros extendit eis ſupplicia Deus. Nam ſubterraneas pœnas oſtendens oraculum, dicit in eos mugire ſolum, hoc eſt, locum ſubterraneũ in eos uociferari, & quaſi leonis quendam rugitũ edere. Quoniam, ut Proclus ait, eadem eſt animarũ ex eadem proſapia conditio. Et quæ non uinculis Naturæ ſunt abſolutæ, in conſanguineorũ ſuorum affectibus detinentur. Neceſſe igitur eſt, & has totius iudicij partem capere, & plenas propter naturalem affinitatem piaculorum,

piaculorum, expurgari iterum ab eis. Hæc ille. Supplicia igitur & pœnas ſubterraneas Chaldæus memorauit, quod traditur paſsim à noſtra Theologia, ut undequaque pateat improbitas Dæmoniorum: Eſſe iterum malos, impuroſq; eos, ſed ſeipſos in Angelos lucis transformantes, uideri quales non ſint, mirabiliter cũ noſtra Theologia concordes, ijdem antiquiſsimi Magi pronunciarunt, hoc oracu lo:

Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνούς.

Καὶ τὰ κακῆς ὕλης, βλαστήματα καλὰ καὶ ἐσθλά.

Natura ſuadet ut credas eſſe Dæmonas puros, & malæ materiæ germina pulchra, et bona. Hoc oraculo deſignatur, naturam Dæmonũ præſtigijs, humanis oculis illudentẽ, falſaq; pro ueris offerentem, adniti ut credas Dæmonas eſſe puros & bonos, quales cœleſtes animi, cum quibus ex parte ſimilitudinem Dæmones gerentes ſæpe mortales multos deceperunt, ut Platonem uidimus ſuperius aſſerentem, niſi iuxta Philonem interpretemur. Perſuadetq; malæ materiæ, inquinatæq; ſubſtantiæ genus ſe eſſe bonum, & honeſtum. Eos inquam, qui cum turpi et immunda cohæreſcunt materia, habere nitorem, puritatem. Quod ſecus eſt longè. Influit, inquit Pſellus in inuocationibus, multus Dæmonum chorus, & multiformes Dæmonum ſpecies excitantur. Abſcedentibus autem partibus mundi lunaris, et compoſitæ, ac partitæ, & iocundæ, & gratæ ſæpe oſtenduntur, imaginẽ alicuius bonitatis ei, qui initiatur, ſimulantes. Ex his igitur uetuſtiſsimis Chaldæorũ ſententijs, quas autore Pſello, et ipſa ratione docente legit Plato et Ariſtoteles (Platonici autẽ indefeſſè his abutũtur, quod uel maximè in libris Simplicij, & Procli, Porphyrijq; uidere licet) apparet quid de Dæmonũ natura ſit ſentiendum, et ſenſerit antiquitas, ut ſi quid à poſteris fuerit confictũ, neceſſariò ſit ad ueritatem ponderadam, ad maiores recurrendum. Similia enim ſenſit, & tradidit Mercurius Triſmegiſtus: ut omnis Theologia Aegyptiorũ, Chaldæorum, Hebræorum, id eſt, quam colimus ipſi à Moſe primum, tum Chriſto, et Apoſtolis traditã, conueniat ſuper declaratione Dæmonum, primum eos eſſe, tum malos, impuros, coinquinatos, immundos eſſe.

Ex Theologia Aegyptiorum uetuſtiſsima apud Triſmegiſtum Dæmonas eſſe, & eſſe malos, malorum inſpirationum autores. His eſſe omnia plena. Vltores impiorum eſſe. Eos eſſe ex alijs aërios, uagos, per phantaſias, & illuſiones decipientes. In quibus cum noſtra Theologia concordia. Cap. XXIX.

MErcurius igitur in eo qui inſcribitur, quòd in ſolo Deo ſit bonitas, de Dæmonibus eiuſdẽ generis atq; ea, quæ tradit noſtra Theologia, ſcribit, eos eſſe humanorum ſceleruũ autores, cogitationes improbas, malorumq; operũ principia afflantes. Mens, inquit, humana cum bonarum cogitationũ acceperit à Deo, recta parit: ἐναντία δὲ ὅταν ἀπὸ τινῶν τῶν δαιμονίων, μηδενὸς μέρους τοῦ κόσμου κενὸν ὄντος, δαίμονος δὲ οὐδὲ θεοῦ πεφωτισμένου δαίμονι. ὥσις ὑπεξελθοῦσα τοῦ ἰδίας ἐνεργείας τὸ σπέρμα, ἠγέκίνησεν ὁ νοῦς τὸ σπαρὲν, μοιχείας, φόνους, παρατυπίας, ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, αὐχόνας, καὶ κρημνοὺς καταφορὰς, καὶ ἄλλα πάντα ὅσα δαιμόνων ἔργα: Contraria

traria uerò, cum ab aliquo Dæmoniorum. Cum nulla mundi pars uacua ſit Dæmone. Qui ſubiens tacitè mentem, propriæ operationis inſeruit ſemen, et peperit ipſa mens, quod ſatum fuerit, uidelicet adulteria, cædes, parentum uerberationes, ſacrilegia, impietates, ſtrangulationes, per præcipitia impulſiones, & alia omnia, quæ ſunt Dæmonum opera. Ecce Mercurius nouit, confeſſus eſt, uim, ingenium, ſtudia, conatus Dæmoniorum, quòd tacitè ſubeant pectoris arcana, ſicut in noſtris extat literis, cum Diabolus miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas: omniumq; noſtrorum eſt confeſsio, eos irritare cupiditates, cõturbare ſtimulos naturæ, ſuggerere ſemper mala. Ac Tertullianus, ex quo pauca quædam in declarationem iſtius loci deliba/bo: Operatio eorum, inquit, eſt hominis euerſio, ſic malitia ſpiritualis à primordio auſpicata eſt in hominis exitium. Itaq; corporibus quidem et ualetudinis infligunt, & aliquos caſus acerbos. Mentis quoq; corruptelas agit furoribus, et amentijs fœdis, ac obſcœnis libidinibus cum erroribus uarijs. Lactantius quoq; in eandem ſententiam pendet: Illicita, inquit, deſideria immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria ſine delicto licet. Obijcit quippe oculis irritabiles formas, ſuggeritq; fomenta, & uitijs pabulum ſubminiſtrat, tum intimis uiſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commouet, & naturalem illum incitat, atq; inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumq; decipiat. Eadem ſenſit, & prodidit Athenagoras Philoſophus Chriſtianus: ὅταν ὁ δαίμων ἀνδρὶ προσύνῃ κακὰ, τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον: Cum Dæmon cuipiam ſuggerit malam mentem, labefactat prius. Euſebius item Cæſarienſis, in Panegyrico: Et communis quidem omnium ſeruator, rebelles poteſtates, quæ circũ hunc, qui terris immunet, aërem peruolantes humanis animis inſinuabant ſeſe, inuiſibili, ac diuina poteſtate, uelut feras agreſtes, ſuarum ouium ceu paſtor bonus, procul fugauit. Hic audis apud Euſebium inſinuare ſe poteſtates illas inuiſibiles in animos hominum. Tatianus etiam ſimile quid ſcriptum reliquit ad gentes in Apologetico: δαίμονες εἰς πολλὴν κακίαν ἐξοκείλαντες τὰς μεμυημένων παρ' ὑμῖν ψυχὰς διὰ/γνοιῶν, & φαντασιῶν ἐξηπατήκασι: Dæmones, ait, in multum ſcelus prolapſi, animas apud nos initiatorum per inſcitias, et apparentias deceperunt. Sic ille. Talia ſuperius Plato: Vt igitur alia complura taceam, apparet mirabilis conſenſus ueterum Philoſophorũ, cum cœlitus reuelata ſapientia, de prauitate Dæmonum, de poteſtate penetrandi in animas, & commouendi humores interiores, ſpiritales inſpirandi cogitationes. Et quod accidit inſtinctu dæmoniaco Iudæ, ut ſtrangulent ſeſe mali, aut dent præcipites, ut agant & quatiant furoribus mentes, ut adulteria, homicidia ſuggerant. Audiſti etiam ut Euſebius ſimiliter atque Chaldæus, eos appellauerit feras agreſtes. Quæ Triſmegiſtus igitur dixit, ſunt quæ Plato, Pherecides, Chryſippus, Xenocrates, de prauitate Dæmonum ſenſerunt. Sic apud nos, quoniam omnium ſcelerum princeps, & inuentor eſt, per excellentiam uocatur ὁ πονηρός. Et Deus ipſe docuit nos precari, Libera nos à malo.

Quod

Quod Græcè, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ: A maligno, ab eo qui prauus, & malignus eſt. Et in Sympoſio ſeptem Sapientum dictus eſt δαίμων βλαβερώτατος, nocentiſſimus. Conſentiunt igitur Chaldaica, Aegyptiaca, Hebraicaq; Theologia ſuper Dæmonum improbitate, & quòd ſint Dæmones. Quam quidem concordiam, priſcorumq; tantam Theologiam, Ariſtoteles, niſi ſit impudens, negare non poßit. Meminit etiam Dæmonum Mercurius in Pœmandro, declaratq; ſummo cum cæteris conſenſu, uim eorum: A ſtultis, inquit, ergo Deus, prauis improbisq;, inuidis, & auaris, & homicidis, & impijs procul faceſſo: τῷ τι μωρῷ ἐκχωρήσας δαίμονι, ὅσις τλὺ ὀξύτητα τὸ πυρὸς προσβάλλων, θρώσκει αὐτὸν ἀεὶ θυμικῶς, καὶ μᾶλλον ὦν τὰς ἀνομίας, αὐτὸν ὁπλίζει. ἵνα τύχῃ μείζονος πυρίας, ᾧ ὁ πάνεται, ἐπ' ὀρέξεις ἀπλάτους τλὺ ἐπιθυμίαν ἔχων ἀκορέστως σκοτομαχῶν καὶ τὸ τὸν βασανίζει καὶ ἐῶ αὐτὸν, πῦρ ὦν τὸ πλέον, ἀνεφλωμ: Victori cedens Dæmoni, qui acumen ignis accipiens impellit, ferit, quę eum ſenſibiliter, & magis ad impietates ipſum armat, ut aſſequatur maius ſupplicium, & non ceſſat in cupiditates infandas cupiditatem habens inſatiabiliter, in tenebris pugnans, & hunc cruciat, & in ipſum ignem plus auget.

Dæmones nidoribus oblectari, ob id materiales appellari. Caput XXX.

IN alio quoque conſentiunt noſtri & illi, ſcituq; digniſſimum eſt, de Dæmonibus, Eos nidoribus ſacrificiorum, libaminibusq; oblectari: Quod ex noſtris cumprimis aſſeruerit Tatianus, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, ex illis Porphyrius, forteque etiam Plato. Nam cum eos ſacrificijs præfecerit, & ſub eorum tutela eſſe, & in eorum gratiam fieri, quas teletas dicunt, aſſeruerit, ea de cauſſa ueriſimile fit, id ſtatuiſſe, quod poſtea noſtri, nonnulliq; Philoſophorum melius explicuerunt, quia nidoribus illis inquinatis delectentur. Eandē rationem fuiſſe putauerim, cur à multis noſtrorum, & eorum, exiſtimati fuerint circa materiam uerſari, ut eos materiales uocarent: & eorum principem, materiæ primum inuoluerint. Hæc materia, etſi poßit omnis mundus, quatuorq; elementa, quibus præſint Dæmones, intelligi, uidetur tamen nidor ille ſanguinis, & ſacrificiorum præcipuè ſentiendus. Quo crediti etiam, & uocati fuerint immundi, non modò uidelicet ob peccatum, mentisq; turpitudinem, flagitioſasq; cogitationes (omne enim peccatum macula eſt, & turpitudo) ſed etiam ob nidores hos, & immundiciem, qua dicuntur oblectari. In hoc igitur conueniunt ferme omnes. E quibus Athenagoras. δαίμονες πρὸς τὰ ἱερεῖα οἱ προσθηκότες τῷ ἀπὸ ἱερέων αἵματι, & ταῦτα περιλιχνώμενοι: Dæmones ad hoſtias aßident, earū ſanguine illecti, quē auidiſſimè captāt. Paulo q; inferius, οἱ περὶ τὴν ὕλην δαίμονες λιχνοίτωι περὶ τὰς κνίσας, καὶ τὸ τῶν ἱερείων αἷμα: Materiales Dæmones guloſi circa nidores, ſanguinēq; hoſtiarū. Ecce materiales Dæmones nidoribus hoſtiarū illecti. Similia Porphyrius, addēs, quòd eo nidore eorū aëria odoribusq; ſimilia corpuſcula pingueſcunt, in ſecundo de abſtinentia:

ſtimentia: οὗτοι οἱ χαίροντες λοιβῇτε, κνίσσητε, δι' ὧν αὐτῶν τὸ σωμα-τοειδὲς καὶ πνευματικὸν μιαίνεται. ζῇ γὰρ τοῦτο ἀτμοῖς, καὶ ἀναθυμιάσεσι, καὶ ποικίλως διὰ ποικίλων καὶ δυναμοῦται: Hi mali Dæmones, ſunt qui gaudent libamine, & nidore, quibus eorum corpuſculum, & aërium illud pinguescit. Viuit enim id uaporibus & fumigationibus, uarieq; id, ut uaria ſunt ea, roboratur, que nidoribus. Et alia, quæ ſequuntur. Quæ fortè uera ſunt, ut proinde locis humidioribus inhæreant. Sed mihi cum primis ueſtigantur, quæ multorum mortalium teſtimonijs confirmata, ob id ueriora noſcantur. Sic ambulantes per loca arida, & ſine humoribus, et aqua, non habent ubi conquieſcant. Tertullianus quoq;, omnem paucis uerbis hanc rationem aperuit: Renunciant, inquit, ſe immundos eſſe, quod uel ex pabulis eorum, ſanguine, & fumo, & putidis rogis pecorum & impuratiſſimis linguis ipſorum uatum intelligi debuit. Eſt igitur ex his ratio clara, cur & materiales uocentur & immundi. Nam quòd melioribus eorũ data ſit inferioris mundi cuſtodia, ob quã cauſam ſint appellati materiales non adeò ſicut ſuperiori rationi, aſſentior: nec arbitror Chriſtianæ Theologiæ congruere:

Quæ Dæmonibus nonnulli Philoſophi attribuerunt, eos omni mundo præſicientes, Angelis congruere, idque ab eis deprædicari. Cap. XXXI.

SED cum Plato Dæmonas tradidiſſet bonos, ſed ex dictis eius prauitas eorum eliciatur, ſecuti ſunt deinceps cæteri Platonici dicta eius, ea nõ examinantes, quemadmodum decuiſſet, præceptoris autoritatem uenerati, è quibus fuit Philo & Iamblichus. Poſterior de ſecta Pythagoreorum, explicans ea, quæ de Dæmonis electione Plato tradiderat, ait, αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἐσμὲν ἐν τύχης καὶ δαίμονος τάξει, καὶ ἡμεῖς τὸν δαίμονα αἱρούμεθα, καὶ εὐδαίμονας αὐτοὶ ἑαυτοὺς παρασκευάζομεν: Ipſi nobis ipſis ſumus Fortunæ, & Dæmonis loco, & nos Dæmonẽ eligimus, & Eudæmonas, id eſt Genij, aut Fortunæ bonæ nempe beatos ipſi nos efficimus. Hoc loco ſcito Dæmonas ex ſentẽtia Platonis appellatos Angelos, qui nos ſortiuntur, aut quos ſortiamur ipſi: quia ſi bene ſtatuimus uiuere, comitantur boni nobiſcũ: ſi malè, continuò ſontes aſſiſtũt. Hocq; explicans fuſius Iamblichus ex Pythagora: δευτέρα δὲ ἡ τοῦ παραδοθέντος, καὶ συγκληρωθέντος ἡμῖν ἐκ θεῶν δαίμονος εἰς ἡμᾶς φανῆς, καὶ δι' αὐτὸ πάλιν πρὸς τὸς θεὸς πάλιν ἀναγωγή. οὐδὲ γὰρ ἄλλως τις συνηθείᾳ πρὸς τὸ θειότατον αὐτὸ, καὶ κυριώτατον τῆς οὐσίας, ἀναδραμεῖν, εἰ μὴ τοῦ τοιούτου δαίμονι ἡγεμόνι χρήσαιτο. ὃν δεῖ πάντα τὸν ἐρασὴν τοῦ θεοῦ γνησίως ἀσπάζεσθαι, ἀφ' οὗ δὴ πρώτη μὲν ἔσαι κακῶν παῦλα, τοῦ συμπεφυκότος ἡμῖν ἐκ τῆς γενέσεως, ἔπειτα γνῶσις ἡμῶν ἀληθινὴ παρέσαι τῆς εὐδαιμονίας, καὶ μακαρίας ζωῆς, ὅσπερ ἐν ὁποίᾳ, μεθ' ἧς ἀνιόντες τὸ ἀρχηγὸν γένος τοῦ αὐθρώπου κατοψόμεθα, καὶ εἰς αὐτὸ φιλοτυθέντες τέλος ἕξομεν τὸ πρόθεν/τον ἐκ τοῦ θεοῦ, τοῖς αὐθρώποις μακαριστὸν βίον: Secunda, inquit, uita recte uiuendi eſt, traditi, & ſortiti nos à Dijs, Dæmonis manifeſta demonſtratio, & per eum rurſum ad Deos reductio. Neq; enim ſecus quis poſſit ad diuiniſſimam, ma-

ximeq; propriam ſubſtantiam redire, niſi tali Dæmone duce utatur. Quem omnem Deorum amatorem oportet legitimè expiare, à quo prima erit malorum depulſio, quæ nobiſcum ab exordio cohæſere. Tum perfecta noſtri, & felicitatis, beatæq; uitæ, quanta, qualis eſſe poſſit notio. Cum qua aſcendentes præcipuum genus hominum intuebimur, in quo defixi, finem aſſequemur propoſitæ à Dijs homini, beatæ uitæ. Hæc ille. In quibus is error, quòd Dæmonas ipſi ſortiamur, & quod hi ſint humanæ uitæ duces, non erit omnino, intollerabilis: quia Dæmonas, Angelos ſentimus. Illud prorſus Philoſopho tanto indignum, quòd ait hanc Dæmonis ſortem datam hominibus à Dijs, cum ipſe Plato apertè fatcatur Deum patrem, ſummumque parentem, dediſſe, præfeciſſe certos hominibus cuſtodes, duces, moderatores, non Deos id feciſſe. Eſt'que obſcœna in Philoſophia idololatria, cum ſit Iamblichus ubique confeſſus Deum caput, principem rerum humanarum. Quod tot exemplis poterit probari. Sed ſufficit nunc, quòd contrà quàm locutus eſſet Plato, cuſtodiam hanc, & gubernacula à Dijs data dixerit, quod ille factum à ſuperno Deo confitetur, ut uidiſti. Itaque longè ſapientius Philo non ſolum in dicta Platonis intuens, ſed etiam à Moſaica ſapientia adiutus: Aër, inquit, eſt animarum incorporearum domicilium. Quoniam omnes mundi partes replere dignum cenſuit opifex. Ob quam cauſam terra dedit terreſtria, fluminibus et mari aquatica, cœlo ſidera, quæ non ſolum animalia, ſed etiam purißimæ in totum mentes eße dicuntur. Quocirca & in alia parte uniuerſi acre animalia facta ſunt. Quæ tametſi oculis non uſurpantur, nil mirum. Nam & anima eſt incomprehenſibilis. Atqui ueriſimile eſt, quàm terram, & aquam magis aerem, animalia nutrire. Tum proſoquitur, Sunt aliæ animæ, purißimæ & optimæ, maioris diuinioris'que mentis, quas nulla terrenarum rerum attingit libido: ſunt autem magiſtratus mundani, uniuerſaliſq; principis ueluti maximi regis aures & oculi, intuentes omnia, & exaudientes. Has cæteri Philoſophi Dæmonas, Moſes conſentanea nuncupatione uocat Angelos. Siquidem iuſſa, & mandata patris ad filios, filiorum neceßitates ad ipſum parentem perferunt. Hæc Philo. Longè quidem ſapientius, et magis ex Platone, quàm cæteri Platonici, quos uana ſuperſtitio in Deorum traxit appellationem. Duo que rectius Philo, quàm illi, quòd datos hos cuſtodes, & magiſtratus, & nuncios à Deo, qui inter nos, Deum'que intercedant, ob quam cauſam non miniſtri deorum ſed dei ſunt: quòd dæmonas Philoſophorum, Angelos Moſis interpretatur. Et quoniam Angeli & literis ſacris, & profanis ſunt Dij, hi certè erunt, qui imperio Dei res humanas adminiſtrent. Nec erunt duo genera Dij, ac Dæmones illi boni, purißimæ'que mentes apud Philoſophos. Quippe boni Dæmones, & nuncij, ſunt Angeli, Angeli ſunt Dij cœleſtes. Quare genus, quod poſt Dæmonas bonos ſequeretur, erunt Dæmones mali: Vt boni illi Dæmones ſuperius quidem habent maximum imperatorem, regem'que uniuerſi, Deum, inferius Dæmonas malos, ueluti mancipia, uilia'que animalia. Eadem ratione ſunt uel emendanda, uel de

claranda,

claranda, quæ Iamblichus idem eodem libro, Pythagorã priorem tradidiſſe, quod poſtea Plato tot locis aſſeruit: ὅτι οὐρανόθεν ἡ διάβασις, εἴς τε ἀέρια, καὶ τὰ ἐπίγεια φέρουσι φύσιν, καὶ ἔτι περὶ θείας τοῦ οὐρανοῦ ἀκολουθίας πάντων, διεξῆλθε γνωριμώτατα πᾶσι: Eſſe cœlitus in aëria, & terreſtria, traiectionem, ac tranſitum, rurſum quòd omnia in cœlum reflecterentur, cunctis perſpecliſſimum docebat. Loquitur enim Iamblicus de his quæ Plato, et Philo paulò antè tradiderant, Eſſe nuncios inter homines, ac Deum, eſſe tranſitum: ultro citroq; commeare inter cœlũ, et terram Angelos, ut ſit ſocietas, & communio inter Deum, & homines. Sic Iacob uidit ſcalam, cœlum quæ uertice tangeret, & Angelos Dei deſcendentes, & aſcendentes. Tranſitus igitur is fit à Dijs cœleſtibus, non Dæmonijs, & illi ferunt cœlitus auxilia, non Dæmonia, quod ipſe per errorẽ paulò antè dixit. Bellis ſæpe ſæuis, aut peſtilentia graſſante, aut fama, ſeu ſterilitate, παραγενομένων δαιμονίων τινῶν, καὶ θείων ἐνεργετημάτων, ἐπειρᾶτο συμπειθῶ ὡς ἔστι θεία πρόνοια πᾶσαν ἐλπίδα ἀνθρωπίνην, καὶ δύναμιν ὑπεραίρουσα: Quoniam acceſſiſſent præſentia quædam Dæmonia, diuinaq; beneficia, conabatur perſuadere Pythagoras, eſſe diuinam prouidentiam omnem humanã ſpem, & uim, ſuperantem. Præclarè locutus es Iambliche, ſed unum duntaxat corrigendũ. Nam qui peſtilentiam, bellaq; depulerunt, non fuerunt Dæmonia, ſed Angeli, Dij ſcilicet illi cœleſtes, ætherij, ut apud Ioſue antiquiſſimũ ducem legitur: Cum autẽ, inquit, eſſet Ioſue in agro urbis Hiericho, leuauit oculos, & uidit uirum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait, Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam. Sed ſum princeps exercitus Domini, & nunc uenio. Hæc autoritas cum ſit uetuſtiſſima, quam Pythagoras forte didicit ab Hebræis, ad montem Carmelum longo tempore, eodem Iamblicho teſte, Philoſophatus, adoranda quoque Platonicis eſt, qui iuuenes ſemper, Theologiam à Barbaris didicerunt. In Maccabæis quoque uiſi ſunt Angeli in acie pro ſuis dimicantes. Eadem ſunt exempla de peſtilentia. Quòd ſi quid à Dæmonibus illis factum eſt quod prodeſſe uideretur, magna quoque detrimenta erant adiuncta, aut humana ſacrificia, aut obſcœni ludi, ut facilè naturam tuam qui apparuiſſẽt, indicarent. Longè igitur noſtri Philoſophi melius hæc declarauerunt. Nam & Euſebius in libro de Euangelica ἀποδείξει, demonſtratione, proponens ex ſacra Theologia, quæ Pythagoras & Plato ab Aegyptijs, & Hebræis audita uehementer approbauerant, uulgarantq; per omnem Græciam, ſcribit iuxta Philonem: Optimus, inquit, ille Rexq; omnium altiſſimus uniuerſalisq; Deus, ne beſtiarum ritu homines ſine principibus, & præfectis in terris agerent, præfectos eis & gubernatores, ceu paſtores, gregumq; ductores, diuinos Angelos, adhibuit, quibus omnibus præfecit unicum, ac primogenitum ſuum Verbum. Huic ſubiecit Angelos & Archangelos, diuinasq; poteſtates, omnes immateriales, ſupercœleſtesq; ſpiritus, uelut unum exercitum, partemq; eius præcipuam. Et quidem etiam animas

pias

pias eorum qui agunt in cœlo, qui quondam terras tenuiſſent. Hoc maximum myſterium, primus Theologorum Moſes olim inter arcana docuit Hebræos, dicens, Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi, Quando, diuidebat altiſſimus gentes, cum ſepararet filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei, Hæc ille, licet Hebraicè non ſit, iuxta numerum Angelorum Dei, ſed filiorum Iſrael. Hic igitur apparet quàm rectius, quamq; magis conſentaneè Philoſophiæ, à ſummo, ac principe Deo, conſtitutam hanc prouidentiam tradiderint, non à Dijs, cum Dij ſint ipſi conſtituti, & nefas ſit, alium ullum rem tam præclaram atq; illum qui mundum creauit, feciſſe. Vt qui ſitum locumq; dederit elementis, multo magis ſuperas Intelligentias ad gubernacula generis humani adhibuerit. Miniſtros autem malos, pœnis exercendis addictos, eſſe maioribus illis Angelis cœleſtibus ſubiectos, Aſclepius in Definitionibus aſſeruit ad Ammonem regem. Eſſe primum multos Dæmonum choros circum radios ſolares, uarijs exercitibus ſimiles, non procul à ſuperis. Inde ſortiti regiones has res hominum attendere, τὰ δὲ ὑπὸ τῶν θεῶν ἐπιτατόμενα ἐνεργῶσι βυέλλαις ἰσχ καταίγισι, καὶ πρηστῆρσι, & μετὰ βολῶν πυρὸς, & σεισμοῖς, ἔτι δὲ λοιμοῖς, & πολέμοις ἀμυνόμενοι τὴν ἀσεβείαν, A Dijs imperata facientes, procellis, tempeſtatibus, conflagrationibus, terræmotibus, peſtilentia, fameq;, impietatem caſtigantes Sic ille, concordans cum literis ſacris, immiſſiones per Angelos malos memoratus. Qui pœnas igitur exercent, in numero malorũ ſunt habendi, quos alij nomine Erinnyas dixerunt. De quibus ſcribit Iamblichus, ὁ ἐπιμενίδης ὁ τῶν Πυθαγόρου μαθητὴς μέλλων ὑπό τινων ἀναιρεῖσθαι, ἐπικαλεσάμενος τὰς Ἐρίννυας ἐπανέλευσατο, & τοὺς τιμωροὺς θεοὺς ἐποίησε τοὺς ἐπιβουλεύοντας πολλοὺς ἀναιρεῖσθαι ἑαυτούς, Epimenides diſcipulus Pythagoræ, cũ à quibusdam eſſet interficiẽdus inuocatis Erinnybus et Dijsultoribus, fecit ut omnes interficerent ſeſe.

De Dæmonibus qui dicuntur ſe mulierum commercio contaminaſſe, aliosque Dæmones genuiſſe: Hos eſſe Dæmonas fabuloſos, & quaſi poeticos, non ueros: & quod is fuit multorum error. Cap. XXXII.

HIS ita declaratis, illud quoque reijciendum, ſeparandumque à natura Dæmonum uera, & penè inter fabuloſos Dæmones cenſendum, quod non modò è noſtris quidam, ſed etiam profanæ Philoſophiæ profeſſores pleriq; ſibi perſuaſerunt, de filijs illis Dei, qui dicuntur apud Moſem filias hominum uidiſſe, acceniſoq; in earum cupiditate, ex eis filios genuiſſe: qui cum dicantur Hebraicè Nephelim, ab Hebræis neſcio quibus, & noſtris, ut dixi, quinetiam externè Philoſophis, Dæmones creditì ſunt, qui partem diuinam, atq; humanam miſtam habuerint. Fueruntq; multi filios illos Dei, Angelos ſuſpicati, è quibus cum multis Hebræis, Ioſephus, in ſua de Antiquitatib. Iudaicis hiſtoria: πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ, γυναιξὶν συμμιγέντες ὕβρισας ἐγέννησαν παῖδας διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν. Quod eſt, Multi enim Angeli Dei mulieribus miſti, contumelioſos filios genuerunt,

nuerunt, ob uirium fiduciam. Quanquam Zonatas historicus excusat Iosephum: ὁ δὲ ἐξηγητὴς ἀγγέλους λέγει τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων λαβεῖν, οὓς τῶν καλέσας οἶμαι αὐτοὺς υἱοὺς σὴθ, ὡς εὐαρεστοῦντας θεῷ, καὶ τὴν ἐκείνων πολιτείαν ἐπιτηδεύειν: Iosephus autem Angelos dicit filias hominum accepisse, sic arbitror appellans filios Seth, ut Deo placentes & Angelorum uitam æmulantes. Sic ille. Sed quidquid uelit sensisse Iosephus, certè alij fuere in ea suspicione, ut Lactantius. Videturq; antiquissimus error è libris Mosis, non rectè intellectis, haustus. Siquidè perhibet Plutarchus Pythagoram, Xenocratem, Platonem, Chrysippum, superiores Theologos sequentes, credidisse, Dæmones fuisse hominibus quidem robustiores, uiribusq; longè præcellentes, τὸ δὲ θεῖον οὐκ ἀμιγὲς οὐδὲ ἄκρατον ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ ψυχῆς φύσει καὶ σώματος αἰσθήσει συνφλοχὸς, ἡδονὴν δὲ καὶ λύπην καὶ πόνον: Diuinitatem, inquit, habentes neq; synceram, neq; puram, sed cum animæ natura, & sensu corporeo coniunctam, uoluptatis & laboris capacem. Hoc etiam credidit Athenagoras Philosophus Christianus, Iustinus item, idem Philosophus, & Tertullianus, omnes ambiguitate uocabuli ducti, arbitratiq; filios Dei, Angelos, purosq; Deos, genitos ex eis, alij Dæmonas, alij Heroas, uocantes eos ἀπὸ τοῦ ἔρωτος amore illo, quo illi filij Dei in fœminas exarsissent, filiosq; eximiæ uirtutis, & audaciæ genuissent, quod in Cratylo retulit etiam Plato. & Athenagoras in legatione scribit: καὶ τοὺς μὲν ἀγγέλους ᾧ ὁμοίως κατέστησεν. οἱ μὲν ἄλλοι αὐθαιρέτοι δ' ἂν γεγόνασιν, οἷοι καὶ τοῦ θεοῦ ἐμφανεῖς, ἐφ' οἷς αὐτοὺς ἐποίησε, καὶ διέταξεν ὁ θεὸς. οἱ δὲ ἐνύβρισαν τὴν τῆς ὁδοῦ αὐτοσάτου καὶ τῆς ἀρχῆς. Et quæ sequuntur. Quæ sunt, Similis quoq; conditio fuit Angelorum. Etenim cum essent omnes liberæ uoluntatis, alij in ea, qua creati à Deo fuissent, conditione permãserunt, alij & naturam suam, & conditionem uiolauerunt. Is ergo Dæmon materiæ, & formarum, quæ sunt in ea imperator extitit, & cæteri, qui ex his circa primum æthera uersantur. Scitis autem nihil absque testimonio nos prædicare, cum nitamur dictis Prophetarum. Illi igitur à carne uicti, & in concupiscentiam prolapsi: is autem neglector, & prauus circa rerum sibi creditarum curam, est inuentus. Ex his autem qui in uirgines exarserunt, nati sunt hi qui gigantes sunt appellati. Itaque Angeli lapsi de cœlo, circa aerem, & terram, prohibiti deinceps cœlum repetere, uersantur. Animi quoq; Gigantũ circum mundum. Hæc ille. Tertullianus quoque eadem sensit. Sed quomodo, inquit, de Angelis quibusdam sua sponte corruptis, corruptior gens Dæmonum euaserit, damnati à Deo, cum generis autoribus, & eum eo, quem diximus principe, apud literas sanctas ordine cognoscitur. Hæc illi senserunt. Quæ quidem meliores doctioresq; Theologi, quibus filiorum Dei notior fuit appellatio, nunquam dixissent, non Hieronymus, non Augustinus, non Gregorius Nazanzenus, non prudentissimus Chrysostomus. Nec difficile est erroris fontem agnoscere, nec durum probare solitas sanctas literas, filios Dei nuncupare dilectos illi, illumque colentes. Vt de Israël, Ex

Aegypto

Aegypto uocaui filium meum. Et in Exodo, Filius meus Iſraël. In Pſalmo quoque clara differentia, cum homines ſunt filij Dei, & cum non ſunt: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes: uos autem ſicut homines moriemini. Ecce eoſdem filios Dei, & homines appellat: ſed filios Dei, quia creati ab illo, factiq; uelut Dij, futuriq; ſi Deum coluerint: homines autem in terrenam fragilitatem delapſi, regis cœleſtis imagine denigrata. Tales erant illi eluuionis tempore filij Dei, bona progenies ex Seth, quæ commiſta cum filiabus hominum, ſcilicet corruptiſſimis fœminis, quæ ſicut uxor Adã, deinceps q; fermè omnes, ſic maritos ſuos corruperunt, unde corruptiores filij nati, origo mali, ſanguinis pij cum impio commiſtio, propterea nati, bellicoſi, ſuperbi, contumelioſi. Hæc ſunt ueriora, à natura non abhorrentia, cum illa non abſit à fabulis Poetarum. Nec natura fieri poteſt, nec aſſẽtitur Philoſophia ſpiritus corpore nudatos, amore fœminarum capi, aut ex eis generare potuiſſe. Habet enim ſontem ſuum, & inferiores ortus, cupiditates, ſi deſit cauſſa, deſit effectus. Vbi non ſunt membra genitalia, non eſt amor coeundi. Vbi non eſt cibus, & potus, non eſt ſperma. Vbi non fuit quærenda ſucceſſio, & propagatio, non adhibuit natura cupiditatem generandi. Sicut ſpiritus nudi ſitire, eſurire non poſſunt, ſic Veneris libidine nequeunt inflammari. Abſurdum quoq; eſſe duo genera Dæmonum, tum ipſos Angelos lapſos in concupiſcentiam, tum animas gigantum. Fuerũt enim gigantes homines: nec ex hominibus faciendi ſunt Dæmones: Nec caſus eorũ fuit, quòd exarſerint in amorem. Erunt igitur fabuloſi Dæmones, tam quos libido rapuiſſet, quàm generati ex eis. Tales erũt, quales Hector, Achylles, Aeneas, Hercules, ex hominibus, & Deis nati, apud poëtas.

Apud Orpheum cum ſint Dæmones boni & mali, hoc nomen deniq; malorum potius eſſe, quam bonorum, ſicut in ſacris literis. Caput XXXIII.

CVm Plato Dæmonas ſolum bonos, cæteri fermè omnes, qui poſt eum promiſcuè bonos & malos tradiderunt, uidentur Orpheum, & Chaldæos ſecuti. Is enim tum bonos & malos eos induxit, tum uaria eorum genera perhibuit, aëria, terreſtria. Verum cum Dæmonas bonos appellat, ut principiò docui, ſentit quaſi Deos quoſdam, quemadmodum uocat Homerus Deos, Dæmonas, μετὰ δ' ἀίμονας ἄλλους: ſed præcipuè malos ſub hoc nomine concluſit. Teſtatur ergo etiam Plutarchus, apud Homerum, & Heſiodum eſſe Dæmonas bonos & malos, mala & bona uolentes, impulſores ad bona & mala. Heſiodum uerò, cuſtodes, diuitiarum largitores. In primo tantum nominis ſocietas, ſecundum tralatum, non uerum. Inuocat igitur in hymnis Orpheus:

Δαίμονας ἠγάθεον, καὶ δαίμονα πάμονα θνητῶν,
Δαίμονας ἀερίους, καὶ ἠερίους, καὶ ἐνύδρους
Καὶ χθονίους, καὶ ὑπὸ χθονίους, ἰδὲ περιφοίτους.
Dæmonaq; imploro ſanctum, pariterq; malignum,
Aerios, aqueos, cœli & conuexa tenentes,

Terreſtres, infernoſq́; circum omnia euntes.

Hæc Orphei partitio id habet ueri, quod ex priſcorum conſtitit Theologia, ut Dæmones boni non ſint in eodem genere: Vt in hominum genere, quemadmodum ſunt boni, & mali, ſic in genere Dæmonum, boni, & mali inueniantur. Sed Dæmones apud Homerum ſunt Dij, ij lemq́; Angeli, quod ſuprà monſtratum eſt. Vtq́; tyrannis commune fuit omnium imperatorum, regumq́; bonorum, ac malorũ nomen, poſtea ad malos ſolos recidit, ſic Dæmon commune cœleſtibus, excluſiſq́; è cœlo nomen, recidit ad excluſos tantum, ac ſceleratos. Dæmon igitur ſanctus, & Dæmones cœleſtes ſunt Dij. Dæmonas autẽ aërios, et aqueos, terreſtres, ac ſubterraneos nullo genere, ſed loco duntaxat differentes, agnoſcuut etiam noſtri, ratioq́; oſtendit, qui ſunt aërij, qui per aëra ferantur, poſſe terras petere, totoq́; in mundo uerſari, quod ab eis appellatur περιφοιτῶν. Sceleratiores autẽ corruptioresq́; fiuſſe in Dæmonibus quoſdam, ſicut in hominibus malis, ſunt alijs alij nequiores, hisq́; datas pro meritis infernas ſedes, etiã noſtra Theologia, ratioq́; agnoſcit, Tenebras exteriores, earumq́; habitatores Dæmonas appellans. Rurſum non refugiens, imò docens eſſe Dæmonas etiam aërios, & in cœleſtibus, quod eſt in aërijs. Hæc igitur partitio uera eſt, ſi modò ſanè, rectèq́; intelligatur. Illud adeo mirum in Orpheo, quòd totus deniq́; inclinat in ſententiam, Dæmonas eſſe malos, eosq́; flagellis Deorum caſtigari. Nam in hymno ad Titanes:

Δειμαίνουσι δὲ σὸ ὀθοῦς μάγις Θ ἀπειλήν,
Δαίμονες, αὐθρώπων πλημμονες ἀγριόθυμοι.
Νυχαῖς ἠμετέραις πικραῖς κακὰ προσωίοντες
Ὄφρ' αἰεὶ ἠΐ λαῖτμα βαρυσμαραγὲς βιότοιο
Σώματ Θ ὀ πλέκουσιν ὑπὸ ζυγὸ δέσμα πιθῆσαι
Ὑψιτενῆς δὲ κάθοιονται πατρὸς πολυφέγγεΘ αὐλῆς
Ἀλλὰ σὺ ψυχῶν ἀνωγεύ
Κέκληθι πλὴ καὶ μὲ κάθηρον ἁμαρτάδ Θ αἰγὴ ἁπάσης,
Δέχνυσο δ' ἱκεσίλιν πολυπλάγκτον, ἐκ δὲ μελυχρὸν
Ῥύεο κηλίδων.

Exhorrentq́; tuum rapidum, durumq́; flagellum,
Dæmones humani hoſtes, atq; feri, atq; maligni,
Qui noſtris animis uacuis infanda miniſtrant,
Vt ſemper diram uitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes, ſemper uinciſq́; retenti,
Excidat ut nobis ſummi fulgor patris aulæ,
Sed tu dux animorum.

Vides eum Dæmones humani generis hoſtes dicere mala, nequitias ſuggerentes, uoluptatibus, illecebriſq́; mundi, animos irretientes, ut obliuiſcantur curiæ cœleſtis,

ſis, quam uocat πολυφεγγῆ, luminoſam, radioſam: orat que ut ei ab eorum in/ſidijs liceat uiuere ſecuro.

Dæmonas ab Antiquis Philoſophis proditum, dare pœnas toto mundo perſecutionem patientes. Nullum eos elementum admittere cœlo cadentes, ab Empedocle dictos. Pherecydem de eis ſcripſiſſe. Zoroaſtrem principem malorum quendã prodidiſſe. Nomen Dæmonis eis proprie malorũ eſſe. Cap. XXXIIII.

Es ſe uerum & conſtans priſcos potius malos, quàm bonos Dæmones credidiſſe, & ſi, ut Plutarchus quoq; teſtatur, Homerus eo nomine utatur promiſcue, ἐπί/τε χρησῶν καὶ φαύλων, ſuper bonis, & malis, apparet uel inde (eſtq; mirabile ut cum literis ſacris congruat) quod Empedocles priſcus Theologus autore Plutarcho Dæmones uti nequam et malos, ſcelerum dare pœnas eorum quæ peccauerint, totoq; mundo exagitari, undiq; repelli, nuſquam admitti, ſcriptum reliquit: ἐμπε/ſοντας δ' εἰς κύκλας φησὶ διδόναι τοὺς δαίμονας ὧν ἐξαμάρτωσι & πλημμελήσωσι. Idq; Empedocles cecinit his carminibus:

Αἰθέριον γὰρ σφε μυῖαν, πόντου δὲ διώκει
πόντος δι' ἐσχατιὰς γαίας ἀπέπτυσε, γαῖα δ' ἐς αὖθις
Ἠελίου ἀκάμαντος, ὁ δ' αἰθέρος ἐμβαλε δίναις.
Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, συγέουσι δὲ πάντες.

Aetherius motus in pontum deijcit illos.
Pontus at in terram pellit, ſed terra remittit
Ad Solem rapidum, is ubi fit conuerſio cœli:
Ex alioq; alius fugat, execrantur & omnes:

Nihil his carminibus Empedoclis diuinius. Ecce enim quod noſtræ ſalutis autor: Videbam Satanam ſicut fulgur deſcendentem de cœlo. Et, Non eſt amplius inuentus locus eis in cœlo. Quæ declarat ipſe melius Plutarchus, comparans in libro de non fœnerando, eum qui fœneratur, Dæmonibus hiſce uagis: ἀλλὰ πλάζονται καθάπερ οἱ θηλατοι καὶ οὐρανοπετεῖς ἐκεῖνοι τὸ ἐμπεδοκλέους δαίμονες αἰθέριον χάος φεύγοντες: Quemadmodum illi labentes è cœlo, diuinitusq; exagitati Dæmones Empedoclis, uagantur debitores fugientes conſpectum eorum, quibus debent. Vides eum dicere Dæmones uagos, cœloq; labentes. Addidit autem ex ſe Plutarchus (Neq; enim par eſt Empedoclem retuliſſe) hanc perſecutionem Dæmones & fugam pati, donec caſtigati, & expiati, iterum locum naturalẽ, & ordinem recipiant. Credendum eſt, hoc eos perenniter pati. Niſi quod ueriſſimum eſt, cum ſcelus perpetrarunt, cum homicidij, belli, mali alicuius autores fuerunt, diuina ſapientia tantas imponit pœnas ad ſuppliciũ, quanta fuit ſceleris magnitudo nec minus luũt pœnas flagitiorũ quotidie quàm parata ſũt impijs: pro nequitijs, põdera pœnarum. Hic admirabilis eſt priſca Theologia. Ex hac igitur ferunt & Pherecydes de caſu eorum ſcripſiſſe. Ex eadem antiquiſſima Theologia, multa de Dæmonibus conſtant myſteria. Conſtat eos duntaxat malos agnouiſſe. Vt noſtræ literæ docuerunt eſſe cœli & terræ totiusq; Naturæ, omniumq; bonorum, omniũ rerum exiſtentium

autorem Deum, ex aduerſo Satanam non quidem creatorem, aut opificem, & autorem alicuius rei, ſed ſcelerum tantum, malarum ſuggeſtionum, qua ex re uocatur in noſtris literis κοσμοκράτωρ, princeps mundi, non ſcilicet cœli, terræ, Naturæ, ſed malarum opinionum, errorum, ſcelerum, flagitiorum. Simile quid traditum eſt in Theologia uetuſta Chaldæorum, ac Magorum, cuius meminit Plutarchus, ſed malè poſtea à nonnullis intellectum eſt: Duos, inquit, Deos inuicem aduerſarios, alterum bonorum, alterum malorum autorem arbitrantur. Alijq; uocant hunc bonorũ autorem ἀμείνονα θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον πλείονα, ὥσπερ ζωροάστρης μάγος: Meliorem Deum, alterũ autem Dæmonem, quemadmodum Zoroaſtris Magus, quem quinque millibus annis ferunt bellum Troianum anteceſſiſſe. Hæc igitur docent, Dæmones eſſe tantum malos, quorum princeps ab antiquiſſima Theologia, ſuomet nomine uocatus eſt Dæmon. Ex deſcriptione quoq; noſcitur, Dæmon ipſe malus, ſcelerum autor, qua deſcripſit eum Zoroaſtris, ut appareat priſcos de Dæmonibus, omnia fermè tenuiſſe, atque poſteriores. Deſcribit enim autore Plutarcho Zoroaſtris eum, quòd primum illum ſummum Deum, rerum creatorem dicebant lucem, ardorem: aduerſarium autem ſimilem eſſe σκότει καὶ ἀγνοίᾳ, tenebris, & inſcitiæ. Sed ſuperſtitioſe iuſſit Zoroaſtres, & uelut Magus propicia ſacrificari priori, & in quibus haberentur gratiæ, poſteriori autẽ hoſtias triſtes, malorumq; depulſorias. Et in ſacrificio dicit Plutarchus eos inuocaſſe ἄδηλον, inferũ, & tenebras, cum ſanguine lupi, in loco tenebroſo. Eoq; ſecundum apparet Satanam eis fuiſſe, quod pugnante bono, & malo, tandẽ ſuperari à bono malum, & ſuccumbere dicebant. Cætera, quæ non ſanè intellecta Perſæ & Manichæi ſuper hac re confinxerunt, relinquantur illis. Nos ueritatẽ à ſuperſtitione, et mendacio duntaxat ſeparare conamur. Perhibet item Plutarchus, Pythagoricos, Typhonem uim Dæmoniacam credidiſſe. Verè & rectè. Eſt enim Typhon uentus turbulentus, tempeſtuoſus, euerſor, ſtrages edens. Talis eſt Dæmon peßimus. Proinde dictus Hebraicè Shadaim, euerſor, deſtructor. Ex his igitur luce clarius conſtat, ritè cunctis examinatis, nomen Dæmonis eſſe potius malarum poteſtatũ. Conſtat etiam priſcam Theologiã audiſſe tradidiſſeq; eos malos, ſcelerum autores, & inuentores, odio haberi ab omni mundo, undiq; uelut immundos, nequißimos repelli, nuſquam eis locum eſſe, quo conſiſtant. Eoq; ſimili modo Seruator dixit, eos ambulare per loca arida, & inaquoſa, requiẽ quærentes et non inuenientes. Conſtat igitur, Dæmonas etiam priſcis potius malos quàm bonos fuiſſe. Communicationem nominis, ſi quando bonæ poteſtates dicantur Dæmones, non eſſe communicationem, ſocietatemq; naturæ. Nec in eodem genere Dæmonũ, bonos eſſe ac malos, uel eoſdẽ, modò bona, modò mala uolentes. Tantũ nomen commune Naturæ ſeorſum uariæ. Eorũ prauitatẽ experti ſunt homines ſæpe. Eoq; Xenocrates autore Plutarcho, cẽſuit turpia ſacrificia, neq; Dijs, neq; Dæmonibus bonis cõgruere, ſed eſſe quaſdã in uniuerſo naturas magnas, et fortes, δυσρόωτους καὶ σκυθρώπους, peruer-

peruerſas, & truculentas, quæ delectentur iſtiuſmodi ſacrificijs, quæ conſecutæ, nihil præterea mali faciant. Ex hac deſcriptione noſcuntur Dæmones mali, uocati ſimuli modo κοσμοκράτορες, à noſtris, Principes mundi, tenebrarum harum. Et apud diuum Paulum, Deus huius ſeculi. Hæ ſunt Naturæ magnæ, & fortes, peruerſæ, truculentæ. Quicunq; igitur eos bonos putauerunt, partim ab his ipſis de quibus ſermo eſt, decepti ſunt, partim nomine Dæmonum Deos ipſos appellarunt, uelut non propriè homines uocantur Dij.

Dæmonis nomẽ apud priſcos malorũ eſſe. uera eorũ deſcriptio apud Philoſophos ueraq; cognitio: eos eſſe aërios, uagari per omnem mundũ, Deo perſequente dare pœnas. Cap. XXXV.

CLaræ quoq; coniecturæ ex Philoſophis occurrunt, nomen Dæmonis eorũ eſſe quos ſcelerũ ultores, truces impiorumq; carnifices inſtituit Deus. Idem enim Plutarchus in eo, qui inſcribitur de his qui ſerò à Deo puniuntur, ait impios & malos: τούτους δ' ἐκεῖ μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, Iuſtitiæ, ſiue pœnis Dæmonem tradere, poſt mortem. Et quòd in Galba facit ſcelerũ autores, cum Centurionem milites obiurgantem inducit, qui toties ad proditionem imperatoris mutarentur, nulla ratione boni que delectu, ſed modo Dæmonis alicuius impulſu: κατ' ὀλίγον λογισμὸν, ὀλίγην αἵρεσιν ἀμφόνων, ἀλλὰ δαίμονος τινὸς, αὐτοὺς ἐκ προδοσίας εἰς προδοσίαν ἐλαύνοντος. Et cum ait de generatione animæ in Timæo Platonis proponens ſententias Philoſophorũ de Principijs: Zoroaſtres, inquit, ponit θεὸν & δαίμονα. Hic apparet Dæmonem ex aduerſo opponi Deo, nomenq; hoc eſſe malorũ. Et cum ait de Mileſijs mulieribus, quib. inſolitum malũ accidiſſet, ut ſeipſas interficerent, & Τὸ κακὸν ἐλάττονα δαίμονιον εἶναι, & κρεῖττον ἀνθρωπίνης βοηθείας: Dæmoniacam fuiſſe calamitatẽ & pluſquam humanã. Et quod ait hominem per uiſionem, in regione pœnarũ uidiſſe Τρεῖς δαίμονας ὁμοῦ καθημένους ἐν σχήματι τριγώνου πρὸς ἀλλήλους ἴσα ῥεύματα μὲ τροις ἴσοις ἀναπεραννῦντας, Tres Dæmones ſimul ſedentes in figura triangulari, inuicem ſtagna illa, quibus animæ uerſantur, miſcere, quibusdam menſuris. Et quod Dæmonas neſcio quos præfectos ſupplicijs, in ſtagna illa mergere & attrahere dicit animas, καὶ τινας ἀφεστάναι δαίμονας, Et quod ait in libro de Non iracundo, τὸ δὲ κολαστικὸν, ἐρινυῶδες & δαιμονικὸν οὐ θεῖον δὲ οὐδὲ ὁσίου: Caſtigare, torquere, Erinnyũ, & Dæmonum eſſe non eorum qui diuini ſunt, cœlumq; tenent. Hoc conſtat, eſſe Dæmonẽ atq; Erinnym eundem, & qui torquent, uexantq;, non Deos cœleſtes eſſe: tormenta, non eſſe bonorũ. Ex his igitur claret, uexatores illos, ac tortores, carnifices, nec Deos eſſe, nec bonos, nec datã eis hanc puouinciã uti bonis, ſed ut impuris, prauis, miniſtris immũdis, quippe quos tormẽta delectãt. Eoq; coarguitur falſũ, quod idẽ Plutarch. in libro de Defectu oraculorũ: γίνεσθαι γὰρ ὡς ἐν ἀνθρώποις & δαίμοσιν, ἀρετῆς διαφορὰ & κακίας: Sunt enim ſic ut inhominibus, ſic in Dæmonib. diſcrimina uirtutis, & uitij. Dico ex tua ſententia ô Plutarche, nõ eſſe uerũ. Facis enim Dæmones eosdẽ atq; Erinnyas, ſupplicia q; exercere dicis eorũ eſſe, qui cœlũ non habitent. Ergo non ſunt hæ

neq; poſſunt eſſe differentiæ, malis, fœdiſq; miniſterijs fungentibus. Ex hoc etiam apparet uera corũ declaratio, et confutatio, quæ dicit in libro de Defectu oraculorum. Primũ cum ait Dæmones eſſe mediam naturam inter Deum, hominemq; habentes affectus humanos, & potentiã Dei: ἢ δ' αἰμόνων φύσις ἔχουσα καὶ τὸ θνητὸν, καὶ θεῖον δύναμιν. Quomodo uirtutem Dei, ſi tantum mali, improbi, nequiſſimi tortores, carnifices, ut ſuperius dicebas, cum hoc fœdum miniſterium negares eſſe Deorum? Nihil igitur te teſte commune Deo, & Dæmoni. Dæmon tortor, Deus ſemper beneuolus, placidus. Sic falſum, quod eodem libro, tanquam in medio Deorum, et hominũ, excipientes affectiones mortales, neceſſariasq; mutationes, quos Dæmonas arbitrantes, & nominantes, bene habent ſecundum morem patrum colere. Ô Plutarche, quò te rapit oratio, tibi ipſi te aduerſari non cernis? Non ſunt neceſſariæ mutationes in Dæmonibus. Neq; enim tales creati fuerunt, ſed ſe tales ipſi reddiderunt, deprauantes naturã ſuam. Quid enim neceſsitatis habet in mundo natura hæc immunda? Ad quid ea opus eſt, ſi uelut tortoribus impiorum, carnificibusq; fuit eis opus? Iam hæc non eſt bona natura, ne ei cum Deo ſocietas. Nec prouincia plectendi, animaduertendi, commune quid facit: quandoquidem tu ipſe pronunciaſti, nulla ratione diuinũ eſſe τὸ κολαστικὸν, quod cruciat, uexat, torquet. Longè à Dijs diſunctiſsimum, cœleſtia templa tenentibus. Norant igitur audierantq; Dæmonas eſſe poteſtates improbas, malis inhiantes, ſed cauſam cur tales eſſent, neſciebant, putantes eorum prauitatem, naturalem, non fortuitam, & ex deprauatione. Erroríq; eſt manifeſtus. Non enim Deus opera ſua tam triſtia, tã dira, neſandaq; feciſſet, qualia norunt illi, confeſsi ſunt eſſe Dæmones. Eſt ne probabile, Deum creaſſe monſtrũ illud, cuius à doctiſsimo uate natura deſcribitur?

Tu potes unanimes armare in prælia, fratres,
Atq; odijs uerſare domos, tu uerbera tectis,
Funereasq; inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, fœcundum concute pectus,
Deſijce compoſitam pacem, ſere crimina belli.

Superius autem,

Luctificam Alecto, dirarum ac ſede ſororum,
Infernisq; ciet tenebris, cui triſtia bella,
Iræq; inſidiæq; & crimina noxia cordi.
Odit & ipſe Pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum, tot ſeſe uertit in ora,
Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Veritas igitur eſt, ciuſmodi naturam Deum minimè feciſſe, ſed eam ſe talem reddidiſſe. Neq; enim Deus creauit homines rapaces, homicidas, uiolentos, improbos, ſed cũ boni, & ſine crimine ancipitesq; creati eſſent, & electionis liberæ, maluerunt eſſe tales, quàm boni. Veriora ſunt igitur quæ eodem libro, ab eodem dicuntur,

cuntur, has improbitates nulla ratione diuinum quidquam habere. Et quod ἰσχυροὶ τῇ βίαιοι δαίμονες ἀξαυτόμολοι ψυχῶν ἀνθρωπίνων τὰ τρέφοντα σώματι, καὶ δι' σωμάτων ὁ μιλεῖω ὁ δωάμενοι ταύτῃ, λοιμούς τε πόλεσι, τῇ γῆς ἀφορίας ἀπάγουσι, τῇ πολέμους, καὶ στάσεις, παράπηγσιν, ἄχρις οὗ λάβωσι. καὶ τύχωσιν οὗ ἐρῶσι. Quæ sunt, Fortes, & uiolenti Dæmones, expetentes animam humanã corpore circundatam, & per corpora ei misceri non ualentes, pestilentias urbibus, annonæq; caritatẽ adducunt, bella, seditiones turbant, donec quam amant, potiantur. Hæc sunt ueriora. Quo fit clarũ nihil Dæmones habere diuinũ, solumq; hoc esse nomen malorũ, improborum, noxiorũ. Omniaq; hæc conueniunt cũ nostris, eo excepto, quòd non expetunt animã Dæmones ut amatores, sed ut odio habentes, ut crucient, obsideant. Quod etsi Plutarchus hic non fatetur, alijs tamen fatetur locis, cæteriq; congruũt, Chaldæi, Trismegistus, Orpheus. Vera sunt et illa, fugas, raptus, seruitia, non Deorum, sed Dæmonũ esse. Malim tamen hæc neq; Deorũ esse, neq; Dæmonum, sed fabulosa. Ea ueriora, Dæmones oraculis præfectos, τοῖς περὶ τὰ μαντεῖα, καὶ χρησήρια τεταγμένοις δαιμονίοις. Et illa maximè uera, ἀλλὰ δαίμονας ὑπηρετὰς θεῶν, quòd Dæmones sint ministri Deorũ. Hoc maximè uerum, Sunt ministri, carnifices Dei, nihil cum Deo commune, sed tantùm ministri, mancipia, iussi faciunt, permittunturq; facere mala. Sed quod displicet Plutarcho, mihi placet, nonnullos sensisse iuxta superiorem Empedoclis sententiã, Dæmonibus inesse ἁμαρτίας καὶ ἄτας, καὶ πλάνας θελκτήρας, peccata, & noxia mala, persecutionesq; diuinas. Ideo autem placet, quia ratio docet esse uerũ. Et idem Plutarchus in eo, qui inscribitur de Iside, et Osiride, ostendit hanc sibi placere sententiã, Peccant igitur Dæmones, nocent, diuina potestas eos insectatur. Quod ipse Dæmon confessus est: adducitur à Lactantio:

Δαίμονες οἱ φοιτῶσι πολὺ χθόνα, καὶ πολὺ πόντον,
Ἀκάματοι, δάμνανται ὑπὸ μάστιγι θεῖοι.
Dæmones errantes per terras, & mare semper,
Aeternas pendunt diuino uerbere pœnas.

Hoc, ut uidisti, superius cecinerat etiam Empedocles: Vagantur per omnia dæmones. Quod noster expressit magis, ut sit murus consensus: Aduersarius uester Diabolus circuit quærens quem deuoret. Et Satanas in Iob: Circumiui terras, et perambulaui eas. Illud admirabile, quòd externi Philosophi, ipsiq; etiam Dæmones confessi sunt se flagellis Dei, uerberibusq; torqueri, ut sceleſtos scilicet, et peccantes, nocentesq;. Neq; enim impune nocent mortalibus. Eodem libro Plutarchus dicit non solum Empedoclem, sed Platonem, & Xenocratem, Chrysippum, & Democritum Dæmones malos credidisse: qui cũ simulachra bona precaretur, indicasse, alia prauа esse, et μοχθηρὰ, ἔχοντα προαιρέσεις τινὰς καὶ ὁρμὰς. Et sceleſta habentia electiones quasdam & cupiditates. Vera quoque & illa, ut stupeam Titanica, & Typhonica, quæ circumferantur, fuisse pugnas Dæmonum, contra Dæmones,

fugasq; ſuperatorum, ἢ δικαιώσεως ὑπὸ θεοῦ ἐξαμαρτόντων, aut iudicia Dei, contra eos, qui peccauerunt. Hæc inquam uera. Vt congruunt cum noſtris dicentes flagellis, iudicijsq; Dei Dæmones exagitari? Quocirca ſuperius uocabat eos θεηλάτους ὀρχουμένους. Et illa uera, ut ſuperius, ἀφισαμένων καὶ ἀπολιπόντων τὰ χρηστήρια δαιμόνων, Abſceſsiſſe, deſeruiſſe Dæmones, oracula. ecce Dæmonum oracula erant. Hinc ſe præcipitem dedit, eodem autore, aliquando Pythia, d emoniaco furore correpta. Idemq; in eo, qui eſt de deuoratione carnium, declarat nomen Dæmonis malorũ eſſe cum ait: τὸ γὰρ ἐν ἡμῖν ἄλογον καὶ ἄτακτον, καὶ βίαιον καὶ θεῖον ἀλλὰ δαιμονικὸν, οἱ παλαιοὶ τιτᾶνας ἐνόμισαν, καὶ τοῦτο ἐστὶ κολαζόμενον, καὶ δικὴν διδόντος. Nã quod in nobis eſt irrationale, citra ordinem, uiolentumq;, non diuinũ, ſed dæmoniacũ, ueteres Titanas appellarunt, Et hoc eſt eius qui plectitur, datq; pœnas. Vides Dæmonem, uiolentũ, irrationalem, inordinatũ. Hæc eorum natura, hæc naturæ deſcriptio. Vt poßis eam ſic ex Plutarcho deſcribere, Dæmones natura ſunt irrationalis, inordinata, temeraria, uiolenta, quæ dat pœnas ſemper, & caſtigatur. Id quoq; euidentißimum argumentum, nomen Dæmonis, malorum potius fuiſſe priſcis, non bonorũ, naturamq; prauã eorum cognitam eos habuiſſe, quod in Sympoſio ſeptem ſapientũ idem Plutarchus dictum refert in conuiuio, optimam, utilißimamq; rem Deum, βλαβεροῦ τατον δαιμόνων, nocentißimã Dæmonem. Chryſippusq; eodẽ autore de rebus Romanorũ, φαῦλα δαιμόνια περινοστεῖν, Errare circũ, mala Dæmonia: quibus uti carnificibus, malorumq; ultoribus utatur Deus. Ex priſcorũ igitur Philoſophia, hæc de Dæmonũ natura ſcitu digna conſtant. Eos eſſe aërios, uagari, rapi, turbari per omnem mundũ, perſequente Deo fugere, peccaſſe, & peccare, ſcelerum luere pœnas, Dei flagellis uerberatos, Exitiales, nocentißimos eſſe. Ex his itẽ poſſet corrigi ipſe idem Plutarchus, qui non animaduerterit, quæ totis libris ſuis uariè tradiderit. Nam in libro de Fato, triplex eſſe fati genus dicens, de tertio ſcribit: Tertium inquit, fatũ iure dicatur, prouidentia, curaq; Dæmonũ, qui circum terras præfecti ſunt cuſtodes, et proſpectores rerum humanarũ. Hoc igitur multipliciter eiuſmet autoritate coarguitur. Tũ quòd ubiq; cernitur ire in eam ſententiã, Dæmones eſſe malos, hocq; nomen ferè malorum eſſe & improborum, ut exempla ſuperius docuerunt: Tum ipſa eius clara uerba ſunt, quibus hæc refellas. Hos enim Dæmones illos uagos, cœloq; cadentes, Deo perſequente terga dantes, ubiq;, apud Empedoclẽ. Eoq; dicuntur in terra uerſari. Boni tum in terris uerſantur, tum redeunt ad ſuperos, ſuntq; cœleſtes. Iam uerò Dæmones hi ſunt, quos ipſe contra Chryſippum negat ut improbos rerum humanarũ datos cuſtodes, hæc dicens, τὸ δὲ φαύλους δαίμονας ἐπὶ προνοίας ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστασίας καθίσασθαι πῶς οὐκ ἔστιν ἔγκλημα τοῦ θεοῦ. Et quæ ſequuntur. Adhibitos inquit eſſe Dæmones improbos ad eiuſmodi gubernacula, quomodo non eſt Dei calumnia, uelut regis, malis, uecordibusq; ſatrapis, & prætoribus credentis prouincias, eosq; permittentis, in optimos

mos neglectos debacchari? Benedictus sis Plutarche, aurea uerba fudisti. Cum Dæmones omnium ferè consensu Philosophorum sint improbi, rabidi, uiolenti, irrationabiles, uagi, calumniam Deo facit, qui censet eum rebus humanis eos præfecisse, in quibus neq; ratio sit, neq; prouidentia, sed furor tantum, truculentia, sitisq; nocendi, ut leonibus, uiperis. Vera igitur duntaxat quæ Chrysippus sensit eodem autore de rebus Romanorum: ἢ μᾶλλον ὃ λέγουσιν ἔνιοι ῥωμαίων ἀληθὲς ὄν, καὶ καθάπερ οἱ περὶ χρύσιππον. οἴονται φιλόσοφοι, Et quæ sequuntur. An potius, inquit, uerum est, quod quidem Romani sentiunt, & Chrysippus Philosophus prodidit, praua Dæmonia circumire, quibus Dij ut publicis carnificibus, aduersus improbos, impiosq; homines utantur? Sic lemures et lares Erinnyci quidam sint infestiq; Dæmones domuum, rerumq; gestarum exploratores. Hæc uera sentiebat Chrysippus ab anterioribus Philosophis manantia. Errantes igitur, circumq; euntes illi Dæmones, sunt illi mali, improbiq; carnifices hominum, nostris calumnijs inuigilantes, meritò uocati Diaboli, sitientes necem, cladesq;, tanquã publicorum facinorum ultores. Huiusmodi traduntur in sacris literis, & hæc eorum munera feruntur, accusandorum criminum, plectendorum malorum, in hoc quidem mundo, multo ualidius in futuro. Vides quanta Philosophiæ cum literis sacris concordia? Nam Chrysippus multis ante Euangelium floruit annis. Tradidit autem Seruator, prodiderunt Apostoli toto orbe, perspicuumq; fecerunt, quod à Philosophis quidem, à seculis superioribus ueniens dicebatur, sed obscurè, dubiè. Nam super eo dubitat Plutarchus.

Diuinationem, uaticinia q̃, & oracula ab halitu terrestri fieri non potuisse. Aristotelem, Plutarchum, Ciceronem ista suspicatos, se ipsos declarare, contrarias rationes opponentes. Cap. XXXVI.

ILlud insuper quod ab Aristotele, Plutarcho, nostro Cicerone affirmatur, disquirendum est, an diuinatio, quam Dæmones enunciauerunt, quæq; fuisse fertur in Dæmonibus, ex halitu terræ potuerit fieri. Nam Aristoteles refugiens fortasse Dæmones substantias separatas confiteri, reddituruscq; oraculi Apollinis rationem in libro de Mundo, perhibet, exhalationes terrestres, uarias efficere affectiones: ὧν τὰς μὲν ἐνθουσιᾶν ποιεῖ σὺν ἐμπελάζοντας, τὰς δὲ ἀπροφεῖν, τὰς δὲ χρησμοδοτεῖν, ὥσπερ τὰς ἐν δελφοῖς, καὶ τὰς ἐν λεβαδείᾳ: Quarum aliæ diuinos furores iniiciunt appropinquantibus, aliæ cibi odiũ, aliæ faciunt uaticinari, ut oraculũ Delphicum, & id quod est in Lebadia. Hanc Aristotelis autoritatẽ Marcus noster in Diuinatione secutus, Nã terræ ũis, inquit, Pythiã Delphis incitabat. paulo ante, Potest autem, inquit, uis illa terræ, quæ mentẽ Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuisse uetustate, ut quosdam exaruisse omnes, aut in alium cursum contortos, & deflexos uidemus. Sed ut uis acciderit, Magna enim quæstio est. Talia Marcus, Plutarchus, cuius tempore quòd oracula iã toto orbe silu̇issent, auditumq; sub Tiberio Cæsare, magnum Pana, quem Dæmonem arbitratur, defunctum, uoluit eam afferre rationem, quòd halitus ille terræ, quemadmodum omnia terrestria,

ut fon-

ut fontes, ut metallorum uenæ, potuerit deficere, & diuinatio oraculorumq; præcipuè Delphici, tanta celebritas interpollari: ἢ ὃ γᾶ πολλῶν μὲν ἀναμέσων πηγὰς ἀνίησιν ἀνθρώποις, τὰς μὲν ἐκστατικὰς, καὶ νοσώδεις, καὶ θανατηφόρους, τὰς δὲ χρησὰς, καὶ προσηνεῖς, καὶ ὠφελίμους ὡς ἄπλα γίγνονται πέρα προσυγχάνσι, τὸ δὲ μαντικὸν ῥεῦμα, καὶ πνεῦμα, θειότατόν ἐστι, καὶ ὁσιώτατον: Terra, inquit, plurimarum aliarum facultatũ fontes hominibus edit. Quarum sunt aliæ arripientes in exceſſum, aliæ morboſæ, & mortiferæ, aliæ utiles, & clementes, & iuuantes, ut his qui periculum fecerunt, claret. Fluxus autem diuinatorius, & halitus, ſeu ſpiritus, diuiniſſimus eſt, & ſanctiſſimus. Tum Plutarchus proſequitur: Diuiniſſimus eſt, ait, is ſpiritus, ſiue per aëra, ſiue cum humida ſcaturigine feratur. Commiſtus enim cum corpore efficit animis temperiem quandam inſolitam, & inuſitatam, de cuius proprietate clarè pronunciare, perdifficile conijectari tantum ratio poſſit. Quippe caliditate, & diffuſione poros aperit quoſdã, rerum futurarũ imaginatorios. Sicut cum uinum incaluiſſet, multas alias cõmotiones facere ſolet, reuelareq; arcana quædam, & latentia. Nam debacchatio, & inſania, plurimũ ex diuinatione habet, iuxta Euripidem. Cum animis concalefactus, & igneus, abiecit pudorem, quem mortalis prudentia inducens, ſæpenumero auertit, & extinguit diuinationem, furoremq; diuinum. Deniq; concludit Plutarchus, haud mirum uideri debere, multis è terra exhalationibus ſurgentibus, has ſolas in Delphis animas ad diuinandum diſponere, et ad cõcipienda futura. Atteſtari enim huic rationi, etiã quæ de eo oraculo fama publica ſit. Eam enim uim manifeſtam cuidam paſtori, qui caſu cò deueniſſet, fuiſſe, deinde uocibus quibuſdam diuinis editis contempſiſſe, qui acceßiſſent, poſtea euentu probatis, quæ is dixiſſet, admirari cœpiſſe. Hæc & id genus multa propoſuit Plutarchus, ſed tam dubius, & uarius, quàm uarij, qui hæc apud eum diſſerunt. Quorum non alia nobis petenda ex ratione confutatio, quòd apud eũ ab alio in contrariũ diſſerente, diſſoluuntur. Si uis terreſtris, & exhalatio incitaret, cur non omnes accedentes, aut ſi non omnes, ſaltem è tot millibus, aliquot, cur ſola uirgo Pythia incitabatur? Quam tãdem ob cauſſam in omni uita caſtam, & incorruptam eam ſeruarent? Cur non homines robuſtioris, melioris q; ingenij, ea uis arriperet? Et paſtor ille dictus Coretas, non erat cæteris multis paſtoribus, & caprarijs diſſimilis, ſi modò id non ſit inane commentum, & fabula, ut ipſe arbitratur. Eam quoque rationem idem proponit, quòd cum tot bonorum autor fuerit illud oraculum bello & urbibus condendis Græciæ, indignum ſit referre temeritati hanc rationem. Hæc igitur eſt uera, ſicut, & ſuperior, & ualida ratio. Sicut enim mentem, & intelligentiam ſapientiſſimi quique immortalem dixerunt, quod à nullo elementorum haberet originem, & quod operationes eius longè diſtent ab operationibus terreſtribus: & Ariſtoteles in libris de Generatione animalium, & in libris de Moribus, mentem exterius uenire, quoniam non à ſemine naſceretur, & quòd ex operationibus manifeſtis, facultates, & fontes

& fontes occultos dijudicamus, pronunciauit, easq; operationes alterius generis, quàm ipsius compositi ostendit: sic ex oraculorum operationibus apparet terram tales halitus edere non posse. Spiritualis enim est omnis diuinatio, & mentalis: halitus autem etsi disponere animum, & in furorem agere, quemadmodum uinum posit, puri atem tamen illam uaticiniorum efficere unquam. Furor ac dementia, & à sensibus abstractio fiat ab halitu, & à uino, at prædictio, quæ non solum mens est, sed et humana mente melius, à terrestri principio excitari, quis sibi persuadeat? Rationem igitur ex Aristotele ipso, & Plutarcho claram deduces, si uolueris Aristotelem refellere: Dicis ô Aristoteles in libris illis mentem solam diuinam esse, solam exterius ingredi, solam separari, cæteras animas non separari, sed à semine, & spiritu terrestri, qui est in semine, nasci. Id autem dicis ex operationibus mentis, quas diuinas, alteriusq; omnino generis, quàm aliarum animarum, sensitiuæ, uegetatiuæ, cognoscis, & similes operationibus, quæ fiunt à diuinis, cœlestibusq; animis, præcipuè ipso Deo, quæ dicuntur, ratio, consiluum, solertia, multiplex cogitatio. Diuinatio autem non solum hæc ipsa est, sed etiam diuinius, & excellentius. À terrestri igitur uapore non dependet. Neque enim etsi phrænetici, & melancholici, aut ebrij & dementes aliquid unquam inusitatum dixerunt, protinus aut diuinarunt, uiderunt; futura, ut quod minimum est, & fortuitum, referas in rationem certam, ac stabilem, aut tales etsi similes, aliquo modo diuinantes erunt. Nam & Prophetæ à sensibus in aduentu numinis abstrahebantur, cadebant; penè mortui, tunc; prophetabant. Et Marcus ipse Tullius, refert eodem loco uim Naturæ Sibyllam, sicut uis terræ Pythiam, incitasse. Quæ est enim hæc uis Naturæ? Quæ differentia inter Pythiam, & Sibyllam? Etsi Naturæ uis Sibyllam, cur non item Pythiam concitabat? Quid hoc ab illo segregat? Igitur satis his rationibus erit ad refellendam illam Aristotelis sententiam, ut Aristoteles Aristotelem oppugnet, & ex uerbis eius eliciatur redargutio. Sic etiam est ratio apud Plutarchum in contrarium apud Ciceronem quoque ita loquentem, Quid tam diuinum, quàm afflatus ex terra mentem ita mouens, ut eam prouidam rerum futurarum efficiat, ut non modò cernat multo antè, sed etiam numero, uersuq; pronunciet? Eadem ergo uaticinij Delphici, ac Sibyllini ratio, ut quam desuni, necessariò des & alteri.

An oraculum Apollinis à bono uel malo Dæmone funderetur. Quod à malo, signaq; eius. Quod sæpe Deus spiritibus, hominibusq; improbis usus est ad prædictionem futurorum. Cap. XXXVII.

ET quoniam huc deuenimus, de oraculo Apollinis uestigandum. Nam multa bona bello, paceq; autore Plutarcho Græcis attulit: rursum multa obstant, quo minus in numero bonorum, spiritum illum referas. Leguntur quidem nonnulla, quibus beneuolentiam, æquanimitatem, prouidentiam eius agnoscas: in contrarium multa deprehendas, partim impostura oraculi, partim autorem eius non fuisse spiritum bonum, testantia. Prima igitur ratio, spiritum illum in numero bonorum

non

non habendum, ab ipsis Philosophis exhibetur. Nam cum pudenda, uentremq; mulierc ularum, aut Deum, aut animos diuinos subijsse, sentire nefas asseuerent, oraculum autē Apollinis ex uentre mulierculæ funderetur, Philosophorū certe ratione, non erat spiritus ille è numero bonorum. Plutarchus igitur: ἔυηθες γάρ ἐστι, καὶ παιδικὸν νομίζειν, τὸ οἴεσθαι τὸν θεὸν αὐτὸν, ὥσπερ τὸς ἐγγαστριμύθους γυναικέας πάλαι, νυνὶ δὲ πύθωνας προσαγορευομένους χρῆσθαι τοῖς ἐκείνων σώμασι, καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις καταμιγνύς ἀνθρωπίναις χρείαις, ὁ φείδεται σεμνότητος ὁ δὲ τηρεῖ τὸ ἀξίωμα, καὶ τὸ μέγεθος αὐτὸ τὸ ἀρετῆς. Stultum enim, inquit, est & puerile admodum, putare Deum ipsum, sicut uentriloqui spiritus, qui Euriclei quondam, nunc autem Pythones appellantur, subeuntem in corpora Prophetarum, ore ipsorum, et uocibus ut organis utentem respondere. Qui sese miscereret usibus humanis, non parceret grauitati, neq; seruaret dignitatem, & magnitudinem uirtutis suæ. Hæc uerò ex intima Philosophia locutus est Plutarchus. Chrysostomus autem de Pythia uel Apollinis oraculo sic perhibet: λέγεται τοίνυν αὕτη ἡ πυθία, γυνὴ τις ὖσα, ὧν καθῆσθαι ἐπὶ τρίποδι, διαρῥῆξαι, ἐφ' ὅτῳ πνεῦμα πονηρὸν κάτωθεν ἀναδιδόμενον, καὶ εἰσὶν τῶν γεννητικῶν αὐτῆς διαδυόμενον μορίων πληρῶσαι τὴν γυναῖκα, τῆ μανίας, καὶ ταύτῃ τὰς τρίχας λύσασθαι, λοιπὸν ἐκβακχεύεσθαι τὴν ἀφρὸν ἐκ τοῦ στόματος ἀφιέναι, καὶ ὅτως ἐν παροινίᾳ γενομένῃ τῆ μανίας φθέγγεσθαι ῥήματα. Dicitur, inquit, hæc Pythia fuisse fœmina, quæ super Tripode cruribus diuaricatis, malignū spiritum inferius emissum, partesq; genitales subeuntē, excipiens, furore repleretur, & crinibus passis, spumansq; ore debacchare/tur, funderetq; insana oracula. Duobus his igitur testimonijs collatis, constat oraculū Apollinis, quoniā spiritus ille fœminæ pudenda uentremq; subiret, à puro, sancto q; spiritu, Deo, uel spiritibus cœlestibus non fuisse. Eritq; uerū quod idem Plutarchus adiecit, magnis difficultatibus homines liberasse, qui Dæmones inter Deū, & homines medios statuissent, in quos referrētur ea, quæ neq; uires humanas efficere posse constat, et quæ cum in maiorem quàm humanā potestatem redigere necesse sit, sed alia ratio prohibeat, ne referantur in optimū Deum, similesq; eius spiritus alios bonos, in eam potestatē redigantur, quæ tametsi superet humanā facultatem, res editæ tamen testentur eam neq; Deū esse, neq; mentem purā, diuinamq; autoritatē. Signa maioris q̄ humanæ potestatis, cum plura cum nostris illi colligerunt: in primis ipsa fuit diuinatio, præterea fascinationes, uexationes corporū, ægritudines iniectæ, pluraq; alia nemini non nota. Sed signa potestatis improbæ, quod cū rarò beneficio homines affecerunt, tū uerò modus ipse, ratioq; prophetandi, naturā inquinatā declarauit. Magnis igitur difficultatibus, ait Plutarchus, homines liberarunt, qui medios hominū, atq; Deorum, Dæmonum genus interiecerunt, siue à Zoroastre, Magisq; fama hæc descēdat, siue ab Orpheo Thrace, uel Aegyptijs, Phry-

gibus uc,

gibus'ue, ut licet ex Teletis & Orgijs, quæ cum lamentis, debacchationibusq; celebrantur, conijcere. À Philosophis igitur datur ratio, oraculum Apollinis, Dæmonis oraculum fuisse, Dæmonis inquam, non Dei, uel spiritus alicuius puri, melioris. Sed quoniam sparsa per libros Philosophorum oracula, quibus uelut diuinis documentis sunt eruditi homines, testantur spiritus eius bonitatem, ut quod est in Xenophonte, qui ad bellum cum Cyro, contra Xerxem profecturus, sciscitatus est oraculum, iret ne reuersurus, respondit utrunq;. Et quòd Socratem sapientissimum Græcorum iudicauit: Et Plutarchus de uirtutibus mulierum refert Chijs, actis prodigijs cœlestibus, oraculũ respondisse, ut interficerent, qui interfecissent Regem Hippoclum: cumq; illi dixissent, totam urbem eum interfecisse: Omnes iussisse oraculum relinquere urbem, si sceleris cuncti participes fuissent, sicq; non paucos eiectos ex urbe: Quo quidem apparet spiritum docuisse expiandi modum, quasi cædem execratam. Alium autem, qui matrem interfecisset, agereturq; pœnis, Hermias autor, oraculum iussisse, ut aliam terram quæreret: Illum insulam à flumine emersam sibi dari percepisse, ibiq; habitantem pœnis cruciari desijsse. Pluraq; sunt alia, beneficium oraculi præ se ferentia. Horum igitur omnium, sicut à Philosophis exhibetur oraculi Apollinis demonstratio, sic à sacris literis uera solutio. Est igitur solutio uera, quòd Deus uti bonus, & humanus, cũ homines falsa uaticinia relicto Deo uero, suscitassent, ne per spiritus quidem aut homines malos dedignatus est respondere, usus ad beneficium improbitate malorum. Huius assertionis uera sunt in sacris literis testimonia. Balaam ariolo uno è Magis illis Persarum à Zoroastre (fuit enim Babylonius) qui fœdus cũ Dæmonibus malis pacti, eorũ auxilio multa faceret cæteris hominibus prodigiosa, quo uel opes, quemadmodũ ipse Balaam, uel opinionẽ Diuinitatis sibi cõpararent, usus est Deus ad prædictionẽ bonorũ, uerorumq; oraculorum. Is enim prædixit, Orietur stella ex Iacob, Hunc autem, iubente Mose, in bello cũ cæteris Israëlitæ interfecerunt, quia nefarius improbusq; monuerat fornicari Moabitidas cum Israëlitis, ut læso numine, caderent in bello. Est item testimoniũ in libris Regum, quod ad Pythonem profecto Sauli dicitur Dominus respondisse per Pythonem, quemadmodum oraculum Apollinis Python erat. Est autem Apollo Pythius dictus ab interfecto dracone Pythone. Inde omne per os uaticiniũ, dictiũ Python, quasi Apollineũ. Dedit igitur pœnas Saul, cum ob alia scelera, tum quia consuluerat oraculũ, quod ipse iam dudũ Zelo religionis sustulerat ut impium è terra Et tamen respondit ei Dominus per Pythonem, misso Angelo sub persona Samuelis. Item est testimoniũ in Ezekiele dicente Deo, Si adieris ad falsos Prophetas, ego tibi respondebo per illos. Dicendum igitur prædictionem futurorum, non per bonos duntaxat extitisse, quemadmodũ nec miracula. Nec contra rationẽ est ut usus homine, uel Dæmone malo Deus, agat uel loquatur bona. Nã Caiaphas, qui in necem Domini consensisset, prophetauit: pluresq; homines mali prophetauerunt etiam bona, utilia. Autor insuper Plutarchus cum alijs, Erythræã Sibyllam

oraculo

oraculo Apollinis præfuiſſe. Ea tamen uſus eſt Deus ad prædictionem rerum futu-rarum, non earum modò, quæ à Romanis toto terrarum orbe gerendæ eſſent, ſed etiam quæ Chriſtus facturus, ſuprema quoq; ſecula oraculis complexa. Et ipſe Ser-uator teſtatus eſt, non admiſſurum ſe eos in regnum cœlorum, qui dicant, Domine non ne in nomine tuo prophetauimus, Dæmonia eiecimus? Quid? quòd exibant Dæmonia clamantia, Tu es filius Dei. Veritatem ſcilicet clamantia. Vt autem Ba-laam qui aliquando bona prædixiſſet, ſceleſtus fuit aliàs & improbus, ſic oracu-lum Apollinis, etſi ſæpe bona conſuluit, multas tamen ubique fraudes, ambages item, & indignas ſpiritibus bonis uoces apud ſcriptores deprehendas, quas ut no-tas prætereo.

Dæmones nunquam in conſortio beatorum fuiſſe, non ex cœleſtibus gaudijs, quæ poſſiderent, ſed poſſeſſuri eſſent, ſi recte operarent, ceciduſſe. Peccatum eorum fuiſſe ſuperbiam, inuidiamq;. Cap. XXXVIII.

ET ſi libris hiſce profanamq; Philoſophiã pertractamusq;, comprobãtes, ubi fieri poſſit, eam Philoſophiæ cœleſti conformem, tamen ut ſit perfecta de Dæmoni-bus inquiſitio, duæ ſuperſunt examinatæ ſententiæ: Prior, an aliquando fuerint in cœlo, beato ac ſacroſancto diuinorum ſpirituum regno, glorioſi, felices, unde pro-pter ſcelus immane deturbati. Tum quod ſcelus tantum, flagitiumq; eorum extite-rit, ut hoc decus amittere, damnari pœnis æternis meruerint. Nam ſuper utroq; va-riare ſententias apud Theologos inuenies. Fuerunt igitur probatiſsimi Theologi, in quibus & Auguſtinus eſſe uidetur, qui cenſerent nunquam Dæmonas in cœlo fuiſſe, nunquam gloriam Dei uidiſſe, ſed ancipites, ſuaq; poteſtatis quales homines iam creatos non amiſiſſe, quod iam poſſiderent. Quemadmodum non amittunt ho-mines præmia cœleſtia, iam adepti, ſed quæ adepturi erant, ſi pie iuſteq; uixiſſent. Atq; Dæmones non in cœlo, regione beata, fuiſſe creatos. Nam ſi ibi fuiſſent ali-quando, tum illuc ob aliqua merita perueniſſent, tum nunquam inde repulſi fuiſ-ſent, quia nec in loco perfectionis, perfectæq; beatitudinis peccare potuiſſent, nec fuiſſent illic, quorum mens aliquando mutari contra autorem ſuũ potuiſſet, quiq; nondũ mundi, perfecti, ſapientesq; haberi potuiſſent, tantisq; præmijs digni pro-pter futura peccata debuiſſent. Hanc igitur ſententiam qui ſecuti fuerint, magnis incommodis liberabuntur, non aſſentiente ratione (& qui id cogitat turbatur) pec-caſſe, qui uiſione Dei in cœlo, quæ ſapientiſsimos eos redderet, fruerentur. Pecca-ſſe tam turpiter, nefarieq; eos, quos illa uiſio diuina omni ſapientia, beatitudine pe-renniter imbutos, immutabiliter in ſe raperet, nequid aliud deſiderare poſſent. Eſt igitur ſententia uera, nunquam dulcedinem uiſionis diuinæ Dæmones guſtaſſe, ſed creatos infra cœlum, & in hoc mundo, uidelicet aëre, & ſui arbitrij libertate abu-ſos, peccaſſe. Quid autem peccauerint cum adhuc ancipites eſſent, & ad bona, & ad mala poſſent, quemadmodum ſpiritus humani, declinare, inferius declara-bitur. Nunc ea ſententia uerior habeatur, qua dicuntur in concilio, cœtuq; beato-rum nunquam fuiſſe, ſed in hoc mundo creatos, ſicut homines, liberum arbitrium peccandi,

peccandi, & non peccandi habuiſſe, indignos adhuc commercio beatorum. In qua ſententia cum Auguſtinus referat fuiſſe Theologos quoſdam ſuperiores, eandem uidetur ipſe comprobare. Aiq́ue ſuper Geneſim: Quidam enim noſtri non putant eos cœleſtes aut ſupercœleſtes Angelos fuiſſe. Non mirum, ſi poſt peccatum in hac caligine retruſi ſunt. Rurſum: Quidã enim ſenſerunt non fuiſſe Diabolum in illa ſublimi natura Angelorum, quæ ſupercœleſtis eſt, ſed eorum qui inferius in mundo facti ſunt. Hæc Auguſtinus. Qui tametſi inferius uideatur aſſerere, non poſſe ex ſcripturis demonſtrari duo Angelorum genera, alterum ſupercœleſte, alterum mundanũ, tamen nec ipſi diceremus duo genera, ſed etiam ſupernos Angelos aliquando fuiſſe probatos, et admiſſos in cœlum, quos aliqua pietas cò ſublimaſſet. Cæteri quoque Theologi conſentiunt ipſum Auguſtinum in ea ſententia permanſiſſe, nunquam Dæmones gaudijs cœleſtibus interfuiſſe. È quibus Theodorus Theologus Latinus unus antiquorum, poſt Auguſtinum Theologorum, ingenio, & eloquentia mirus, ambages has & quæſtionum ſinus exoluens, dignus quem non'oſcitanter omnes audiant, ſcribit Quis enim, inquit, credidit Diabolum in beatitudine Paradiſi fuiſſe? qui mox ut conditus, lapſus eſt, dicente Domino in Euangelio, ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit. Auguſtino quippe aſſerente, nunquam Diabolus in ueritate ſtetit, nunquam cum Angelis beatam uitam duxit, ſed ab ipſo ſuæ conditionis initio cecidit. Factus enim, continuò ſe à luce ueritatis auertit, ſuperbia tumidus, et propriæ poteſtatis delectatione corruptus: Vnde beatæ, atque Angelicæ uitæ dulcedinem non guſtauit, quia non utique acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit. Proinde nec ſui caſus præſcius eſſe potuit: quoniam ſapientia pietatis eſt fructus. Ille autem continuò impius, conſequenter & mente cæcus, non ex eo quod acceperat, cecidit, ſed ex eo quod acciperet, ſi ſubdi Deo uoluiſſet. Quod profectò quia noluit, & ab eo quod accepturus erat, cecidit, & poteſtatem illius, ſub quo eſſe noluit, non euaſit, factusq; eſt in illo pondere meritorum, ut nec iuſtitiæ poſſit lumine delectari, nec ab eius ſententia liberari. Hæc ſcribit Theodorus. Duæ ſunt igitur rationes eis, cur Dæmones non amiſerint quod haberent, nec ex beatitudine ceciderint, quam nondum fuiſſent aſſecuti, quòd ſapientia, aut dulcedo uitæ cœleſtis, pietatis eſt fructus, eſt præmium probatorum, præmium ſempiternum, præmium quod nunquam amitti poteſt: non eorum, qui peccare poſſint: non quorum mens adhuc in ſeclus anceps: ſed firmiſſimorum, ſtabilium, quos uirtus probatos confirmaſſet. Omnes igitur Angelos Deus arbitrio ſuo creatos, quemadmodum primos homines, reliquit, qui ſubdi Deo uoluiſſent, qui cœleſtia præmia propoſita magni æſtimaſſent, in numerum ſuorum collocauit, qui ſecus, excluſit, in aërem detruſit. Secunda ratio, quòd Dæmon continuò creatus, ſicut homo, peccauit, nec ſpatium fuit à creatione ad peccatum, ut aliquandiu triumphis cœleſtibus, quæ paulò pòſt amitteret interfuerit. Probant igitur ijdem Theologi ex Euangelio, Diabolum ab initio creationis

ſuæ homicidam fuiſſe, nimirum contra hominem peccaſſe. Continuò igitur creatus, peccauit. Quid autem Dæmones peccauerint, tres ſunt ſententiæ, non quidem inuicem ſibi contradicentes, ſed quæ fermè poſſint omnes eſſe ueræ. Quòd Deo ſubdi noluerint, rebelleśq; extiterint. Quòd homini creato, quem regere debuiſſent, inuiderint. Quòd uti minores Dij, & mundo regendo præfecti, in concupiſcentiam fœminarum exarſerint. Communis quidem multorum Theologorum ſententia, rebelles eos creatori fuiſſe, ſiue quòd maieſtatem eius affectauerint, ſiue quòd non eum uti meritus eſt, coluerint, mandatiśq; eius obſecuti fuerint. Hanc ſententiam maximè comprobantes ex dictis Eſaiæ, Ponam ſedem meam in Aquilone, & ero ſimilis altiſſimo, Lucifer qui mane oriebaris. Qui quidem locus apertè non eſt de Dæmone, ſed rege Aſſyriorum, qui habitat ad Aquilonem, qui ſe ſimilem altiſſimo, & ſideri matutino gloriabatur. Sed ego quidem à ſummis Theologis non diſſentio, cum quibus eſt Gregorius Nazanzenus, Auguſtinus, aliiq; numina. Secundam ſententiam, quòd homini inuiderint, & hoc eorum fuiſſe peccatũ, Græci complures ſecuti ſunt, Athenagoras, Petrus Alexandræus, Auguſtinus quoque noſter, qui ſuper Geneſim perhibet: Dicitur enim cecidiſſe, quia inuidit homini facto ad imaginem Dei: Sed inuidia ſequitur ſuperbiam. Inuidentia enim cauſa eſt ſuperbiæ, qui eſt amor propriæ excellentiæ. Inuidia enim eſt odium felicitatis alienæ. Qui enim amat excellentiam, uel paribus inuidet, qui æquantur, uel ſuperioribus, quibus non æquatur, uel inferioribus, ne æquentur. Hæc Auguſtinus. Superius quoque dicebat Theodorus ex Euangelio, Dæmonem ſimul creatũ peccaſſe, quoniam fuit ab initio ſuæ creationis homicida. Plures Theologorum hoc ipſum aſſeruerunt. Hanc ſententiam ſequitur hoc incommodum, quòd maxima quædam Dæmonum multitudo dicitur peccaſſe, & cecidiſſe, at hominem duntaxat unus appetiuit, decepit, impulit in fraudẽ. Si nihil igitur aliud Dæmones peccaſſent, quàm quòd primos parentes decepiſſent, unus duntaxat damnatus, non quanta fertur multitudo fuiſſet. Vnus, ut par eſt, tentauit, & fefellit. Solus igitur is cecidit, ſolus in aulam Dei non peruenit. Neque enim perhibet ſcriptura, uelut quendam exercitum, atque agmine facto, Dæmones aggreſſos primos parentes. Vnus enim uni ſufficere potuiſſet. Et unus ſerpens dicitur tentaſſe. Quare priuſquã Dæmon hominem tentaſſet, uidetur aliquod per totam eorum gentem, qui damnati fuerunt, flagitium perambulaſſe, quo quidem admiſſo, cum meliores, qui conſentire noluiſſent, iam proiecti fuiſſent, qui Cherubini dicuntur in ipſo Geneſis exordio, nequo res in aëre caliginoſo cum ſui ſceleris macula, & amiſſæ felicitatis dolore remanſiſſe, & eo percitos dolore ne primus homo, quem glorificandum ſentiebant, felicitatis, & immortalitatis culmen aſcenderet, in eandem damnationem protraxiſſe, miſſo è ſuis uno, quo non præſtantior alter, ſeu uerſare dolos, ſeu certæ occumbere morti. Sed hæc cum ſint obſcura, nec ſcriptura commemorauerit, longa diligentia inquiri non debent. Hoc tantũ ſcimus, Dæmones fuiſſe damnatos, quia mali

ſcimus

ſcimus primis eos parentibus inuidiſſe. Nam ſcelus aliud antea, puta ſuperbiæ, uel aliud hominibus incognitum flagitium patraſſent, ſcripturarum certè teſtimonio non eſt clarum, ratione duntaxat fit manifeſtum, nec Deum creaturas ſuas malas, prauaſq; feciſſe, nec qui damnati fuerunt, iniuſtè damnari potuiſſe. Videtur autem probabile, quoniam regnum cœlorum, uiſioq; diuinæ claritatis eſt inenarrabile præmium, ad quod ſine uirtutis, & perfectæ pietatis probatione nefas ſit attingere: ſic Angelos omnes ſubitò creatos, fuiſſe probatos à Deo, ſicut mox homo creatus fuit probatus. Et ſicut homo probatus & conſtans, diuinisq; mandatis obſequens, immortalitatis honore decoratus fuiſſet, ad æternos triumphos admiſſus, & confirmatus, qui priùs anceps eſſet ad uitam & mortem, ſic Angelos, qui prius eſſent ancipites, nec adhuc diuinis honoribus glorificati, nec ignominia damnationis affecti, aliqua nobis incognita ratione fuiſſe probatos, aliquid præcipiente Deo, quo probare pietatem, beneuolentiamq; eorum uoluiſſet, oſtenſo pietatis fructu, quem daturus eſſet, ſuis præceptis obſecutis. Qui igitur ut Auguſtinus ait, præmia illa faſtidiſſent, contempſiſſent, quemadmodum contemnunt homines hodie, regnum cœlorum, diuinis illis præceptis parere negligentes, arrogantes, ſuperbi, diuinorum mandatorum, & uitæ beatæ, quam promiſiſſet Deus, contemptores, meritò non peruenerunt in cœlum, & diuino fauore deſtituti, peiores quàm fuiſſent deinceps extiterunt. Hoc igitur etiam dicebat ſuperius Theodorus. Vitæ dulcedinem non guſtauit, quia non utiq; acceptum faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit. Nihil quidem Auguſtinus de hac uniuerſali cunctorum probatione meminit, ſed minores illos Angelos, nempe Dæmones ait arbitrium bene et malè agendi habere potuiſſe. Tales enim, inquit, poſſet aliquid illicitũ delectare, quam delectationem, ſi peccare noluiſſent, libero arbitrio cohibuiſſent. Hoc Auguſtinus dicens, uidetur eorum proponere ſententiam, quæ tertia eſt, qui putant Dæmones gubernaculis hominum datos, in fœminas exarſiſſe, quam nec ipſe, nec quiſquam bonorum Theologorum probauerit. Si quis igitur eſt, cui non placeat, fuiſſe cunctos Angelos probatos, nec ego cogã eos aſſentiri, nec aſſentiar ipſe pertinaciter, ubiq; probabiliora ſecutus. Sicut autem Moſes nihil de creatione ſcripſit Angelorum, ſic nec de probatione, glorificatione bonorum, damnatione malorum, quòd propoſuiſſet de mundo noſtro, & homine creato, probato, coronando, ſi fortiter egiſſet, ſcribere. Tertia igitur fuit ſententia de caſu Angelorum, quòd fœminas appetiuiſſent, de qua dictum ſuperius. Oſtenſumq; filios Dei non ſemper eſſe in ſacris literis Angelos, ſed ſæpe probos, pios: meros autem homines appellari, quibus humana tantum, fragilia, tranſeuntia placeant, quæ ob immoderatos amores diuinis præferunt. Tales illo ſeculo. Sentit autem Auguſtinus cum cæteris ſacris, & profanis ſcriptoribus, Dæmones eſſe genus aërium, tum propter aërium corpus, quo ueſtiuntur, dolorum, uulnerumq; capace, tum propter aërias, quas incolunt, ut conſtanter affirmabant ſuperius omnes, ſedes.

De Dæmonibus e cœlo ruentibus, priſcos quædam cognouiſſe, & prodidiſſe, Pherecidem, Empedoclem, Homerū, Plutarchū ruinā hanc deſignaſſe. Cap. XXXIX.

DVo quoq; memorabilia ſunt apud priſcos gētium Poëtas de Dæmonibus: ut mirum ſit unde ad eos hæc fama manauerit: De ſuperis illato ab eis bello, quo fertur à noſtris Michaël eos ſuperaſſe: tum eorum è cœlo ruina. Nam caſus è cœlo, ſiue quòd ſummo Deo rebelles extiterint, ſiue quòd aliud ſcelus patrarint puta inuidiæ, cum primum hominem in fraudem impuliſſet, mirantur ab illis. Pherecidem, qúe fertur de hac ruina ſcripſiſſe. Vetuſtiſſimus autem Empedocles uocat eos οὐρανοπετεῖς, cœlo ruentes. Homerus autem quæ de Ate, quæ Satanas eſt, à Ioue deturbata è cœlo, cecinit, creditur à Theologis ex priſca fama Dæmonum caſum in his myſticè ſenſiſſe:

Αὐτίκα δ' ἕλεν ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλακάμοιο
Χωόμενος φρεσὶν ἧσιν, κὰι ὤμοσε κάρτερον ὅρκον
Μήποτ' ἐς Ὄλυμπον τε, κὰι οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Αὖτις ἐλεύσεσθαι ἄτλω, ἣ πάντας ἀάται,

Quæ durè quanquam, ſic Latinè ſonant:

Extemplò apprehendit Aten, de crine comanti,
Atque animis iratus, formidabile iurat
Sidereum cœlum, ſummiq; cacumen olympi,
Admittetur Ate non ultra, noxia cunctis.

Sentiunt igitur noſtri, de Satana deiecto cœlitus Homerum ſcripſiſſe. Bella quoque, quæ feruntur à noſtris inter eos & Angelos geſta, uidentur ab eis audita, cū Plutarchus alijq; ſcribant, Typhonem, Gigantesq; Dæmones eſſe malos, qui bellum ſuperis intuliſſent.

De Genijs, ſiue Angelis, ſingulo cuiq; cuſtodibus datis, inter eos & noſtros mirus conſenſus. Teſtes horum Menander, Empedocles, Plutarchus, Arianus. Cap. XL.

FVit item de Dæmonibus, ſiue Genijs fama priſca quædam cum ſacris literis ex parte non abhorrens, Vnumquenque uitam ingreſſum, continuò Genios, alterū propitium, alterum aduerſum comitari. Vetuſtiſſima, ut dixi, opinio, Plutarchusq; refert Menandrum dixiſſe, ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρατεῖ εὐθὺς γενομένῳ μυσαλγωγος τοῦτο βίῳ ἀγαθός: Omni homini Dæmon, ſiue Genius ſtatim aſſiſtit nato, ductor uitæ bonus. Empedocles quoque eodē autore, λιτταί τινες ἡμῶν ἕπασον παραλαμβάνουσι, κὰι καταρχονται μοῖραι κὰι δαίμονες ἐνθεία, χθονίητε: Duplices quēcunq; natum excipiunt, ducunq; ſortes, & Dæmones, diuina, terreſtriſq;. Et quod ait idem Plutarchus, Dæmonem ſiue Genium Antonij timere ſolitum Genium Auguſti. Arianus quoq; ſuper Epictetū, κὰι ἐπίτροπον ἑκάστῳ τοῦ ἑκάστου δαίμονα, κὰι παρεδλακε φυλακτὴν ἀυτὸν αὐτῷ, & τοῦτον ἀκοίμητον κὰι ἀπαραλόγιστον: Et

custodem

cuſtodem adhibuit unicuiq; proprium Dæmonem, & tradidit ei cuſtodiendum, cu ſtodem peruigilem, & incorruptum. Noſtri quoque magno hæc aſſenſu compro/ bantes, quos Philoſophi Dæmonas Angelos ipſi uocantes. È quibus Baſilius con/ tra Eunomium: Angeli, inquit, ſinguli, quemadmodum eandem nuncupationem, ſic eandem naturam ſortiti ſunt. Veruntamen eorum alij nationibus præſiunt: οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν, Alij ſingulo cuiq; piorum. Et quanto eſt uniuerſitas ipſa mundi, uno particulari homine præſtantior, tanto neceſſe eſt ſit dignitas maior eius Angeli, qui nationi præeſt, quàm eius cui ſingulus quiſq; eſt creditus. Chryſoſto/ mus quoq; ſimilia ſentit, τὸ δὲ συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, Adeſſe uerò, inquit, unicuiq; fidelium Angelum, ceu pædagogum quendam, et paſtorem, qui regat uitam. Nemo contradicet, reſpiciens ea quæ ſeruator dixit: Angeli eorum ſemper uident faciem Patris. Ex his igitur conſtat, quod Plato quoque perhibuit, famam hanc Angelorum ſiue Dæmonum datorum ad cuſtodiam, uetuſtiſſimam eſſe. Tantum diſſentiunt noſtri, & illi, quòd Angelos dicent, quos illi Dæmones: diſcrimen leuis momenti, ſi quis documenta Philonis meminerit, Dæmonas Phi/ loſophorum Angelos eſſe Moſis Prophetarumq;. In illo uerò, apertè diſſentient, quòd non quemadmodum ſit datus unicuique paſtor, pædagogusq;, ſic datus ſit aduerſarius, deprauator. Tentant quidem Dæmones, & unuſquiſque tentatur: ſed non eſt ordo dati cuique aduerſarij, quemadmodum adhibiti paſtoris. Dicendum igitur datum ſingulo cuique paſtorem, ducem, non datum maleficum pari ſorte. Hoſtis eſt hominibus generatim malus ille. Seruius ergo Vergilij interpres ſuper eo carmine,

Niſus ait, Dij ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euriale, an ſua cuiq; Deus ſit dira cupido?

Scribit, Apud Plotinum Philoſophũ, & alios quæritur, utrum mentis noſtræ acies per ſe ad cupiditates et conſilia moueatur, an impulſu alicuius numinis. Et primo dixerunt mentes humanas moueri ſua ſponte. Deprehenderunt tamen ad omnia honeſta impelli nos Genio, & Numine quodam familiari, quod nobis naſcentibus datur, praua uerò mente nos noſtra, cupere & deſiderare. Neq; enim fieri poteſt, ut praua, numinum uoluptate capiamus. Quibus nihil malum, conſtat placere. Ex his & alijs multis perſpicuũ fit tum ſententiam de Genijs uel Angelis datis ueram eſſe, & priſcam, tum non omnes ex illis pari ſorte, ſimiliq; ordine datos malos æ/ què ut bonos aſſeruiſſe, ut undequaq; cum literis cœleſtibus conueniant.

Chalcidij de Dæmonibus ſententiæ, Dæmones ætherios, quibus ſerena, puráue corpora tribuat idem, potius Angelos appellandos. Definitio Dæmonis iuxta eundem. Cap. LI.

QVæ uerò Chalcidius de Dæmonibus, ſuper Timæo Platonis ſcripſit, non prius mihi probanda quàm calculis ponderata, riteq; diſcuſſa uidentur. Primũ mul ta Dæmonum genera quoſdam Platonicos ſecutus proponit, ætherium, aërium, ter reſtre: Generis ætherij compagem (nam cunctis quædam corpuſcula concedit) ex

ætheris & aëris serenitate constituens, hac definitione concludit: Dæmon est animal rationale, immortale, patibile, ætherium, diligentiam hominibus impertiens. Hac assignata definitione, non abscondit, quam ob causam dixerit eos ætherios: nimirum ex loco, & qualitate corporis, in definitione suppressum, num ex loco, an corpore nomen eis ætheriorum dedisset. Declarat autem corporis compagem non dissoluendam propter ætheris, aërisq; tenuissimum, defecatissimumq; liquorem: Tum non conspicuum neq; tactui renitentem, quoniam non adsit tantū ignis, neq; tantum terræ. Hæc igitur omnia dixit de Dæmonibus ætherijs: eadem de aërijs, nisi quòd hi maneant in aëre. Terrestres autem viles ultores, & carnifices fatetur. Hæc igitur id habent ueri, quòd quos dixit ætherios, non sunt Dæmones, sed Angeli, rectiusq; mea sententia Calcidius, cui fuit notum nomen Angelorum (uidetur enim fuisse Christianus) has nomenclationes non confudisset. Exclusis igitur Angelis, nulli sunt Dæmones ætherij. Si placet ætherios Angelos esse, tum definitio uera fortasse fuerit, eos habere corpora purissima, ætheria, leuissima, uolucria, plagis non obnoxia, non mortalia, non caduca, procurationis humanæ studiosos, peruigiles, custodes, corporibus cœlestibus uestitos. Dabiturq; eis ætheriorum nomen, quòd & corporibus ætherijs uestiantur, & quòd sedes ætherias obtineant. Veritas autem dilucida, claraq; erit, euitaburq; omnis confusio, si Dæmones uero nomine, salisq; ipsis congruente dicentur aërij, quibus omnis antiquitas, & corpora, & situs aërios concesit. Soli quoq; Dæmones iuxta definitionem Platonis, ætherios, non Dæmones, sed Deos uocitantis, aërium genus Dæmonas expresse uocantis. Tunc etiam definitio non dissonabit, eos esse animantia patibilia, rationalia, immortalia, aëria, non prouidentes, sed inuidentes hominibus, truces hostes: congruetq; item similis definitio terrestribus & ultoribus eiusdem cum aërijs generis, & conditionis. Quapropter mihi quidem placent ætheriæ uestes, leuissima, tenuia, purissima corpora, quæ nobis ostendit Calcidius, Angelorū. Placebit item similes, sed non tam diuinas, et sacras, aërios Dæmonas habere uestes, corpora sub oculis non cadentia. Mistio uerò nominū, cum clarè Philosophi posteriores, Dæmones ab Angelis seiunxerint, præcipuè qui malos à bonis segregauerint, non placebit, cum uerum, germanum, legitimumq; ætheriorum nomen, sit Angelorum: Dæmonum autem, quibus sub æthere, nec situs tam sanctos, purosq;, nec glorioſa, diuinaq; corpora datum est possidere.

FINIS.

AVGV/

AVGVSTINI STEVCHI EVGV-BINI DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER NONVS.

DE CREATIONE HOMINIS, ET IMMORTALITATE ANIMORVM.

Quod omnes conſenſerunt hominem à Deo creatum: animos uenire diuitus, & quomodo fuit hæc fama manans à priſcis, temporum longinquitate apud nonnullos denigrata. Cap. I.



Iſſerendum hoc libro de Creatione hominis, & animorum Immortalitate, cuius cum uarias Philoſophi rationes attuliſſent, illæ certè potiores, ueriores q; ſemper fuerunt, quæ ab antiquiſſimis ſeculis uſq; ab exordio generis humani deſcendentes, apud Platonẽ clariores, Ariſtotelẽ autem cæteros q; Philoſophos, occultiores extiterunt. Has qui uiderit ſapientiæ cœleſti tempore concordes, cognoſcet à magno quodam, diuino q; principio profectas, eadem q; ratione peruenisſe ad homines famam immortalitatis animorum, qua creati mundi & unus ſempiternæ Diuinitatis ſcientiã. Eas ego ſæpenumero mecum cum Theologia uera tantopere congruere admiratus, perſuaſi mihi, nulla unquam ſecula, præcipuè uetuſtiora, caruiſſe ea, quæ nouiſſimis ſeculis in omni mundo claruit, ſapientia. Adueniſſe q; de cœlo prolem diuinam, ut quæ foret occultior, fœdata mendacijs, et temporum denigrata caligine, ſapientia, clareſceret, qua nobis initiatis, deleta q; ſuo ſanguine iniquitate noſtra, nos, quod omnes ſperarunt olim, in cœlũ reuocaret. Nec fieri potuit, quin reuelatũ aut diuinitus eſſet, aut à primis hominibus per ſucceſſionẽ traderetur, quod tam conſtanter ab omnibus Philoſophis eſt creditum, & aſſertũ, datos nobis animos à Deo, ex eius Diuinitate decerptos, habere nos cum eo ſimilitudinẽ, inde fieri ut immortales ſimus, longe q; res corporeæ, ratione creati. Illa quoq; uetuſtiſſima fama, quòd ſint uirtuti, & ſceleri præmia poſt mortem, cũ mirificè reſpondeat reuelatæ cœlitus ſapientiæ, ſimilem quandã originem, fontem q; ex quo fluxerit, autorẽ à quo manarit, habuiſſe neceſſe eſt. Ac quoniã in ſeipſa tota implicata, comprehenſa q; Theologia reuoluitur, ut ſit narrationis perfectus ordo, repetẽtur nonnunquã quæ ſuperioribus libris dicebantur. Primũ igitur quod de animis traditũ, celebre q; apud omnes gẽtes, Chaldæos, Aegyptios, Hæbræos, Græcos q; ſemper fuit, erat eos eſſe diuinos, id eſt, ſocietatẽ, communicationẽ q; habere cũ Deo, à ſedibus æthereis lapſos, ab ipſo Deo creatos, ueniſſe in corpora. Nã cũ eorũ ortũ in terra reperiri poſſe negarẽt, nec à quibus terrenis corporeis q; regionibus accederẽt in corpora, poſſet intelligi, neceſſariò diuinis à ſedibus nõ lapſum, ac ruinã, ut pleriq; poſtea ꝓpera ſuſpicati ſunt, ſed ortũ, ac originẽ innuẽtes, uenire prædicauerũt. Cũ aũt mortales oẽs, Ariſtotele autore, ſedẽ ſummi Dei cœlũ aſſurrarentur, animos quos à Deo

creari, & in corpora demitti dixerunt, ſenſerunt diuinam ac cœleſtem, non terreſtrem originem habuiſſe. Sed qui Paradiſum illum Moſaicum, quem Chaldæi, Aegyptij, totuſq; Oriens, tum in libris Moſis legerunt, tum per ſucceßionem naſcentis ab origine mundi doctrinæ, audierunt, ſuſpicati ſunt fuiſſe cœlum, ſedemq; diuinam: Adam, quem inde fugatum audiſſent, animam è cœlo in terram proiectam, corporiq; incluſam crediderunt, ad pendendas quorundam ſcelerum pœnas. Eoq; ferebant corpus dictum σῶμα σῆμα, id eſt, ſepulchrum animi: & fama antiqua peruenerat ad eos, ob magna quædam peccata, uiuere homines in corpore, cuius meminit etiam Plato. Ecce idem prauus ſenſus ex libris Moſis, qui omniũ antiquiſſimus, lectus ab omnibus fermè, inoleuit apud eos de terra inani, & uacua, quæ cũ cœlum, formasq; rerum, omnemq; ab infinito tempore creationem anteceſſiſſet, deus acceptam, in ordinem ſpeciesq; rerum prius incompoſitam redegerit. Sunt alia multa, quæ ſi prudens paulum deuiantia in ſuum locum reſtituerit, uerumq; & uetuſtiſſimum ſenſum aßignarit, uidebit noſtra eſſe, deterſaq; ſcabie, quam uel uetuſtas, uel prauus ſenſus intuliſſet, ab integris germanisq; fluxiße noſſet. Nam cum omnis antiquitas confeſſa ſit à Deo genus humanum habuiſſe principium, qui corpus & animum totiusq; corporis opificium crearit profectò declaratur eo, & theologia Moſis, ſimilem quandam à priſcis ſeculis deſcendentem ſparſamq; per omnes terras ſapientiam celebrem ſemper fuiſſe, firmasq; in ſenſibus humanis radices egiſſe cunctis originem, ortumq; ſuum Deo acceptum referentibus, quo & creatio mundi, omnium confeßione demonſtratur, & prouidentia.

Vt Pythagoras, & Archytas conſentiant hominẽ a Deo creatum, eiq; ſuper omnes animantes imperiũ datum. Et quod hæc fuit etiam totius ſcholæ ſententia. Cap. II.

HOminem igitur à Deo magnis dotibus inſignem, omnium animalium principem conditum, quod prodidit Moſes, Archytas Tarentinus, qui præcipuus è Pythagoreis fuit, pro tota familia Pythagoreorum, diuinis uerbis teſtatur: quæ etſi prolixiora ſunt, ut tamen, & mirabilem conſenſum: & unam ſemper fuiſſe religionem intelligamus, proponam: Iamblicho autore, de Secta Pythagoreorum: ἀνθρωπον πάντων ζώων, ὅτι πολλῶ γέγονε σοφώτατον, θεορῆτε γὰρ ἐνατὸς ὅτι, τὰ ἐόντα, καὶ ἵστάμαν, καὶ φρόνασιν, λάβεν ἐκ τῶν ἀπάντων, παρὸ καὶ ἐνεχάραξε, καὶ ἐπεσημήνατο τὸ θεῖον αὐτῷ, τὸ ζῆν παντὸς λόγω σύσημα φ᾽ ὧ τὰ τε εἴδεα πάντα ζῆν ἐόντα ἐνδεῖξαι, καὶ ταῖς σημασίας τε τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων, τοῖς μὲν γὰρ φθόγγοις τὰς φωνὰς τόπος ἀφώρισαι φαρυγξ καὶ στόμα, καὶ ῥῖνες. ὥσπερ δὲ τ φθόγγων, λί ὧν, τὰ ὀνόματά τε, καὶ ῥήματα, τυπόμενα συμαίνεται γέγονεν ἀνθρωπον ὄργανον, ἅτω δὲ καὶ τ νοημάτων. φ᾽ τοῖς ἐόντεσι ὁπιζομένοις ἔχομεν σοφίας. ἔσχε δοκεῖ μοι ἡμῶν πόθ᾽ ἁπξ καὶ γέγονε, καὶ συνέστα ὁ ἄνθρωπος, & ὄργανα, δὲ, καὶ δυνάμεις ἔλαφεν παρὰ ζῆν

παρὰ τῷ θεῷ. Quæ ſunt, Homo omnium animalium ſapientiſſimus eſt creatus, potens res conſiderare, & ſcientiam, ac prudentiam capere ex omnibus. Quoniã impreſſit, & indidit ei Deus omnium rationum plenitudinem, in quibus uniuerſæ rerum ſpecies continentur, & omnium nominum, ac uerborum ſignificationes. Nã ſonis locus uocis decretum eſt guttur, & os, & naſus: ſicut autem uocum: quibus nomina, & uerba formata ſignificantur, factus eſt homo organum, ſic item intellectionum, ſeu cogitationum in rebus uiſis eſt opus ſapientiæ. Hoc mihi uidetur fuiſſe aliquando ſicut fuit, quòd creatus ſit homo, & organa, facultatesq; accepit à Deo. Hæc Archytas, in qua ſententia credendum eſt, omnes Pythagoreos ipſumq; principem Pythagoram fuiſſe. Quod & ipſe Iamblichus apertè eſt confeſſus, dicens, καλῶς ἄρα κατάρχε τούτου τοῦ λόγου ὁ Πυθαγόρας εἰρηκὼς ὡς ὧν τὸ γνῶναι τε καὶ θεωρῆσαι πᾶς ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ θεοῦ συνέστηκεν. Bene, inquit, ſecundũ hanc rationem loquutus eſt Pythagoras, quod ad cognoſcendũ, & intelligendũ omnis homo factus eſt à Deo. Hæc igitur eſt illa Theologia, quæ ex ſucceſſione per omnes ætates deſcendit, & ratione, iudicioq; docente fuit cõparata, mirabilem membrorũ & ad loquendũ, corporeasq; actiones exprimendũ, & ad cogitandũ fabricã, opus eſſe cuiuſdã longè maioris, quàm humanæ ſapientiæ. Tradiderat aũt prior Pythagoras, oẽs corporis actus, omnẽ poſitũ, formãq; membrorũ ſpectare quidẽ in diuerſos, quibus uita ſuſtinetur, et agitatur, uſus, ſed rurſus omnia eòdẽ reuolui, ut uiuentes cogitemus et intelligamus. Eò aũt omnẽ cogitatũ tandem reſoluendũ ac finiendũ, ut cũ cogitemus, qui nos omniaq; nobiſcũ cõdidit, quod tanta ſapientia factũ fuit, ut nihil prætermiſſum ab eo ſit, quod ſapientis animalis, & intelligentis ædificiũ poſtularet: Qui potuerit effingere, formare, aperireq; locos, quibus & uoces formarentur inferius, ex earũ ſignificationibus acceptis, diuerſæ quas cernimus actiones exiſterẽt. Hoc quicũq; caſu, et abſente ſapientia factũ exiſtimet, næ ille lõgè ab omni ſapiẽtia abſens eſt. Eò igitur omnis humana deniq; ſpectat cõfeßio, ab omnibus ſeculis auditũ, et rationis inſtinctu perceptũ, unũ ſingulare eße Deũ, autorẽ, patrẽq; generis noſtri, à quo tota humana propago ſumpſit exordiũ, q debeat coli, adorari, cognoſciq; à creaturis ſuis, gratias immortales omnes illi perſoluere, qui nos uitæ, lucisq; participes lõgeq; omniũ animaliũ fecerit ſapiẽtißimos, eosq; dominos eorũ. Ecce enim quod traditũ eſt à Moſe, Datũ à Deo ſuper omnibus animãtibus ſuper omni terra, dominatũ homini. Qui, ſi rectè perſpicias, eſt is, quẽ dixit Archytas σοφώτατος, ſapiẽtißimus omniũ, quòd poteſt ſapientiã et prudentiã capere, quòd aptus formatus eſt ad cogitandũ, ad intelligendum. Hæc illa magna ſuper omnibus animãtibus excellentia, is dominatus. Nã cũ et uiribus corporis, et ſenſuũ ſagacitate illæ lõgè nos antecellãt, ſola ratione omniũ principe, & domina à nobis ſuperantur. In qua cum Deus maximè regnet, dominetur q;, ſapientiæ, prudentiæq; princeps, cui dedit rationem, ac ſapientiã, dedit ei ſimilitudinẽ, & partẽ eius quod ipſe eſt. Sicq; eſt apud Archytã, & Pythagorã, quod apud Moſem, Ad imagi-

nem ſuam fecit eũ. Appellat autẽ Deũ Archytas primo τὸ θεῖον, ſecundo τὸν θεὸν. Itaq; et Ariſtotelẽ uidimus, uidebimusq; illud ipſum τὸ θεῖον, creatorem hominis ab Archyta prædictum, declaraſſe: & quod Archytas de facultate loquendi, & intelligendi pronunciauit ab Ariſtotele de ſitu membrorum genitaliũq; ſocietate, quod & ipſum fuit ſummæ ſapientiæ, pronunciatum.

Quod hæc Pythagoreorũ, de homine diuinitus creato Theologia ducitur ab Aegyptijs: Et quod Mercurius Triſmegiſtus eam latius expreſſit. Cap. III.

HAnc Pythagoreorum de homine à Deo creato Theologiam, alios fontes, aliam originem habuiſſe, ab altioribus ſeculis fluxiſſe, ad eos autem tanquam minores, Barbarisq; poſteriores, uelut hæreditariã deſcendiſſe, declarat Mercurius Triſmegiſtus, à quo fortè Pythagoras, quem uiginti duos annos in Aegypto peregrinatum refert Iamblichus, edidicit. Triſmegiſtus igitur latius in hanc Theologiã, uelut loquendi dulcedine raptus, inundauit ueluti dilatans ea, quæ Moſes compẽdioſe, ut integerrimus hiſtoricus, ſcripſit. In eo qui inſcribitur, quòd Deus inuiſibilis, ſit ex operibus manifeſtus: νόησον ὦ τέκνον δημιουργόμενον ἐν τῇ γαστρὶ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸ δημιούργημα θεοῦ ἀκριβῶς τῷ τέχνῳ ἐξέταζον, καὶ μάθε τίς ὁ δημιουργὸς τοῦ καλοῦ τούτου καὶ θείου ἀνθρώπου εἰκόνα. τίς ὁ τοὺς ὀφθαλμοὺς πολυγλαφας. τίς ὁ τὰς ῥῖνας, καὶ τὰ ὦτα τρυπήσας, τίς ὁ τὸ στόμα διανοίξας, τίς ὁ τὰ νεῦρα ἐκτείνας, καὶ διεσμεύσας, τίς ὁ ὀχετεύσας τὰς βλέφας, τίς ὁ τὰ ὀστέα στερροποιήσας, τίς ὁ διέρμα τῇ σαρκὶ περιβαλὼν, τίς ὁ τοὺς δακτύλους διελὼν, τίς ὁ τοῖς ποσὶν βάσιν πλατύνας, τίς ὁ διορύξας τοὺς πόρους, τίς ὁ τὴν ἀορτὴν ἐκτείνας. τίς ὁ τὴν καρδίαν πυραμοειδῆ ποιήσας, τίς ὁ τὰ νεῦρα σωθεὶς, τίς ὁ τὸ ἧπαρ πλατύνας. τίς ὁ τὸν σπόνδυλον συραγγώσας, τίς ὁ τὴν κοιλίαν εὐρύχωρον ποιήσας, τίς ὁ τὰ τιμιώμενα εἰς τὸ φανερὸν ἐκτυπώσας, καὶ τὰ αἰσχρὰ κρύψας. ἴδε πόσην τέχνην μιᾶς ὕλης, καὶ πόσα ἔργα, μιᾷ προσγραφῇ, καὶ πάντα πολυκαλῶς & πάντα μεμιγμένα, πάντα δὲ ἐν διαφορᾷ, τίς πάντα ταῦτα ἐποίησε. ποῖα μήτηρ, ποῖος πατὴρ; εἰμὴ ὁ ἀφανὴς θεὸς, βουληθεὶς αὐτὸς θελήματι πάντα δημιουργήσας, καὶ ἀνθρώπου τὴν εἰκόνα, χωρὶς ἀνθρώπου τοποθετῆσαι ζωγράφος δὲ εἰς φυσὶ γεγονέναι, οὔτε δὲ δημιούργημα χωρὶς δημιουργοῦ γέγονεν; ὦ τῆς πολλῆς τυφλίστητος, ὦ τῆς πολλῆς ἀσεβείας, ὦ τῆς πολλῆς ἀνοησίας: Quæ ſunt, Cogita ô fili hominẽ in utero materno compoſitũ, totãq; opificij artẽ diligenter perpende, & diſce quis ſit opifex, qui hanc hominis pulchrã, diuinãq; imaginem fecerit, quis oculos formauerit, quis nares, et aures terebrauerit, quis os aperuerit, quis neruos tetenderit, & ligauerit, quis uenas irrigauerit, quis oſſa ſolidauerit, quis pellẽ carni circũdederit, quis digitos diſtribuerit, quis pedibus ingreſſum, uel plantã dilatauerit, quis poros aperuerit, quis lienẽ tetenderit, quis cor figurã pyramidis habere fecerit, quis neruos compoſuerit,

quis pul-

quis pulmones cauernoſos fecerit, quis uenterm dilatauerit, quis honeſtiores partes in propatulo poſuerit, obſcœnas abſconderit. Aſpice quot artes unius materiæ, quot opera una circumſcriptione, cuncta q; pulchra, cuncta cum menſura, cuncta ſeorſum. Quis hæc omnia fecit, quæ mater, quis pater, niſi inuiſibilis Deus, qui ſua uoluntate cuncta operatus eſt? At ſtatuam, uel imaginem, ſine artifice, aut pictore, nemo dicet extitiſſe. Hoc ergo opificium fuit ſine opifice? O cæcitatem incredibilem, ô magnan impietatem, ô incredibilem ingratitudinem. Hæc & alia pleraque Triſmegiſtus, quæ uidiſſe, imitatum q; Pythagoram, Pythagoreos q;, ueriſimile eſt, ſicut uidit, & ſecutus eſt magna ex parte Plato. Similiter Triſmegiſtus, quod in primo libro poſitum fuit diuinam hanc edidit uocem: ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ καὶ φύσις ἃ τεκνύσετο ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου. Omnium, inquit, pater, genetrix q; Mens, cum ſit uita, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem tanquam propriam prolem dilexit. Aegyptia igitur, Græca q; Theologia, conſpirant cum Hebraica, de homine creato à Deo. Veriſimile autem eſt eam ſcientiam ab ipſo generis humani principe ad omnem poſteritatem propagatam, tradentibus inuicem eam ſibi priſcis, plenam que eius omnium aures fuiſſe, nulli non perſpicuam, non celebrem, nulli nationi, ab uno cunctis natis, non perceptam extitiſſe.

Poëtas antiquos, quos ſecutus eſt Ouidius, Moſaicã de homine diuinitus creato, ſententiam confirmaſſe, id q; etiam Cornutum aſſerere. Cap. IIII.

HAnc famam item à Moſe primo manantem, apud omnes autem tum ex eo libro nobilem, tum ex illo primogenito, tot quibus uixit ſeculis uociferante ſe manibus diuinis compoſitum, corpus ex illo primæuo limo ſumptum, animum autem diuinitus inſpiratum, declarat ea, quæ tanquam fabula habita eſt apud Græcos: ſed ſi quis & nomen artificis, & rationem totius rei, tum ſapientum teſtimonia noſcat, non fabula ſed à primordio rerum fama uera, à primis genitoribus in omnes ab eis ſatas nationes ſparſam, de Prometheo, qui corpus humanum ex limo iuxta Theologiam Moſis informarit. Hunc igitur fuiſſe uerum Deum, Deum inquam illum Moſaicum, & Platonicum, uniuerſitatis artificem, cuius ſuprema in tota creatione manus fuerit humana creatio, declarat & ipſum pulcherrimum, mirabile q; nomen. Siquidem Græcè Prometheus, eſt ſapiens, prouidus, unde προμηθέα, inſignitus à priſcis hoc nomine, ob mirabilẽ illam, quã Triſmegiſtus expreſſit ſapientiã, tũ ipſa ſermonis ratio. Nam in hunc modũ loquitur ueteris huius famæ interpres Ouidius:

Sanctius his animal, mentis q; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Siue recens tellus, ſeducta q; nuper ab alto.
Aethere cognati retinebat ſemina cœli,

Quam

Quam ſatus Iapeto, mixtam fluuialibus undis
Finxit in effigiem dominantum cuncta Deorum.

Duas de creatione hominis proponit ſententias. Prior eſt, ut ab eo ipſo, qui fuit mundi melioris, id eſt, eius mundi, qui poſt Chaos ſucceſſit, origo, diuino ſemine fuerit ſatus. Semen autem diuinum, cœleſte, ætherium, non terreſtre intelligas: Altera, ut è terra recenti, quæ paulò antè à cœleſti materie direpta, retineret adhuc calorẽ, cœleſtemq; bonitatem. Nec in hac duplici ſententia diuerſitas eſt opificis, ſed materiæ, ex qua creare potuerit homo. Illum igitur, quem melioris mundi dixerat originem, aſſerit humanũ corpus non ex diuino ſemine, ſed terreſtri materie creaſſe, appellans poſtea Prometheum, quem paulò antè mundi melioris originem. Nam ſi fuit mundi melioris origo, maxima autem melioris mundi pars eſt humanum genus. etſi certos uentis, & mari terminos ad hominum utilitatem, & ut terra compleri poſſet, dedit, certè is quoq; fuit humanæ naturæ repertor. Etſi item, eodem Poëta autore is prouidit,

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæq; Deorum,
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ,
Terra feras cepit, uolucres habitabilis aër.

Quibus oſtenditur, eũ omnes mundi partes animalibus repleuiſſe, piſcibus aquas, feris terras, cœlum ſideribus, aëra uolucribus. Cur non etiam humanã ſtirpem, quæ paſſim terrarũ omnia loca latè replerentur, ſine qua deſerta omnia, plena feris, dumiſq;, inculti quoq; agri erant futuri, condidit? Cui tribuis igitur creationẽ, quã clamans mundi melioris originem, & quem facis autorem cæterarũ rerum, eundem ſtirpis humanæ principatũ in cunctis obtinentis, facias neceſſe eſt. Qui fecit uniuerſalia, qui formas rerum maiorũ, qui terminos, ſitusq; omniũ rerũ præſcripſit, oportet & particularia feciſſe. Cogeris etiam, niſi aberrare, falli uelis, illius ordinẽ ſequi Theologiæ, à qua cætera quoq; didiciſti. Didiciſti autem hæc ab Aegyptijs, & Phœnicibus, hi ab Hebræis, & Chaldæis, à Moſe, Abraham, Noë, multarũ gentiũ progenitoribus. Hi tradiderant ab eodem mundano opifice totam rerũ gentem, no uiſsimè autem, tanquam regem in palatium, exædificatum, aulæis, rerumq; uarietate decorum, hominem, quem creaſſet introductũ. Sed hæc notiſsima. Et Græci priſcorũ Theologiam, in qua ſub ſcyrpis, & ænigmatis ſublimia, grandiaq; latitant, enodantes, teſtantur Prometheum eſſe diuinam prouidentiam. È quibus Cornutus: παραδεδομθώτοινυν γώθγν ὅτι ὁ προμηθεὺς ἔπλασεν ἐκ τῆς γῆς τὸ πᾶν ἀνθρώπων γένος, ὑπονοητέρα προμήθια εἰρηδὴ προμήθειαν τῶν ὅλοις ψυχῆς. λῶ ἐκάλεσεν οἱ νεώτεροι πρόνοιαν. ἡ γὰρ ταύτης πάντα ἄλλα ἐγένοντο, ἐκ τῆς ἔφυσαν οἱ ἄνθρώποι ἀπὸ τυδίως πρὸς ἔχόσης κατ' ἀρχὰς, τὸ κόσμε συστάσεως: Quod autem traditur Prometheum finxiſſe è terra, omne hominum genus, intelligendum, Prometheum appella-

appellatam prouidentiam animæ uniuerſalis, quam iuniores uocarunt Prouidenti/
am. Secundum enim hanc homines è terra ſunt nati, aptè ſeſe in mundi exordio ha
bente. Hæc ille. Sed non prorſus omnia uerè. Nam nec Ouidius, neq; Græci, neque
Phœnices aut Aegyptij tradiderant homines è terra natos, ſed Prometheum accep
tum limum finxiſſe ad imaginẽ Elohim, id eſt, dominatoris, Dei omnipotentis, illius
ſcilicet, qui potenter omnia crearat. Illud uero mirabile eſt, ut Mercurius Triſmegi
ſtus, Archytas, Pythagoras, Poëta uno conſenſu pronuncient. Nam quod ait Poëta
præcipuè illum hominis formatorem cogitaſſe, ut eſſet ei os ſublime, cœlumq; con/
trà quàm aliæ animantes ſuſpiceret, eſt quod Archytas paulo antè, hominem omnis
ſcientiæ, & intelligentiæ capacem factum à Deo. & Pythagoras à Deo creatum ad
contemplandum: preſſiusq; idem admonens iubebat Iamblicho autore φιλοσόφε
τὸν οὐρανὸν ὁρῶν, philoſophare cœlũ ſuſpectans. Quod fecit uates diuinus, e/
rumpens in hanc uocem, Cœli enarrant gloriam Dei. Mercurius autem docens,
quòd Deus inuiſibilis ſit ex operibus manifeſtus: εἰ θέλεις αὐτον ἰδεῖν, νόη/
σον τὸν ἥλιον, νόησον τῆς σελήνης δρόμον, νόησον τῶν ἀστέρων τὴν
τάξιν: Si uelis eum uidere, aſpice Solem ſuſpice Lunæ curſum, conſidera aſtro/
rum ordinem. Hoc igitur eſt, cur Opifex os homini ſublime dederit, & erectos ad
ſidera uultus, ut artificem cœli, tantorum que luminum, tantæ rationis, & mode/
raminis inuentorẽ, in ipſo mirabili opere, qui natura ſit inuiſibilis, nec tangi potens,
agnoſceret, repeteret que artificemq; ſuum. Et Plato, maximam utilitatem oculo/
rum à Deo datam. Rerum, inquit, optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt.
Nam hæc, quæ eſt habita de uniuerſitate ratio, à nobis haudquaquam eſſet inuen/
ta, ſi neq; ſidera neque ſol, neq; cœlum, ſub oculorum aſpectum cadere potuiſſent.
Nunc uerò dies, noctes que oculis cognitæ, tum menſium, annorumq; conuerſio/
nes, ad numerum machinatæ ſunt, & ſpatium temporis dimenſæ ſunt, & ad quæ/
ſtionem totius Naturæ impulerunt, Eadem Tullius: Qui primum eos humo excita/
tos, celſos, & erectos conſtituit, ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere
poſſent. Sunt enim è terra homines, non incolæ, atque habitatores, ſed quaſi ſpe/
ctatores ſuperarum rerum, atque cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud
genus animantium pertinet. Sic græcè dictus ἄνθρωπος, aſpectus in altum, ſubli/
mis aſpectans. Quoniam igitur datur à Poëta Deo mundanum opificium, datur li/
tis, ac diſcordiæ, qua pugnabant inter ſe turbabãturq; elemẽta concordia. Hanc De
us & melior litem Natura diremit. Dicitur item eius cura, & prouidentia, in uarias
cœlum, ac terras diſtinctas plagas: diſtinctas autem ad habitandum, quoniam dedit
temperiem duabus, calore et frigore adhibito, certè idem feciſſe hominẽ neceſſe eſt,
cui fecerit, paraueritq; antea commodum ad habitationem locum. Propterea nouiſ
ſimè ſatus eſt homo, qui dominari inter cætera poſſet. Si autem Deo tribuis ignobi/
liora, locum ſedemq; mundi eum poſuiſſe, animalia bruta creaſſe, cur detrahis o/
mnium creationem? Sed neceſſe eſt eum, cuius cogitatio in eo potiſſimum inſtiterat,

ut alicuius

ut alicuius cauſa poneret, & diſtingueret orbem, compoſitisq; rebus, locisq; cuiq; ſuis deſignatis, eſſet pulcherrimus, & habitabilis mundus, ipſe idem manum impo neret cogitationi, quæ fuit ut propter habitatorem, qui creatorem item ipſum ſuſpi ceret, pararet, ut ſic dixerim palatia, domosq; mundi. Ecce igiur mirabilis cum ue ra Theologia, quæ mater fuit Græcis, iunioribusq; Latinis ſapientiæ, conſenſus. Scri bit Moſes, Et homo non erat, qui operaretur terram: Poëta uerò:

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.

Apud Moſen, Non erat: Apud Poëtam, Deerat adhuc. Opinari autẽ terram, quod colere, qui poſsidere, inhabitareq; ut dominum deſignat, eſt quod Poeta, Quod do minari in cætera poſſet. Idcirco & apud Moſen, Replete terram, ſubijcite eam, do minamini piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuerſis animantibus, quæ mouen tur in terra. Quid clarius, & conformius? Sanctum autem animal, quia mentis ca pacius altæ, quod caperet illam altiſſimam, æternamq; mentem, quæ mundi fuit ori go. Mentis item altæ capacius, alterius ingenij, maioris animi, ratione plenum ani mal: ut Marcus, ut Plato in Timæo, ζῷον τὸ θεοσεβέστατον, animal piiſſimum, Dei colentiſſimum, imago Dei. Proinde is finis, ea ſuprema cogitatio, ut naſceretur qui coleret Opificem, admiraretur, ſidera ſuſpiceret, Solem, Lunamq; intueretur, non ut Deos quidem, ſed ut à Deo ſapientiſſimo creata, ut retro omnes: ut ex uiſi bilibus inuiſibilem noſceret. Et, ut ait Philo, τῶν μὲν ἄλλων τὰς ὄψεις περιήγα γε κάτω κύ | ας, διὸ νένευκε πρὸς χέρσον, ἀνθρώπου δὲ ἐμπαλιν ἀνώ θωσεν ἵνα τὸν οὐρανὸν καταθεᾶται. Cæterorũ, inquit, oculos interius depreſ ſit, eoq; nutant in terram: contrà, uultum humanum eleuauit, ut cœlum aſpiceret.

Quod etiam Chaldaica Theologia confirmat hominem a Deo creatum, animamq; exterius infuſam in corpus. Et quod idem aſſerunt Aegyptij Philoſophi, & item oraculum Apollinis. Cap. V.

ORacula Chaldæorum, Sibyllarumq; non aliud uociferantur, quàm hominem à Deo creatum. E quibus eſt illud, quod à Platonicis item profertur: ταῦτα πα τὴρ ἐνόησε, βρότος δ' ἐν ἐψύχωτο: Hæc pater cogitauit, mortalis autem eſt ei animatus. Eſt autem ſicut apud noſtros ſic item Platonicos & priſcos omnes, i pſum quoque Ariſtotelem, cogitatio, ſiue intellectio diuina, operatio. Omnis enim operationis initium à cogitatione ſumitur. Hac mouente manus, manibus organa, operationes noſtræ peraguntur. Sed Deus, qui tum manibus non indiget, tum im menſæ poteſtatis eſt, cogitat quidem & ipſe, & uult, tranſit autem ſic in omnem naturam corpoream, per quam omnem diffuſus eſt, eius cogitatio, ſicut ſubita no ſtra cogitatio, ac uoluntas peruenit ad manus, & pedes: perinde autem res omnes ſubiectæ ſunt, parentque Deo, terreſtres, & cœleſtes naturæ, ſicut corpus cuilibet ſuum, cuius mouendi initium eſt uoluntas. Sic autem licebit illa diuina percipere, ſi uoluntatem cogitationemq; humanam, minimam & imbecillam, conferas cum ua ſta illa, immenſaq; Dei, ad cuius motum poſsint omnia concitari: Etſi item cernas

multorum

multorum hominũ uoluntatibus ex conſenſu una effectis, tot corpora ut unum mouentem fieri ſubitò ingens aliquod opus: Sic uoluntas, cogitatioq; diuina, longè q̃ multorum mortaliũ coniurata uoluntas excellentior, ad cuius motum multo plura, ac maiora corpora cieri poßint, operatur ingentia, incredibilia, admiranda. Hoc ait oraculũ, Patrem, opificemq; mundi hæc omnia, quæ cernimus, in quibus eſt humana progenies, cogitaſſe, uoluiſſe, ſubitoq; creata apparuiſſe. Subitò mortalẽ animatum, extemplò creatum Adam, diuina uoluntas eum protulit in lucem, inſpirauit in faciem eius, & factus eſt in animã uiuentem, quod Chaldæus ἐνψύχωτο, animatus eſt. Inſpirationẽ Chaldæus intimè in Philoſophiam, et initia rerũ penetrans, interpretatur uoluntatem illam, cogitationemq; diuinam. Hoc igitur teſtimonio, duo, quæ docuit Theologia Moſaica, noſcuntur, corpus ſeorſum, & animam ab uno, eodemq; Deo, mundano q; opifice creata. Corpus à Poëtis, ſicut ab oraculo dicitur Græcè θροτὸς, mortalis, deuorabilis, tempori ſubiectus edaci. Illud uidelicet quod ſumptũ eſt ex limo terræ, & quod in cinerem reuertitur. Hoc, inquit, animatum fuit à Patre, ſicut dicitur in Moſe, & Pater mundi, fuit item hominũ, qui corpus eorum, et animũ procreauit. Hæc item fuit priſcis uulgata Theologia. Eoq; Aſclepius Theologus in ea, quæ appellatur Hymnodia, ad Animonẽ regem inquit: θεῷ μὴ ϖανακηράτῳ καὶ ϖατρὶ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, πρὸς μυρίων σωμάτων καὶ φονῶν, τῆς εὐφημίας ἀναφέρεσθαι πρέπει. Deo, inquit, undequaq; incorruptibili, & patri noſtrorũ animorũ ab omni lingua, et uoce, gratiarũ actionem referri conuenit. Ecce patrẽ animarum uocat, & creatorem. Videlicet quod Chaldæus animatorẽ, uiuificatorem, fontem noſtrorũ animorum. Iuſtinus item teſtatur oraculũ, ὅτι τὸ παρ' ὑμῖν χρησήριον ἀξίωσεν ὑϖό τινος, ὑμνοῦν ϖαντοκράτορος ἐνδίδυναι θεοῦ, ὅτως ἐν μέσῳ τῷ ὕμνῳ ἔφη. ὅτι πρῶτος ϖλάσας μερόϖων ἄλλαμ δὲ καλέσας, ὃ τοῦτο σώζεσθαι τὸν ὑμνὸν ϖαρὰ ϖολλοῖς, οἷς ἴσμεν, συμβαίνει: Quod apud uos oraculũ rogatũ à quodam ut hymnũ Dei omnipotentis concineret, ſic in medio hymni dixit, Quòd primus hominũ formator Adam uocauit. Et hunc ſeruari hymnum, apud multos quos ſcimus, contingit.

Sententia Platonis de homine diuinitus creato, & quòd in Timæo formationem corporis attribuens minoribus Dijs, poeticè potius dixit, in alijs locis tribuens totum opificium ſummo Deo. Cap. VI.

SAepe ſubit admirari, ut multarum in ſacris literis traditarum rerum fama in omnes gentes progreſſa, quoniam & à longinquis temporibus deſcenderet, & autorem apud eos certum non haberet, adulterata fuerit, præcipuum Græcorum uitium, qui Barbarorum uti maiorum Theologiam æmulati, malè perceptam, temporum diuturnitate iam obſoletam, fabulis ſæpe peruerterunt. Veluti quod paulò antè de Prometheo, & Gigantibus, quod turris ædificium fuit, congeſtos montibus mõtes fuiſſe diuulgarunt. Et columbã ex arca à Deucalione, quod Plutarchus retulit, emiſſam. Et lapſum animorũ in hunc mundum è Paradiſo in corporis carcerem, ad pœnam ſceleris incluſorũ. Igitur & Plato, cum ex ſacris literis audiſſet,

Deum

Deum creaturum hominem, quaſi circunſtantibus quibuſdam dixiſſe, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. ipſe qui totam Theologiam ſuam à Pythagoreis, & Aegyptijs, certisq; per omnes ſermonibus obambulanti/bus deducebat, introducit mundanum illum Opificem cum Dijs iunioribus, quos ipſe paulò antè procreaſſet, loquentem ſuper hominis creatione, iubentemq; eis ac cepta ab ſe immortali anima, in corpus, quod ipſis effingere mandaſſet, inſerere, humanæ creationi fermè duos adhibens opifices, ſupremum Deum animi creato/rem, & Deos iuniores, quibus idem iubeat corpus informare. Hæc eleganter, ut omnia, Marcus Tullius, qui Timæum Platonis fecit Latinum, è quibus pauca de/libabo: Tum ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur, Hæc uos, qui Deorum ſatu or/ti eſtis, attendite, ut mortali generentur conditione, uos ſuſcipite, quorum uobis ini tium, ſtatus traditur à me. Vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Paulò pòſt, Pòſt autem eam ſationem Dijs, ut ita dicam, iunioribus per/miſit, ut corpora mortalia effingerent, quantumq; eſſet reliquum ex humano ani/mo, quod deberet accedere, id omne & quæ ſequentia eſſent, perpolirent, & ab/ſoluerent. Itaq; cum accepiſſent immortale principium mortalis animantis, imi/tantes genitorem, & effectorem ſui, particulas ignis, & terræ, & aquæ, & aëris à mundo, quas rurſus redderent mutuabantur, easq; inter ſe copulabant, haud iſſ/dem uinculis quibus ipſi erant ligati, ſed talibus, quæ cerni non poſſent, propter paruitatem. Aliaq; multa proſequitur Plato. Totus locus ſumptus eſt ex libro Mo/ſis, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, Siquidem etiam nonnulli Hebræi ferunt eum cum Angelis, quos paulò antè creaſſet, tunc locutum. Et Philo Iudæus, quos Philoſophi Dæmones uocent, Angelos dicit in ſacris literis appellari. Imaginem autem, & ſimilitudinem, imitationem illam credidit Plato. Hanc igitur eius ſententiam, qua ſeparatur creatio, ut aliud fecerit Deus maximus, aliud Dij minores, manifeſtæ rationes coarguent. È quibus erit prior, quòd ipſe ſibimet contradicit: ſecunda, quòd præter Theologiam maiorum, à quibus edidi/cit, hanc fabulam confinxit. Demum quòd ratio his quæ dicit aperte refragatur. Coarguat igitur Platonem Plato, cui refellendo ſufficeret, quòd quæ Barbari do/cuiſſent non clarè percepit, ſuſpicione ad alia longè declinante, quàm fons ipſe, cu ius riuulus fluxit Theologia Græcorum, ſapuiſſet. Quippe ſi uel concedam illum apud Moſem parentem mu idi, cum iunioribus Dijs fuiſſe locutum, non protinus eos aſciuiſſe adiutores ad creandum, opemq; quaſi eorum imploraſſe contendam: Aut eum dedignatum corpus attrectare, collectisq; ex quatuor elementis particu/lis, fabricari, eam miniſtris ſuis prouinciam delegaſſe. Probarem enim optimis, na turæq; maximè conſentan eis rationibus, nihil eſſe in toto mundo homine nobi/lius, ut qui crearit indignioris, minorisq; ponderis res, multo facilius admouerit no bilißimæ conditioni manus. Omnibus enim elementis melior eſt homo: corpora ue rò cœleſtia cum manifeſtò deſeruiunt humanis commodis, quia facta ſunt etiam

autore

autore Platone, ut lucerent ſuper terram, ac motibus eorum perceptis, tempori-
busq; diſtinctis, hominum negocia in terris regerentur, eſſetq; rebus humanis cer-
tus ordo, profectò uidetur id melius, ac nobilius eſſe, cuius utilitas impulit autorẽ
ad creationem cœli. Qui ſi cœlum creauit, multasq; corporeas formas exemit ex
illa congerie, certe fecit etiam quod eſſet animal nobiliſſimum, ac ſanctiſſimum, ut
idem aſſeruit. Ad hæc non uidetur unius eiuſdemq; rei ſeparanda, duobusq; quaſi
opificibus tradenda creatio. Nam cum nulla cauſſa ueriſimilis afferri poſſit, cur
ſapiens ille Deus refugerit humanam conditionem, niſi uidelicet quòd corpus hu-
manum corruptibile ſit (indecorum ſit autem ſummum opificem rei incorruptibi
lis autorem fuiſſe: quod quidem nihil ad dedecus Opificis ſpectat) ſanè ueritati plu
rimum conſentit, ut ſit animi, ac corporis quorum eſt admirabilis coniunctio, idem
artifex. Eſt autem diuinum corporis opificium, fuitq; ſapientibus ſemper ſtupori,
& admirationi. Ac niſi quòd incorruptibilis naturæ eſt cœlum, ad ſapiẽtiam cer
tè artifici, nihil illic eſt humano artificio excellentius: Nemoq; fuit, uel ante, uel
poſt Platonem, cui fabula hæc in exponenda hominis creatione arriſerit, nec à ſum
mo Deo præclara conditione creatum ſenſerit hominem, cuius corpus, etſi morta
le eſt, prouiſum tamen mirabili ſapientia fuit, quod etiam eſt Ariſtoteles confeſ-
ſus, ut in re cõrruptibili, ſempiterna quædam eſſet ſucceſſio, dum ſemen inuicem ſi
bi corporibus tradentibus, exiſtit hominum perennis progenies. Quod æquè diui-
num eſt, ac ſi in uno eodemq; corpore æternitas fuiſſet. Sed non eſt mihi cõtra Pla
tonem ſuper hac re diſſerendum, quem quaſi poëticè potius, &, ut pleraq;, ſub fa-
bulis ſcripſit, quàm phyſica, conſtantiq; ratione apparet locutum. Nam neq; ſer-
mo ille Opificis mundani cum minoribus Dijs, uerus eſt, neq; materiæ cœleſtis,
ad eum, quem tradidit modum, ſectionem fas eſt intelligi. Dij quoq; minores nuſquã
ſunt: quia ut docuit antea, non Dæmones illi, ſed homines fuerunt. Ipſum duntaxat
aliter in Timæo, & alijs locis loquentem, & Deum autorem hominis confitentẽ,
iuxta ſuperiores, quibus operam dedit, Philoſophos, rationibus omiſſis, audire ſa-
tis erit. Licet igitur Plato tradat Deos minores à Deo paulò antè ſatos ipſius im-
perio, corpus humanum finxiſſe, ubiq; tamen quaſi ueritate eum à ſuperſtitione
reuocante, tribuit hoc mirabile opificium ſummo Deo. E quibus eſt in eodem Ti-
mæo, quod Deus fecit iecur aptum ad excipiendas rerum futurarum imagines:
τοῦτῳ δὴ θεὸς ἐπιβουλεύσας, ἀυτοῦ πλὼ τοῦ ἥπατος ἰδέαν ξυνέστησε.
& quæ ſequuntur. Videlicet hoc igitur Deus conſiderato, ipſius iecoris formam fa
bricatus eſt, & poſuit in eius conſtitutione denſitatem ac læuorem, & perſpicui-
tatem, dulcedinemq; & aſperitatem. Paulò etiam pòſt, hunc ipſum ſummum Deum
refert medullam, in qua animæ eſſent, ex elementis collectam, compoſuiſſe. Hæc,
inquit, elementa Deus ſingula à ſuis generibus ſecernens, miſcensq; ad proportio-
nem inuicem, ſatum uniuerſalem omnis mortalis generis excogitans, medullam ex
eis operatus eſt, & deinde ei genera animarum demiſit inſerta. Hic audis totam

materiam, Deum componentem, & optimam quamq; elementorum partem in me dullam, quæ animarum fundamentum eſſet, ubi ſpuma genitalis, miſcentem, ac temperantē. Paulo poſt exponit quomodo noſter κηρωπλαστὴς, formator, fictor, compoſuerit, carnē et oſſa et neruos, ex quibus ue elementis, quantáq; proportione. Vnde factum, ut fluxiorē, ſed quæ magis contendi poſſet, quàm carnis, molliorem autem quàm oſſium, uim nerui habuerint. Quibus, inquit, oſſa circunducens & medullam alligans ad inuicem neruis, demum carnibus ea operuit deſuper. Deinde ipſum eundem dicit neruos ad extremum capitis adligaſſe: διὰ ταῦτα, νὴ οὕτως ὁ θεὸς, ἐπὶ ἐσχάτῳ κεφαλὴν περισπάσας. et quæ ſequuntur. Neruos ob hæc, & hac ratione, Deus ad extremum caput circumactos, circa collū ſimili modo deuinxit. Et extremas mandibulas eis alligauit ſub faciem, reliquos in omnia membra diſtribuit, alligans articulū articulo. Demū Plato dicit, Deum, quò traijceret humor ex uentre ad uenas, abuſum aëre, & igne. Totamq; interiorem illam membrorum rationem diuinitus explicat, referens in Deum. In quibus euidentiſſimè uniuerſam illam ſuperius poſitam à Mercurio Triſmegiſto hominis creationē declarauit, ſecutusq; eſt adamuſſim, explicans, aperiensq;, quæ breuiter Mercurius pronuncaiſſet, ex hisq; in admirationem Opificis, omnes incitaſſet. Quocirca cum & in Timæo & ubique fateatur animam à Deo creatam, & habere cum eo ſimilitudinē, & affinitatem, quod etiam affirmat Ariſtoteles, uidetur planè rationi conſentaneum, ut qui fecit meliorem partem, etiam ipſum mirabile, ſapientiſſimæq; intelligentiæ opificium conſtruxerit. Hoc ueritate cogente non modò in Timæo, ſed alijs locis confeſſus eſt, ut quod in ſecundo de Republica tradidit à Deo nata, & facta omnia, cœleſtia & terreſtria, Deos, & homines. Et in ſeptimo de Legibus diuinitus ſic eſt de Deo, & homine, & quod intereſſet, locutus: Natura Deum quidem eſſe omni beato ſtudio dignum, hominem uerò ludum quendam eſſe Dei, uereq; id optimum eius fuiſſe. Hæc Plato. Cuius uidetur eſſe ſenſus, in Deum, reſq; diuinas, omne ſtudium eſſe conferendum. Dignum enim eum eſſe, in quo colendo omnibus conatibus, & ſtudijs utamur. Hominem autem eſſe longè Deo inferiorem, quippe qui ſit res ab eo ueluti iocularis effecta, ut quaſi luderet, cum machinatus eum eſt, ueluti ſi pictor, aut ſtatuarius aliquod opus effingeret. Græcè enim παίζειν, ludere, uidetur eſſe etiam creare, gignere, unde παῖδες, filij, proles, dicti pignora Latinis. Sic fuit homo, quaſi filius, et proles Dei, ſed μεμαχημένος, machinatus, fabricatus, factus. Idq; ait Plato fuiſſe omnium, quæ Deus facere poſſet, optimum, ac præcipuum. In tertio quoq; de Republica, non Dæmones, ſed Deum ſupernū innuit hominem creaſſe, cumait, quòd Deus formans homines, alijs aurum id eſt, mentem, admiſcuit plurimum, alijs argentum: ἀλλ' ὁ θεὸς πλάττων, ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν, χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς. διὸ τιμιώτατοι εἰσὶν. ὅσοι δὲ ἐπίκουροι, ἄργυρον, σίδηρον δὲ καὶ χαλκὸν, τοῖς τε γεωργοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς: Deus, ait, fingens qui ad imperandum creabantur, aurū in eorum ſatu admiſcuit,

admiſcuit. eoq; ſunt pretioſiſsimi, qui cuſtodes & adiutores argentum, ferrum, porrò & æs agricolis & cæteris opificibus. In ſexto quoq;, non Dæmones aſciuit, ſed ut Moſes, & Triſmegiſtus priores, uerũ Deum hominis opificem. Hunc ait, ſenſum uidendi feciſſe copioſiſsimũ, multarumq; rerum capaciſsimũ, uidelicet quod omnes, os ſublime dedit, ut caperent notionẽ Dei. Nunquid, ait, ἐννενόηκας τὸν τῶν ἁπάντων καὶ ὁρατῶν δημιουργὸν, ὅσῳ τελειότατην τῶν ὁρατῶν καὶ ὁρᾶσθαι δυναμιν ἐδημιούργησεν? Quod eſt, Conſideraſti ſenſuũ artificem, quàm locupletem fecerit uidendi facultatem? Senſit igitur cum ſuperioribus Theologis, tota que ante eum hominum Philoſophia.

Quod Ariſtoteles mirifice conſentit cum Theologia Moſaica, hominem a Deo conditum, formatumq; corpus, datam ſexus uarietatem, animam autem exterius inſpiratam. Cap. VII.

SEnſit etiam quæ ſuperiores, ſi quis prudenter dicta eius perpendat, non pertinacium tempeſtatis huius Peripateticorum more, in quibus quo plus eſt inſcitiæ, plus etiam temeritatis, & arrogantiæ, mordicus dogmata certa eius defendat, aut uerius deprauet Ariſtoteles. Triaq; ſunt præclara, euidentia, manifeſtaq; de creatione hominis à Deo ſiue animi, ſiue corporis, apud eum teſtimonia. Vnum uniuerſale duo particularia: Ex his duobus alterũ ad animũ ſpectans, alterũ ad corpus. Quæ et ſi produximus ſuperius poſcit tamẽ ordo, ut huc reuocentur. Dicebat in libris de Generatione & interitu, quod cùm res terreſtres & corruptibiles plurimũ diſtarent à principe Deo immortali, & incorruptibili, nec capere res terreſtres in indiuiduis immortalitate poſſent, Futurum fuiſſe, ut res creatæ breui circumacto temporis interuallo, migrarent è uita. Huic malo ſapientiſsimũ Deum ſic prouidiſſe, ut inchoato à primis illis indiuiduis ordine, deinceps altera gignerent altera, eſſetq; in unoquoque ſemen, in quo, Platone docente, inuiſibilia quædã animalia continerentur, quæ in uteris animantium confota coaleſcerent. Sicut in utero terræ ſemina plantarũ. Quo conſilio nunquam perpetuæ creationis deficeret ordo. ἐπεὶ γὰρ ἀεὶ πάσιν ἐπιθυμητὸν τὸ βελτίονος ὀρέγεσθαι φαμὲν τὴν φύσιν. Βέλτιον δὲ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἐνδέχεται δ' ἐν ἅπασιν, ἀδύνατον δὲ τοῖς ἀθανάτοις ὑπάρχειν, διὰ τὸ πόρρω τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ λειπομένου τρόπου, σωτηρίαν τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐνετεκνώσατο τῆς γενέσεως. Quod eſt: Nam cum in omnibus ſemper deſiderare melius naturam dicamus, melius eſt autem eſſe, quàm non eſſe, hoc autem in cunctis erat impoßibile, quoniam à principio plurimum diſtarent, qui ſupererat modò compleuit uniuerſum Deus, perennem faciens generationem. Hæc, ut ſæpe admonui, in præteritis temporis uerbis pronunciat Ariſtoteles, fecit, compleuit, ut non innuat continuam dependentiam, ſed ut magiſter Plato, omnis que uetuſtas principium quoddam. Proponuntur enim duo inter ſe contraria, è quibus cum alterum ſequi Deus poſſet, elegit potius alterum, ut eſſet perennis ordo. Quod ſi contendas, & proteruus inſiſtas, ne ſibi contradicat Ariſtoteles, cum temporis ini-

tium non ſpectaſſe, ego ex aduerſo dicam imprudenti, & ad mendacium, fictumq; alibi dogma minime attendenti confeſſionē ueritatis excidiſſe, cuius non imperitos, efferatosq; in dogmatis eius Peripateticos, ſed prudentiſſimos quoſq; uelim conſideratores. Hoc igitur mirabili, uenerandoq; Ariſtotelis (ſic enim appellare libet) oraculo declaratur, & continetur, quod præcones theologiæ noſtræ toties uociferātur: Manus tuæ fecerunt me, & ante & retro formaſti me. Imperfectū meum uiderunt oculi tui. Quomodo enim fecerunt, aut creauerunt nos manus eius, qui tantum diſtamus à primo illo, quem diuinæ præſentes fecere manus? Videlicet quod ipſi nos Philoſophi, ſæpe Theologiæ cœleſtis interpretes, docuerunt. Permanauit ad nos uſq; à primo perennis generationis à Deo excogitatus ordo: qui non ſolum creauit primos illos, erexitq; è nihilo in pedes, ſed uaſa quoq; membraq; molitus eſt in eis, in quibus genitale ſemen contineretur, ſemini autem eam indidit uim, ut quod ait Plato, exigua quædam & propter breuitatem inuiſibilia animalia ei ineſſent. Aptauit quoq; membra, ut fieri poſſet generatio. Et quod mirabile ſuſpiciendumq; maximè eſt, ut eſſet copioſiſſima ſatio, mutuæ coniunctionis magnum excogitauit ardorem. Et quod admiratus explicuit deducens totam rem à Deo Plato, Deſcendere, inquit, fecit per collum à capite ſemen. Quod ueluti animal, accepta reſpiratione ubicunq; reſpirādo fluxit, uitali cupiditate animali ingenerata, gignendi amorem abſoluit. Quocirca genitale uirorum membrum, utpote ſui iuris, rationisq; impatiens omnibus effrænata cupiditate conatur potiri: Similiter quæ uulua in mulieribus dicitur, cum ſit animal ob hæc ipſa, procreandorū filiorum auidum. Et reliqua, quæ perſequitur Plato, deducens, ut dixi, mirabilem hanc arcanamq; naſcendi ſapientiam omnem à Deo. In his igitur continetur quam Ariſtoteles dixit ἐντελεχῆ γένεσις, Perpetua, continuataq; ſucceſſio. Quam ſi uoluiſſet explicare, dicenda ei fuiſſent, quæ prior Plato: quæ cum magiſter ipſe ingenuè tribuat Deo, certè & Ariſtoteli ut tribuit, tribuenda fuiſſent, confitendumq; fuiſſet, Deum autorem tanti operis. Ille igitur idem poſteros nos creauit, qui priorem illum, creans nos in illo, faciens perpetuū ſucceſſionis ordinem, dans apta membra ad generationem, & utriq; ſexus mutuam appetentiā. Et hoc eſt quod apud Moſen dicit, Creſcite, & multiplicamini. &, Producat unumquodq; iuxta genus ſuum, habens ſemen in ſemetipſo. In Politicis itē loquens de mutua uiri, & mulieris coniunctione: ἅμα δὲ ἡ φύσις ἀναπληροῖ τοῦτο περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν γε δ' ὑνατα, ἀλλὰ κατὰ τὸ εἶδος. ὅτω προκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἡ φύσις τοῦτο ἀνδρὸς, καὶ γυναικὸς πρὸς κοινωνίαν. Quæ ſunt, Simul autē & natura, inquit, ſupplet hoc circuitu, perenniter eſſe: quandoquidem non ſecundum numerū, ſed ſecundum ſpeciem id fieri poterat. Sic prouiſa fuit à Diuinitate utriuſq; natura, uiri, & mulieris, ad ſocietatē. Cernis ut ſibi conſentiat, Confitens à Diuinitate prouiſum fuiſſe, non ſolùm nunc prouideri, imò ideo prouideri, quia prouiſus fuit ſexus uiri, et fœminæ. Non ne hæc eſt Theologia

Moſaica?

Moſaica? Maſculum, & fœminam creauit eos. Et dixit, Creſcite & multiplicamini. Ea eſt periodus, & ἐνδελεχὴς γένεσις. Factum à Deo, Moſes: Factum, & Ariſtoteles. Factum aliquo temporis initio, Moſes: idem & Ariſtoteles: apud utrunque Fecit, Creauit, Replenit Deus. Neceſſe igitur eſt Ariſtotelem hic ſenſiſſe, quæ maiores, Plato, Pythagoras, omnisq; Græcia prodiderant, cum & ſermo id declareret, & habuerit antea quos ſequeretur. Tertium teſtimoniũ de creatione animi eſt, cum in quarto libro de Generatione animalium, omnem aliam animam interire, quia coniuncta ſit cum elementis, à quibus etiã oriatur, & ab eis ſeparari non poſſit, quia non ſit aliud quàm ipſa, fatetur. Solam autem mentem, aut intellectum, exterius accedere, quia ſeparabilis ſit, & alterius generis, ut in libris etiam de Anima diſſerit: ὥσε μὴ θύραθεν εἰσιέναι ἀδιάφορον. ὅτε γὰρ αὐτὰς καθ' ἑαυτὰ εἰσιέναι οἴονται ἀχωρίστους ὄλας, ὅτ' ἐν σώμασι εἰσιέναι. Τὸ γὰρ σπέρμα πόρίτωμα μεταλαβόσις γαστρός ὄν, λέπεται δὲ τὸν νῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, μὴ θεῖον εἶν μόνον, οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῆ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σώματικῆ ἐνέργειαι. Quocirca, inquit, impoſsibile eſt, ut exterius ingrediatur anima ſenſibilis. Neq; enim ipſas per ſeipſas ingredi ſeu inſeparabiles datur. Eſt enim ſemen excrementũ corporis, à quo continetur. Supereſt autem ſolam mentem exterius ingredi, et ſolam diuinã eſſe, cuius operatio non communicat cum actione corporea. Hæc Ariſtotelis dicta, qui æqua lance, ſyncerõq; iudicio ponderet, colliget hominẽ, quæ uetuſtiſsima noſtra Philoſophia, ſenſiſſe, quodq; ex ſucceſsione, reuelationeq; ſenſit noſtra, hoc Ariſtotelẽ ratione & iudicio prodidiſſe, ratione cum ueritate cœleſti conſonante. Priora exempla ſatis superq; declarabant creationẽ artificiumq; humani corporis, opus fuiſſe diuinæ ſapientiæ: hoc poſtremũ ualidiſsimè clamat ab origine diuina, ſatum noſtrorũ animorum. Si enim mens ſola ſeparabilis ſola à natura corporis abſoluta, neceſſariò eſt origo eius à Deo, quoniã à nullo corpore. ſupra corpus enim eſt natura diuina. A ſolo igitur Deo. Quod ipſe etiã confiteri non erubuit. Supereſt, inquit, ſolam hanc eſſe diuinã. Diuina ſunt, quibus uel ortus à Deo, uel ſimilitudo cum Deo. En totum hominẽ ab uno codemq; Deo dixit Ariſtoteles creatum, conſentiens cum priſca Philoſophia, cum Aegyptijs, Chaldæis, Pythagoreis. In cuius dictis, ſi penitus euoluas, rei caput attingas, rerum creatio, quantum uelint torqueant hic ſeſe Peripatetici, continetur.

Quod Ariſtoteles de animi immortalitate, ac diuinitate ſenſit, ac dixit, quæ ſupe riores, Chaldæi, Pythagoras, Aratus, Mercurius Triſmegiſtus, exinde Philo, & Marcus Tullius.

Cap. VIII.

VEriſimile eſt, ut dixi, maiores Theologos Græcos, & Barbaros, ratione quoque, iudicioq; accedente, in hac præclara, de aduentu exterius animi noſtri aſſertione Ariſtotelem ſuiſſe ſecutum. Quæ ſi hodierni Peripatetici tenerent, fortaſſe melius & hoc loco, & omni Philoſophia eius Ariſtotelem interpretarentur. Veri inquam ſimile eſt, nunc Philoſophum dixiſſe, quæ cum cæteri, tum Chaldaicum oraculum, quod ſolet etiam Platonicis proferri, prius ediderat.

Κρὴ σε σωτύνδμ πρὸς τὸ φῶς καὶ πατρὸς αὐγάς,
Ἔνθα σὲ πέμφθη σοι ψυχὴ πολύξεσα μῶνν νῷ

Quæ sunt,

Accelerare opus est te ad lucem, & patris splendorem,
Vnde tibi est animus missus, multa indutus mente.

Hoc oracultum explicans Psellus Philosophus, ἐπεὶ δ' οὐκ ἀπὸ σπερμάτων ἡ ψυχὴ τῶν ὑποστάσιν ἔλαβεν, οὐδ' ἐν σωματικαῖς ὑφίστηκε κράσεσι, ἀλλὰ ἄνωθεν ἀπὸ θεοῦ τὴν ὑπαρξιν ἔχει πρὸς ἐκεῖνον ἀεὶ ἐπιστρέφεται. & quæ sequuntur. Posteaquam, inquit, non ex seminibus accepit substantiam anima, neq; corporeis subsistit temperamentis, sed à Deo supernè habuit esse, ad illum etiam conuertatur oportet, & ad lumen diuinum faciat ascensum. Magna enim uestita intelligentia huc descendit, hoc est induta est à creatore, & patre, reminiscentias diuinorum conditionum, quando huc accepit descensum. Hinc per eadem illas reminiscentias iterum illuc reuertitur. In his Psellus, etsi nimium Platonicè de animorum descensu locutus est, uerus tamen sensus est, animos esse diuinos, his à sedibus descendentes, ubi consensus omnium mortalium prædicat esse aulam Dei, qui tametsi per omnem mundum intentus cœlum, ac terras implens, ut noster ait Propheta, propius tamen ubi magis colluceat maiestas eius locus, dicitur Cœlum. Ab illa aula, quoniam nec à mundo corporeo, nec ab ullis elementis ueniunt, dixere nostras animas descendere, formatas ab ipso Deo, similes autem sibi formatas, nullo ex corpore depromptas, solo Deo earum origine, & fonte. Propterea Philo pro omnibus Philosophis, animũ esse ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα, Abscissionem aut radium à Deo. Salomon, ἰδιότητα, proprietatem. Oraculum Apollinis, μερίδα, particulam. Moses, afflatum. Tullius, decerptos ex mente diuina. His modis est anima demissa cœlo, diuinitus data, diuinitus decerpta, mirabili modo formata. Quas autem dixit Psellus reminiscentias, non illas scilicet Platonicas dixit, nisi rectè sentias, sed naturalem ad cœlum suspectum, & conuersionem, unde fuit origo, similitudinem cum Diuinitate, & quòd animus decerptus, aut afflatus est ex mente diuina, naturali cupiditate desiderans fontem genitorem suum: non quòd antea, quàm in corpus intrasset, in cœlo fuerint animi, sed uno momento creati, diuinitusq; dati. coguntur conditoris sui reminisci, semper ad propriam regionem suam animorumq; loca, ubi Deus inuisibilis, regnumq; eius florentissimum, suspirant, cum nec terra, nec aqua, nec aër, nec ignis possit animis placere, quippe qui nec è terra, nec aqua, nec aëre, nec igne, sed à regno Deorum, à locis immortalibus, inuisibilibus, incorruptibilibus uenere. Huius regni recordantur animi, lumen sempiternum sentiunt instinctu naturali fulgentissimum, mirabile, iucundissimum, alacritatis ineffabilis, incognita mortalibus, solis his, qui adsunt, nota gaudia. Hæ sortes, aut conditiones meliores, de quibus sæpissimè Plato, & nostræ literæ. Magnam autem mentem etsi Psellus illas reminiscentias interpretatur, mihi tamen uidetur oraculum similitudinem Dei, & id ipsum, quo diuina est

anima,

anima, ſenſiſſe, illamq; Diuinitatem deſignaſſe, quam ſedibus ætherijs deſcendens tulit anima ſecum. Hæc magna, hæc multa mens, plena diuinæ naturæ, inſtinctusq; beati, notionisq; cœleſtis. Hoc quis neget Ariſtotelem ſenſiſſe, aſſeruiſſe, cum nulla ſit in hoc mundo regio, nec locus, nec corpus, à quo aduentare animus potuerit? Et tamen exterius eum ingredi dixit. Vidiſti quoque, ut Pſellus propoſuerit, peneq; declarauerit locum ſuperius adductum ex Ariſtotele: Non ſubſiſtit anima corporeis temperamentis, ut quidam in Phædone ſuſpicantur: nec ſemini, ſpumæq; illi, ſubſtantiam debet ſuam: non eodem, atq; corpus ſatu ſeminatur: ſed habuit diuinitus, & ſupernè ſubſtantiam. Id igitur Ariſtoteles dicebat, ex ſemine, quod excrementum, uel ſpuma corporis ſit, ſenſitiuam, corporeamq; animam creari: ſolam autem mentem alterius rationis eſſe, cuius omnis incorporea ſit operatio. Ob id eam eſſe diuinam ſolamq; exterius accidere. Quod quidem cæteri Philoſophi communibus ſuffragijs omnes decreuere. Vidimus enim apud Platonem, Opificem mundi, ſe principium, & fontem animorum confitentem, cuius, inquit, initium traditur uobis à me. Et quòd Dij minores acceptam, genitamq; à Deo animam, ineluſerint in formatum à ſe corpus. Aliaq; plura, quæ pòſt referentur, Igitur, & Pythagoras aperuit, propalauit, uociferatus eſt, quod Ariſtoteles occultè deſignauit: cuius dictum, animum exterius accidere, eſt quod Pythagoras omnibus prædicabat.

-Θάρσει, ἔστι καὶ θεῖον γένος ἀθανάτοισι.

Aude, nanq; genus diuum mortalibus extat.

Genus diuinum eſſe nobis etiam mortalibus, propter corpus, ut Chaldæus ſuperius: animi autem origo, inquit Pythagoras, eſt à Deo. À quo genus ducimus, inde natus animus, propterea cognatus, & quod ait Ariſtoteles, συγγενὲς τοῦ, affinis, gentilis, ut Marcus. Tenemur agnatione diuina. Genus noſtrum, id eſt, eius, qui uerè homo eſt, nempe animus, non eſt à corporeo, corruptibiliq; mundo, ſed à Deo. Propterea diuinum genus eſt nobis, ut haudquaquam timere, quaſi moriturj, debeamus. Imò fidendũ eſt maximè, magnáq; cum alacritate uiuendum, quibus non ſit cum his quæ moriuntur, & intereunt, agnatio, ſed cum Deo immortali. Cernis autem Pythagoram eodem nomine atque Ariſtoteles uti? Relinquitur, inquit Philoſophus, mentem ſolam extrinſecus aduentare, ſolamq; eſſe θεῖον, diuinam: Pythagoras autem, diuinum genus, ſatus diuinus, diuina cognatio, natura, origo, ortusq; diuinus nobis, propterea non mortalis. Eadem deprecantem, & quid ſenſerit Ariſtoteles declarantem noſtræ Theologiæ antiſtitem, etiam Arati teſtimonio, qui ſimiliter atque Ariſtoteles, et Pythagoras, licet Ariſtotele prior, fuerat locutus, allato, conſidera: Ipſe, inquit diuus Paulus, Deus cum ſit Dominus cœli & terræ, non in manufactis templis habitat, neque manibus humanis colitur, alicuius indigens. Ipſe dans omnibus uitam & ſpiritum in omnibus, creauitq; ex uno ſanguine omnem humanam gentem. In ipſo, inquit paulò pòſt, uiuimus,

& mouemur, & ſumus, ſicut quidam è Poëtis ueſtris dixerunt, Huius enim genus ſumus. Genus igitur cum ſimus Dei. & quæ ſequuntur. Viſum quid ſentiat Ariſtoteles & Pythagoras. Diuinè quoq; & ſimiliter atq; hi omnes, animi ſubſtantiã, & fontẽ declarauit Triſgemiſtus ad Aſclepium: ὁ νοῦς δὲ οὐκ ἐξίσ ἀποτετμημένος οὐσιότητος τοῦ θεοῦ ἀλλ' ὥσπερ, ἁπλωμένος καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς: Mens inquit, non eſt abſciſſa ex Dei ſubſtantia, ſed quaſi explicata, ſicut Solis lumen. Quis eſt igitur tam infelici iudicio, tanta impudentia, quanquam os hodierni Peripatetici, & frontem perfricuere, non omnes dico, qui non uideãt Mercurium, Pythagoram, Aratum, Paulum, Chaldæum aperientes, quod obſcurè protulit? Ariſtoteles, exterius animum ingredi, uidelicet ortus illi diuinus eſt, genus, generatio, natales diuini, non mundani, non corporei, corruptibiles, diuina ſtirps. Hoc item clarius expoſuit Marcus, ut qui ſententiam Ariſtotelis ſuper eo uerbo θύραθεν, à foribus, uel non intelligant, uel deprauent, id de intellectu uel Dei, uel uniuerſali quodam exponentes, aut de intellectu, ſiue intellectione, & doctrina, quæ paulatim exterius aduentet, ſit locutus, meritò cæteros magnos uiros audientes, à pertinaci, ſtultaq; hac ſua perſuaſione dimoueantur. Quid enim ueriſimile ſit aliud Ariſtotelem ſenſiſſe, quàm quod eſt apud Marcum in Tuſculanis, & in Conſolatione? Animorum, inquit, in terris nulla origo inueniri poteſt. Nihil eſt enim, inquit, in animis miſtũ, atq; concretum, quod ex terra natũ, atq; factũ eſſe uideatur. Nihilq; humidum, aut flabile, aut igneum. His enim innatum nihil ineſt, quod uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quo & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt. Hæc ratio Marci noſtri de immortalitate animi latior, uerbisq; Latinis declarata eſt, quam ſæpe Græcè, & ad morem Philoſophorum poſuit Ariſtoteles in ſecundo de Generatione animalium. Nam cum diuiſiſſet, omnes animæ ſpecies, aut ſeparatas eſſe, aut non ſeparatas, aut quaſdam ſeparatas, quaſdam non uel naſci, & eſſe in ſemine maris, non exterius ingredientes, aut in ſemen maris ingreſſas: aut exterius accedere omnes, uel non: quòd non omnes prius fuerint, quàm ingrederentur, clarum eſſe hac ratione: Quæcunq; enim principia habebant operationes corporeas, ea ſine corpore eſſe non poſſe, ut incedere ſine pedibus, ut id non poſſit exterius accedere. Neq; enim ea principia ipſa per ſe introire poſſe, ut inſeparabilia, neq; corpus introire. Semen enim excrementum uentris eſſe. Solam igitur mentem ingredi exterius, ſolamq; diuinam eſſe. Neq; enim cum operatione eius ulla ratione cõmunicare operationem corpoream. Hæc ratio eſt, quam Marcus attulit, memoriæ, cogitationis, prouidentiæ. Hæ enim ſunt operationes incorporeæ, ab incorporeo principio naſcentes.

Quod confirmauit Ariſtoteles eandem ſententiam alijs locis, quibus ſenſit aperteque pronunciauit animum a corpore ſegregatum, idemq; teſtantur Peripatetici eum ſenſiſſe. Caput IX.

Hanc

HAnc item Aristotelis uerè sententiã fuisse, non is modò, & omnis qui in libris de Anima est locus, sed & ille in Moralibus, ab alijs etiam animaduersus, cui mille tenebræ ab inimicis ueritatis offundi possint, abunde testatur. Est autem in decimo. Illic pecspicuè duas ostendit, confiteturq; hominum uitas: alteram, qua uiuitur secundum compositum: alteram, qua secundum mentem, ac intelligentiam. Virtus item, & operationes esse duplices, alteras secundum compositũ, quæ propriè nocentur ἀνθρωπικαὶ, humanæ, quasi corporeæ, & in hac uita: alteras separatas, mentis & intelligentiæ: αἱ δὲ τοῦ συνθέτου ἀρεταὶ, ἀνθρωπικαὶ ὁ δὲ βίος ὁ κατ' αὐτὰς, εὐδαιμονία, ἡ δὲ τοῦ νοῦ χωρισμέναι. Quæ sunt, Virtutes, inquit, compositi humanæ, uita quoq; quæ secundũ eas agitur. Sic item felicitas. At uerò uirtus, & felicitas mentis, est separata. Hæc Aristoteles. Superius autem ueram perfectamq; felicitatem, declarauerat mentis actionẽ, ac contemplationem: sed eiusmodi maiorem esse, q̃ secundum hominẽ. Neq; enim quatenus homo sit, sed quatenus diuinũ quiddam in se habens, eam uitam ab eo agitandã. Quanto autem differat hoc à composito, tantopere differre operationẽ eius, ab operationibus, quæ fiant secundum alias uirtutes. Quòd si mens sit respectu hominis diuinum quiddã, etiam uita, quæ secundũ hanc transigetur, diuinã respectu humanæ uitæ fore. Neq; uerò audiendos esse, qui nos hortentur, ut qui homo est, humana curet, et sentiat mortalis mortalia: sed pro uiribus conandũ immortalem effici, omniaq; facere ut uiuas secundũ id quod optimũ est. Deniq; concludit, uitam secundũ mentem esse uerã uitam ac felicitatẽ, quando quidẽ is homo maximè sit. His Aristotelis uerbis omnia continentur, quæ cæteri de immortalitate planè, et apertè attulerunt, Hominẽ esse plenũ rationis animal, memoriæ, cogitationis, prouidentiæ. Quòd animorũ nulla in terris origo inueniri possit, quod sint separati, ut loquitur Aristoteles: separatos autẽ esse, operationes incorporeas, & separatas, et à corporis operationibus omnino differentes, attestari. Tullius autẽ, quòd in his nihil sit mistũ, atq; concretũ, aut quod ex terra natum, atq; factũ esse uideatur. Nihil humidũ, aut flabile, aut igneũ, nihil ex quatuor elementis. Quia in elementis, & corporibus nihil insit quod memoriã, recordationemq; præteritorũ, futurorum prouidentiam contineat. Hæc Latinè sunt, quæ apud Aristotelẽ, quòd sint animi separati, quòd operationes eorũ, quæ sunt recordatio, memoria, cogitatio, speculatio, prouidentia, sint separabiles, uidelicet à corporibus elementisq; disiunctæ, non habentes ab elementis principium, ac dependentiã, sed alterius generis diuinioris, quod non inueniatur in terris. Hoc Aristoteles appellat separabiles. Atq; cernis eum, eadem loquentẽ in moribus, atq; in libro de Generatione animaliũ. Illic quòd animus solus, siue mens, quẽ cæteri dicunt intellectũ, est diuina, sola ingreditur extrinsecus, sola separabilis est à corpore, nullũ cum corpore coniugiũ habens: non nascens è spuma prolifica. Idq; rationibus, quæ sint facultatum ipsarumq; substantiarũ indicia, colligebat. Hic uarijs modis separat animũ à corpore, quòd uerus homo sit animus, quo felicitas humana

mana uera ſit non ſecundũ corpus, aut ſecundum compoſitũ ex animo, & corpore, ſed ſecundum animum ſeu mentem ſolam, qui uerus homo ſit, cuius uirtus, felicitas. & beatitudo ſit ſeparabilis. Quòd hæc beatitudo ſit maior, melior, q̃ humana, uidelicet terrena. Quibus uerbis prudentiſſimus quiſq; noſcet, Ariſtotelẽ hæc loquentem ſpectaſſe, mentemq; fixã habuiſſe ad eam beatitudinẽ, quam in primo de Cœlo, de his qui degant extra cœlũ beatè, prædicauit: quanquã in eiſdem Moralibus, iuxta conſenſum mortaliũ, Dijs immortalibus attribuit, qui dicantur uiuere beatè. Cum autem beatitudo non ſit ſomnus, et dormitio, ſed actio maxima, ac beatiſſima, Deos autẽ à corpore ſeparatos nihil agere corporeũ, neceſſe ſit, relinquidũtaxat eos contemplari. Quid autem contemplentur, idem Ariſtoteles propemodũ cognouit, & faſſus eſt. Hanc igitur animorũ uidit, et ſpectauit in Moralibus felicitatẽ, ſimilẽ uidelicet ei, qua Dij fruuntur, à coniugio corporis ſegregati. Eiuſmodi enim animos eſſe noſtros, quales Deorũ innuebat, etiam in corporibus ſeparabiles à corpore. Nam quòd hanc uitã beatam ſenſerit Ariſtoteles, liquidò uerba eius oſtendunt. Si enim, quã proponit, beatitudo, felicitasq; non eſt compoſiti, dum autem ſumus in corpore, ſumus in compoſito, certè ſpectabat eam felicitatem, quæ quidẽ in corpore nemini contingere poſſit, niſi munere diuino, in ecſtaſim raptus, ſopitisq; ſenſibus, uideat arcana Dei. Huc adde quòd nulla in corpore fruimur clara, lucidaq; ſpeculatione, qua poſſimus eſſe beati. Nec poteſt animus occurrere noſtris, ſeq; aſpectabilẽ exhibere, quod eos ſatiet perfecto ſolidoq; gaudio. Non cœlum, terræ, maria, terreſtria, cœleſtia. Tũ in loco ſumus, ubi nulla unquã eiuſmodi contigit contemplatio, quæ redderet quenq; perfectè beatũ. Quid quòd noſtræ ſpeculationes plerunq; falſæ, fallaces q̃, uel ipſius Ariſtotelis teſtimonio, qui ſæpe priſcos illos carpit Philoſophos, arguitq; erroris? Quid quòd ſpeculationes, uel à nobis ipſis oriuntur, generãtur, uel à libris, monumentisq; aliorũ? Sed ſibi quiſq; peſſimus magiſter: libri fermè cuncti ſcatent erroribus, & fabulis. An Ariſtotelis libros legens, & ſciens quæ tradit, ero beatus, non potius ærumnoſus? Quæ quidem beatitudo ei priori, qui iſta tradit, contigiſſet, quem nunquam ego puto fuiſſe beatum. Cum igitur omnis humana, & in corpore ſpeculatio cuiuſcunq; modi neminem poſſit beare: Perfectam autem beatitudinẽ Ariſtoteles ſtatuit in animo cognoſcente: certè non potuit aliam ſpectare beatitudinẽ, niſi diuinam, de qua locutus eſt uberrimè Plato in Phædro. ipſe quoq; Ariſtoteles uidit eam in libris de Cœlo, aſſerens eos, qui ſunt extra mundũ, nec tempori nec caſibus ſubiacentes, nec locis incluſos, uiuere perenniter beatos. Alijs autem locis hos ipſos aſſerit nulla corpora uoluptate, ſed intellectuali, ſemper beatos. Aliàs definiuit Deum ſupremũ cognoſcendo ſeipſum beatum. Hæc igitur eſt omnium animorũ beatitudo, ſicut Dei, ſic cæterarum mentium: contemplantur primum illum, ibi philoſophantur, ſpeculantur illinc omnem uoluptatẽ decerpunt. Hanc Ariſtoteles neceſſariò, non hanc beatitudinem uidit, ſiquidem in terris non inuenitur. Beatitudinẽ enim non eſſe rem uanam,

unam, et quæ nusquam sit, necesse est. Ex hoc igitur loco cognoscitur, iterum Aristoteles separatos animos, ac diuinos dixisse. Idq; agnouerunt eruditi. Et quibus Michael Ephesius eo ipso loco: Βέλτιον μόριον, καὶ ἄνθρωπον λέγει τὸν νοῦν ἡμῶν. τὸν γὰρ ὄντως κατὰ μάλιστα ἄνθρωπον ἐν λογικῇ ζωῇ τίθεται, καὶ ἀπλοῦν αὐτὸν διὰ τοῦτο ἀποφαίνεται. ἕνα μὴ τὸν ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος, ᾧ καὶ τὸ εὖ ζῆν, καὶ τὸ δυσδαιμονεῖν, ἐν τοῖς ἠθικοῖς. καὶ ἐν τοῖς πρώτῳ τῶν περὶ τὰς ἀρετὰς εἶπε ζῆν εἶναι ἐν τοῖς μεγάλοις ἠθικοῖς. καὶ ἐν τοῖς πρώτῳ τῶν περὶ βιβλίων. ἄλλον δὲ τὸν πρώτως καὶ ὄντως ἄνθρωπον τὸν ἐν ἡμῖν νοῦν. ὥσπερ ὁ προϊὼν ἐρεῖ χωρισθεὶς δὲ τοῦ σώματος ὅπερ ἐστὶ τὸ ὄντως ὄν. κατὰ ἄλλον καὶ ἐν τούτῳ, ὡς οἱ λέγοντες τὸν ἀριστοτέλη, θνητὸν ποιεῖν τὸν ψυχὴν, ὁ μέν τι λέγουσιν ἀληθὲς: Particulam, inquit, meliorem, & hominem dicit mentem nostram. Siquidem uerum maxime que hominem in rationali uita constituit. Eum que duplicem in his ostendit: Alterum ex animo & corpore, cuius beatitudinem definiuit in magnis Moralibus, & in primo huius operis libro, uiuere secundum uirtutes. Alterũ autem qui primo, ac uerè homo sit, mens nostra, de qua prosequens disseret. Quidquid autẽ hoc est, à corpore segregatũ. Et ex his item fit perspicuũ, eos qui dicunt Aristotelem opinari animã mortalem, nihil uerè loqui. Hæc ille.

Ex his quæ scripsit in libris de Anima et de partibus animaliũ similis probatio: quod hoc ipsum interpretes Græci contendunt Aristotelẽ sensisse. Cap. X.

EAdem apparent ex libris de Anima. Quo loco operæpretiũ est nosse quæ etiam magnorum uirorũ est sententia, aliud esse apud Aristotelem ψυχὴν, animam aliud quæ dicitur νοῦς, mens, intelligentia. Priorem, quia corporis perfectio & actus est, corporis inquã organici, naturalis, cũ corpore censet interire. Quasi corporis harmonia, quemadmodũ in Phædone Platonis quidã disputant, cessans cũ corpore sicut cithara perit harmonia. At eũ quæ dicitur mens, etsi in anima insideat tanquã uehiculo, et separabilẽ à corpore ubiq; dixit, et alterius omnino generis, cuius actiones, & operationes nulla cum actionibus compositi, aut corporis, & harmoniæ communicatione socientur. Separatũ prorsus, aliudq; omnino rerũ genus, ut æthereũ corpus ab alijs corporib. longè distat. Hanc igitur mentẽ ubiq; prædicat immortalẽ, diuinam, similẽq; naturæ Deorũ. In libris de Generatione animaliũ, ab elementis nõ nasci, segregariq;, exterius aduentare. In Moralib. separari, seiungiq; à corpore, & à cõposito, ut quæ ab eo nihil gerat, aliunde nata. Verus homo, pars diuina, Cuius duntaxat sit felicitas uera. In libris de Anima multus est in separãdo altera ab altera. Atq; de mente clarissimè pronunciat: καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ. Atq;, inquit, hoc modo mens est separabilis, & ipermixta, etipaßibilis, subsẽtia existens actu sẽper, et operans. Paulo autẽ pòst clarius et apertius, ut nulla supsit dubitatio: χωριστὸς δὲ ἐστὶν μόνον τοῦτο ὅπερ ἐστί, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀίδιον. separatus, inquit, et segregatus est animus,

animus, quidquid eſt Et hoc ſolum eſt immortale, et ſempiternum, Quid apertius? Rurſus eodẽ libro: Quæ igitur, inquit, uocatur intelligentia, ſiue mens in anima (dico autem intelligentiam, qua intelligit, opinaturq; anima) nihil eſt actu omnium antequam intelligat. Quocirca ueriſimile ſit, eam cum corpore non eſſe permiſtam. Quod enim ſit è corporibus. Hæc Philoſophus. Sciendum uerò apud Græcos duplicem eſſe mentem, ſiue intelligentiã: alterã, quæ intelligit: alterã, quæ intelligitur: uocitantes mentem ipſam rem intellectã. Hæc propriè dicitur διάνοια, diſcurſus, cogitatio. Hanc poſtremã dicit corruptibilẽ, ipſas ſcilicet intellectiones, animo nunc inhærentes, nunc abſcedentes, & euaneſcentes. Priorẽ, quæ eſt ipſa potentia, ſubſtantiaq; mentis, incorruptibilẽ. Clarè quoq; & apertè dixit in ſecundo: περὶ δὲ τοῦ θρεπτικῆς δυνάμεως οὐδὲν φανερὸν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι. Τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ μόρια δὴ ψυχῆς, φανερὸν ἐκ τούτων ὅτι οὐκ ἔστι χωριστά. De mente, inquit, & facultate ſpeculatiua nondũ perſpicuũ eſt. Sed uidetur aliud animæ genus. Et hoc ipſum ſolum poteſt ſeparari, tanquam ſempiternum à corruptibili. Cæteras animæ partes, ex his manifeſtum eſt, non eſſe ſeparabiles. Hic clarè, & apertè, ut cogar admirari, qui contraria ſentiunt, Ariſtoteles quid inter mentẽ & reliquas partes animæ interſit edocet. Declarat etiam quid ſit ſeparabile, nempe ſempiternũ, incorporeũ, incorruptibile. Talis eſt, inquit, mens, & ea, quæ dicitur uis ſpeculatrix. Separatur à corpore, perinde ac res incorruptibilis & ſempiterna à corruptibili. Ipſa incorruptibilis, reliquæ partes corruptibiles, poſt corpus non remanentes, ſola illa remanente. Agnoſcis igitur ea, quæ Tullius noſter ex his & alijs Græcorum fontibus: Animorum, inquit, in terris nulla origo inueniri poteſt. Nihil eſt enim in animis miſtum, atq; concretum, aut quod ex terra natum, atq; factum eſſe uideatur, aut quod humidum, aut flabile, aut igneum. Vbi eſt igitur quorundam maleſanorũ, qui ſibi impiè philoſophando, ſupercilium, ſapientiamq; arrogant, doctrina, non religionis modò, ſed Philoſophiæ bonæ depraua tio? Luce clarius eſt quid ſentiat Ariſtoteles, cæteris Philoſophis apertius, quod occultius ille, diſſerentibus. Probant item Græci Ariſtoteli ſeparabilem à corpore diuinamq; eſſe, & immortalem mentem, ex illo in ultimo de partibus animalium loco. Vbi dicit: πότερον φησὶ πᾶσι ψυχῆς τὸ φυσικὸν δεῖ διαλεχθῆναι, ἢ οὐ πᾶσι, ἀλλ' ὅσοι μὴ ἄνευ ὕλης ὥσπερ οἱ περὶ ψυχὴν χωρισταὶ ὕλης: Vtrum, inquit, de omni anima, Phyſici eſt diſſerere, an non de omni, ſed ſolum de ea, quæ ſine materia eſt. Ex quo, inquiunt Græci, animam ſeparabilẽ à materia ſenſit. Simplicius quoq; afferens Ariſtotelis teſtimoniũ ſuper hoc, Quod enim Deus eſt ſemper, inquit ipſe Ariſtoteles in undecimo Metaphyſicæ, τοῦτο ἡμεῖς ποτὲ μὴ δώσομεν ἀγαθὸν ἡμετέραν. χωρισὸς δὲ ὁ θεὸς ἀεί, καὶ ἡμεῖς δέ, εἰ καί ποτε. Hoc ſumus nos aliquando uidelicet pro uiribus noſtris. Segregatus autem eſt Deus ſemper, etiam nos igitur. tametſi aliquando,

hoc

hoc eſt, anima à corpore, diſiuncta. Sic ait Simplicius in libris de Anima: ut undiq; fiat perſpicuum ſeparatæ naturæ mentem Ariſtotelem ſenſiſſe. Super his item uerbis, quæ paulò antè produximus, Et hoc ſolum immortale, & ſempiternum, Simplicius, ἐπισῆσαι ἄξιον τῷ παντὶ λόγῳ, θαῤῥοῦμεν τὸν σοφώτατον τῆς ψυχῆς νοῦν, ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον ἀποφαίνεται ἵνα καὶ ταύτῃ, τῆ πρὸς πλάτωνα αὐτῆ συμφωνίαν ἅμα θαυμάσωμεν: Animaduertere hoc uerbũ operæpretium eſt. audacter ſubſtantialem animæ mentem immortalẽ, & ſempiternam pronunciat, ut & hac ratione, concordiam eius cum Platone ſimul agnoſcamus. Hæc Simplicius: Super eo itẽ, ubi Ariſtoteles dicit in libris de Anima: τὸ μὲν μνημονεύομεν δ' ἐ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθὲς, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς, φθαρτὸς, καὶ ἄνευ τούτου δὲν οὐδὲν νοεῖ: Non recordamur, inquit, quoniã hoc quidem impaßibile eſt, mens autẽ paßibilis, corruptibilis eſt, et ſine hoc, nihil ſentit. Hæc declarans Simplicius, Non recordamur, inquit, τῶν πρὸ τῆς γεννήσεως, eorũ, quæ ante natiuitatem, uel antequam nati eſſemus: quia deſcendens animus in corpus, erat ſine phantaſia. Nihil intelligit autem non ſimpliciter, nam animus ſubſtantia eſt, ἐνέργεια, operatio, ſed in corpore ſine phantaſia. Hæc ille. Quibus probatur Ariſtotelem mentem ſentire à corpore ſegregatam, ut quæ eſſet, anteaquam in corpus intraſſet, eiuſdem futura naturæ poſt diſceſſum. Quæ ſeparata ſentiebat ſine phantaſmate, pura, in corpore autem ſine phantaſmate cognoſcere non poteſt, ideo non recordatur eorum, quæ uidit anteaquam ueniſſet in corpus. Quanquam alius codex habet non recordatur eorum, quæ poſt mortem. Quod quidem eſſet clarius. Ex quo probatur, eandem eius atq; Platonis ſuper animi ſeparatione ſententiã. Probatur eũ ſentire, quæ ſuperius Chaldæus, Miſſa eſt nobis anima magna induta mente. & quod Poëta.

Sedibus ætherijs ſpiritus ille uenit.

Et quod Tullius, Animorum in terris nulla origo inueniri poteſt. Simplicius item in hanc ſententiam de immortalitate ſic apparet propenſus, ut dicat optimos Philoſophos, qui hoc ſenſerint. Videtur, ait ſuper libris de animis, loquens de Alcmæone, optimè philoſophatus, ut licet ex his quæ Ariſtoteles adducit cognoſcere: ἀθάνατον γὰρ λέγει τὴ ψυχὴν, ὡς ἐοικυῖαν τοῖς ἀθανάτοις: Immortalem enim dicit animam, ut quæ ſimilis ſit immortalibus. Et apud Platonem, inquit, dicitur immortalibus ὁμώνυμος. Super primo quoq; Phyſicorum idem ſic perhibet de intellectu: quorum alter dicatur intellectus, potentia: alter intellectus actu: prior coniunctus cum irrationalitate, alter ſegregatus, τὸ μὲ χωριστὸν, οἷος ὁ ἐνεργείᾳ λεγόμενος νοῦς, Velut animus, ſiue mens actu. Eſt autem, ſi quis rectè conſideret, uerborum Ariſtotelis, quibus dixit, ſolam, quæ dicitur mens, ingredi exterius, ſolamq; diuinam eſſe, ſenſus, & interpretatio, qua Marcus Tullius pro Rabirio dixit. Itaque cùm multis alijs de cauſis uirorum bonorum mentes diuinæ mihi, atque æternæ uidentur eſſe. Agnoſcis duo Ariſtotelis uerba, quorum alterum, Mentes diuinæ, & quia diuinæ, æternæ. Quod ab Ariſtotele dicitur, θεῖον χωριστὸν, in libris

de

de Anima ἀϊδίου, diciturq; de cunctis mentibus humanis, non una, exterius aßident. quod ne fieri quidem poteſt.

Quod Marcus Tullius pro cunctis Romanis animum & corpus affirmat à Deo ſupremo creatum, ipſumq; animũ eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: & quòd cum Moſe mire conſentit. Cap. XI.

IGitur priores conſiderationes fuerunt, hominem totum, ſiue animum, ſiue corpus à Deo creatum, ueluti lucem immortalem in creatione quod Triſmegiſtus, Philo, Pythagoras diſſerebant, radiaſſe. poſtremò quòd cum eiuſmodi naturæ ſit, nihil habet corporeum, ſed à corporibus ſeiunctam, ſegregabilemq; naturam. Hæc autem cunctorum conſenſu comprobantur. Probatum eſt Ariſtotelẽ, corpus, opificiumq; humanum, quæcunq; eum cogitatio tenuerit, opus Dei iuxta Theologiam Moſaicam confeſſum. Item quoniam confeſſus eſt, animum, ſeu mentem exterius ingredi, potuit probari, ipſam quoq; mentem diuinitus afflari eum dixiſſe. niſi uelit eam, quod tamen magna incommoda ſequentur, ingenerabilem, & incorruptibilem. Tum quoq; monſtratum, ſeparatam, æternamq; ſubſtantiam, & immortalem animi naturam eum aſſeruiſſe. Quæ ſunt omnia in Theologia Moſaica. Deniq; quod apud omnes declarat animos immortales, eſt quòd, ut Moſes ſcripſit, ſunt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: Et quod Aratus dicebat aſſertum à diuo Paulo, Genus eius ſumus. Id etiam Ariſtoteles confeſſus, ut totam animorum Theologiam uera appareat eum comprobaſſe. In decimo de Moribus mentem, ſiue animum uocat ἄριστον, συγγενέστατον θεοῖς, optimam, Dijs quoq; maximè finitimam, & conſanguineam eiuſdem maximè generis, ſimilis naturæ. Et hac ſimilitudine retenta, & exculta, uocat ſapientem, qui excolat, & ornet animũ, θεοφιλέστατον, Deo chariſſimũ. Vides igitur eum aſſerere, unum genus hominis eſſe atq; Dei. Moſes diceret, unam imaginem, unam ſimilitudinẽ. Hæc ſimilitudo immortalitatẽ declarat. Deſignatur enim animorũ naturam nullam cum corporibus, elementis uel omniq; uiſibili mundo, ſocietatem, ſimilitudinemq; gerere, ſed cum natura diuina modo. Eoq; ſeparabiles eos dixit, & ſempiternos, eorumq; eandem atq; Deorum ſupremam felicitatem cenſuit. Nam felicitatem Dei pronunciat eſſe, ὥσε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη: Speculationem beatitudine mirabili. Huiuſcemodi quoq; tribuit animis humanis beatitudinem. Proſequor igitur cæteros etiam, & ſatos à Deo animos noſtros & ſimili natura imaginéq; inſignitos prodidiſſe. Nam Tullius pro cunctis Romanis, quorum in Philoſophia, rerumq; magnarum cognitione facile princeps, antequam illuceſceret ueritas hodierna mundo, diuino naturæ inſtinctu, et hac ipſa, de qua loquimur, quã dedit nobis Deus Diuinitatem, Eſt igitur, inquit, quoniã nihil eſt ratione melius, eaq; & in homine, & in Deo. Prima hominis cum Deo, rationis ſocietas. Deinde, ut homines agnatione, et gente teneantur. Ad hæc, quòd aliquibus cohæreant homines, hoc eſt, ſocietatẽ habeant cum hoc mundo, è mortali genere ſumpſiſſe, animũ eſſe ingeneratum à Deo. Ex quo uerè uel agnatio nobis cum cœleſtibus, uel genus, uel ſtirps,

ſtirps, appellari poteſt. Eiſdem libris, Nunc quoniam hominem, quod principium rerum reliquarum eſſe uoluit, generauit, & ornauit Deus. Ecce Marcus omnem primum Moſaicam, exinde Peripateticam Philoſophiam Latinis uerbis luculentius aperuit. Agnoſcis illud Ariſtotelis θύραθεν, extrinſecus animum ingredientem. Scilicet generatus eſt à Deo. Nam fragilia quæ ſunt in homine, ut Moſes quoq; perhibuit, è terra ſumpta ſunt, animus ſolus generatus à Deo. Moſes diceret, afflatus. Princeps Peripateticorum, exterius ingrediens, Vnde ingrediens, niſi generatus à Deo? Agnoſcis item declarationem nominis Græci apud Ariſtotelem συγγενέσεως, ſcilicet Latinè uel agnatio, uel ſtirps, uel genus cum cœleſtibus. Et diuus Paulus ſuperius ex Arato, Genus, inquit, cum ſimus Dei. Et Pythagoras, θεῶν γένος ἐσὶ βροτοῖσι. Vides tot declaratores Hebraicæ Theologiæ, & nouiſſimorum temporum ueritatis, antequam nuncius cœleſtis eam diſſeruiſſet, humanis animis impreſſæ. Deniq; Marcus idem concludens, & ea quæ Moſes ſuper à Deo conceſſa homini ſimilitudine ſua prodidit, mirabili conſenſu pronuncians dicit, Iam uerò uirtus eadem in homine, ac Deo eſt, neque ullo alio ingenio præterea. Eſt autem uirtus nihil aliud, quàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Non ne uides eandem Theologiam naturæ, atq; Moſis, omniumq; gentium, quam Deus reuelauit? Alteram prodidit, attulitq; de cœlo Deus, alteram docuit Natura. Sed eadem utraq; eſt. Natura docuit hominem è Romanis ſapientiſſimum, quod ueriſſimum fuit, eoq; naturale declaratum à Moſe, hominem factum ad imaginem Dei. Moſes ex notione, ſcientiaq; diuina, uti priore, cæteris ſignis, & coniecturis, ut poſterioribus acceperunt. Ex his igitur conſtat, ut Ariſtoteli fuit exorta prædicatio, locis inter ſe collectis, Deum corporis & animi humani autorem fuiſſe, animumq; ipſum profectum exterius in corpus, eumq; eſſe ſeparatum à corporibus, ac immortalem: ſic Tullii eandem ſcientiam de animo, & corpore docuiſſe. Siquidem non ſolum animum ut tam multis exemplis, ſed etiam corpus, omneq; corporis opificium probatur eum autorem Deum clara uoce prædicaſſe. Nam ut etiam in creatione animi inſiſtam, quod Moſes ſimplici uerbo prodidit, Deum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam hominem creaſſe: Marcus Tullius perinde ac ſi Moſen interpretari Latinis decreuiſſet, dixit in primo de Legibus, Non faciam longius, huc enim pertinet animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem uocamus hominem, præclara quadam conditione generatũ eſſe à ſupremo Deo. Ecce homo generatus à ſupremo Deo. Generari autem Latinis, non ſolũ procreare eſt, ſed etiã facere. Non eſt ab alio generatus, et creatus homo, niſi à ſupremo Deo, non à Sole ut impius, dementiſſimusq; Iulianus, non à minoribus Diis, ut ſecum diſſentiens uidetur in Timæo aſſeruiſſe Plato: ſed à ſupremo Deo, quẽ ob hanc cauſam, antiquiſſimus Poëtarum, patrem hominum, atq; Deorum ſemper clamat. Ab illo ſupremo Deo eſt generatus, qui propter ſupremam uirtutem, ac potentiã, cœlum

creauit

creauit & terras. Et quòd eum ad ſimilitudinem ſuam creaſſet, factus eſt animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij. Hæc enim eſt ſimilitudo, imagoq; illa diuina. Quod autem corporis quoq; Deum, quemadmodum & Moſes, prædicauerit autorem, ei tribuens omnem membrorum, iuxta ſuperiores, præcipuè Triſmegiſtum, Archytam Tarentinum fabricam, adeò pulcherrimum eſt noſſe, ut explicatiorē fermè ſuper eo Theologiam tradiderit, quàm ipſe Moſes, qui compendioſè, ſuccincteq; ſcripſit. Loquens igitur de quibusq; pulcherrimè conſtructis à Deo membris, deq; uenis & arterijs, per quas ſanguis & ſpiritus per omne corpus diffunditur: Vtræq; autem, inquit, crebræ, multæq; toto corpore intextæ, uim quandam incredibilem artificioſi operis, diuinitq; teſtantur. En opus artificioſum, opus item diuinum, quemadmodum et Lactantius, dicit corpus humanum, uenas & arterias per omne corpus frequentes eſſe, non niſi diuini operis exemplū. Tale quid innuebat breuiter ſuccincteq; Moſes, cum dixit, Deum tuliſſe limū terræ, inq; humanā effigiem eam finxiſſe, uenas, et arterias adhibuiſſe. Totū retulit paucis Moſes: Tullius cum cæteris, partes omnes. Nam proſequitur, Ad hanc prouidentiā Naturæ tā diligentem tamq; ſolertē adiungi multa poſſunt, è quibus intelligatur, quantæ res hominibus à Deo, quamq; eximiæ tributæ ſint, qui primū eos humo excitatos, celſos & erectos conſtituit, ut Deorum, hoc eſt, ſtellarum cognitionē, cœlum intuentes capere poßint. Ecce Marcus, quod alius ex illis.

Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere
Iußit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

Non ne ſubſcribunt omnes ad unum Hebraicæ Theologiæ, cum tot res datas hominibus à Deo fatentur, data interius, & exterius cuncta commoda, ut nuſquam prouidentiam dormitaſſe, ſed cuncta beneuolentiſſimè prouidiſſe iure dicendū ſit? Atq; ut membrorum apparatum omnem iam præteream, ipſam corporis ſtaturam, quòd erecta, & excelſa, ab humoq; excitata ſit, contemplans, eò pertinere docentibus eis intelliges, quòd homines decreuit, contrà quàm cæteros animantes, cœlū ſuſpicere. Hoc Deus inuenit, fecit, cogitauit. Hæcq; non modò in ſecundo de Natura Deorum, tam ſapienter, mirabiliterq; confeſſus eſt Marcus, ſed repetitiam in primo de Legibus: Figuramq; corporis, inquit, habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cum cæteras animantes abiecißet ad paſtum, ſolum hominem erexit ad cœli cognationem, domicilijq; priſtini conſpectū excitauit. Hæc tametſi Naturam, ſuperius autem Deum feciſſe confitetur, agnoſcis tamen eodem in loco eum habere Naturam, atq; Deum, cum tribuit eadem opera utriq;, ſicut Ariſtoteles, Deum atq; Naturam ſemper in Philoſophia ſociat. Et Natura ſine ratione, ac mente temeritas, & caſus eſt, ratione autem prædita, quod ipſe docet, operansq; cum ſapientia, ſolus Deus. His igitur facile cernitur, eandem eſſe ſuper humana creatione, omnium gentium, atq; ipſorum etiam Romanorum (Nam Marcus cunctis eis fermè doctior, & eloquentior pro cunctis perhibet) atq; Moſaicam, Hebræorum,

bræorum, ac noſtram Theologiam. Omnis enim is de creatione hominis, de pulchritudine totius opificij, de membrorum uenuſtate, multiplex apud eos ſermo eſt, eorũ explicatio, quæ paucis, & ad morem Hebraicæ linguæ prodita ſunt à Moſe de imagine, & ſimilitudine diuina, de dominatu ſuper omnes animantes, & omni terra: Cum primis, quòd ipſe creaturus Deus acceßit, manus ſuas admouit: quæ diuini/tus illi quoq; prodiderunt.

Varię, multiplicesq; Senecę ſententiæ de immortalitate, originęq; animorum. Fateri eum delibatos, aut ſuſos eos a ſpiritu diuino. Futuros in æterna requie inter beatorum choros poſt a corpore diſceſſum. De eorum cum Diis cognatione. de ſempiterna luce, fortunatorum ſedibus. Caput XII.

MIrabilis igitur hic eſt Romanæ, quemadmodum Græcæ Theologiæ cũ Hebraica, de conditione animorum concordia, ſiue ſit eorum deſignandus ortus, atq; origo, ſiue natura, proprietaſq;, ſiue futurus eorum poſt à corpore diſceſſum, ſtatus. Huius Theologiæ Romanæ diuinus alius interpres Seneca, omnia fermè ſcripſit, de animis, quæ ſacræ literæ, uatesq; cœleſtes philoſophari ſolent, clarus aſſertor, explicatorq; eorum, quæ Plato ante eum Ariſtoteleſq; ſcripſerant de natura animorum. Si quis enim ſcire uelit, quid Ariſtoteles ſenſerit, cum dixit ſolam mentem, quæ Græcè dicitur νοῦς, Latinè uel intellectus, uel animus, uel mens, uenire extrinſecus, ab alia origine ad corpus, Seneca tibi plenè declarabit. Siue quæ Plato de beatitudine animorum, ubi corpus deſeruiſſent. Primumq; cum dubitationem de anima in Epiſtolis iniecißet, quemadmodum Ariſtoteles, & Plato ſoliti ſunt, demũ totum ſe dedit in aſſertionem immortalitatis, magnisq; uerbis æternitatem eorum, puritatem, beatitudinem declarauit. Quod ergo dubitat in Epiſtolis dicens, Itaque de illo quærendum eſt, num poßit immortalis eße: Hoc quidem certum habe, ſi ſuperſtes eſt corpori, propter hoc illum nullo genere poße perire. Propter quod non perit, quoniam nulla immortalitas cum exceptione eſt, nec quicquam noxium æterno eſt. Quod ergo Seneca dicit nunc dubitanter, quanquam dicat animum non perire, deinceps omni dubitatione depulſa, totis libris ſuis conſtanter affirmat, animos æternos, primum ad Gallionem: An illud uerum ſit, & à me probatur maximè, homines diuini ſpiritus eſſe partem, ac ueluti ſcintillas quaſdam ſacrorũ in terra relu xiſſe, atq; ex alieno loco exiſſe. Audis uerbum Ariſtotelis, quo dixit animos ingredi in corpus θύραθεν, exterius. Declarabit tibi dicetq; Seneca, ex alieno loco, deinde à ſpiritu diuino, ut clarius intelligas. Et Marcus, Nec inuenietur unquam unde ueniant, niſi à Deo. Dicet etiam animi creationem, fuiſſe radiationem, ſcintillam, quemadmodum Moſes appellat inſufflationem, afflatum. Et hanc Moſes à Deo, Seneca à ſpiritu diuino. Dicet autem Seneca animum eſſe partem ſpiritus diuini, non ſcilicet ſubſtantiæ diuinæ partem, ſed quod poſtea expreßit, particulam, radium quendam, ſcintillam proiectam à luce ſua: Sicut Moſes flatum: Altero lucis exemplo, altero ſufflationis utente. Vtitur enim etiam Philo Theologus Hebræus fulgoris exemplo, dicens animum eſſe ἀπαυγάσματι quandam ſcintillationem. Quo

declaratur ſpiritualis animorum creatio. Oſtendens etiam Seneca diuinam, non terreſtrem, fragilem, corruptibilemq; animorum originem, & quod Marcus ait, Animorum in terris nulla origo inuenire poteſt: ſic dicit ad Lucillum, Animum, inquit, excellentem, moderatũ, omnia tanquam minora tranſeuntem, quidquid timemus, optamusq; ridentẽ, cœleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare. Itaq; maiore ſui parte illic eſt unde deſcendit: quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, unde mittuntur: ſic animus magnus, ac ſacer, & in hoc dimiſſus, ut propius quidẽ diuina noſcamus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet, illuc nititur, ac ſpectat, noſtris tanquam melior intereſt. Audis & hic quoq;, Vnde deſcendit? Demiſſus in hunc mundum, in hoc corpus. Audis origini ſuæ inhæret? Eoq; Deus eſt finis noſter, & deſideriũ. Semper illum naturaliter reſpicit animus, recognoſcens originem ſuam. Repetit, inculcatq; tertiò eandem ſententiam Seneca, non in terris eſſe quemadmodum Marcus ait, ſed alibi originem animorum. In Conſolatione, Facilius, inquit, ad ſuperos iter eſt animis ab hac conuerſatione dimiſſis. Minus enim fecis ponderisq; traxerunt, antequam obducerentur, & altius terrena conciperent. Liberati leuiores ad originem ſuam reuolant, & facilius quidquid eſt illud abſoluti transfluunt. Nec unquam magnis ingenijs chara in corpore mora eſt. Sentis & in his item ad originem ſuam reuolantes animos? Audis iter animorum ad ſuperos? Vides eos aſſerere cum Moſe, non eſſe de terra, aut aqua quemadmodũ aliorum animantium, quos iußit Deus terram aut aquas producere, animorũ originem, ſed ipſum Deum qui creaturus animum alio creationis genere, uenit ipſe daturus de ſpiritu ſtatuq; ſuo? Hæc origo fuit animorum. Dicitur à Moſe diuinitus edocto, dicitur & ab his, quos ipſa ratio prudens, & natura docebat. Inculcat de filio Martiæ, Ipſe quidem æternus, meliorisq; nũc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus, Hæc quæ uides oſſa circum nobis, neruos, & obductam cutem, uultumq;, & miniſtras manus, & cætera, quibus inuoluti ſumus, uincula animorũ tenebræq; ſunt. Obruitur his animus. fugatur, arcetur aduerſis, omne illi cum hac carne graue certamen eſt. Ne abſtrahatur, & fundatur, nititur illo, unde dimiſſus eſt. Ibi illum æterna requies manet. Hæc mirabilis Philoſophus. In quibus ſentis inſtinctum, qui fuit à Deo, cunctos homines docuiſſe, quæ docuit Philoſophia cœleſtis. Quòd hoc corpus ergaſtulum, & carcer eſt animi. Ob quam cauſam magnus ille Theologus clamat, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Audis etiam Philoſophum profanum, nempe non Chriſtianum, Aeternam requiem animorum decantantem, cum ſolutis uinculis liberiores erimus. Audis etiam, Vnde demiſſus eſt: Moſes, quemadmodum multi Philoſophi, diceret À Deo dimiſſus. Audis quod ait ſapiens, Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Addit eodem loco, Iacent, inquit, oſſa, cineresque, non magis illius partes quàm ueſtes, aliamenta corporum. Integer ille animus paulum ſupra nos commoratur, dum expurgant

purgant inhærentia uitia, ſituḿque omnis mortalis æui excutit. Deinde ad excelſa ſublatus inter felices currit animas, excipitq́; illum cœtus ſacer, Scipiones, Catones. Hactenus Philoſophus ille diuinus. Certè nihil in his eſt, quod non penè uideatur è theſauris ſapientiæ hodiernæ depromptum. Totius Philoſophiæ confirmatio. Eorumq́; omnium aſſertio, quæ principes Philoſophorum Plato, & Ariſtoteles & omnis ante eos cœtus priſcorum de animis æternis, puritate eorum, limpidaq́; ſubſtantia, uarijs modis cecinerant. Vides nullos egregios Philoſophos, quos ingenij ſublimitas ſeparat à uulgaribus, non conueniſſe ſuper animorum immortalitate. Ecce integer animus, nihil terris relinquens. Quare nihil relinquens? quia, ut ait alius eminentiſſimus Latij Philoſophus, Animorum in terris nullæ origo inueniri poteſt. Ecce dicitur à Seneca, quod à noſtræ ſapientiæ, ſalutiſ́que principe: Multi ab Oriente, & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cœlorum. Is eſt enim cœtus iuſtorum, beatorum, cœlicolarum, qui uenientes è terris iuſtos triumphantes excipiunt. Ecce item philoſophatur, ut mirabile ſit, Seneca, de expurgatione quæ ſentiuntur à noſtris, quòd ſordibus ex terrena habitatione contractis purgatur animus in locis, quos Deus ipſe nouit: purgatus admittitur ad ſuperos: purgatur autem non diutius, ſed paulum, ſitumq́; mortalis æui excutitur. En felices animæ inter quas currunt animi iuſtorum ſociæ canentes unà, triumphanteśque. Amplius dici de beatitudine, æternitatéque animorum non poterat. Hæc uerò ſenſerunt antea Plato & Ariſtoteles, ſed Plato clara uoce, Ariſtoteles obſcurius. Addit enim Seneca eodem libro, Erubeſce quicquam humile, & uulgare, & mutatos in melius tuos flere. Aeterna rerum per uaſta & libera ſpatia diuiſi, non illos interfuſa maria diſcludunt, nec altitudo montium, aut inuiæ ualles, aut incerta uada Sirtium. Tramites plani, & ex facili mobiles, & expediti, & inuicem peruij ſunt, intermiſtiq́; ſideribus. Hæc ille. Vides & nunc animos mutatos in melius. Sentis deſcriptam libertatem animorum corpora egreſſorum, quos nec montes coërceant, nec maria diſcludant, quo minus inter ſe ultro, citróque commeent, alloquantur, ſéque inuicem fruantur. Aſſerens autem eandem ſententiam, quòd animi ſacri mutentur in melius, beatiq́; omnes æternis uoluptatibus, ſocij ſe uidentes, noſcentesq́; fruantur, dicit, Cur in domo noſtra diutiſsimè lugetur, qui feliciſsimè moritur? Coimus in unum omnes, uidemusq́; non alta nocte circundati. Sic ille. Idem de animo noſtro, quem Ariſtoteles uocat νοῦν, eodem libro, Animus, ait, contemplator, admiratorq́; mundi, pars eius magniſicentiſsima, propria nobis, & perpetua, tandiu nobiſcum manſura, quamdiu ipſi erimus. Cernis & hic perpetuam animorum naturam. Expri mens item apertiuśque omnia, quæ apud Ariſtotelem, cæterośque habentur, diſſerens, eodem libro, Ideoq́; nec exulare unquam poteſt liber, & Dijs cognatus, & omni mundo, omniq́; æuo par. Nam cogitatio eius circa omne cœlum, & in omne præteritum, futurumq́; tempus immittitur. Corpuſculum hoc, cuſtodia,

& uinculum animi, huc, atque illuc iactatur. In hoc ſupplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipſe ſacer & æternus eſt, et cui non poſſit inijci manus. Sic ille. Ecce ſunt hic omnia Platonis, Ariſtotelisq; de immortalitate animorum uerba, ſententiæ. Ariſtoteles in Moralibus uocat animum Dijs συγγενέστατον. Seneca dicet Dijs cognatũ. Idem Ariſtoteles quarto de Generatione animalium, de alijs animæ partibus locutus, ſubijcit, Relinquitur igitur ut is, qui dicitur νοῦς, Latinè animus, ſolus ſit diuinus, & exterius aduentans. In libris de Anima, Immortalis, æternus. Audis etiam Senecam aſſerentem quæ noſter Seruator: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Seneca dicit, Cui non poſſit inijci manus. Aſſerit etiam ore pleno, quæ Moſes de ſimilitudine animi cum Deo prodidit, dicens, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Seneca uerò in eo, quòd in ſapientem non cadit iniuria, Sapiens autem uicinus, proximusq; Dijs conſiſtit excepta morte, ſimilis Deo. Quòd autem de morte corporis ſentiat, apparet, cum in eodem libro de conſolatione ſcribit. Tunc peragratis humilioribus, ad ſumma prorupit, & pulcherrimo diuinorum ſpectaculo fruitur, æternitatis ſuæ memor, in omne quod fuit, futurumq; eſt, cuadit omnibus ſeculis. Ecce memorat animorum æternitatem. Declarans autem hæc omnia plenius, nec ullam ambagem reliquens de beatitudine, æternitateq; animorum, congruensq; cum Theologia noſtra, ſic ſcribit, in libro de Breuitate uitæ: In hoc tã procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus, nullus portus niſi mortis eſt. Ne itaq; inuideris fratri tuo, quieſcit, tandẽ liber, tandem tutus, tandẽ æternus eſt. Fruitur nunc aperto, et libero cœlo, ex humili atq; depreſſo in eum emicuit locũ, quiſquis ille eſt, qui ſolutas uinculis animas, beato recipit ſinu, & nunc liberè uagatur, omniaq; rerum naturæ bona, cum ſumma uoluptate recipit. Erras, non perdidit lucem frater tuus, ſed ſecuriorem ſortitus eſt. Omnibus illud nobis commune iter eſt. Quid fata deflemus? Non reliquit ille nos, ſed anteceſſit. Quid his mirabilius? quid aliud qui cœleſti ſpiritu fuiſſet afflatus, cecinißet? Ecce igitur animus æternus. Ecce locus ille beatus, quem ſentit, ſed appellare non audet. Eſt enim Deus, eſt regnum cœlorum, eſt ſinus Abrahæ. Ecce lux æterna, longè noſtra melior. Ecce non relinquimur à noſtris, ſed illi nos antecedunt. Et hæc dixit non Chriſtianus, non Hebræus, ſed Romanus lingua, quem literæ cœleſtes non imbuiſſent, ſed ipſa ratio duceret, Mirabile certè hodiernæ ueritati, & in declarationem totius Philoſophiæ teſtimonium. Sui quoq; ſimilis, & in eadem confeßione perſiſtens, in Quæſtionibus naturalibus ait, Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeßionem animus admittitur. Et ita ſi minimum ex corpore ſecum tulit, ſi ſordidum omne deterſit. Et expeditus, leuis que, ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, creſcit, ac uelut uinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum Diuinitatis ſuæ, quòd illum diuina delectant, nec ut alienis, ſed intereſt ut ſuis. Illic demũ uixit, quod diu quæſiuit. Illic incipit Deum

noſſe.

noſſe. Hæc ille. Quæ quidem rationes, Ariſtoteli quoque priori placuerunt, cum dixit in Moribus ſpeculationem animi, facultatemq; intelligendi diuinam, alterius quàm omnes alias operationes generis eſſe. Dixit animum Dijs proximum, cognatum, dixit ſolum hunc eſſe diuinum, immortalem, ſempiternum, incorruptibilem. In argumentum Diuinitatis eius accepit ipſam ſpeculationem, quæ ſola diuina ſit, ſola beatitudo animi, qui eſt uerus homo? qua etiam Deus, qui eſt purus animus, ſit beatus.

De ſempiternis animis hauſtis ex origine diuina, ex eodem Seneca. De eorum diuina ſtirpe, atq; natura. De naturali die, quo peruolabunt ad ſuperos. De uita beata poſt mortem, eiusq; diuina deſcriptio. Cap. XIII.

DEnique non his omnibus, quæ pectore pleno, & uelut copiæ cornu effudit contentus, in Quæſtionibus naturalibus, & originem diuinitus eis eſſe, & immortalitatem aſſeruit, ſic memorans: Animus uerò diuina origine hauſtus, cui nec ſenectus ulla, nec mors oneroſi corporis obſtat, uinculis exolutas, ad ſedes ſuas & cognata ſidera reuertitur. Sic ille. Si quis igitur noſſe uellet, quid Ariſtoteles ſentiret, cum dixit, Animum qui Græcè dicitur νοῦς, ingredi θύραθεν, extrinſecus, non ne ſentiet eum reſpexiſſe, quod apertius, & audacius is Philoſophus exclamat, diuina origine hauſtus Moſes ſua lingua, diuino afflatu? Id Ariſtoteles quoque dixit, cum mentem uocauit συγγενέστατον, ex eodem maximè genere atq; Dijs, ex eodem fonte hauſti. Marcus Tullius, ut appareat omnium ſapientiſſimorum concordia, Animos ait decerptos delibatoſq; ex Diuinitate. In libro quoque de Conſolatione pulcherrima immortalitatis argumenta decantat. Mobilis enim, inquit, & inquieta mens homini data eſt. Nunquam ſe tenet: ſpargitur, & cogitationes ſuas, in omnia nota, atq; ignota demittit? uaga & quietis impatiens eſt, et nouiſſima rerum rerũ lætiſſima. Quod non miraberis, ſi propriam eius originẽ aſpexeris, non ex terreno, & graui concreta corpore, ex illo cœleſti ſpiritu deſcendit. Hæc argumenta, Ariſtoteli quoq; mirificè placuerunt, ea omnibus libris ſuis uſurpanti. De Generatione animaliũ, quòd non ſit ex ſemine, & graui concreta corpore. In libris de Anima, et in Moribus, quòd animo ſit intelligendi diuina facultas, in omnia penetranti, æterna, ſpiritualia noſcenti. Quibus rationibus adductis pronunciauit eũ, & omnes eius operationes χωρισὰς, ſeparatas, ſegregatas à concretione mortali, non corporeas, non materiales, Solum animum, ſeu mentem diuinam eſſe, exterius ingredientem. Clariſſimè quoq; ſui ſimilis ſemper, in Epiſtolis ad Lucillũ pronunciat animos non extingui, diſſipariq; in morte. Videturq; etiã de reſurrectione neſcio quid effari. Epiſtola trigeſima ſexta, Et mors, ait, quam pertimeſcimus, intermittit uitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies. Arbitror hic Senecam rerum reparationem, quam ab antiquiſſimis ſeculis, & oraculis Sibyllarum audiſſent, innuere, quam & noſtræ literæ proteſtantur, cœlum terramq; nouam concinentes. Ab illis, & noſtris uocata παλιγγενεσία, regenera-

tio, reparatio: ſed in meliorem ſtatum, quod illi fortaſſe non adeò cognouerunt. Refert igitur ad corpoream uitam, cum ait, Mors intermittit, non eripit uitam. Cum autem mos omnium ſummorum Philoſophorum fuerit, ut ſuper rebus abſtruſioribus aſſerendis, cautè (necdum enim lux ueritatis omnis apparuerat) incederent, præcipuè in hac de animorum immortalitate, eam denique ſententiam ſuper his eorum, conſtitit eſſe, quam pluribus locis apertioribusq; uerbis poſtea confirmarunt. Quod ergo dubitanter ait Epiſtola ſexageſima quarta, & fortaſſe, ſi modo uera fama eſt, recipitq; nos locus aliquis, quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt. Et quòd paulò procul inde, Adijce nunc, quòd ſi modò corporibus ſolutæ animæ manent, felicioribus illis ſtatus reſtat, quàm eſt, dum uerſatur in corpore. Item, Magnus animus Deo pareat, & quicquid lex uniuerſi iubet, ſine cunctatione nunc patiatur, aut in meliorem emittitur uitam, lucidius, tranquilliusque inter diuina manſurus, aut certè ſine ullo futurus incommodo, naturæ ſuæ remiſcetur, & reuertetur in totum. Hæc inquam quæ cum dubitatione nunc proferuntur, multis alijs locis grandibus uocibus affirmantur, tota animi contentione, pulſis ambagibus, aſſeruntur. Exprimens enim animi diuinam, incorruptibilemque naturam, ait in eiſdem Epiſtolis, libro octauo, Ratio autem nihil aliud eſt quàm in corpus humanum pars diuini ſpiritus emerſa. Dicens rationem partem ſpiritus diuini, ſentit quaſi ſcintillam, afflatum, hauſtum, ſimilitudinem: creationem animi declarans eſſe, non qualem corporum ab elementis corruptibilibus, ſed ab origine diuina, iuxta Moſaicam philoſophiam, incorruptibilem, immortalem propter hanc ipſam originem. Audi autem aureos ſacro que è pectore ſpirantes ſuper æternitate ſermones, in eiſdem Epiſtolis: Tunc animus noſter habebit, quod gratuletur ſibi, cum emiſſus his tenebris, in quibus uolutatur, non tenui uiſu, clara proſpexerit, ſed totum diem admiſerit, & redditus cœlo ſuo fuerit, cum recepit locum quem occupauit ſorte naſcendi. Surſum uocant illum initia ſua. Erit autem illic etiam antequam hac cuſtodia exoluatur, cum uitia diſiecerit, purusq; ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. En Seneca dicit initia animi ſurſum eſſe, quo reuocetur ſemper animus, quibus uel in corpore purè, iuſteq; uiuendo intereſſe poſſit, inchoans in terris Paradiſum. Eadem affirmat, omnibus modis ingerit, cum ait in ipſis Epiſtolis, Si cui uirtus, animusque in corpore præſens, hic Deos æquat, illò tendit, originis ſuæ memor. Nemo improbe eò conatur aſcendere, unde deſcenderit. Quid eſt autem, cur non exiſtimes in eo diuini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? Totum hoc quo continemur, & unum eſt, & Deus, & ſocij eius ſumus, & membra. Capax eſt noſter animus, perfertur illò, ſi uitia non deprimunt. Nam ſi aliena ui ad ſumma niteretur, magnus erat labor ire in cœlum. Hæc ille. nunc etiam partem Dei dicens animum, eodem, quo ſuperius monſtrauimus, ſenſu intelligendus eſt. Quòd autem dixit, totum quo continemur eſſe Deum, uiſum ſuperius, cum de Deo loqueremur, Non ſcilicet mundanum corpus, ſed omnem uitam

tam per omnem mundum diffuſam, diuinam rationem, poteſtatem ubiq; præſentem, per quem omnes uiuimus, à qua natus animus, natus autem non ex illa ſubſtantia diuina, ſed emiſſus, efflatus ineffabili modo. Eo'que ait, ferri animum ad autorem ſuum, niſi uitia depreſſerint, graui pondere in terram detraxerint. Dicit item de eo qui nunquam queſtus eſt, qui paret legibus Dei. Habebat perfectum animum ad ſumma ſui adductus, ſupra quam nihil eſt, niſi mens Dei, ex qua pars & in hoc pectus defluxit. Maximum inquam Lucili argumentum animi ab altiori uenientis ſede, ſi hæc in quibus uerſatur humilia iudicat, & angusta, ſi exire non metuit. Scit enim quò exiturus ſit, qui unde uenerit meminit. Hic quoque eſt ea Philoſophia, à mente diuina fluxiſſe in hoc pectus particulam, nato & fato corpore ex ſemine mortali, cœlitus animo demiſſo, corporiq; deuincto, parte diuina immortali, cum terrena mortali copulata. Fluxiſſe autem ex mente diuina, ineffabili & incognito nobis modo, clamat item ab altiori uenisſe animum ſede: Hoc illud Ariſtotelis θύραθεν, exterius, extrinſecus, à porta, nempe ab altiori ſede. Idem non rationibus modò de fonte naturæ petitis probat, & animos oriri cœlitus, ab immortali fonte, & poſt diceſſum in immortalitatis regna reſtitui, ſed & hac ratione lætatur, qua Plato, & Marcus, Epiſtola centeſima octaua, cum inquit: De animarum æternitate diſſerimus, non leue momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut Deos colentium. Sic ait. Hoc quidem argumentum, ut dixi, placuit etiam Platoni, Ciceroni. Denique Seneca totis effuſus habenis, omnibus diſiectis ambagibus, nuſquam amplius hæſitans, ſed plenis uelis, immortalitatis portum ingreſſus, canit æternitatem, requiem animorum: & quaſi de terris ſuſpiciens eos ſinu diuorum receptos, miratur, exultat, inuitat ad hos triumphos, omnes: ut penè miraculum ſit, philoſophum profanum uelut ex adytis cœleſtis ſapientiæ prodeuntem myſteria tanta pectoribus plenis effundere. Epiſtola centeſima ſecunda, Cum uenerit dies ille, qui miſtum hoc humani, diuini'que ſecernat tempus, hic tibi inueni relinquam, ipſe me diei reddam: nec nunc ſine illis ſum, ſed graui, terrenoq; pondere detineor per has mortalis æui moras. Illi meliori uitæ, longiori'que præluditur. Quemadmodum nouem menſibus nos tenet maternus uterus, & præparat non ſibi, ſed illi loco, in quem uidemur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatiũ, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium naturæ ſummur paſtum, alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus. Nondum cœlum niſi ex interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Tranſeundum eſt. Dies iſte, quem tanquam ſupremum reformidas, æterni natalis eſt. Quid iſta ſic diligis quaſi tua? iſtis operatus es? Veniet qui te reuelet dies, & ex commercio fœdi, atque olidi uentris educat. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux

undiq; clara percutiet. Nulla ſerenum umbra turbabit, æqualiter ſplendebit omne cœli latus. Dies, & nox æris infimi uices ſunt. Tunc in tenebris uixiſſe dices, cum totam lucem & totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum uias obſcurè intueris, & tamen admiraris illam procul. Quid tibi uidebitur diuina lux, cum illam ſuo loco uideris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum teſtes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari iubet & æternitatem proponere, Quam qui mentem concepit, nullos horret exercitus, non terretur turba, nullis ad timorem minis agitur. Huc uſq; diuinus uates (ſic enim aueo dicere) uelut unus è noſtris, à naturæ ſecretis profectus, quem docuit prudentia, ratio, uerus inſtinctus, imò ſpiritus ipſe ſanctus, qui ſæpe profanis dedit cœleſtia loqui. Quæ noſtri uates, nuntij certiſſimi, uocibus ætherijs, per omnes generis humani ſedes inuulgarũt, perſpicua, notiſſima fecerunt, eadem ipſe canit. Audis hic nobiliſſimas, Apoſtolicas penè uoces: Alia origo nos expectat. Dies uitæ ſupremus, æterni natalis eſt. Ad aliam natiuitatem præparamur. In alium naturæ ſumimur partum. Hora illa fatalis, non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Sentis quàm conſonet cum diuino Paulo? Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Audis etiam lætitiam, felicitatem animorum, cum lux æterna, lux diuina tota clarebit. Cum igitur dicant hæc illi, qui non fuere Chriſtiani, certè conſtat, ſolam illam eſſe, quæ ſupremo tempore cœlitus fulſit, ueritatem, cui Philoſophorum, ſapientiſſimorumq; hominum uoces conſonarunt.

De ſimilitudine, & imagine animorum cum Deo, ex Platone, qui tota ſua Philoſophia hoc idem perhibuerit: Et quòd hanc cauſam immortalitatis eorum aſſeruit. Cap. XIIII.

AD immortalitatem animorum comprobandam prima, præcipuaq; ratio, ex cunctorum mortalium conſenſu propoſita fuit, quòd non ſunt ex mortali natura, elementorumq; progenie: ſed cum & à Deo, & ad imaginem Dei creatos eos aſſerant cuncti, docere poſſemus omnes gentes Theologiam Moſaicam aut ſecutas, & comprobaſſe, inde præclaras has de noſtrorum cum Deo ſimilitudine animorum, ſententias haurientes, aut ipſam rerum, quam Deus in primordio feciſſet, ueritatem hominibus apparentẽ, ſe declaraſſe, et ad ſui confeſſionẽ ignaros eos fortaſſe Philoſophiæ Moſaicæ, uocaſſe. Nam omnes ſuperius mirabili conſenſu, de diuino genere animorum loquebantur: alij eos ſcintillas, quæ quaſi ex Deo fulſiſſent, aut abſciſſiones quaſdam ex eo: alij delibationes, & hauſtus: alij afflatus: alij genus eius, & ſtirpẽ eos appellantes. Et ut Ariſtoteles eos uocauit maximè conſanguĩneos Deo, ut ſic loquar, ſiue ex eadẽ agnatione, et gente, ex quo cũctis hæc erat firma immmortalitatis eorũ ratio, ſic Plato Philoſophorũ eximius, ſæpe dixit idẽ, et uſus eſt hoc cũ primis de immortalitate argumento. Moſes ergo (ut Platonẽ cum eo conferam) ſcripſit, Deũ ad imaginẽ, & ſimilitudinem ſuam, hominẽ feciſſe, eaq; eſt ratio immortalitatis: in Phædone autẽ, hoc eſt, in libro de Anima, Plato, τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως,

κεφ

κὰὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι, ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν: Non ne, inquit, censes, animum esse simillimum ei, quod diuinum est, & immortale, & intelligibile, & uniforme, & indissolubile, & semper eodem modo similiterq; in se permanet? Ecce animus simillimus ei quod est diuinum, immortale, cæteraq;, quæ sunt descriptio Diuinitatis, quam solet semper definire Plato, ut est in Timæo, & Politico, multisq; alijs locis, eodem modo semper habentem, uniformẽ, indissolubilem. Quia solus, ut inquit ille, habet immortalitatem uerã. Ad hæc νοητὸν, intelligibile, id est, quod sola mente possit intelligi, considerari, non oculis ut corpora, omniaq; sensibus corporeis subiacentia. Dicitq; in Politico, τὸ κατὰ ταυτὰ, κὰὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ, & ταυτὸν εἶναι, τοῖς θείοις τοῦτοις προσήκει μόνοις: Habere similiter semper & eodem modo, idemq; esse, solis diuinissimis congruit. Huic rei, simillimus est, ait, animus. Vides quanta cũ Aristotele, & Platone, & horum cũ Mose concordia? Aristoteles mens siue animus est Dijs συγγενέστατος, propinquissimus. Plato, ὁμοιότατος, simillimus. Moses, Ad imaginem, & similitudinem Dei fecit illum. Marcus Tullius, Est igitur homini cum Deo similitudo. Idẽ multo mirabilius in Tusculanis, Ergo animus, qui, ut ego, diuinus, ut Euripides audet dicere, Deus est. Ex hac ratione Plato uult animos redire, ubi à corporibus emigrauerint, ad suam stirpem, genus ad parentem, ad fontem suum, eodem loco, εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῷ τὸ θεῖον ἀπέρχεται τὸ θεῖοντε & ἀθάνατον, κὰὶ φρόνιμον. Nempe, Ad diuinitatem, immortalem, sapientem. Et πρὸς τὸν ἀγαθὸν, κὰὶ φρόνιμον θεὸν, Ad bonum, sapientemq; Deum. Ac si quis rectè iudicet, eadem de animi immortalitate est sententia Platonis, atq; Aristotelis. Nam Aristoteles in libris de Anima, ut uisum est superius, & tot alijs locis, animum dicit χωριστὸν, separabilem, segregatum. In eo libro, & in libro De generatione animaliũ uocat θεῖον: Ex quo, inquit, relinquitur, solum animum, siue mentem uenire exterius & hanc solam θεῖον εἶναι, diuinam esse. Immortalem deniq; & sempiternã pronunciat, & τοῦτο μόνον ἀθάνατον, κὰὶ ἀίδιον, Et solum immortale esse, & sempiternum, inquit de Anima. Omnia igitur, ut uides, aperta, clara, nullaq; ratione ambigua apud Platonẽ, ut similius & conformius loqui non potuerint, ut alter ex ore alterius excepisse uideatur. Rursus eodẽ libro expressius appellat animum θεοειδὲς, Deiformẽ. Eaq; etiã Sibyllarum est nuncupatio. In Politico quoq; eadem sensit, & pronunciauit, cũ ait ueritatem in animo, rerũq; bonarum, ac malarum in eo notionem esse, θεῖον ἐν δαιμονίῳ γένει, Rem diuinã in genere dæmonio, hoc est, in genere diuino, appellans genus diuinũ, siue dæmoniũ, ipsam mentẽ. Quemadmodũ in Phædone multis uerbis, & ut Aristoteles sæpissime. Ibiq; partẽ animæ diuinã, uidelicet ipsam mentẽ uocat ἀϊδγενὲς, generis sempiterni, dicens, κατὰ τὸ ξυγγενὲς, τὸ ἀϊδγενὲς τῆς ψυχῆς αὐτῶν μέρος. Vt in hac æterna animæ parte sit res ei similis, nempe notio, ueritas. Ex quo probatur eandem esse de immortalitate mentis Philosophiam Aristotelis, atque Platonis. Sicut enim Aristote-

les ſemper appellat mentem, ſeparans eam à reliquis partibus animæ, diuinam, immortalem, ſempiternã, Dijs ſimillimam, ac propinquiſſimam, ſic Plato τὸ ἀϊδιὲς μέρος ψυχῆς, ſempiternam animi partem, ſimillimam rei diuinißimæ, perpetuæ. Vt idem ipſe Ariſtoteles, loquens de anima corporis, uitæq; corporeæ inſormatrice ſeparat ſemper mentem, quæ ſapit, intelligit, recordatur, ei tribuens omnia, quæ tenentur eam immortalem, nunc diuinam dicens, nunc ſeparatam, nunc exterius uenientem, nunc ex genere diuino, ſic quoq; Plato, quem prorſus conſtat ſecutũ Ariſtotelem, in Alcibiade clariſſimè fatetur: ἔχομεν δὲν εἰπεῖν τί ὅτι ἡ ψυχὴ ἡμῶν ὅτερον ἢ τὸ τοῦτο, πρὸς ὃ εἰσλένεται ἡμῶν ἡ φρονεῖν ὀκ ἔχομεν. ὅῳ θείῳ ἀρά φαμεν ἔοικεν αὐτῆς κάι τῆς εἰς τὸ βλέπων, ᾧ πᾶν τὸ θεῖον γνὸς, θεόντε, καὶ φρόνησιν ὅτῳ ἡμῶν ἂν γνοίη μάλιστα. Poſſumus ne igitur, inquit, dicere quid ſit in anima diuinius? an hoc circa quod eſt ipſum noſſe, & ſapere? Nequaquam, inquit. Ergo diuinitati, hæc pars animæ ſimilis eſt, & qui in hanc reſpicit, totamq; diuinitatem, Deumq;, & ſapientiam, ſic & ſeipſum ſanè maximè noſcat. Hæc quoq; non Ariſtotelis modò, ſed Moſis Theologia eſt, Ad imaginem Dei fecit illum. Non ne uides eadẽ clamantes, aſſeuerantesq; maximos Philoſophos, aliorum Philoſophorum anteſignanos, ac principes? Docebat enim eos hanc naturæ Theologiam, quam Moſen inſtruxit priſcosq; doctor ipſe Deus. Nec mirum, inueniri qui Ariſtotelis intimam hanc Philoſophiã profundè nõ percipiant. Nonenim ſontem Philoſophiæ huius agnouerunt, eoq; nouis dogmatis repertis, dicta eius, quorum ſunt ferè parum capaces, deprauarunt. Eadem Plato quæ ſuperius, cum Moſe mirabiliter conſentiens retulit in Prothagora de agnatione, generis propinquitate inter hominem, ac Deum, quæ pòſt Ariſtoteles, inde Marcus, atq; alij uſurparunt. Refert eo libro Plato ea, quæ apud Moſen, & Aegyptios reperta uetuſtiſſimi Græcorum, paulo ſecus, quàm in fonte eſſet, tradiderunt, de homine ficto à Prometheo: ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας. πρῶτον μὲν διὰ τὸ θεὸν συγγενὲς εἶναι, χώων μόνον θεοὺς ἐνόμισε. καὶ ἐπεχείρει, βρώμης τε ἱδρύεσθαι, καὶ ἀγάλματα θεῶν. Cum autem homo, diuinæ particulæ particeps effectus eſſet, primum quidem propter conſanguinitatem, agnationemq; Dei, ſolos Deos ex animantibus opinabatur. Aggreſſuſq; aras erigere, & ſtatuas Deorum. Vides hic partem Dei, & propinquitatem, illud ipſum, quod Ariſtoteles uſurpauit nomen, θεοῖς σύγγενὲς ατος. Oſtendit Philo Iudæus hanc eſſe Theologiam Moſaicam: πᾶς ἄνθρωπος, κατὰ τὴν μ διάνοιαν ὠκείωται θείῳ λόγῳ, ἢ μακαρίας φύσεως ἐκ μαγεῖον ἢ ἀποσφασμα, ἢ ἀπαύγασμα γεγονὸς: Omnis homo ſecundum mentem aſſimilatur, domeſticus eſt, Verbo diuino, naturæ beatæ imago, uel abſciſſio, aut radius factus. Et diuus Paulus, Genus ergo cum ſimus Dei. Ex quo animorum immortalitas comprobatur. Hanc ob cauſam perhibet idem in Gorgia priſcos Poëtas, qui diuini eſſent, unanimiter immortalem animam dixiſſe: φασὶ γὰρ τὴν ψυχὴν τὸ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον. Ea fuit priſcorum ſapientia cui quid

recenti

recentiores poterunt obijcere? Similiter in nono de Repub. ut Aristoteteles, solam mentem diuinam dixit, sic ipse, τὸ θεῖον ἐν αὐτῷ ἄρχον, Diuinitatē, uel partem diuinam in unoquoq; homine imperantem. Ibidem, τὸ θειότατον, diuinissimam uocauit rationem, prudentiam, sicut cupiditatem feram agrestam: Illam quia ex genere diuinorum, ex immortali genere. Vsque igitur ad rauim uociferatus est, prædicauit animum esse ad imaginem, & similitudinem Dei, totisq; suis libris, ubi locus is tractandus esset, asseruit, hoc in primis utens ad immortalitatem argumento. Itaq; in decimo de Republica repetit ea, quæ dixerat in Phædone, cæterisq; libris: Oportet, inquit, de anima cernere, ὡς τῇ φιλοσοφίᾳ αὐτῆς, καὶ ἐννοεῖν ὧν ἐφάπτε/ται, τῷ οἴῳ ἐφίεται ὁμιλεῖν, ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷτε θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ ἀεὶ ὄντι: Quæ Philosophia eius, & cogitare quæ contingat, & optet consuetudines, & colloquia, ut quæ consanguinea sit, diuinæ, & immortali, semper existenti rei. En igitur testatur animum esse propinquum, affinem, cognatum, consanguineum rei diuinæ & immortali. Sumus enim genus eius, tanquam ab eo nati, procreati, fati, Eo que è terra creato corpore, spiritum dimisit à seipso. Ex his que denuo constat, & constare constantissimè, fortiter que quisque poterit asserere, eandem Platonis, atque Aristotelis esse de animi immortalitate sententiam, eisdem nominibus, eodem sermone ab utroque descriptam, declaratam, definitam. Quibus rationibus, & fonte Peripateticæ Philosophiæ reperto, quem Auerroës, alij que Peripateticorum aut nescierunt, aut non animaduerterunt, erroris eos sui coarguemus, ostendentes dogmata, quæ ad tollendam animorum immortalitatem excogitarunt, ex summa imperitia, & impudentia eos confinxisse, siue unicum in cunctis intellectum, siue singulum cuiusque, mortalem asserentes. Dicemus que eos nescijsse, Aristotelis de animæ parte diuina doctrinā, Platonis fuisse prioris, qui talia dicens, de mente, uel animo, & ad immortalitatem eius probandam dixerit, et animo prodigiosam illam cunctorum animorum unitatem non spectarit. Quæ nec Aristotelē oporteat considerasse, attendisse, cuius omnis de mentis immortalitate, ac diuinitate sermo fluxit ex fontibus Platonis. Siquidem in Timæo quoq; ad hanc eandem rationem spectat, quòd dixerit animam φυτὸν οὐκ ἔγγειον, ἀλλὰ οὐρά/νιον, ἐκεῖθεν γὰρ, ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἦν: Plantam non terrestrē, sed cœlestem, quòd inde primū animi exordiū fuerit. Videlicet quod Marcus Tullius: Animorū, inquit, in terris nulla origo inueniri potest. Et quod Aristoteles: Corpus, aër, & anima sensitiua à spuma uentris nascitur, animus autē solus est diuinus, et solus separabilis, solusq; ingreditur exterius. quid exterius sit, declarat Plato: sed et Moses prior, à deo demissus, in corpus: inde natus, inde fatus, et plātatus. quis nō intelligit, eandē trium summorū hominū esse Philosophiā, fluentē primū à Platone ad Aristotelē, ab his ad Tullii? Addit Plato, quod Aristoteles item, et Tull. sequuti sunt, ea quæ sapiunt, necessariò immortalia esse, et diuina, Φρονεῖν μὲν ἀθά/νατα καὶ θεῖα, ἄντερ ἀληθείας ἐφάπτηται, πᾶσα ἀνάγκη τοῦ. Hæc enim ratio semper

tio ſemper eſt apud Ariſtotelem. Sunt immortales animi, non ad unum uniuerſale ꝫ intellectū redeuntes. Nam ſummi uiri nunquam unum illum intellectum agnouerunt. Recentiorum Philoſophorum inuentum: quos operæpretium eſſet errorem ſuum agnoſcere, ſi pertinaces ſint, ueluti furentes, maleq; ſani ex omni Philoſophorum Republica exturbandi. Neq; enim uel ratio, uel præceptoris autoritas eos ad hæc flagitia concipienda deduxit, ſed inepta perſuaſio. Ariſtotelem hominem mortalem, et qui, ut cæteris homines falli poſſet, defendendum eſſe, ne ſibi contradixiſſe uideatur. Contraria uerò ſunt, dogma de æternitate mundi, & animorū æternitate. Malueruntq; cadere, obſcurarique ueritatem, quàm hominem mentiri, ac falli potuiſſe. Quod cum ſit dæmentiæ, eam ſuis profeſſoribus relinquemus, bonos et ſanos ad hæc conſideranda inuitantes. Addit enim ſimilis ubiq; ſui Plato in quinto de Legib. Omnium, quæ noſtra ſint, poſt Deum, ſiue, ut mos loquendi temporis eius fuit, poſt Deos, diuiniſſimam eſſe, ſimillimamq; ipſis Dijs animam noſtram: πάντων γὰρ τῶν αὐτοῦ κτημάτων μετὰ θεοὺς, ψυχὴ θεότατον, οἰκεότατον ὄν. Vides eum appellantem animam familiariſſimam, propinquiſſimam ipſi Deo, quod Ariſtotelesin Moribus, συγγενέστατον. Sic quoque in ſexto dicit hominem educatum ſapienterq; innutritum, eſſe animal mitiſſimum, ac θεότατον, diuiniſſimum. Haud ſecus etiam de diuinitate animorū, et cum Deo propinquitate, perhibuit in decimo, loquens cum eo, qui Deos eſſe putaret: ὅτι μὲν ἡμῖν θεοὺς συγγένεσιν ἴσως σε θεῖα πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει, τιμᾶν & νομίζειν: Quod quidem Deos arbitraris, fortaſſe quædam agnatio, affinitasq; diuina te ducit ad ſimile colendum, & credendum. Idem ſermo, idem nomen atq; apud Ariſtotelem in decimo de Moribus ut conſtet eum hinc didiciſſe. Denique Plato, autore Plutarcho de Placitis Philoſophorum, uocaliſſimè pronunciauit animam, & diuinitus natam, & immortalem. Plato inquit, τὸ μὲν λογικὸν ἄνθαρτον, & γὰρ τὴν ψυχὴν, οὐ θεὸν, ἀλλὰ θεοῦ ἔργον ἀϊδίου θεοῦ ὑπάρχειν: Partem rationalem eſſe immortalem. Etenim animam non Deum eſſe, ſed opus æterni Dei. Quanta cum Moſaica Theologia ſimilitudo?

De Phocylide uetuſtiſsimo Poëta, qui dixit animam immortalem, digreſſamq; à corpore fieri Deum. Et quòd ſimilia confeſſa eſt antiquiſsima Theologia Magogorum. Cap. XV.

PHocylides è priſcis illis uenerandis Græciæ, qui ante Philoſophos floruerunt, uatibus, mirabiliter omnem Moſaicam Chriſtianamq; Philoſophiam de animi creatione & immortalitate, & quòd ei ſit imago diuina, confirmat, in ſuis de uita decenda præceptis: Corpus, inquit, ſumptum è terra.

Ψυχὴ δ' ἀθάνατος, καὶ ἀγήρως, ζῇ δι' ἀπάντος,

Sed uiuunt animi, ſemper ſine morte, ſenectaq;.

Quid hoc ſacroſancta priſca, cui meritò poſteriores aſſurgant, Theologia uenerabilius? Autor autem Suidas è carminibus Sibyllinis, hanc Theologiam Phocylidem hauſiſſe. Addit idem:

Δεῖ γὰρ

Λείψανα ἀκριχορθῶν, ὀπίσω δὲ θεοὶ τελεθόντας.

Defunctis supereſt uita, & Dij deinde creantur.

Aſpicis reliquias defunctorum, quorum tametſi intereant corpora, uiuat tamen animus, et adeò uiuat, ut Deus exiſtat. Erunt enim, ut ait Chriſtus, omnes æquales Angelis Dei. Et, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Addit quoq; Phocylides,

Ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι οὐ φθιμένοισι.

Incorrupta manet anima nam luce carentum.

Quid quòd uel reſurrectura corpora prædixit à Sibyllis edoctus, uel ab his tenebris prædicauit animos abituros ad lucem, hoc carmine?

Καὶ τάχα δ' ἐκγαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν.

Atq; breui è terra ſperamus ſcandere ad auras,

Eſſe autem animum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, iuxta Theologiam Moſaicam, ſic idem aſſerit,

Πνεῦμα γὰρ ὅδε θεοῦ χῆσις θνητοῖσι καὶ ἀνώμ

Spiritus eſt uſura Dei, mortalibus atq; imago.

Hæc autem Phocylidis & Græcorum de immortalitate animorum ſententia, fuit etiam Chaldæorũ, quos Græci ſequebantur. Nam Magi, quorũ dogmata, paucis quibusdã uerſiculis comprenſa circunferuntur, quæ Platonem, Platonicosq; legiſſe deſumpſiſſeq; ex his multa, Philoſophi Græcorũ teſtantur, quorum teſtimonijs utuntur Proclus & Simplicius, ad alia hæc habent de immortalitate: Ζήτησον παράδεισον τὸν ἀμφιφανῆ καὶ ψυχῆς χῶρον: Quære Paradiſum, clariſſimã animorum regionẽ. Ecce uocat, dicitq; animos eſſe cœleſtes, quorum regio ſit flagrantiſſima, diuorum patria. Hoc declarans Pletho Gemiſto Platonicus, animam dicit iuxta Platonem, et Pythagoram indiuiduæ ſubſtantiæ, à materia prorſus ſegregatam, quemadmodum mentes ſupercœleſtes: οἷς ἅμα συγγενῶς τὰ ἔργα ἀποδίδωσι τῶν αὐτῶν, ὧν περ καὶ ἐκεῖναι ἐφαπτομένη καὶ αὐτὴ καὶ τῶν ὄντων ἡ γνώσεως, καὶ θεωρίας, ἄχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνωτάτω θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο, ἀνώλεθρον: Quibus ſimiles operationes efficit attingens ad eadem atq; ipſe, nempe rerum notiones, & contemplationes, uſq; ad ipſum ſupremum Deum. Eoq; incorruptibilis. Audis rationem Chaldæorũ, eandem & Platonis, atq; Ariſtotelis, qui cum operationes mentis conſideraſſent cœleſtes eſſe, ac diuinas, cenſuerunt, quæ tales efficeret, immortalem, ac diuinam, corpore quidem ueſtitam, latentemq; ſub corticem mortali. Rurſus eadem Magicæ uetuſtiſſimæ ſententiæ, quas Pythagoras et Plato deflorarunt: Ψυχὴ ἢ μερόπων θεὸν ἄγχι πως εἰς ἑαυτὴν, οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη θεόθεν μεμέθυσται, ἁρμονίαν αὐχεῖ γὰρ, ὑφ' ἣ πέλεται σῶμα ἔρωτεῖον: Anima hominũ Deum ferè aſtringit ad ſe, nihil mortale habens. Tota diuinitus ebria facta eſt. Harmonia enim gloriatur, ſub qua eſt corpus mortale. Hæc declarans Pletho, Anima, inquit, humana, Deum ad ſe quaſi aduinciet, ſiue fortiter aſſimulabit, nihil habens per ſe mortale. Tota diuinitus inebriata eſt, ſiue repleta

eſt,

εστ, τῶν θείων καλῶν, diuinorũ pulchrorũ, uel diuinorũ bonorum. Nam tametsi huic mortali corpori est deuincta, at et sic harmoniã nempe unitionem nobilitat, uel non deturpat, sub qua mortale existit corpus. Sed & sentit aliquid in seipsa ueluti ipsa existens, quæ talem toti administrationẽ administret: ὥστε τῶν θνητῶν τοῖς ἀθανάτοις, ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἑνωμένον, οὕτω & τὸ πᾶν ἐς μίαν τινὰ ἁρμονίαν συγκροτεῖσθαι: Quo circa unitis in homine mortalibus, cũ immortalibus, factũ est totũ una uelut harmonia. Sic Pletho. Clarus igitur sensus oraculi. Eadẽ Magica logia sic iterũ clamãt: ὅτι ψυχὴ πῦρ σύνεμά πατρὸς οὖσα φαεινὸν. ἀθάνατόν τε μένει, & ζωῆς ἀέσπετος ἐστι, καὶ ἴσχει πόμα πολλὰ πλήρωμα λαῶν: Est anima ignis clarus ex uirtute paterna. Incorrupta manens, & uitæ est regina suæq; Atq; sinu retinet mũdi loca plurima sola. Hæc declarans supradictus interpres, Virtutẽ, inquit, & potentiam, & uirtutẽ eius intelligibilem, & mentẽ paternam, eundẽ secundum Deum oracula hæc uocant ubiq;. Primũ omnium aliorũ, ex patre, & superno Deo profectũ. Dicitur igitur quòd ab hac paterna potestate facta est immediatè anima, existens ignis lucidus, siue diuina quædã substantia, manetq; immortalis, διὰ τὴν θεότητα τῆς οὐσίας, & δεσποτίζει, Propter diuinitatẽ substantiæ, & domina est uitæ uidelicet suæ, utpote nõ habens uitã abijciendã. Nam quæ habemus, quæ possunt abijci, ac demitti, horũ domini esse nõ possumus. Et continet anima uidelicet, κατὰ τὴν ἑαυτῆς ἀϊδιότητα: Secundũ suã æternitatẽ, multas plenitudines mundi sinuũ, siue uariorũ locorum suorũ in mundo, quæ ad rationẽ eorũ, quæ hic uixit, ubiq; assequitur. Sic illi ferẽtes animã esse lucẽ æternã, purissimã. quod testatur etiã Plutar. philosophos sensisse, φῶς τὴν οὐσίαν νομίζοντες. Putãt animã nõnulli philosophi lucẽ esse natura. In eo quẽ inscribit, an rectè dictũ sit, Viuẽdo latita, tũ alijs cõiecturis, tũ quia tenebras execratur, iucũdiss. sentit lucẽ. Rursus Chaldæus alio prodidit oraculo: ἐκ τείνας πυρινὸν νῶν, ἔργον ἐῶ ἐνσεβείς, ἔνσον & σῶμα σαώσῃς: Extẽdẽs igneã mentẽ, ad pietatis opus, seruabis et fragile corpus. Igneã, luminosã, ut uides, uocat mẽtẽ, corpus autẽ fluxũ. quicũq; uixerit piè, resurget cũ corpore ob pietatẽ, quã coluisset, efficiẽs, ut etiam corpus, quod natura fragile, fluxũq; est, maneat incolume. Est autẽ uaticiniũ de resurrectione corporũ. Ignis mẽtalis, est mẽs, nõ corporeus. Ideo fallebãtur, quos memorat Plutarchus cõtra Epicureũ, quosdã existimasse animas nũc in cœlo, nũc in terra multis annorũ curriculis uagatas, demũ resolui in mũdo cũ Sole et Luna, εἰς πῦρ νοερὸν ἀναφτεῖσας, In ignẽ mentalẽ accẽsas. Sed nõ potest mẽtalis ignis, in ignẽ corporeũ resolui. Tũ ignis mentalis est indissolubilis. Generatio igitur, siue creatio animæ à Deo, dicitur quasi radiatio, scintillatio, ut cũ ex igne excutitur nitor, aut scintilla. Simplicius primo Physicorũ idẽ phibet: & γὰρ ἡ ψυχὴ ὑπὸ θεοῦ ἐλάμπειν λέγεται: Dicitur enim anima à Deo radiare. Vera igitur sunt, quæ totis his cõmentationib. adnitimur probare, meliorẽ, syncerioremq; esse quo magis uetusta sit Philosophia. Multa sũt autẽ priscorũ monumẽta, quorũ uestigia quædã ab his, qui

bus tem/

bus temporũ uicinitas ea uidere dedit, quæ longinquitas nobis non permisisset, exhibentur nobis. Ecce Clemens Alexandreus in Stromatis testatur similia sensisse uetustissimum Poëtam Epicharmum de immortalitate animorum, atq; Phocylidem, prolatis his ex eo: γνῶσεβὴς νῷ πεφυκὼς ὀπάθοις ὀδὲν κακὸν καταθανὼν, αὖω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' ὄρανὸν, ψυχαὶ δ' ἀσεβῶν ὑπὸ πράνιοι ὠδὶ γαίας πεπῶνται ἄλγεσι φονίοισι, ὑπὸ ζάγλαως ἀφύκτοις κακῶς. θυσεβῶν δ' ἐπουρανίοι νεῦσι πολυπόις μακάρεσσι, μέγαν ἀείδουσιν ὕμνοις. Si pietatem animo coluisti, defunctus mali nihil patieris. Sursum in cœlo permanet spiritus. At impiorum animæ sub cœlo uagæ, doloribus sauis, cruciatibusq; æternis exagitantur. Animi piorum cœlestes, sinu beatorum recepti, iubilant hymnis. Hæc ut reperi produxi, meliora fortasse in suo fonte.

Epictetum in Philosophia cunctis admirabilem, creatum animum à Deo ad similitudinem suam fuisse confessum: & quòd membra corporis idem disposuerit, animo libertatem dederit. Cap. XVI.

SEd dimisso Platone priscisq; uatibus, cæteros Philosophos audiamus, omni propè ratione, de similitudine, & propinquitate animorum cum Deo, eorumq; ab ipso creatione iuxta Theologiam Mosaicam nobiscum congruentes, ut appareat unam fuisse semper religionem, ac pietatem, quam si mali homines, & ignari ueritatis, post multa ab eius ortu secula corruperunt, ea cum non culpa fuerit eius, hominum bonorum diligentia repurgata, pristino decori suo reddatur, principe, ac duce ueritatis Deo cunctos instruente, & illuminante. Arrianus igitur proponens sententias Epicteti, quem suæ tempestatis homines plurimum admirati sunt, multa ad hanc rationem pertinentia loquitur: εἴπις δὲ λέγματι συμπαθῆσαι κατ' ἀξίαν διώκετο, ὅτι γεγόναμεν ὑπὸ τοῦ θεοῦ πάντες πεπυσμένως ὡς ὁ θεὸς πατήρ ἐστι, τῶν τε ἀνθρώπων, ὡς τῶν θεῶν, οἶμαι ὅτι ἑαυτὸν ἀγενὲς, ὀδὲ πατρεινὸν φθυμηθήσεται, πρὸς ἑαυτ': Si quis ad hoc dogma, & opinionẽ dignè affici posset, quod facti simus omnes à Deo, & Deus pater est hominũ, atq; Deorũ, nihil arbitror de se ipso infame ac degener, humileq; sentiet, et cogitabit. Ecce siue Arrianus, siue Epictetus, cuius sententias compilauit Arrianus, neuter Christianus, sed Philosophus duntaxat, agnouerunt, prædicarunt omnes homines factos à Deo, eumq; esse patrem hominum atq; Deorum, nempe Angelorum. Quemadmodũ uerus, ac legitimus filius eius docuit in mundo homines precari, Pater noster. Et, Estote similes patri uestro, qui Solem suũ oriri facit super bonos, & malos. Hoc utiq; continetur rerum primæua, hominũ cum primis, atq; Angelorũ creatio, & congruit cum Theologis ueris Epictetus, hortantibus ut homo suæ dignitatẽ noscat naturæ, et ut attendamus ad petrã unde excisi sumus. Hinc fore ut nihil de nobis uile, atq; humile sentiamus, peruidentes nos esse ex genere diuino, habere patrẽ optimũ, clementissimũ. Rursus omnẽ corporis, atq; animi creationẽ, in summũ Deũ perinde atq; Archytas, et Trismegistus referentẽ cernere potes

tes Epictetum, & Arrianum. Vt enim Archytas ſuperius interiores corporis, atq; animi partes, organaq; ad rerum notiones capiendas neceſſaria diligenter expli/cans, à Deo formata, poſitaq; memorabat: & ut Triſmegiſtus, omnes ad amuſſim humani corporis artus executus, ex his gloriam Dei, antiquumq; hominis opifi/cium diuinis manibus elaboratum prædicabat, excitans tardos & ſtultos ad con/ſiderationem artificis, explicantesq; uterq; quàm compendioſè Moſes prodidiſſet Theologiam, ad eandem rationem Arrianus uel Epictetus perſequuntur, quæ tam artificioſè in mundo, & in humano corpore fabrefacta, niſi ſenſu & ratione ca/reamus, clarè de ipſo poſſint artifice teſtari. Num, inquit, Deus colores fecit, facul/tatem autem, quibus colores uiderentur, non fecit? Quæ igitur fuiſſet utilitas? certè nulla. At rurſum, ſi facultatẽ uiuendi quidem feciſſet, res autem quæ caderent ſub oculos non feciſſet, quæ demum utilitas? certè nulla. Quod ſi utraq; hæc feciſſet, lu/men non feciſſet, nec ſic quidem utilitas. Quis igitur aptauit illud ad iſtud, & iſtud ad illud? Quis aptauit gladium ad uaginam, uaginam ad gladium? An nullus? At/qui ex ipſis operibus ſoliti ſumus declarare, omnino alicuius artificis ea conſilio, non temerè facta eſſe: ἆρ' οὖν τούτων μὲν ἕκαστον ἐμφαίνει τεχνίτην, τὰ δὲ ὁρατὰ, καὶ ὁράσεις, καὶ φῶς οὐκ ἐμφαίνει. τὸ δὲ ἄρρεν & θῆλυ, & πρὸς θυμίαν πρὸς τὴν συνουσίαν ἑκατέρου οὐκ ἐμφαίνει. καὶ σύναμις ἡ χρῆσις καὶ τοῖς μορίοις τοῖς κατεσκευασμένοις οὐδὲ ταῦτα ἐμφαίνει τὸν τεχνίτην: Nunquid igitur hunc artificem, ſingulũ quodq; opus oſtendit, uiſibilia ue/rò, & uiſiones, ipſa lux non oſtendit? Maſculus item & fœmina, & utriuſq; ad coitum impetus non oſtendit? Tum facultas, quæ membris his elaboratis utitur, ne hæc quidem artificem oſtendunt? En Epictetus, cuius ſui temporis hominibus, uita, mores, doctrinaq; fuit admirationi, quem Philoſophi ſuſpexerunt, uel ille creatio/nis hoſtis Simplicius, maledicusq; Lucianus, qui fertur lucernam eius teſtaceam, multis millibus numorum emiſſe, clamat, bonus, & ſanctus, humani corporis har moniam aliquem declarare opificem, ferre teſtimonium opificia de ſuis opificibus. Cum ſtatuas, cum pictas imagines intuemur, ſubitò mens accurrit ad artificẽ: cum domos, palatia ſuſpicimus, extẽplò de opifice cogitamus. Sic qui non ſit ſtultus om/nino, cum tantum in humano corpore artificium, cum oculos, & ad eos colluſtran dos lucem exteriorem, ipſoſq; illuminatos colores perſpexerit, non ne exclamabit ſuper artifice? Cum uerò quam propagandorum hominum & generis per ſecula ſuccedentis artem repererit, cum membra in utroq; apta, eaq; generandi cupidi/tate inflammata cogitauerit, quid aliud dicet, quàm ſapientiſſimum quendam talia molitum? Agnoſceq; hoc loco, explicatam Theologiam Moſaicam, Maſculum, & fœminam creauit eos, & benedixit eis, dicens, Creſcite, & multiplicamini. Quæ enim fuit alia benedictio, niſi membra, uaſaq; genitalia prolificis ſeminibus reple/ta, & ad generandum rapida cupidine accenſa? Suſpice nunc & contemplare, re uocaq; ad animum ſimilia quoq; confeſſum duobus locis Ariſtotelem, qui præci/

puè

pue retulit ab ipſa Diuinitate, factum utrunq; ſexum ad commiſtionem, & propagationem, οὕτω προηνώμεται ὑπὸ τοῦ θείου, ἑκατέρου ἡ φύσις τοῦτο ἂν δρῶν. καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Et hæc quicunq; iudex æquus eſſe uelit, clarè ad exordium in Theologia Moſaica, totamq; illam operationem, quam ſimili modo uetuſtiſſimus Iob admiratus decantauit, ſpectant: Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Sicut lac mulſiſti me, genitura demiſſa (ſcilicet ex genitore) oſſibus & neruis compegiſti me. Quæ poteſt igitur eſſe maior Philoſophorum Theologiæ ueræ concordia? Fatetur Ariſtoteles creationem corporis humani, fatetur & ille, cui tantum Philoſophi tribuerunt, ut aſſererent, quem dicta eius non commouerent, duntaxat ſupereſſe, ut pœnas ſubterraneas expectet. Rurſus Epictetus & Arrianus, non modo corporis humani quondã Deum fatentur autorem, uerum etiam ipſius animi creatorem, quem iuris ſui liberum, ſolutum feciſſe ingenuè comprobat: Deus, inquit, non ſolum dedit nobis facultates has, quibus generoſè cuncta aduerſa perferamus: ἀλλὰ ὁ τὴν ἀγαθοῦ βασιλέως καὶ πατρὸς ἀληθείας πατρὸς ἀκώλυτον τοῦτο ἔδωκε ἀνανάγκαστον ἀπαραπόδιστον ὅλον αὐτὸ ἐφ' ἡμῖν ἐποίησε, οὐδὲ αὐτῷ τινὰ πρὸς τοῦτο ἰσχὺν ἀπολιπών, ὥστε ἢ ἐμποδίσαι: Sed quod erat regis boni, & uerè patris, dedit hoc liberum, expeditum, non coactũ, ipſumq; omne inſeruit, & poſuit in nobis, nec ullam uim eſſe reliquã uoluit, quæ poſſet ei impedimento eſſe. Hic et animi creatio eſt, et ea natura, in qua lucet diuinæ poteſtatis imago. Apparet enim in animi libertate, qua cupiditatibus, ſi uolumus, imperamus, motuſq; irrationales eouſq; ſuperamus, & ſopimus, ut duo in uno homine ineſſe cernantur, alter rector, moderator, alter cõpreſſus, & fremat quantum licet, parere coactus. In hoc inquã eſt, quod omnes prædicant, ſimilitudo cum Deo, ſacra poteſtas, imperium frænandarum beſtiarum, quas gerimus nobiſcum furoris, & cupiditatis. Hoc tribuit Epictetus animo, et datum à ſupremo Deo, ingenuè fatetur. Epictetum autem adeò ſuſpexere Philoſophi, ut dicta eius ferrent in cœlum, eximijs laudibus celebrarent, ea colligentes, & interpretationibus illuſtrantes. Quo Procli, Porphyrij, Simplicij, multorumq; aliorum improbitas aut imperitia coarguuntur, qui religionẽ infectabantur, eorum magiſtrã ueram, quæ reperta apud ſuos, ſuſpiciebant, uenerabantur.

Aliæ ſuper eodem, Epicteti ſententiæ, quod animus abſciſſus, ſiue radiauit a Deo & quid abſciſsio aut radiatio animorum. Caput XVII.

Epictetus ſiue Arrianus nõ contenti ſemel ſuperiora de ſimilitudine, & affinitate Dei & hominis prædicaſſe, quoniam hoc erat totius doctrinæ fundamentum ſine quo, nulla de recta, bonaq; uita dari præcepta poterant, nulla uera religio conſtitui, inculcat eadem, hinc cæteras uirtutes attollens, totamq; beatam, quietamq; uitam inædificans, εἰ ταῦτα ἐστὶν ἀληθῆ τὰ περὶ τῆς συγγενείας τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων λεγόμενα ὑπὸ τῶν φιλοσόφων, διὰ μηδὲν ἄλλο ἔστιν, ἑαυτὸν κόσμιον, διὰ τί μηδὲν τοῦ θεοῦ: Si, inquit, hæc ſunt uera, quæ de affinitate Dei,

et hominũ dicuntur à Philoſophis, cur ſe magis Athenienſem, aut Corinthiũ quis uocet, nõ potius mundanũ, non potius filiũ Dei? Subijcit idem, τὸ δὲ, τὸν θεὸν πατέρα ἔχειν, Ϲ πατέρα Ϲ ἡγεμόνα, ὀνειδίζει ἡμᾶς ἐξαιρήσεσθαι λύπας Ϲ φόβων: Habere, inquit, Deum creatorẽ, te patrem, ducemq; nõ nos id ab omni mœrore, timoreq; liberabit. Non ſolum ergo Epictetus, Ϲ Arrianus, eſſe hominẽ cum Deo ſimilitudinem, uel agnationem confitetur, ſed eam quoque aſſerunt aliorum Philoſophorum eſſe ſententiam. Vidimus ſuperius hos Philoſophos, præcipuè Platonem, Ariſtotelem, ſed ante hos, Pythagoram, qui Dei genus homines dixit. Aratum, aliosq; multos. Hos innuit, Ϲ ſequitur Epictetus, nulla ratione cum ſacris literis diſcrepans. Ego dixi, inquit Pſalmus, Dij eſtis, Ϲ filij excelſi omnes. Et, Videntes filij Dei, filias hominum Ϲ, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Non ne una eademq; eſt, fuit ſemper à conſtitutione mundi religio, tempeſtate diluuij contaminata pòſt hominum errore denuo polluta, reſidens tamen in animis ſapientum? Quoniam igitur eſt nobis cum Deo ſimilitudo, propinquitas, ex eo delibatis, Ϲ hauſtis, quid eſt, cur Ϲ non maximè lætemur, triumphemusq;, nihil humile de nobis ipſis ſentientes, nihil uile, noſtroq; fonte, et parente indignum agentes in uita, noſtræ naturæ dignitatem agnoſcentes? Cur non concurrimus omnes, qui ſententijs conſpiramus, nos affines eſſe Deo, ad religionem eius? Imò cur Philoſophi, ſapientes que non concurrebant ad eam? Sed certè ſapientes, Ϲ qui tyrannis, impijſq; imperatoribus non adularentur, eorumq; muneribus non inhiarent, ueritatem fragilibus bonis præferentes, concurrerunt. Quodſi alij ueritatem à ſuis prædicatam admirabantur, à noſtris autem ſimiliter prædicatam irridebant, aut ſtulti, aut maleuoli, immò q; fuerunt, aut ignari religionis huius ac maieſtatis eius uelut Andabatæ pugnabant cæci. Omnis hæc Theologia Epicteti, Arrianiq; noſtra eſt, aut è noſtris libris, ceu quæ probarent, deſumpta, aut certe ſuccedens illa per omnes ætates ad Philoſophos uſq; doctrina, nata ex eisdem fontibus, atq; noſtra, ſi ad primos genitores, unde fluxit Moſaica, reducatur, quæq; fuit penes Abraham, Iſaac, Iacob cæterosq; nõ nominatos ſapientiſſimos uiros. Ex uno enim parente Deo nati ſunt omnes: Et, ut D. Paulus apud Athenienſes, Fecitq; ex uno ſanguine omnem humanã gentem, quæ habitaret ſuper uniuerſam terram. Rurſus Epictetus eandem ſimilitudinẽ, ſocietatemq; hominis, ac Dei, declarans, hincq; omnẽ rectè uitæ rationem deducens ac ſtabiliens: Ϲ συγγενεῖς τίνες τοῦ θεοῦ ἐσμεν κακεῖθεν ἐληλύθαμεν, ἄφες ἡμᾶς ἀπελθεῖν, ὅθεν ἐξεληλύθαμεν: Non pudet, inquit, uitam cum dedecore tranſigere, impotenterq; in aduerſis cedere? Et affinitas nobis cũ Deo eſt. Illinc uenimus. Mitte nos regredi, unde uenimus. Hoc Epicteti dicto, facile poteſt intelligi, quid Ariſtoteles ſenſerit, cum ait mentẽ ſolam diuinã eſſe, ſolamq; uenire exterius. Venit ſcilicet, miſſa, infuſa, afflata diuinitus. Illinc ait Epictetus uenimus, eò redire nos oportet, ad priſtinũ domicilium. Quare quicunq; teſtimoniũ illud Ariſtotelis de pruuant, ei ſenſum neſcio quem aliũ coaptantes, cõſtet eos parum ueritatis eſſe gnaros, priſcam

ros, priſcam Philoſophiam neſcientes, quæ ſi obſcura, clauſaq; interdum apud Ariſtotelem eſt, dictis certè aliorum Philoſophorum, qui clarius diſſeruerunt, enucleatur. Sed recentiorum Philoſophorum ea ferè calamitas, ut radios multos, quos uaria de parte ueritas effundit, non cernant, propterea quòd uni ſeſe Ariſtoteli non dederũt modò, ſed adeò deuouerũt, ut ſi fuerit opus pro dogmatis eius tuendis, in ferrum flammamq; ruant: in cuius Philoſophia, ſic quasdam opiniones prauas concepерunt, ut ipſum ſi ſurgeret, ea deſtomachaturum putem. Pergit etiam Epictetus, ut qui nunquam Chriſtianus fuit, fuiſſe ob doctrinæ bonitatẽ uideatur: Omnia, inquit, connexa, atq; apta inter ſe ſunt, auditoq; quaſi imperio Dei, cuncta parent, cuncta cientur: ἀλλ' αἱ ψυχαὶ μέρη ὄντως εἰσὶν ἐνλελυμέναι, καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μορίαι ὄσαι, καὶ ἀποσπάσματα, ὁ παντὸς δὲ αὐτοῦ κινήμαθος, ἅτε οἰκεῖον καὶ συμφυὲς ὁ θεὸς αἰσθάνεται: At animorum, inquit, qui eò uſque ſunt connexi, & copulati Deo, ceu ſint particulæ eius, & abſciſſiones, non ne motum ceu proprium, & coniunctum ſentiet Deus? Aduertere commodum eſt hoc loco, hanc copulationem non eſſe ſubſtantialem, quod ipſe quoq; dixit Epictetus, Sunt enim animi, ut Philo quoq; diſertiſſimus aiebat, uſus eodem nomine atq; Epictetus, ἀποσπάσματα, abſciſſiones quædam, & auulſiones ex Deo. Dico autem abſciſſiones, non ſubſtantiales, ſed quales innuit Moſes, afflatus, aſpirationes, emiſſiones à ſa ipſo occultæ. Quod alio clariore nomine Philo declarat, ἀπαυγάσματα, ſcintillæ, radij, ex illa luce diuina miſſi, & abſciſi, ſeparatiq;. Beneq;, ut ſuperius uſum, nouit etiam Triſmegiſtus animos non eſſe de ſubſtantia Dei ad Aſclepiũ: ὁ νοῦς οὖν οὐκ ἐστὶν ἀποτετμημένος ἀπὸ τῆς θεότητος τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἁπλωθέντος, καθάπερ τὸ τῆς ἡλίου φῶς: Mens, inquit, nõ eſt abſciſſa ex ſubſtantia Dei ſed quaſi explicata, ueluti Solis lux. Declarat igitur Mercurius quod eſt in Moſe. Ea enim explicatio uocatur à Moſe, aſpiratio. Hoc innuit Philoſophus, ſunt abſciſſi, non à ſubſtantia, ſed quod ſecundum deſignat, ceu radij miſſi, ceu ſcintillæ, uelut ſpirationes, id Epictetum ſenſiſſe par eſt. Et diuus Paulus, nos genus eius dicit.

Quod factus eſt homo, in mundũq; introductus a Deo, ut contemplaretur, quod membra corporis ad operationes diſpoſita & quod is eſt eſt omniũ conſenſus. Cap. XVIII.

DEniq; omni Philoſophia ſua, quæ Platonicis, Peripateticisq; admirationi fuit, Epictetus clamat, iterum, iterũq; monet, hominem iuxta Moſen à Deo creatũ, nunc animum contemplans, nunc corporis opificium: ex hisq; in laudem creatoris & opificis, homines excitans. Ac primum, ut Moſes retulit, Deum hominem poſuiſſe in Paradiſo, ut habitaret, & cuſtodiret ipſum, nouiſſimumq; rerum creatarum hominem feciſſe, & ceu dominum, in palatium exædificatum induxiſſe, multaq; tacitus Moſes, prudentibus conſideranda reliquit. Haud aliter Epictetus, & Arrianus declarant & hominem in hunc mundum à Deo inductum, & quam ob cauſam ſit inductus: τὸν δὲ ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν, αὐτόν τε καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ ὁ μόνον θεατήν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν: Hominem autem contem-

platorem ſui & ſuorum operum introduxit: nec contemplatorem modò, ſed etiam eorum interpretem. Agnoſcis hic & humanam creationem, & ſupremũ opificis admirabilemq; conſiliũ, ut ex ædificato, ac conſtituto mundo, ſuis in ſedibus, omnibus ritè, rectèq; ſtabilitis, induceretur nouiſſimus ſpectator, ac contemplator, qui mirabilem hanc, pulcherrimam uaſtamq; admiratus domum, ſingularem agnoſceret, et fateretur, collaudaretq; architecti ſapientiã. Sic noſtra quoq; Theologia monſtrat, per ea quæ facta ſunt, conſpici intelligibilia. Et Ariſtoteles de mundo, Nõ alijs oculis, quibus inuiſibilem Duinitatẽ uideamus, opus eſſe, ſed his duntaxat, quibus cœlum, ac terras, maria, totoq; in mundo uitam, motusq; perſpiciamus. Hinc uera depromenda, deducendaq;, niſi quis ſe ſponte luce multare, ultroq; inſanire uelit argumenta ſuper artifice. Pariter omnes conueniunt, profani, ſacri, maior, minorq; Philoſophia, ex omni opere mundano quærendum, aſſerendumq; opificem. Oſtenſum enim ſuperius, Platonem, Ariſtotelem, Marcum Tull. in eandem ſententiam paribus ſuffragijs conceßiſſe. Quicunq; igitur hominem contemplatorem ſui introduxit, is certè creator eius ut ſe contemplaretur fuit. Eodem conſenſu Marcus Tull. ante Epictetũ. Hominemq; ipſum quaſi contemplatorem cœli, ac Deorum, ipſorumq; cultorem fecit. Sed Epictetus pergit etiam per ſingula, quod de contemplatione, prædicationeq; diuinorum operum in uniuerſum dixerat, in partes explicans. Eius non ab homine profeßiones, ſed quaſi à Propheta, aut Apoſtolo prolata, uerboq; Arrianus affert: Si mẽte, inquit, haberemus, an quicquã eſſet, quod nos facere deceret, niſi laudare Deum, gratiasq; cunctas referre? ὅτι ἐσθίοντας καὶ πίνοντας ἄσαι δεῖ τὸν ὕμνον, τὸν εἰς τὸν θεόν, μέγας ὁ θεὸς, ὅτι ἡμῖν παρέσχεν ὄργανα ταῦτα, δι' ὧν τὸν γῆν ἐργασόμεθα, μέγας ὁ θεὸς, ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι κατάποσιν, ὅτι κοιλίαν, ὅτι αὔξεσθαι λεληθότως, ὅτι καθεύδοντας ἀναπνεῖν. ταῦτα ἐφ' ἑκάστῃ ὑφνμεῖν ἔδει, καὶ τὸν μέγιστον καὶ θειότατον ὕμνον ἐφυμνεῖν. Non ne, ait, deceret & fodientes, & arantes, & comedentes canere laudem in Deũ? Magnus Deus quoniam nobis hæc inſtrumenta dedit, quibus terrã colimus, Magnus Deus, quoniam manus dedit, quoniam hauſtum, quoniam uentrem, quoniam creſcere tacitè, & latenter, quoniã dormientes reſpirare. Hæc ad unamquamq; rem concinere oporteret, ac maximum, diuiniſſimumq; hymnũ canere. Hæc ille dicit: quem, ut ſæpe docui (cogor enim identidẽ referre, atq; id Philoſophis recentioribus demonſtrare, ut hinc ſeipſos agnoſcant, cũ ſe ad ſcelerata, uel de immortalitate animi, uel æternitate mundi dogmata referunt) is inquam eſt Epictetus, quem ſuo tempore ſuſpexere omnes, Philoſophiam, mores, uitam inſtitutum admirantes. Neque enim Chriſtianus fuit, ſed qualis Plato, Socrates, uiri boni, ueritatemq; ab ipſa Natura, melioreq; Philoſophia haurientes: ſi quid à uetuſtioribus gentibus ad Græcos aſpiraſſet, collaudantes, exoſculantes. Forteq; uidit hæc in ſacris literis Epictetus, ſed reor magis maiorum Philoſophiam, quæ pia fuit omnis, ac religioſa, et Naturæ uo-

ces.

ees perſpectas habens, ea dixiſſe. Quis enim eſt, cui non uideatur, aliquem neceſſa rio creationis humanæ, eundemq; omnibus modis ſapientiſſimũ autorem fuiſſe, cu ius ſapientiam, primumq; conſilium, res conſecutæ declararunt. Vt igitur Moſes dixit de homine creato, Et poſuit eum in Paradiſo, ut operaretur, & cuſtodire ip ſum: & in terram miſit, fugatum è Paradiſo, quo, cultu agrorum deſudans, inde ui ctitaret: Sic Epictetus eundem ipſum confirmat manus ad fodiendum, arandumq; dediſſe, reliqua corporis membra ſic diſpoſuiſſe, ut niſi is membrorũ ordo, et tum ſecretæ, tum in propatulo operationes eſſent adhibitæ, nullum futurum fuerit ge nus humanum. Quid memorem arcanas illas, quæ latenter peraguntur operatio nes augendi, reſpirandi, cum dormimus? In quem ergo è noſtris alius exclamauit Theologus, Manus tuæ fecerunt me, et plaſmauerunt me. Alius autem, Ante, & re tro formaſti me: Et, Qui plantauit aurem non audiet: qui finxit oculũ, non conſide rauit: in eundem tollit laudem, exclamandumq; iubet Epictetus. In cuius oratione, operumq; diuinorum prædicatione profectò talis mundanæ creationis prædicatio continetur, qualem ante oculos habuere noſtri, qui ſimiliter eum ex operibus col laudabunt. Neq; enim qui dixit, Manus tuæ fecerunt me: æternitatem, perennemq; factionem reſpexit: ſed qualem Moſes deſcripſit: In principio creauit Deus cœlum & terram. Cum quo incluſa quoq; eſt humana creatio. Proſequitur autem Epicte tus, Quid igitur, ſi plerique obcæcati eſtis, non aliquem eſſe neceſſe eſt, qui locum hunc expleat, pro cunctis, efferens laudibus Deum? Quid aliud poſſum ſenex, & claudus, niſi laudare Deum? Si igitur eſſem luſcinia, facerem quæ luſcinia, Si cyg nus, quæ cygni. Nunc cum rationalis ſim, Deum me laudare oportet. Hoc unum opus perpetuo. Nunquam hunc ordinem, quoad datum fuerit, deſeram. Vosq; ad hanc eandem cantilenam cohortor. Ô hominem uerè diuinum, cuius exemplum debuit Porphyrium, Proclum, Simplicium, religionis hoſtes, potius ad eam uene randam, colendam, quàm contemnendã adducere, cuius eſt firma ſtabilisq; ſapien tia, Deum totius operis mundani, & humanæ gentis autorem ſemper collaudare, nihil noctesq; diesq; aliud agere, Solaq; ipſa faciens, quod illi faciendũ cogente na tura, fatebantur. Si probabant Epictetũ, ſi ſapientiam mirabantur, decebat eos ad mirari quoq;, qui religione hac initiati, ſimiles eſſent, redditi tales ab hac unica ſa pientiſſimaq; religione, tanquã uberrimo eorum fonte, quæ uelut ex riuulo loquen tem Epictetũ, & ad eam doctrinam uiuentem, ſtupebant, admirabantur. Sola igi tur hæc uerè laudat Deum, creatorem uerũ fatetur, & agnoſcit. Quoniam igitur facti ſumus à Deo, & ad eum formati, iure mandat, hortaturq; Epictetus, σὰ τὸ τοῦ θεοῦ σώζειν τὰ σύμβολα, Oportere nos ſeruare ſymbola Dei. Sci mus quid ſymbolum ſit, ſocietas naturæ, coniunctio, conformatio. Ac cerne ut Epi ctetus cum Chaldæo congruat, ut libro primo uidimus, σύμβολα πατρικὸς νοῦς ἐστὶ σωφρονίζειν ψυχάς: Symbola, inquit oraculũ Chaldaicũ, paterna mens inſeruit animis. Ecce ſymbolum inter hominem, ac Deum. Vt enim Pſellus ait, Quemad

modum ad imaginem Dei liber Moſaicus creat hominem, ſic creatorem Chaldæus teſtatur animis ſymbola ſuæ proprietatis inſeruiſſe.

Quod Philoſophi duplicem hominem aſſignauerint: ſed uerum ipſum animum, hunc immortalem & ſimilem Dei. Cap. XIX.

OMnes igitur mortales, quocunq; ſiue cupiditas ad ſpeculandum, ſiue Natura ad ueritatis agnitionem adduxiſſet, Græci, Chaldæi, Aegyptij, immortalitatem animorum una cuncti ducti ratione perhibuerunt. Ea ratio uarijs nominibus, eundem ſenſum reſonantibus apud omnes deſignatur, nunc à corporeis ſegregatio, manifeſtumq; à corporibus diſcrimen, & omnino rerum aliud genus. Nunc agnatio, familiaritas, nunc ſimilitudo Dei, nunc ſymbolum inter eum hominemq;, nunc cognitio, ſapientia, ſcientia. Eaq; omnia clarè dicuntur ab eis de mente, ſiue animo, quem uerum hominem eſſe, cum Plato, & Ariſtoteles poſt multa ſecula noſſent, prodidiſſent, Triſmegiſtus ante eos plurimos annos natus, hominibus inuulgauit, ut apparet omnium eandem ſententiam, conſenſumq; admirandum fuiſſe. Igitur qui prius dixerat, Deum creaſſe hominem ſibi ſimilem, eamq; uti propriam prolem dilexiſſe, deinde ſeparans, animũ, et corpus, hominem alterũ corpus ipſum mortale, alterum ipſam mentem immortalem, hancq; eſſe ſubſtantialem, uerumq; hominem: ἄνθρωπος δ' ἰωλῆς διὰ τὸ σῶμα θνητὸς, ἀθάνατος δὲ διὰ ψυχὴν, τὸν ὄντως δὴ ἄνθρωπον: Homo, inquit, eſt duplex, propter corpus mortalis, immortalis propter animam ſubſtantialem hominem. Vt igitur Ariſtoteles in decimo de Moribus, mentem propriè appellat hominem, & βέλτιον μόριον, meliorem particulam, dicitq; id optimum, iucundiſſimumq; eſſe cuique, quod ei proprium natura ſit, & τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος: Etiam homini, inquit, uita ſecundum mentem fore eiuſmodi, quandoquidem id maximè homo eſt. Ecce Mercurius Triſmegiſtus ipſam animam ſeu mentem uocat, ὄντως δὴ ἄνθρωπον, nempe uerum, ſubſtantialemq; hominem. Et quemadmodum hunc Ariſtoteles ſolum diuinum, exterius aduentantẽ dicit, ſic Mercurius, hunc immortalem, corpus autem corruptibile. Duo igitur æquali à cunctis prædicatione celebrata, nos & à Deo creatos, & generis affinitate cum eo ſociatos, qui nobis ſymbolum, prõprietatemq; naturæ ſuæ indiderit. Hoc illi ſenſerunt, locuti ſunt, quia per ſucceſſionem à primis hominibus, penes quos fuerunt ea perſpectiſſima, deſcenderunt in poſteros, ut quò procedas anterius in retro actas ætates, liquidius, maioreq; conſenſu deprehendas celebrata. Ferunt igitur Græci ſcriptores ſacri quod Thales, ἔλεγεν ἀδελφοὺς εἶναι ἡμᾶς, ὡς ἂν τοῦ ἑνὸς θεοῦ, & ἑνὸς διδασκάλου: Dicebant nos fratres eſſe ceu ſcilicet qui ex uno Deo, & præceptore. Illud uerò contemplatione dignißimum eſt, ut Plato partim rationem, partim priſcæ Theologiæ deſcenſum ſecutus, cuius hæres quaſi legitimus fuit, pronunciauit, eſſe animum uerum hominem, ſolumq; diuinum immortalẽ creatum à Deo longè alterius, quàm corpus conditionis, utq; hoc diſcrimen apud omnes Philoſophos extat. Quemadmodum igitur duplici

tur duplicem hominem dixit Mercurius, ſed ueram, totam que hominis ſubſtanti/am, ipſam mentem, uel animam: Ariſtoteles autem hunc duplicem hominem in li/bro de Generatione animalium luculenter expreßit, ac diſtinxit corpus, & om/nem à corpore inſeparabilem animam naſci dicens ex elementis, ſpuma, ſperma/te, ſemine, corporis excremento, mentem autem exterius aduentare, genus aliud, diuinum, & incorporeum: ſic Plato in cuius ſententiam prorſus uult Ariſtoteles, eam que alijs uerbis declarauit, adeò diſtinguit animum, & corpus, uelut duos ho mines, in Timæo, ut duos eorum ſtatuat creatores, creatorem animi Deum ſu/premum, corporis dæmones, Deos nempe minores Angelos. Atque eſt mirabilis Theologiæ Moſaicæ interpretatio, ut ſit operæpretium cernere conformitatem ſu/per creatione animi cum Moſe. Vt Moſes humum illam lutulentam, cœnoſam, madidam, imagine humana informatam, ſed ante pedes Dei mortuam, exanguem/que iacentem, afflatu Dei dicit animatam, dantis ex ſe ipſo, atque inſpirantis uita/lem ſubſtantiam, erat que corpus, quando non erat animus præſens, corpus de hu/mo terræ ſumptum, animus dimiſſus à Deo: ſic prorſus Plato creatorem animo/rum facit ſupremum illum opificem: Quorum, inquit, initium traditur uobis à me: Græcè, τὼν ἀρχὰς δὲ ὑπαρξάμενος ἐγὼ: Quorum, ait, ſatus, & initium tra ditur uobis à me. Quas ait ego ſeminaui, & inchoaui tradam uobis, loquens de a/nimis. Et nos ad id quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Formaſſe ſci licet corpus Angelos, animum ex ſeipſo immortalem, ſui ſimilem dediſſe. Liga/tum que fuiſſe mortale cum immortali, quod dicebat Triſmegiſtus duabus rebus, altera mortali corpore ſumpto è terra & elementis, altero animo immortali diui/nitus miſſo. Hic que eſt tum creatio animorum, & ſatus à Deo, tum eorum im/mortalitas. Similitudo quoque diuina, ut in Moſe, quia uocat eos ibidem Plato, ἀθα νάτοις ὁμώνυμον, uniuocum cum immortalibus, ut ſunt inter ſe animalia. Et, δι' ἐμοῦ ταῦτα γενόμενα, & βίου μετέχοντα, θεοῖς ἴσα ἔοικε ἄν: Hæc, inquit, per me creata, ſcilicet animi, uitam que aſſecuta, Dijs æquabantur. En ad/mirandus cum Moſaica Theologia conſenſus cunctis prædicantibus animos à cor/poribus ſeparatos. Moſes quia fuiſſet corpus, quando non erat animus, quia miſ/ſus animus à Deo, corpus è terra deſumptum. Plato, ſatus animus, & informatus à Deo immortalis, cum corpore mortali conſociatus. Marcus Tullius, Nec inuenie tur unquam, inquit, unde ad hominem uenire poſſint, niſi à Deo, loquens de ani/mis. Hæć eſt, quod Ariſtoteles θύραθεν, exterius, Marcus dicet, à Deo.

Quod ob hanc cauſam dixerunt animum e cœlo cecidiſſe in corpus, in quo uiuat in pœnam: & quod hæc ſuſpicio non ſit uera: & quod alio ſenſu intelligendum, quod priſci prodiderant: Et Plotini ſententia ſuper immortalitate animorum. Cap. XX.

EX Hac cauſa factum eſt, ut hanc mortalis rei, cum mortali conſociationẽ commi ſtionem, animorumq; cum corporibus colligationem, ex quodam rumore non

bene percepto, ad pœnam, & ſupplicium ipſorum, & ob quædam grauia ſcelera datam arbitrarentur, audientes ab antiquiſſimis progenitoribus, prius corpus fuiſſe inde animum exterius infuſum, atq; alligatum. Itaq; Philolaus Pythagoreus: μαρτυροῦνται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντεις ὡς διά τινας τιμωρίας, ἡ ψυχὴ τῷ σώματι συνέζευκται, καθάπερ ἐν σώματι τύτῳ τεθαπται: Teſtantur, inquit, priſci Theologi ac uates, quod propter ſupplicia, anima cum corpore eſt alligata, & quaſi in eo ſepulta. Hæc igitur ſuſpicio, quæ principium uerum habuiſſet, non ſanè intellectum, ipſorũ quoq; teſtimonio deſtruitur. Nam Plato creationem animorum et corporũ deſcribens in Timæo, ubi amandare ſuperſtitiones oportebat, phyſicaq; ratione agere, ſcripſit ſic naturaliter, & conſulto, diuinam prouidentiam animũ corpori colligaſſe, ſicut naturaliter & utiliter creauit cœlum, & terram. Sed huius famæ uera cauſa fuit, quòd Paradiſum, quemadmodum Chaldæi myſticè interpretantes, etiam hominem è paradiſo fugatum, animam ſcilicet è cœlo deiectam, incluſamq; in corpus propter peccatum, quod, & ipſum myſticè ſenſerunt, exponebant. Qui quidem error autorũ ſuorum rationibus poſtea deſtruetur. Illud modò conſtet diuinorum animorum, ſeparatamq; à corporibus naturam, atq; ſocietatem cum Dijs habere, omnes agnouiſſe, prodidiſſe. Plotinus etiam his reſpondit, qui ſæpe & memoriam, ſenſumq; impeditum, turbatumq; cernentes de immortalitate dubitarunt, ipſi cæci, cœnoſoq; iudicio & caliganti: Anima, inquit, cum Dijs habet commerciũ, immortalis: facileq; id poſſet à nobis agnoſci, ſi puram, limpidamq; eam, ut ait Plato, uideremus. Nunc autem ſæpe labefactam cernentes, neq; diuinam, neque immortalem arbitramur. Sed enim cum naturam rerum ponderamus, puritatem earum inſpicere fas eſt. Quandoquidem quod adiectum eſt, ſemper eſſe ſolet impedimento ad eius perfectam notiouem, cui facta acceſſio extrinſecus eſt. Itaq; conſideret demptis, ac detractis alienis, ſe quiſq;: καὶ πιστύσῃ ἀθάνατον ἐὰν, ὅταν ἑαυτὸν θεάσηται ἐν τῷ νοητῷ, μὴ ἐν καθαρῷ γεγενημένον. ὁρᾷ γὰρ νῦν ὁρῶντα, ὅτι αἰθητόν τι, δὲ τὸ θνητὸν τύτῳ τὸ ἀλλ' ἀϊδίῳ, τὸ ἀΐδιον καταναοῦντα, πάντα τὰ ἐν τῷ νοητῷ, κόσμον μὴ αὐτὸν νοητὸν, μὴ φωτὶ νοῦν γεγενημένον: Credetq; ſe immortalem, cum ſeipſum uiderit in natura intellectuali, ac pura. Videbit enim mentẽ aſpicere, et noſſe, nihil ſenſibile, neq; rem mortalẽ ullam, ſed cum re ſempiterna, ſempiternã rem intelligentem, omniaq; in natura intellectuali, mundumq; ſeipſum intellectualem, & luminoſum eſſe. Sic Plotinus. Eius igitur ſententia eſt, ut cernis, animos immortales, & ſempiternos eſſe, quia ſolis his res æternæ, & immortales noſcantur, ſicut ſenſu mortali mortalia capiuntur. Eam facultatem, qua res ſempiternæ, & incorporeæ comprehenduntur (quæ eſt tota ratio Ariſtotelis) incorpoream ſempiternã eſſe. Sic colligit Ariſtoteles, animũ eſſe ſempiternum, & incorporeũ, quia ſolus ſentit res ſempiternas, & incorporeas. Animumq; eſſe intellectuale lumen, ſempiternũ. Simili ratione uſus Plato, ut conſtitit ſuperius. Fieri quoq; poteſt hac admonitione quiſq;

cautior

cautior, ac firmior, cum uiderit animos imbecillos, uacillantes, affectos. Abſcinde, inquit, Plotinus, tolle non ſua: Videbis diuinũ, magnum, lumen longè, latéq; ſpiritu aliter progrediens animũ. Ea quæ ſapiunt, noſcunt, cogitant, proderant, prouident (cui ſubſcribit Ariſtoteles) ſunt incorrupta, immortalia. Diuinumquoq; eſſe animũ, eumq; uerum hominẽ, iuxta ſuperiores, datamq; ei præter cæteras animantes, particularem ſortem, luculenter ſuper Epictetum prædicauit Simplicius: ὁ δὲ ὄντως ἄνθρωπος ἐᾶν βούλωται, τῇ τῶν θηρίων ἀγχίνοιαν, ἢ ἑαυτὸν πρόθυμός ἐστι κτήσασθαι, ἣν ὁ θεὸς πρὸ τῶν ἄλλων ἀλόγων ζώων τοῖς ἀνθρώποις ἐχαρίσατο, ὅστις σπουδάζει τῷ ἑαυτοῦ λογικὴν ψυχὴν ὥσπερ ἔχει φύσεως, ὅτι τῶν ζῆν: Qui uerè, inquit, homo eſſe uult, dignitatemq; generis ſui cupiat redimere, quam Deus præter animalia bruta hominibus largitus eſt, is ſtudet ut animus ſuus rationalis ſic degat, ut natura habet. Ens uerus homo, generoſus, inſignis ſupra cæteras animantes: quod Deus ipſe largitus eſt. Nihilq; intereſt inter Simplicium, & Moſen hoc loco. Moſes, Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ut præeſſet piſcibus maris, & uolatilibus cœli. Hæc gratia diuinitus data eſt, ſimilitudo, proprietaſque diuina, data ratio, qua dominamur brutis. Is uerus homo.

Alexandrum Aphrodiſeum, animũ immortalem ſenſiſſe. Separare eum animam corpoream, ab anima diuinore. Animi agentis dignitatem primum ſummo Deo tum intellectui noſtro tribuere, utrumq; incorruptibilẽ, affirmantẽ. Alexandri clara uerba de intellectus humani incorruptibilitate. Cap. XXI.

SAepe ſolet & in ſcholis Philoſophorum, & in omni propemodum uitæ actione, error is accidere, ut adſint qui grauis alicuius uiri ſententiam, aut uocem perperam excipientes (ut ſumus omnes in malum, quàm bonum propenſiores) faciant ut fama inualeſcat, uiros eos ſimile quid ſenſiſſe, quale ipſi interpretantur. Accedit item ignoratio, cum libros eorum aut oſcitanter legimus, aut omnes legere nõ curamus, contenti pauca quædam uidiſſe, & ex his iudicium ſcriptorũ feciſſe. Hoc cum primis euenit de Alexandro Aphrodiſeo, qui cũ putetur paſſim animi immortalitatẽ repudiaſſe, qui ſcripta eius omnia legerit, põderauerit, perpenderit, inueniet nel eũ ſecus ſenſiſſe, quàm fama eſt, aut ſi ſenſit, habebit unde ex dictis ſuis eũ abundè coarguat. Quatuor igitur rationes, ad omnẽ hanc probationẽ præſtò ſunt, quarũ priores iudiciũ quoddã faciant, nõ ſenſiſſe Aphrodiſeũ, animã mortalẽ. poſteriores dilucidè, perſpicuè, nullis obumbrantib. ambagibus hoc ipſum prædicabũt. Senſit igitur Alexander cũ cæteris, eum qui dicitur animus aut mens, græcè νοῦς, immortalẽ. Primáq; ratio. Quia definitio, qua dicit, animã eſſe craſim & actũ, formãq; corporis, & ut eius utar uerbis, ἐκ τῆς ποιᾶς μίξεως καὶ κρᾶσεως τῶν πρώτων, Ex quadã miſtione, et temperatione primorũ elemẽtorũ, eſt definitio animæ corporeæ, corporeæq; uitæ, qua uiuit animal hoc corporeũ, terreſtre, corruptibile, mortale: quod ipſe paulo pòſt his uerbis declarat: γίνεται δὲ ἡμῖν ὡς προεῖπον ὁ λόγος

περὶ ψυχῆς ἢ τῶν ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ. ταύτης γὰρ καὶ ὁ προφερόμενος ὁρισμός: Fit, ait, nobis, quemadmodum prædiximus, sermo de anima eorum, quæ sunt in generatione, & corruptione. Hæc igitur est anima, quæ dicitur ab Aristotele, actus corporis organici. Secunda ratio, quòd animam diuiniorem, quæ proprie dicitur mens, siue animus, quo sapimus, res inuisibiles, arcanas, æternas apprehendimus, non uult inclusam esse sub hac definitione, quia dicit ibidem de anima Deorum: ἡ γὰρ θεῶν ψυχή, εἰ καὶ ταύτην δεῖ ψυχὴν καλεῖν, ὁμωνύμως ἂν τούτῳ ψυχὴ λέγοιτο: Nam animam Deorum, inquit, si modò ea uocitanda sit anima, æquiuocè cum hac diceretur. Volens fermè dicere Alexander, animam Deorum incorruptibilem, immortalem, non eius generis esse, cuius sunt ea, quæ cadunt, intereunt. Quòd autem animus noster sit ex hoc genere diuino, docet ipse Peripateticorum princeps, appellans in Moralibus, mentem νοῦν θεοῖς συγγενέστατον, Dijs cognatissimam, propinquissimam, ex eodem maximè genere. Vidimus item superiores unanimiter cunctos consentientes esse homines diuinum genus. È quibus Pythagoras ad omnes clamabat,

Θαῤῥεῖτε, ἐστὶ θεῖον γένος ἐσθλοβροτοῖσι.

Esto alacer, nam nobis est diuina origo. Et Aratus,

-Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν

Quod cum diuo Paulo placuisset, excepit his uerbis, Dei ergo cum simus genus. Seneca quoq; uir magnus, In homine, inquit, quid optimum est? ratio. hac antecedit animalia, Deos sequitur. Audis, Deos sequitur? Duobus maximè locis affirmat Aristoteles constare ex hoc diuino genere mentem, siue animum nostrum. In Moribus uocat συγγενέστατον. De generatione animalium, Relinquitur, inquit, solam eam, quæ dicitur mens, ingredi exterius, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, Et solam diuinam esse. Paulò infrà, τὸ μὲν χωριστὸν ὃν σώματος, ὅσοις ἐμπεριλαμβάνεται τὸ θεῖον, τοιοῦτος δ' ἐστὶν ὁ καλούμενος νοῦς: Nam quod segregabile, separabileq; est à corpore, quibus diuina pars adiuncta est. Ea est autem quæ mens, siue animus dicitur. Vides Aristotelem uocare mentem nostram θεῖον, diuinam partem, diuinũ nempe genus, stirpem diuinam, ex eo genere, quo anima Deorum: Et hanc dicere segregatam à corpore. Cum ergo dicat Alexander definitionem animæ corporeæ, qua uiuit animal hoc corruptibile, non conuenire animæ Deorũ, mentem autem nostram affirmat Aristoteles cum cæteris omnibus esse sicut animam Deorum diuinam, segregatam à commercio corporis, cui corporis interitus nihil noceat: profectò, uelit, nolit, eadem sentit, asserit Alexander. Nam qui prudenter dijudicet, idem sermo est, & esse debet Alexandri, atq; Aristotelis: Cum Aristoteles de anima sensibili, de semine principio animæ corpore, de spuma, excremento q; corporeo, super quo fundatur totum animal, omnisq; anima corruptibilis cutus. Deinde segregat ab hac corruptibilitate, corporeaq; natura, partem diuinam exterius uenientẽ, nihil ab illo spermate habentẽ. Tale quid sentit Alexander, cum

eum primum diſſerit, de anima, quæ fit, ut idem ait, ex craſi, & miſtione elementorum. Deinde ueniens ad diuinum genus, non corporeum, non corruptibile, dicit animam Deorum æquiuocè cum hac anima appellari. Sic igitur etiam æquiuocè dicetur & animus ſiue mens noſtra, quæ eſt diuina, cũ illa corruptibili anima. Tertia ratio erit, quòd nulla dubitatione interpoſita, uidetur Alexander clara uoce fateri, eam, quæ dicitur ab Ariſtotele mens actu, mens operans, Græcè ὁ ἐνεργείᾳ νοῦς, ὁ ποιητικὸς νοῦς, immortalem, incorruptibilem, alterius generis, q̃ omnia corpora. Ac primum ait: τὸ ἄρα ἀΰλον εἶδος, νοῦς, ὁ κυρίως τε καὶ κατ' ἐνέργειαν: Forma igitur immaterialis eſt ea, quæ propriè dicitur mens, et ſecundũ actum. Paulò pòſt: ἔστιν ὁ τοιοῦτος νοῦς, χωριστός τε καὶ ἀπαθὴς, καὶ ἀμιγής: Et eſt huiuſmodi intellectus, ſegregatus, impaſſibilis, impermiſtus alteri. Hæc Alexander. Verum attendendũ eſt, quòd hunc intellectum agentem, dicit ipſum Deum, & primam cauſam, appellatum ab Ariſtotele, in quo grauiter reprehenditur à Themiſtio, & ratio, quæ ducitur ex uerbis Ariſtotelis (ſi ſentit ſimpliciter id Alexander) apertè reclamat. Perſpiciendum igitur hoc loco primũ, quòd Alexander mentem agentem, mentem, ſiue animum indefatigabiliter noſcentem, ſemper in actione cognitionis exiſtentẽ, quæ dicitur ab Ariſtotele, intellectus actu, ſiue animus operans, ſentit, clamat, uociferatur, ſegregatum, impaſſibilem, incorruptibilem. Secundum, quòd huius intellectus, qui ſemper intelligit, fontaliter omni luce cognitionis impletur, principatum, primam dignitatem, tribuit intellectui diuino, qui dicitur prima cauſa, qui ſeipſum noſcit, intelligit, fruiturq̃, autore Ariſtotele, ſpeculatione maieſtatis ſuæ. Secundũ gradum, & locum tribuit intellectui noſtro, dicens intellectum agentem primo, ac principaliter appellari debere primam cauſam, omnis animi originem, ſecundo minus principaliter, intellectum noſtrum, incorruptibilem & ipſum. Si bene igitur cernas, ſi ſpecies altè, uidebis Alexandrũ non ſimpliciter prædicare, quòd Deus ſolus ſit intellectus agens, ſed quòd ipſe primus fruatur hoc honore, ipſe mens infinita, inexhauſta ſapientia, lumen immenſum. Secundo loco, et quidẽ longè inferius, debiliſſimumq̃ lumen præ illo, eſt intellectus noſter, immortalis & ipſe ſimiliter, & intellectus agens, et ſimiliter incorruptibilis, immaterialis, impaſſibilis, incorporeus, quemadmodũ magnus ille. Quòd autem hoc ſentiat Alexander, ex uerbis eius liquidò conſtat: Talis, inquit, nempe immaterialis incorruptibilis, oſtenditur ab Ariſtotele, πρῶτον αἴτιον, prima cauſa, qui & propriè mens, eoq̃ pretioſior noſtra, et quæ cũ corpore eſt. Dicet etiam Alexander, quòd mẽs, quæ intelligit ſempiterna, immortalia, immortalis et ipſa eſt. Hæc autẽ noſtra eſt. Demũ Alexãder in fine totius rationis, Intellectus is, inquit, ὁ θύραθεν καὶ ἡμῖν γενόμενος καὶ ἄφθαρτος. ἄφθαρτος δὲ ὅτι ἡ φύσις αὐτῷ τοιαύτη, ὃ δὴ νοούμενος, ἄφθαρτος ἐν ἡμῖν νοῦς οὗτός ἐστι. ὅτι χωριστός τε ἐν ἡμῖν νοῦς, οὐ μὴν καὶ θύραθεν ἀριστοτέλης λέγει. νοῦς ὁ ἔξωθεν γινόμενος ἐν ὑμῖν. Quæ ſunt, Eſt exterius aduentans nobis, & exiſtens, & incorruptibilis. Incorruptibilis

ptibilis autem, quoniam ea eſt natura eius. Igitur intellectus, qui intelligitur, incorruptibilis in nobis is eſt, quoniam eſt ſegregatus in nobis intellectus, quem & Ariſtoteles exterius uenientẽ uocat, intellectus exterius exiſtens in nobis. Sic Alexander. Hæc igitur ueritas eſt, cui nemo poſsit contradicere, quòd Alexander intellectum, quem Ariſtoteles in libris de Anima uocat operantem, ſiue intellectum actu, in libris de Generatione animaliũ appellat θύραθεν, exterius aduentatem, ſentit, fatetur, conſtanter appellat immortalem, incorruptibilem, à natura corporis ſegregatum. Quod ſi quis putet intellectum illum exterius uenientem, Alexandrum alium quàm noſtrum dixiſſe, ecce uerba ipſius autoris ſunt in propatulo, quibus ait intellectum in nobis ſegregatum, incorruptibilem, uenientem ad nos extrinſecus, Ipſeq; Ariſtoteles cũ de tota anima humana loqueretur, omnesq; corporeas facultates à corporeo principio naſcentes, inſeparabiles corpore, et cum eo corruptibiles pronunciaſſet, demum concluſit, reliquum eſſe ſolum eum, qui dicitur mens in nobis diuinam eſſe, ſegregatam à corpore, ſolamq; ab alia origine, quàm mortales illas facultates, uenientem. Loquitur ergo de quodam intellectu noſtro, eum tribus nominibus ab omni culpa mortalitatis uendicãs, quòd ſit ſeparabilis à corpore, inconcretus, quòd diuinus, quòd extrinſecus aduentans. Hunc autẽ Alexander cum affirmet, fateatur incorruptibilem, certè animum humanum, qui dicitur intellectus agens, exteriusq; aduentans, fatetur incorruptibilem, ſegregatum à corpore.

Quod idem Alexander Aphrodiſeus animum immortalem aſſeruit, & dubitationem de mortalitate reſoluit. Et quòd Plato prior & Ariſtoteles hoc ipſum docuerunt, oſtendentes organa labe facturi poſſe, animo incorrupto & inmolato. Cap. XXII.

MAgnæ profectò ſunt his habendæ gratiæ, qui labore ſtudioq; ſuo perfecerunt, ne diutius per ſcholas Philoſophorum, quos aliorum inſcitia inuexiſſet, debacchantur errores. Ecce aliud Alexandri admirabile de animi immortalitate teſtimonium, quod non uidiſſe peripateticos hodiernos, ut rarò ſolent fontem ueritatis adire, palam eſt. Secundo Problematum, oſtendens temperaturas & craſes bonas, facere uires naturales, atq; animæ, ut nonnulli ſentiunt, aut quod uerius, organa ipſarum. Nam pro ædificio organi, operari facultatem. Sic enim chordis in cithara, aut foraminibus in tibia bene poſitis, artificem optimè operari, praue autem habentibus, non operari bene, ipſum uerò nihil pati, ſed habere in potentia τὴν τέχνην σωζομένην, καὶ ὃ κατὰ ἐνέργειαν, artem ſeruatam, & non ſecundum actum. Sic ſi quis, uerbi cauſa, cerebro deprauato ſit ob intemperiem, non operaturam quidẽ, ψυχὴν λογικὴν, καθ' ἑαυτὴν ἀπερίστατος μεμένει δυνάμει τυγχάνουσα κατὰ τὴν ἐνέργειαν, διὰ τὸν ἀθάνατον, εὖ τε ὁρίσασα δὲ πάλιν ὀργάνου εὐκράτου, τὴν δύναμιν εἰς ἐνέργειαν προβάλλει καλῶς: Animam rationalẽ, ſed per ſe tamen immutabilẽ permanere, facultate et potentia, exiſtentem in actu, propter immortalitatem. Rurſumq; nactam organũ temperatum, potentiam in operationẽ proferre bene. Ecce ſui ſimilis Alexander. En explicatio, declaratio, cum uel infantes & pueros cernis non ſapere, uel ætate prouecta uiros inſanire,

inſanire, non mentis, inquit, animi uel ea cauſa eſt, ſed organi male affecti, uirtute, & ipſa matre operationum potentia, immota, incorrupta, immortali. Cuius maximè indicium eſt, quòd iterum nacta organum bodi, expurgataq; feculentia, operatur ut ſolita erat. Si mens abiiſſet, cum operatione deſtructa, nunquam redire poſſet. Manet, inquit, anima immutabilis, propter immortalitatem, qualem, ut ait Simplicius, creauerat eam Deus, prudentem, ſapientem: ſed accidit dementia, uel nobis uolentibus, ac praue ratione utentibus, uel organo deprauato, ipſa mente propter immortalitatem, incorrupta, immota. Hinc reſipiſcens, et pœnitens fit alia, aut redit in ſeipſam. Hæc Alexander ſentit etiam in libris de Anima. Coëgit igitur ueritas eum fateri quod erat. Sciendum autem, quòd hæc Alexandri ratio, eſt etiam Platonis in decimo de Republica: Non ne noſti, inquit, animam noſtram eſſe immortalem? Nam ſi corporis ægritudo, prauaq; affectio non efficit animã prauam, et ægrotam, nunquã poterimus dicere ab ullo malo eam perire, ſine deprauatione, malóq; ſuo. Itaq; neq; à febri, neq; ab alia ægritudine, aut cæde, neq; ſi quis toto corpore cæſus ſit fruſtillatim, ob hæc, animam interire dicet quiſquam, niſi prius comprobet, quòd ob corporis hæc mala, ipſa uel iniuſtior fiat, uel ſceleratior, quæ ſunt animi mala. Sed cum malum alienũ affuerit in alio, non adſit autẽ proprium, ne animam quidem quidquam perdere dicemus. Nemo uerò probabit animas intereuntium, ob mortẽ fieri deteriores. Tum concludit: Bene igitur dicis. Nam ſi proprium animi malum, non poterit animum interficere. (Siquidem iniuſti, & ſcelerati, non modò ipſi uiuunt, ut auferre cæteris uitã ſoleant) uix erit malũ, quod afferat animo perniciem. Ergo ſi neq; à proprio domeſtico ue, neq; alieno malo lædi-tur, δ᾽ηλονότι ἀνάγκη αὐτὸ εἰεὶ οὖν εἶναι εἰδ᾽ ἀεὶ οὖν ἀθανάτον, Liquet utiq; neceſſariò eum ſemper eſſe. Quòd ſi ſemper, etiam immortalem. Hæc Plato. Deinde ſubijcit ea, quæ Plotinus de immortalitate, ut conſideretur animus, qualis natura eſt, non ut à corpore, cõmunicationeq; corporis et cæteris malis offenſus, impeditus, ſed purus, ſyncerus, qualis debet eſſe, & eſſe ſolet animus ſapientium, ſimilis animis cœleſtibus, quos immortales nemo dubitat, retinens nobilitatem diuinam, & talis exiſtens qualem creauit eum Deus. Nunc autem uidemus eum ueluti Glaucum illum marinum Deum, aut fractis corporis partibus, aut fluctibus attritis, aut multatis, hærentibus oſtreis, aut alga, lapillisq;, ut uerius monſtro ſimilis ſit, quàm qualis natura eſſet, neque quiſquam priorem figuram recognoſcat. Huiuſmodi cogitemus animum, inquit, infinita malorum copia circumobſeſſum. At eò reſpiciamus, quibus cogitationibus euehitur, quorum inſpector, contemplator eſſe ſoleat, quibuſcum ſimilitudinem gerat. Hæc igitur, & ab Ariſtotele uiſa ſunt, & comprobata, & à Peripateticis, qui poſt eum floruerunt, declarata, explicata præſertim Alexandro, cui multum tribuunt cæteri Peripatetici. Nam animus, qui purus, cœleſtis, ſimilisq; naturæ diuinæ prius eſſet, exinde corpore aggrauante, conſumq; deprimẽte, malisq; affectionibus obſidentibus oppreſſaq; diuina ſimilitudine,

dine, bonitateq; immortali, non apparet. Sed Alexander è ratione Philoſophiæ do cet eam culpam, & fraudem uel organi eſſe, uel alienarum ab anima rerum, ipſa incorrupta, inuiolata. Cuius ſi dignitatem, immortalitatemq; noſſe uelis, ad ea re/ſpicias, quæ monuit diuinus Plato. Seiunge, quæ non ſunt eius. Vide quantum ſapi/entiæ, prudentiæ. Tu, inquit Marcus Tullius, cum ſiue Deus, ſiue mater (ut ita di/cam) rerum omnium Natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neq; diui/nius, ſic te ipſe abijcies, atque proſternes, ut nihil inter te, atque quadrupedem ali/quid putes intereſſe? Et, Animal, inquit, hoc ſagax, memor, plenum rationis, cæ/teraq; bona, quæ uidemus ab optimis poſſideri, ut Dij, & filij Dei meruerint ap/pellari. Hoc attende, hic inſiſte, Similitudinem, cum optimus quiſque ſimulem in ſe Deo reddit, agnoſce. Conſimilis ferè ratio eſt in Phædone. Vt enim ſuperius Triſ/megiſtus, duplicem eſſe hominem aſſerebat, alterum mortalem, corruptibilem, al terum immortalem: Et ut Ariſtoteles hos duos uidit & oſtendit homines, alterum ſeparabilem, alterum inſeparabilem: Simplicius autem meliorem illum, nihil à di/gnitate ſua degenerantem inluxit: Plotinus & Plato obſeſſum meliorem corpo/reis peſtibus, ſed operationibus ſuis eluceſcere. Has autẽ operationes ſæpe, quem/admodum Ariſtoteles cum cæteris, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, memoriam dixit. In Phædone eas accepit, quibus tanquam duo in uno eodemq; homine cer/nantur, alteri iubens, & imperans, alteri obtemperans, affectiones corporis com/primens, frænansq; tanquam alteras à ſe libidines, & ſopiens. Quo non modò, affectiones corporis animam non eſſe, & quaſi contemperationem, harmoniamq; demonſtrat, ſed prorſus ſeiunctam ab eo, atque diuulſam. An, inquit, eorum quæ ſunt in homine, quicquam aliud imperare dices, quàm ipſum animum, præſertim ſapientem? Et ſi non aliud, an id imperium exercet, obſequens aut aduerſans affe/ctionibus? Dico uidelicet ſimile quid, ut ſi urgente ſiti, æſtuq;, in contrarium ten/dat, recuſans bibere: Similiter fame premente, nolit manducare, cæteraq; id genus innumera, in quibus conſtat animam corporeis cupiditatibus aduerſari. Quibus non corporis harmonia, & contemperatio aduerſatur. Nam harmonia nunquam chordis, & citharæ obſtat, ſed talis eſt cuiuſmodi corpus harmonicum, ſequens ip ſum, non imperans ei. Conſtat igitur animum in contrarium ubiq; ferè aduerſari corpori, eiq; omnibus modis tota uita dominari. Aſperius nonnunquam & cum dolore, ut in omni exercitatione, & in medicina: nonnunquam mitius. Interdumq; minitans furori, & cupiditati, aut timori, interdum monens, & ſuadens, ut alius prorſus exiſtens cum altera perſona loqui uideatur. ut Homerus facit in Odyſſea, ubi de Vlyſſe refert,

Tum ſecum, & cordi, percuſſo pectore, fatur.
Cor patere iſtud, nanq; hoc & grauiora tuliſti.

An, putes eum, inquit, hæc loquentem, credidiſſe animam eſſe harmoniam, & actum corporis organici phyſici, cui corporis affectiones dominentur, non potius

quæ

quæ agat, dominetuŕq; , multo quàm harmonia diuinius quiddam? Hæc Plato. Quæ eſt eadem atque ſuperius ratio: ut quemadmodum ex ſapientia, memoriaq; animi, falſam perſuaſionem deſtruebas oblatam ex organis deprauatis, operationi busq; ceſſantibus: Sic ex imperio, dominatuq; ſuper omnes cupiditates, & contra ſe propè minaciter tendere: Vel cum corpus ipſum urgemus, & impellimus, neq; cupiditatum ſuggeſtionibus acquieſcimus, comprobes imperatorem animum eſſe, ſeiunctum à natura corporis, prorſus ei diſsimilem, tanquam dominum, cui nulla cum cupiditatibus, & actu corporis ſit ſocietas. Ratio Ariſtotelis, cogens eum fateri, cum cætera in homine non ſeparentur, ſolum hunc ſeparari, tanquam facultatem, ſubſtantiamq; diuiniorem. Sapientia igitur, & prudentia, memoria, proſpectus, cogitatio, ſolertia, probant animum incorruptibilem, immortalem, diuinum. Probat etiam dominatus, imperium ſuper cupiditatibus, ſupra ſeipſum, reſiſtere ſibi, ſeſe regere, impellere corpus, exercere ſi uel recuſet, ſitienti potum denegare, Venerem appetenti non acquieſcere, formidantem increpare, obiurgare, iraſcenti & furenti frænum imponere. Quæ quidem probant, aliud omnino eſſe qui imperat, aliud cui imperatur, & tanquam aſino calcar, uel frænum adhibetur. Deniq; ſuperior Platonis ſententia, quã Alexander explicuit, fuit etiam Ariſtotelis, ſi quis prudenter inſpiciat. In primo de Anima, Mens autẽ uidetur ineſſe ſubſtantia quædam exiſtens, & non interire. Maximè enim interiret ex imbecillitate ſenili. Nunc autem quemadmodũ in ſenſibus contingit. Si enim ſumeret ſenex oculum iuuenis, uideret quemadmodũ iuuenis. Quocirca ſenectus non euenit propterea, quòd anima ſit aliquid perpeſſa, ſed in quo fit operatio. Quemadmodum in ebrietatibus, & morbis. Itaque & intelligere ipſum, & ſpeculari, labefactatur, alia re exterius labefactata. Ipſa uerò potentia, eſt impaſsibilis. Cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt affectiones eius, qui habet illud, uel illud habet (uidelicet animi) Quamobrem, & hoc pereunte, neq; recordatur, neque diligit, neque enim illius erant, ſed communis, quod perijt. Mens autem fortè diuinius quiddam, & impaſsibilis eſt. Ex his uides eandem Platonis & Ariſtotelis, Plotini, & Alexandri eſſe de immortalitate ſententiam, qui ſoluunt etiam, nubemq; quaſi terram ab oculis depellunt dubitationem de organis deprauatis, cum quibus pariter anima deprauari, labefactariq; uidebatur.

Rationes Plotini de immortalitate, & quod idem iterum Ariſtoteles & Plato ſunt confeſsi, animam eſſe incorpoream, quemadmodum Deum: Et epilogus eorum, in quibus mirè cuncti ferme Philoſophi conueniunt, ſuper immortalitate animorum. Cap. XXIII.

PLotinus itẽ omnia, quæ uel Triſmegiſtus, uel Plato, aut Archytas, ſed ante omnia quæ Moſes, de diuina animorũ ſimilitudine, eorumq; immortalitate tradidiſſent, uerbis penè diuinis explicuit, declarauit. Expiatæ, inquit, animæ, aſsident optima ſapientia, omnisq; alia uirtus ei domeſtica. Si igitur talis eſt anima, cũ ſe collegerit, et in ſeipſam redierit, πᾶς ὁ φύσεως ἐκείνης, εἶεν φαίη θεὸς καὶ ἀνὴρ πάντος

παντὸς ἐστίν. φρόνησις γὰρ καὶ ἀρετὴ ἀληθὴς θεῖα ὄντα, οὐκ ἂν ἐγγένοιτο φαύλῳ τινὶ καὶ θνητῷ πράγματι, ἀλλ' ἀνάγκη, θεῖον τὸ τοιοῦτον ἐστίν, ἅτε θείων μετὸν αὐτῷ ἅμα συγγενείαν, καὶ τὸ ὁμόσιον: Quomodo non naturæ illius erit, qualem eſſe rei diuinæ, ac ſempiternæ omnis dicimus? Nam ſapientia, & uera uirtus, quæ ſunt diuina, haudquaquam rei uili, atq; mortali inſint. Sed neceſſe eſt diuinum eſſe eiuſmodi, ut cui ſoli ſit cum diuinis ſocietas propter affinitatem generis, & ſubſtantiæ. Hæc ille. Cautè quidem & rectè audio, quòd animam dicat Deo ὁμόσιον, conſubſtantialẽ, non ſcilicet eiuſdem, ſed ſimilis ſubſtantiæ, quaſi ὁμοιόσιον, Et quale prodidit Moſes, ad imaginem et ſimilitudinem. Ipſi enim ſe ipſos declarant, ut ſuperius Triſmegiſtus. Igitur hoc quod Plotinus eſſatus eſt, eſt quod Triſmegiſtus, νοῦς ἐν ἀνθρώποις θεός, Mens in hominibus Deus. Quod uerißimum eſſe, declarat omnium, qui hæc ſcrutari inſtitiſſent, conſenſus. Vt cum non didicerint, ſed inſtinctu quiſq; ſuo pronunciarit, didiciſſe tamen alter ab altero uideatur. Similia enim eo ipſo de generatione animalium loco, inculcauit Ariſtoteles: τὸ μὲν χωριστὸν ὃν τῷ σώματι, ὅσοις πρόσεστι λαμβάνειν τὸ θεῖον, τοιοῦτον δὲ ὂν ἡ καλόμεν νοῦν, τὸ δὲ ἀχώριστον, τὸ σπέρμα: A corpore ſeparabile eſt, cui Diuinitas ineſt. Talis autem eſt mens: inſeparabile autem eſt ipſum ſperma. Sentis quanta inter Platonem, Ariſtotelem, Platonicos, Peripateticos de animorum diuinitate, ac immortalitate concordia? Nam Laërtius prodit de Platone: δοκεῖ δὲ αὐτῷ, τὸν θεὸν ὡς καὶ τὴν ψυχὴν ἀσώματον εἶναι, ὅτε γὰρ μάλιστα φθορᾶς καὶ παθῶν ἀνεπίδεκτον ὑπάρχειν: Videtur ei Deum, quemadmodum & animam eſſe incorporeum. Sic enim maximè interitus & affectionis incapacem eſſe. Eadem ergo & Marcus Tullius: Tu uerò enitere, inquit, in ſomnio, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque is eſt quiſq;, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Deum igitur te eſſe ſcito. Siquidem Deus eſt, qui uiget, qui ſentit, qui memnit, qui præuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum, princeps ille Deus. Et ut ipſe mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus æternus: ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet. Quantus conſenſus? Aſpicis quid natura de pectore ſapientum, quam'ue conſonum, iugiter eruit? Hi loquuntur natura, rationeq; magiſtra, quod literæ ſacræ oraculo: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Et Plutarchus de quæſtionibus Platonicis, ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός. Quomodo autem ſentiant animam noſtram, eſſe Deum, declarat idem de placitis Philoſophorum. Plato inquit, τὸ μὲν λογικὸν ἄφθαρτον, καὶ γὰρ τὴν ψυχὴν ὁ θεὸν, ἀλλὰ ἔργον τοῦ ἀεὶ ὄντος θεοῦ ὑπάρχειν: Rationem eſſe immortalem. Etenim animam, non Deum, ſed opus æterni Dei exiſtere. Vides mentem ſiue animam, non Deum ſummum, ſed quaſi opus magni Dei. Et hæc Moſaica Theologia. En uerus

ille

ille homo apud Ariſtotelem, uera diuina imago. His conſonè Chaldæus item ait, ἡ ψυχὴ ἀσώματον πῦρ, Anima incorporeus ignis. Duobus ferme millibus annorum ante Platonem tradiderat Moſes, animum ſimulachrum eſſe Dei, paulo ante Ariſtotelem Plato ante Plotinum trecentis, & plus annis, ante Marcum Tullium ferme ducentis Ariſtoteles. Succeßit per omnes ætates hæc Theologia, omnia tempora obambulauit, nullius ſapientis pectus nō inſedit, mutuis ſententijs, ſuffragijſq; roborata. Magna res eſt, & nemini non admiranda, tantus omnium ſeculorum, atque hominum ex omni genere, latè terras incolentium, linguis, moribus, ætatibusq; inter ſe diuiſorum, conſenſus, in eandem rationem, ducente natura, conſpirantium. Marcus igitur idem, iterum ſui, ueterumq; Philoſophorum memor, Humanus, ait, animus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc eſt fas dictu, comparari poteſt. Quod dixit Decerptus, Philo, & Epictetus, ut ſæpe monui, ἀπόσπασμα, ἀπαύγασμα, Moſes Afflatus. Sic quoq; quod Moſes, Ad imaginem, & ſimilitudinem Marcus idem. Siquidem inquit, uel Dijs ipſi, uel cum Dijs futuri ſumus. Eandem ſententiam, & ſententiæ cauſſam propoſuit de animorum immortalitate in orationibus: Itaq;, inquit, cum multis alijs de cauſſis, uirorū bonorum mentes diuinæ mihi atq; æternæ uidentur eſſe, tum maximè, quòd optimi, & ſapientißimi, cuiuſq; animus ita præſentit in poſterum, ut nihil niſi ſempiternum ſpectare uideatur. Hæc ratio Platonis, Ariſtotelis, Plotini, Alexandri Aphrodiſei, omniumq; fermè Philoſophorum. Quid illud quoq;, quod ait in Tuſculanis de animo cœlum cognoſcente? Quorum, inquit, aſtrorum cōuerſiones, omnisq; motus, qui animus uidit, is docuit ſimilem animum ſuū eius eſſe, qui ea fabricatus eſt in cœlo. Vides ut uiderit, aſſenſusq; fuerit, ex argumento uero, animum ſimilem eſſe Dei, ſimilem eius, qui ſidera fabricatus eſt in cœlo, quæ ſapiens artifex ſine diuino ingenio imitari non potuiſſet: ſicut ſine Deo moueri cœlum una conuerſione diſſimilimis motibus nequiuiſſet. Idem in Tuſculanis, quod mirabile uidebitur omnibus (cogor autem repetere) Nec inuenietur, inquit, unquam, unde ad hominem uenire poßim, niſi à Deo, loquens de animis. Ecce non modo conformitas animorum cum Deo, ſed etiam conditio, miſſio eorum ab ipſo, duo uidelicet Moſaica, Ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: Et, Inſufflauit in faciē eius, dato à ſeipſo uiuenti ſpiritu, quem animum, mentemúe Latini, Græciq; dicunt. Eodem diuino conſenſu Plutarchus de uirtutibus moralibus, rationem, quæ ſit diuina, & prudentiam perfectā ſummam rationis partem, fas eſſe imperare, dominari parti irrationali. Sapientiamq; eſſe circa puram, impaßibilem mentem, cui inſit ſcientia diuiniſſima, ac beatißima: φύσει γὰρ τοῦ ἀλόγου, ἀλλ' ἡ μὲν ἀπορροσδιὴς τοῦ ἀλόγου, καὶ περὶ τὸν εἰλικρινῆ καὶ ἀπαθῆ νοῦν συνισαμένη σοφία αὐτοτελής τίς ἐστιν ἀρετὴ τοῦ ἀλόγου, καὶ δύναμις, ἣ τὸ θεότατον, καὶ μακαριώτατον.

Epilogus rationum, quibus uſus eſt ſapientibus animus immortalis. Cap. XXIIII.

CO nſenſus igitur omnium, qui Naturæ uox putatur præcipuè maiorum, declarat animos ſempiternos. Idq; etiam affert Marcus Tullius: Vt, inquit, Deos eſſe natura opinamur, qualesq; ſint, ratione cognoſcimus, ſic permanere animos arbitramur conſenſu nationum omnium. Omnes itaque priſci, & omnes qui poſt eos ſecuti ſunt, animos æternos dixerunt, Moſes, Triſmegiſtus, Muſæus, Orpheus, Homerus, Pindarus, Phærecydes que Syrus Pythagoræ præceptor, qui primus, ut ait Marcus, dixit animos ſempiternos. eam que opinionem diſcipulus eius Pythagoras maximè confirmauit. Ipſe Plato, qui ut Pythagorea diſceret, in Italiam nauigauit, primum de animorum immortalitate non ſenſit idem modò quod Pythagoras, ſed rationes etiam attulit. Hæ rationes teſte Marco, plures ſunt, ut qui legai librum eius, amplius quid cupiat, non habeat. Sed illa maior omnibus, & claritate mirabilior, ad quam rapti ſunt uniuerſi homines, ut quaſi Moſen cuncti legiſſe, diſcipuliq; eius eſſe uoluiſſe uideantur. Ea eſt, quòd ex ea natura, quæ Deo conſenſu omnium tribuitur, exiſtit animus. Ergo animus, inquit, nunquam ſatis laudatus, dem Latinus Plato, ut ego, diuinus, ut Euripides audet dicere, Deus eſt. Putat audaciam animum dicere Deum: diuinum autem appellari, hoc eſt, ſimilem Naturæ diuinæ naturam gerentem, fas eſſe, caſtigatius, & rectius. Similitudinem autem, proprietatem que eſſe, quòd ut illa natura cœleſtis terra uacat, & humore, ſic humanus animus eſt expers. Secundo, quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit, quod uult, quod uiget, cœleſte, diuinum que eſſe: Ob eam que rem æternum ſit neceſſe eſt. Tertio, quòd quemadmodũ Deus non alio modo intelligitur à nobis, niſi mens ſoluta quædam, et libera, ſegregata ab omni concreatione mortali, omnia ſentiẽs, & monens, ipſaq; prædita motu ſempiterno, hoc genere, atq; eadẽ ènatura, eſſe humanam mentẽ. Dico hoc è genere, ut paulo antè diuinitus emendarat Euripidẽ, non ut Deus, ſed ut diuinũ genus. Sunt enim alia, quibus nullã habet homo cum Deo ſocietatẽ. Igitur conuenere omnes, omniſq; uetus, ac noua Philoſophia ſacra, et prophana, animos eſſe è genere diuino, diuina natura, et incorporea. Nihil eos habere corporeũ, miſtum, diſſolubile, mortale, diſſipabile. Eſſe quàm hæc omnia, quæ cernuntur, alterius omnino naturæ. His igitur dictis, ad alia quædam progrediamur.

Contra rationem qua putarunt animos tetro ſempiternos: & quod errarunt omnipotentiam, maieſtatemq; ſummi Dei, qui ſolus ſit prædituς motu ſempiterno, imbecillus animis tribuentes: & quod animi humani non ſunt per ſe principium omnis motus, ſed ſolus Deus. Cap. XXV.

HOc omni opere id cum primis egimus, et eò mens defixa fuit, ut tum totius philoſophiæ bonitatem, & cum cœleſti conformitatem oſtendentes, tum ſi bonorum illorum aſſertores, aliqua exinde ſuſpicione (nondum enim claritas cœleſtis exorta omnem caliginem ex animis diſpulerat) à uero exciderunt, ad bonitatẽ illam ſuis eos præſidijs reuocare, admonitos ut dicta ſua diligenter penſitantes, ſe uanis illis ſuſpicionib. inuolui nõ patiantur. Id in hac de anima Theologia, cũ primis occurrit.

currit. Nam cum in Philoſophia ſempiternum, immobileq; decretum poſitum ſit à Philoſophis. Quod immortale ſit, & incorrnptibile, nullum unquam habuiſſe principiũ, hoc ad animos transferentes, ſicut eos immortales, quia naturæ diuinæ participes, ſic ſine principio, nunquam uenatos crediderũt. Sed cum mens fluctuaret, mulcq; non ambigua modò, ſed abſurda, eo poſito, occurrerent, ceu ueritate labentibus porrigente manũ, natos iterũ eos à Deo intrepidè pronunciarũt. Cũq; ſi nati ſunt à deo, retro non fuerint ſemper, ſed aliquo diuiuo, et nobis incognito oriantur modo, quoties eos ſine principio protulerint, repetemus eis dicta ſua, admonebimusq; in re ambigua, non tantũ meliora ſequi, ſed ea etiam in quæ propenſiores ipſi fuiſſe uidentur. Marcus igitur Tullius (ut hinc incipiam) cum Platonis illam rationem euoluerit, quæ de principio motus proponitur, diciturq; de animis, nullum motus ſui eos habere principium, quod à ſeipſis moueantur: Sempiternum autem eſſe, quod ipſum nunc per ſe moueatur: Quia quod ortum ſit, ab alio habeat motũ. Ergo quod nunc per, & à ſe mouetur, neceſſariò ſemper motum habuiſſe, quia nunquã ipſum ſibi defuiſſe. Et niſi ſemper motum fuiſſet, ne nunc quidem moueri poſſe. Et ſi moueretur, ab alio mouendum non à ſeipſo, Quo deſinente moueri, ipſum quoque deficeret. Sicq; non eſſet animus quod Græcè dicitur, αὐτοκίνητον. Habere autem animos eiuſmodi naturam, ut à ſe ipſis moueantur, ſicq; ſemper tales exiſtentes nunquam natos. Concluditq; Marcus, Neq; nata certè eſt & æterna eſt. Plato uero & in Phædone, et in decimo de Republica, hac ratione examinata concludit: ὅτε γὰρ ἂν πᾶν ἐλάττοσσ γένοιντο, μηδ' ἐμίας ἀπολλυμένης, οὔτε γὰρ ἂν πλείους. εἰ γὰρ ὅτι ἦν τὰ ἀθανάτων πλῆθος γίγνοιτο, οἷσδ' ὅτι ἐκ θνητῶν ἂν γίγνοιτο, ἅπαντα ἂν τελευτῶντα ἀθάνατα: Neq; pauciores, inquit, unquã erunt animi, nullo pereunte, neque plures. Si quid enim immortale plus fieret, noſti quòd ex mortali fieret, omniaq; deficientia eſſent immortalia. Hæc igitur illi dicunt. Probatur autem non modò in dictis eorum eſſe diſcordiam, ut ſuis uerbis erroris admoneantur, ſed etiam ex his malis, & abſurdis, quæ ſequuntur, hanc eorum opinionem eſſe ueram non poſſe. Etenim ſi ſunt animi ingenerabiles, euertitur tota Platonis Theologia, primum cum euidentiſſimè creat omnem mundum in Timæo, non ſolum corpora, ſed etiam animos, & Deos: Quorum, inquit, initium traditur uobis à me loquens de animis. Græce que ſi bene meminiſti, σπείρας & ὑπαρξάμενος ἐγὼ παραδώσω. Ego, inquit, initium, & ſatum animorum dabo. Eos ſatos demittam in corpus. Prædicat ergo Deus apud Platonem ſe ſatorem, ſeminatorem, informatorem que animorum. Quomodo ergo ſtat, animos ſempiternos, nunquam ue natos, atque ſeminatos à Deo, & informatos, cum in corpus immitterentur? Platonem igitur Plato coarguat. Eadem diſcordia in Marco Tullio. Neque, inquit, certè nata eſt, & æterna eſt. At ô Marce, non recordaris te paulo antè, animos decerptos, ex mente diuina, alibi hauſtos dixſſe? Si ſunt decerpti, non ne nati? non ne antequam decerperentur, aut deliberarentur, non adeorant na-

rant nati postea? Quorum natiuitas dicitur delibatio, & hauſtus ex mente diuina. Ad hæc cum conſolationem quæreres originem animorũ, dixiſti in terris eam inueniri non poſſe. Neq; inueniendũ unquam unde ad hominem uenire poßint, niſi à Deo. Eos igitur à Deo uenire dixiſti. Quid aliud uenire, niſi naſci, oriri? Nam ſi fuiſſent ſempiterni, non uenirent à Deo, nec eorum originem requiſiſſes. Venire igitur dixiſti, quod alibi, delibari, hauriri. Hæc igitur cum apertè Marcus & Plato ſcripſerint, ſi nullis alijs rationibus uterer, his contentus eſſe poſſem. Simulis error, & inconſtantia Simplicij nunc dicentis animum ingenerabilem, nunc à Deo creatum, & factum, ut uiſum eſt ſuperius. Hoc igitur contentus eſſe poſſem, ſi uellem. Sed latius proiectus, doceo primum, rationem illam, quæ non conueniat naturæ animorum, ſed ſoli naturæ diuinæ, eos non rectè collocaſſe. Iam ſi ingenerabiles eſſent animi, tot conſequi mala, quorum nullã inueniat ſolutionem Philoſophia, Animos ingenerabiles, conſequitur quod ait Plato, nec plures eos unquam fuiſſe, nec pauciores, hoc conſequitur miſeranda illa, ut dicam quod uerum eſt, exeuntiũ, redeuntiumq; ſemper calamitas ad corpora, & à corporibus animorum. Hoc igitur animi fecerunt in omni æternitate, ſemper è cœlo ceciderunt in terras ad animanda corpora. Vbi igitur, ô Plato, beatitudo animorũ quam toties decantaſti? Vbi præmia iuſtitiæ, poſt hanc uitam? Si redeunt animi ſemper (redeunt autem, quia dixiſti eos nec pauciores eſſe nec plures unquã) & ſi certus ille numerus diſceßit à corporibus olim tot ſeculis, quomodo corpora, quæ ſubſecuta ſunt animata fuerunt, niſi redeuntibus eis, ſemperq; in hoc ludibrio uerſantibus, et è cœlo labentibus? Si hoc, ubi beatitudo, ubi gloria bonorum, iuſtorumq; honores poſt mortem? Hæc opinio, non ne confuſio Naturæ? Demonſtremus igitur fefelliſſe eos priorem rationem, unde, quæ fieri nequirent, animo conceperunt. Quanquã Marcus Latinus, de reditu animorũ reuolutioneq; illa dedecoroſa prudenter nihil ſcripſit, quòd ei credo nunquam placuiſſet. Si non placuit, tollatur genitrix eius prima ratio. Dico igitur malè coniunxiſſe eos naturam diuinã, ſupremamq; Diuinitatem, cum natura animorũ, qui tametſi diuini ſint, diuinitus et nati, et ſimiles Dei, fragiles tamẽ, et errãtes ſunt, hallucinantes, ignari multarũ rerum, in errores propenſi. Non igitur habuerunt, motus ſempiternam durationem, infinitamq; æternitatem. Habuit ſolus Deus, ſolus ipſe principiũ, ipſe à nullo motus, uitæ ſuæ ipſe ſibi origo, uerus αὐτοκίνητος, per ſe uiuens, per ſe motus. Animi autẽ per ſe non mouentur, quia tũ tempus fuit, cum non eſſent, tum ad naſcendum moti ſunt alio, non à ſeipſis. Alioqui non modò ingenerabiles eſſent, ſed etiam Dei æquales, non ab illo, ſed à ſeipſis originem ſui trahentes, cætera quoq; diuina poßiderent, non peccarent, non hallucinarentur, non uacillarent, non afficerentur morbis, impaßibiles, ſumma præditi Diuinitate. Non ſunt hæc unquã, non æquant ergo Deum: quẽ æquarent, ſi uitæ motusq; ſui ſibi forent principiũ: non æquantes, nec per ſe moti ſunt, nec ſibi origo uitæ, & motus. Ab alio omnipotenti, quẽ nullæ res mouerunt, nihil dedit ei uitam, ipſe eſt ſibi uita, ſibi

ſibi motus, uerus αὐτοκίνητος, principium, fons omnium motionum, exorti, ad uitam incitati. Ab ipſo mouetur cœlum & terra, omnisq; natura, ipſe fecit ut animi per ſe mouerentur facti ſimules ſibi. Quapropter hoc nomen αὐτοκίνητος, non proprie, ſed ſimulatè conuenit animis. Eſt autem, αὐτοκίνητος, ſicut αὐτοφυὴς, αὐτοαγαθὸς, αὐτοτελὴς, αὐτοξωὴ; quæ nomina nullus unquam Theologus ſoli Deo non conceſſit. Igitur illa ratio, quam explicat Marcus ex Platone, quanquam in Tuſculanis, in Senectute, in Somnio uſurpauit, non congruit animis, qui non ſunt Deus, non principium, ſed moti ab illo omnipotenti fonte motionum, uitarumq; omnium, non ſolum cum naſcerentur, ſed ei nunc ſubiecti, mouentur omni tempore. De Deo igitur duntaxat hoc uerum eſt, quod ait. Nam quod ſemper mouetur, æternum eſt. Quod autem motum affert alicui, quod ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeſe mouet, quia nunquam ne moueri quidem deſinit. Quin etiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. Principio autem nulla eſt origo. Nam ex principio oriuntur omnia. Ipſum autem nulla ex re fieri poteſt. Nec enim eſſet hoc principium quod gigneretur aliunde. Quod ſi nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum, nec ipſum ab alio renaſcere tur, nec ex ſe aliud creabit. Siquidem neceſſe eſt à principio omnia oriri. Ita fit ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum à ſe mouetur. Id autem nec naſci poteſt nec mori. Vel concidat omne cœlum, omnisq; natura conſiſtat neceſſe eſt, ne uim ullã nanciſcatur, quæ à primo impulſu moueatur. Cum pateat igitur æternum id eſſe, quod à ſe ipſo moueatur, quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributã neget? Inanimatum eſt enim omne, quod impulſu agitatur externo. Quod autẽ animal eſt, id motu cietur interiore. Nam hæc eſt natura propria animæ atq; uis, quæ ſi eſt una ex omnibus quæ ſeſe moueat, neque nata eſt certè, & æterna eſt. At ô Marce, qui ſapientiſſimus ubique probaris, quiq; in his quæ à Græcis ad Latinos transferebas ſummo delectu, nec Platonẽ ſæpe, nec Homerum, quod et Vergilius, ſequi uoluiſti, ſed bonis aſſumptis, quæ non probares eis reliquiſti, cur ẽtiam hac in ratione errorem Platonis non animaduertiſti, qui ſupremam diuinitatem, ingenerabilem, incorruptibilem, à nulla re mobilem, fontem motionum, ad animos fragiles, inſcios, tranſtuliſſet? Quorſum enim ſpectat quod ais? Vel concidat omne cœlum, omnisq; natura conſiſtat, neceſſe eſt. Num animi noſtri mouent cœlum, omnem naturam cient, quibus non mouentibus, cœlum ſit caſurum, ad quos rationem hanc applicaſti, & quæ Dei ſempiterni, omnipotentis erant, fragili, impotenti animo tribuiſti? Verba igitur eorum apertè clamat, diuinam hanc admirandãq; rationem, non animis noſtris, ſed animo ſummo, præpotenti, aliorum animorum fonti congruere. Neq; enim cœlum Naturamq; mouent animi noſtri, nec deficientibus nobis, concidere cœlum, omnis Natura conſiſteret, ſed deficiẽte Deo. Tum uero nec Sol moueretur, moleſq; cœleſtes, natura quoq; deficeret omnis. Hæc igitur eorũ ratio neceſſariò cõcludit

aliquam animum omnipotentem, ſine principio, ſine impulſu alieno, uniuerſalem præſidem, omnis uitæ motorem. Efficitq; ratio, naturaliterq; demonſtrat, niſi eſſet principiũ æternum, à nullo dependens, à ſeipſo cuncta bona, totamq; potentiam agitandi, uiuificandi, non aliunde ſumens caſurũ omne cœlum, omnem naturam interpellandam. Is ſolus nunquam deſeritur à ſe. Hic ſolus nunquam caruit motu, uitaq; ſua, omnis largitor uitæ. Et quia principium uerum eſt, ei nulla fuit origo, natis omnibus ex eo, ipſo à nullo nato, quia principium. Is uerè nunquam ortus, ſolus ob hanc cauſam, habens immortalitatem, ut inquit ille, & quia nunquam potuit naſci, nunquã poterit deficere. Hæc omnis de Deo neceſſaria, naturalis, admirandaq; Philoſophia. Cum uero infers, & concludis: Cum pateat igitur id æternũ eſſe, quod à ſeipſo moueatur, quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Ego is ſum, ô Marce, qui nego tributam hanc animis naturam. Nihil enim inter nos, Deumq; diſtaret, ſi cuncta, quæ diſſeruiſti, poſſideremus. Si ipſi nobis eſſemus cauſa uitæ, nullum aliunde motus noſtri habentes principium, ne Deo quidem ſubiecti eſſemus, nec ab eo quidquã habuiſſemus: quot facit Deus, totidem et nos faceremus: Vt ab illo mouetur cœlũ naturaq; omnis, moueretur etiam moueriq; poſſet à nobis. Sed ubi motus ille noſter ſempiternus, ubi perennitas, qui tam fragiles ſumus, imbecilli, inconſtantes, cæci, ut fragilitas ſuſpicionem mortalitatis attulerit? ſed res clara eſt. Non mirum ſi ex falſa illatione, et concluſione, naſcebatur abſurdius, applicata animis diuina natura. Eſt autem animus, ut idem Marcus, ſapiẽter corrigens Euripidẽ, diuinus quidem, ſed non Deus: ſimilis illius, at æternitate, omnipotentia, principio motionum, bonitate, longè diſſimilis. Primus igitur error, genitor ſecundi, quem uterq; deteſtatur natura, patefactus, diſſipat ſecundum, ineptamq; perſuaſionem uero fundamento non innitentem demonſtrat, animorum retro æternitatem. Qui uel eo quoque patefit, quia Plato in decimo de Legibus de anima cœli, non anima prorſus noſtra rationem hanc induxit: Ibi probans animam principium motus, nec ſine anima quicquam moueri potuiſſe, eamq; omnium antiquiſſimam eſſe: cœlum ab anima gubernari. Nouiſſimè, ἄγει δὴ πᾶσι ψυχὴ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν, καὶ γῆν, καὶ θάλατταν, ταῖς αὐτῆς ἰδίαις κινήσεσι, αἷς ὀνόματα ἐστὶ βούλεσθαι, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι, δοξάζειν ὀρθῶς: Agit, ait, anima omnia quæ in cœlo, & in terra, & mari, ſuis motibus, quibus nomina ſunt conſulere, opinari rectè. Hæc igitur non conueniunt animis noſtris, ſed ſoli Deo. Hanc ſententiam teſtatur Ariſtoteles etiam Alcmænis fuiſſe: φησὶ γὰρ αὐτὸν, ἀθάνατον εἶναι διὰτὸ ἔοικέναι τοῖς ἀθανάτοις, &c. Ait enim immortalem eſſe animam, quia ſit ſimilis immortalibus: id autem eſſe, quia ſemper moueatur. Moueri autem ſemper diuina, Lunam, Solem, aſtra, totumq; cœlum.

Quod ratio, qua ſibi perſuaſerunt animos ingenerabiles nõ eſt uera: & quod extrauit Panætius tranferens ad animos, legem rerum corporearum. Et quod etiam Philoſophi conſentiunt non omnia nata occidere, e quibus Plato cenſuit mundum factum non interiturum. Tum ex ratione, decretum hoc Philoſophorum neq;

tum neq; uerum eſſe, neq; animis congruere. Reſoluunturq; rationes Ariſtotelis quibus probat omnia nata interire. Cap. XXVI.

DVæ ſunt rationes, quæ Platoni, multis'que alijs perſuaſiſſe uidentur, animos retro ſempiternos. Prima quòd habent naturam per ſe mobilem, ſine principio: Tum quòd ſi ſunt immortales, ſunt etiam igenerabiles, cum ſit decretum Philoſophorum, omnia quæ naſcuntur, occidere, naſcentes animos corruptibiles eſſe. Non ſunt autem corruptibiles, ergo nunquam natos. Et Marcus huic rationi ſubſcribens, ait Panætio creditum animos corruptibiles, quia naſcuntur. Dicit'que, Vult enim quod nemo negat, quidquid natum ſit interire, naſci autem animos. Prima igitur ſic deſtructa fuit, ut apertum ſit, falsò eos naturam ſummi Dei, credidiſſe naturam animorum, ſimili errore, ut ſi quis inauratam ſtatuam cernens, nihil ab ea, quæ tota aurea eſſet, differre putaret. Eadē propè in ſecundo errore hallucinatio. Sed ex Platone primum probo Philoſophorum decretum illud, non adeò inniolabile eſſe, quin aliquo modo reſcindi queat. Et quod Marcus ait, Vult enim, quod nemo negat, quidquid natum ſit interire. Inueniam qui perneget, cuius magna eſt apud Philoſophos omnes autoritas. Atq; Ariſtoteles id arguit in Platone, cui ſit mundus incorruptibilis, eidem principium dediſſe. Et Marcus ipſe inducens Epicurum hoc irridentem. Sed illa palmaris quidem, inquit, quòd qui non modo natum mundum introduxerit, ſed etiam manu penè factū, is eum dixerit fore ſempiternum. Hunc cenſes primis, ut dicitur, labris guſtaſſe Phyſiologiam, id eſt, naturæ rationem, qui quicquam, quod ortum ſit, putet æternum eſſe poſſe. Quæ eſt enim cōgmentatio non diſſolubilis? aut quid eſt, cuius principium aliquod ſit extremum? Ecce igitur inuentus eſt qui neget quod ortum ſit, non interiturum. In libro quoque de Vniuerſitate referens Latinè, quæ ſcripſiſſet Græcè Plato, Hæc uos qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite, Quorum operum ego parens, effector'que ſum, quæ per me facta, non ſunt diſſoluta, me inuito, quanquam omne colligatum, ſolui poteſt. Sed haudquaquam boni eſt, ratione uinctum, uelle diſſoluere: ſed quoniam orti eſtis, immortales uos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis, neutiquam tamen diſſoluemini, nec ulla uos mortis fata periment, nec fraus ualentior, quàm conſilium meum, quod maius eſt uinculum, ad perpetuitatem ueſtram, quàm illa quibus eſtis, tum cum gignebamini, colligati. Hæc à Platone aſſeruntur. Creditur à ſumma uiro, fieri poſſe, ut ubi Natura deficißet, ſuppleat diuina uoluntas. Vt ſi lumē ex cæcitate naturæ reuerti non poſſint, reuertatur uolente naturæ rege Deo. Hoc credidit Plato: credidit mundum natura diſſolubilem, quia generatus, & factus, conſilio tamen diuino ſtare ineolumem. Nullus Philoſophus reor negabit unquam, quem faciunt omnipotentem, cœlum, & terras mouentem, formas animalibus, et uitas dantem, omnem machinam ſuſtinentem, non eundem illuminare poſſe cæcos, reddere ſurdis auditum, ſuſcitare defunctos. Maiora enim ſunt ſuperiora. Si mouet cœlum, ſi facit ut omnia uiuant, permaneant non poterit ſuſtinere, natura caſurum ne cadat:

montem ruinam minantem, ne ruat, frænare: flumina uertere retro, multaq; alia, quàm usitatus naturæ pergit cursus. Poterit certè, quia potuit maiora, nec Philoso-phi qui primum indefessè Deo contribuunt, eripient secundũ. Vna igitur ratio, de-cretum illud Philosophorũ facile rescindi posse, quod Plato credidit, inuentusq; est, qui neget, quod neminẽ negare Marcus dicit. Tum ratione probantur, quæ dicun-tur à Platone, Maius esse, & ualentius consilium, uoluntatemq; diuinam, maiores uires, quàm omnem naturæ fraudem, omnem imbecillitatem, Superare uires Dei, cunctas difficultates Naturæ. Quibus uiribus, non solum animos, si uerum est, sua-pte natura corruptibiles, sed etiam corpora, si uellet, incorrupta seruaret. Hoc Pla-to libenter fatetur. Ex his apparet animos uel natos, incorruptibiles esse, si non na-tura, certè uolente Deo.

Secundam ratiouem perpendamus, an uerum sit omnia orta occidere, hinc ani-mos natos etiam interituros. Sunt autem rationes Aristotelis, cur quod habuit prin cipium, sit finiendum. Principiò, quod ea sola sint rationabiliter ponenda, quæ uel in multis, uel in omnibus uideamus. Probari autem sensibus omnia quæ orian tur, interire. Ad hæc impossibile esse secus fuisse in præteritum, quod erit deinceps sem per æternũ nec posse mutari. Accedet enim aliqua causa, quæ si prius affuisset, pos-sibile fuisset aliter esse, quod erat impossibile aliter esse. Si autem prius ex aliter exi stentibus factus est mundus, si semper sic existentibus, et quæ non possent aliter exi stere, nunquã certè factus fuisset. Quòd si factus est, necessariò et illa possunt aliter esse, & non semper sic esse. Quocirca & ipsa composita dissoluentur, et dissoluta prius coacta, et collecta sunt. Hoc, quia infinitũ uel sic extitisset, uel fieri saltem po tuisset. Quod si sit, non esset incorruptibilis, neq; si aliter habuisset unquã, neq; si potuisset aliter existere. Deniq; simul erit semper potens esse, & potens non sem-per esse, quod ostensum est, impossibile. Hæ sunt rationes eius. Quas enim attigit ex parte Epicureus apud Marcũ, nullam esse coagmentationem, quæ non aliquan do dissoluatur nihil esse, cuius principiũ aliquod sit, quin sit aliquod extremũ. Ver ba uerò Aristotelis concisè, & obscurè moreq; suo prolata, in dissoluendo clare-scent. Vt igitur omittam Deum, cuius Plato credidit maiestatẽ efficere posse, rem corruptibilem ne corrumpatur, rationibus agens, euincam, non latius has eius ar-gumentationes tendere, uerioribus rationibus expugnatas. Audiat igitur Aristote-les primũ. Si uerba Platonis, ut par est, legit, diligenterq; attendit, in quibus cũ Phi losophis congruens, omne natum, dissolubile sentit: sed ualentius nosci, asseritq; diuinũ consilium, ac ullam quantumuis detrimentosam labefactricemq; fraudem. Hoc ô Aristoteles, qui uidisti, sed tacuisti, tantumq; assumpsisti, habentia principiũ, æterna esse non posse, meliorem rationis huius partẽ fraudulenter, insyncerè præ-terijsti. aut inquã credebas uires Dei cunctas superare difficultates, imbecillia red-dere fortia, labefactanda quoad usum ei fuerit etiam in æternum sufficere. aut non credebas. Si credebas, tota ratio contra Platonem uanissima est. Neq; enim simpli-

citer

citer dixit Plato, mundum natum, nunquam abolendum, ſed robur diuinum plus ad perpetuitatem, quàm imbecillitatē mundi, ad ruinā eius ualere: &, ut ait Philo, Verbum Dei per omnes mundi partes intentū cuncta deuincire, formas rebus quibuſq; ſuas ſeruare perennes, concitare cœlum, naturam fœcundis partibus reparare. Si non credebas, rationibus cuincam, non naturalibus modò, ſed tuis, Si cœlum conſiſteret, ſi Sol deſidēret, futurum interitum non modò cœli, quod tu incorruptibile arbitraris, ſed etiam totius mundi. Cum ſit igitur uerum, cœlo ceſſante moueri, interitum omnium rerum conſecuturum: Deus autem mouet Ariſtoteli cœlum, mouens & cœlum, & uniuerſam terram, cunctamq; naturam alit, ſuſtinet: qui autem mouet, poteſt etiam, ſi uelit, niſi ligatus, & quaſi alterius legibus compeditus ſit, non mouere (Quis enim Philoſophorum non concedet, in quo ſit poteſtas mouendi, non eſſe ſiſtendi, remorandi?) Efficiat ergo Deus cœlum & omnis mundus interiturus, occaſurus, perdendus, ne perdatur, ne ruat, ne concidat. Suſtinet igitur & facit, quod ait Plato, mundus, qui ſi ſuapte natura collaberetur, laxarentur ordines omnes, tota rerum artificioſa machina corrueret, ne collabatur. Si modò ſupremum orbem, cuius conuerſione omnes cœli diſſimillimi motus peraguntur, Deus ſiſteret, fœdam cunctarum rerum ſtragem cerneres. Ipſe igitur Ariſtoteles hæc omnia confeſſus eſt in libro de Mundo: Fama, inquit, priſca eſt, & patria omnibus hominibus, quod à Deo cuncta exiſtunt, & per Deum, ab ipſo, & per ipſum. Nulla uerò Natura, huius conſeruatione deſtituta per ſe ipſam ſufficiens eſt. Multaq; ibi ad hoc pertinentia diſſerit. Vera eſt igitur Platonis ſententia, Ariſtotele ſuffragante, nullam Naturam uel cœleſtem, uel terreſtrem, per ſe incolumem eſſe poſſe, niſi ſalutari Dei præſentia, quæ per omnia tendit, conſeruata. Poteſt igitur Deus corruptibilia, incorrupta ſeruare. Diſcutiamus modò rationes, an ueræ ſint, & ſi ueræ, an conueniant animis, an omnibus rebus. Primum quod ait, ea ponenda, & aſſerenda cum primis eſſe, quæ uel in multis, uel omnibus appareant: admonebo eum ſolitos dicere ſapientes, remouendos eſſe oculos à conſuetudine, ut ſyncerum ſit ubique iudicium, ne contingat, cuius nonnullos incuſat Plato, ſola corporea, quæ uiderent, præ manibus, oculis gererent, putaſſe nihil incorporeum, quia non appareret, exiſtimaſſe. Sic qui ſequitur uſquequaq; Ariſtotelis hoc decretum, uerum in nonnullis, in cæteris non item, falli poſſet. Cuius ſi uera eſt ſententia, cur non etiam uera Platonis, omnia quæ uidentur, tangi, quæ tanguntur eſſe corporea, compoſita, ergo diſſolubilia. Cœlum autem uideri, ergo corporeum eſſe & diſſolubile? Oſtendat igitur Ariſtoteles hoc non eſſe uerum in multis, aut omnibus. Nulla enim corporea res eſt, quæ quoniam oculis cernitur, non etiam ſoliditate roborata, multiplici rerum concurſu ſit effecta, ſicq; reſoluenda in ea, è quibus coaluiſſet. Cur hanc legem non admittit in cœlo, in Sole, quem & corporeū eſſe, & ſolidum declarant eclypſes, & ipſe faſſus eſt in Meteoris? Colligit ergo ab exemplo rationem, Omnia quæ oriantur, apparere diſſolui.

colligat etiam quod ait Plato, Omnia corpora esse compositа, sicq; dissolubilia: ergo cœlum dissolubile, quia corporeum. Sed homo sagax, & (ut inquit Atticus) lo-lignis instar se suis tenebris occultans, refugiet ad quintam essentiam. Quam tamen Plato cum quintam & ipse dixisset, ei suapte natura immortalitatem denegauit. Intereunt igitur omnia, quæ principium habuerunt, scilicet hæc nostratia, domestica, arbores, animalia, ædificia, urbes, mœnia, montes, aqua, aër. Sed sunt aliæ res nobis incognitæ, simplices, nullam compagem, & ex corpulentis, crassisq; admistionem recipientes, incorruptæ permanentes propter puritatem, leuitatem, nec quærit compositum redire ad suam gentem, nulla sunt ibi uincula, quæ senio lassata resoluantur. Huius naturæ primum est cœlum, est lux, sunt mentes, quas nulla fecit dissolubiles compago, purissimæ, qualis Deus hac parte, dissimulimæ potentia, maiestate. Quantus error à corporeis, ad incorporea, quod faciebat Panætius, & qui ei subscripsit, ascendere: perinde si quis argueret, Omnia quæ uidemus, sunt compositа: ergo res omnes, cuiuscunque generis, sunt compositæ. & qui conditiones corporum ad animos transferret. Cum sit igitur longè diuersa natura animorum, atque corporum, lex autem, quòd omnia nata intereant, lata sit corporibus, non animis (quia corpora non sunt simplicia, sed quorum consumpta colligatione, dissoluuntur) certè magnus error fuit eorum, qui subiacere legibus corporum animos uoluerunt. Sicut igitur non omnis creatio, aut factio est rerum compositarum, sic non omnis res nata dissoluitur. Dissoluetur ex pluribus constipata, coagmentata. Quemadmodum autem omnis res composita debet resolui, sic quæ quanquam facta, non autem composita, non resolui. Patet igitur necessitatem rerum natarum, ad pristinum statum redituraram, non omnium esse natarum rerum, non purissimarum, non simplicium, tenuium, exilium, sed compositarum, mistarum, quia necesse est, partes inuitas à suis sedibus transpositas, ad genera sua reuerti, aquam ad aquam, terram ad terram. Sic præclara resoluta domo, recidunt in terram omnia, quæ de terra uiolenter in altum fuerant sublimata. Solitus igitur in Philosophis error, ab æquiuocis aut particulari uniuersale inferre. Quemadmodum paulò antè à præclara omnipotentique Dei natura ad omnes generatim animos ducebatur ratio. His declaratis facilè rationes Aristotelis euanescunt, aut fraudem insidiosumq; æquiuocum abscondere deprehenduntur: Quod erit in futurum perpetuum, necessariò semper tale fuisse in præteritum, Quia si mutaretur conditio, ut secus esset in posterum, secus in præteritum, id fieret ex aliqua causa: quæ si prius affuisset, feciset ut quod erat corruptibile non corrumperetur: id autem impossibile. Respondeo igitur, ut totam rationem membratim resoluam, primum, quòd tota hæc Aristotelis ratio, est contra æternitatem chaos, quod cum statuissent ante sempiternum, dixerunt in creatione mutatum. Eoq; dico, Ea quæ nata sunt, & in posterum non resoluuntur, unam tantum semper conditionem habuerunt, ut subitò facta æterna essent, nec

ullam

ullam nouam conditionem à præterito ad futurum eis acceßit, quæ faceret ſecus eſſe in poſterum, quàm fuiſſet in præteritum. De re nondum nata, nullum ſermonem haberi poſſe: nullam eſſe conditionem rerum non exiſtentium. Non poteſt de re nata ac facta dici, ſecus habere in poſterum, quàm habuiſſet in præteritum. Et Ariſtotelis ratio de re facta, & creata æquiuocè cadit ſuper re ſempiterna in poſterum. Verum equidem eſt in futurum non poſſe, quod in præteritum ſemper ſtetiſſet, quia poſſet oriri cauſa noua, quæ ſi prius, id eſt, in æternum affuiſſet, feciſſet non fuiſſe perenne, quod perenne fuit. Quod nulla ratione fieri poteſt. Nunquam enim cauſa aut uis ulla erit efficiens, ut quod fuit perpetuum, non perpetuum fuerit, aut quæ tollat æternitatem in poſterum ei, quod nunquam tulit in præteritum. Talis quoq; cauſa in poſterum non erit unquam. De præterita igitur re & retro ſempiterna, uerum eſt. De futura non uerum: quia ponis præteritum & futurum, & ex uno infers alterum. Res tamen, quam dico nouiter creatam, non fuit in præteritum. Cur igitur dicis cauſam ſuperuenire? Cui ſuperueniet, cum in præteritum non fuerit res paulò antè creata? Dicis ergo nouam cauſam immortalitatis, ſi prius affuiſſet, facturam fuiſſe rem ſemper immortalem, quam ego dico creatam, id eſt, quod nunc me facit immortalem, & incorruptibilem, feciſſet ut ſemper fuiſſem immortalis. Hoc igitur non ſtat. Nam cauſa futuræ immortalitatis non ſufficit ad immortalitatem præteritam. Non datur, ut retro fueris ſempiternus. Magna æquiuocatio, magnum interuallum in æternitatem futuram, & præteritam. Futura, nunquam erit in actu, præterita fuit iam. Poßis in præteritum millia millium ſecula connumerare, nunquam numerando fatigari, in futuro ſemper terminus erit à creatione tua, ad id quodcunq; numerabis. Non inducit igitur, nec trahit æternitas futura, æternitatẽ præteritam: æternitas futura potius temporaria eſt, q̃ æternitas. Initium, res creata. Res retro ſempiterna, nullum habuit initiũ. Non eſt ergo conſequens, ut ſi quod retro fuit ſempiternum, non ſit habiturum in poſterum, quod poßit afferre perniciem. Sic quod erit in poſterum ſempiternũ, nihil habuiſſe quod prohiberet, quin ſemper fuiſſet. Imo habuit, & uerum eſt de illo, de hoc non uerum. Abſtulit autem æternitatem in præteritum impoßibilitas. In futurum impoßibilitas non erit, quia poßibile eſt rem creari ſemper manentem, ſicut cœlum. Excepto Deo, retro ſempiternum nihil uult natura fuiſſe. Fatendum igitur, longè aliud rem eſſe creatam incorruptibilem quàm in præteritũ ſempiternam. Verum quidẽ eſt, ſi res hæc immortalis retro fuiſſet, nullam aliam cauſam ſempiternitatis ſuæ habituram fuiſſe, quàm hanc quæ faciet eam ſempiternã. Vt ſi fuiſſent ſemper animi, non per aliud fuiſſent, quàm per quod ſemper ſunt futuri. Sed eſſe ſemper in præteritum non potuerunt, propter alia impoßibilia magna. Fecit igitur ſimilitudo, & quaſi ludificauit futuræ immortalitatis, ut crederent etiam in præteritum fuiſſe quod erit in futurum ſemper, non conſiderantes alia multa. Vis igitur Deo eſt creandi naturas corruptibiles, & incorruptibiles: Et tamen non conſequitur ſemper rem incor-

ruptibi-

ruptibilem fuiſſe. Illud quidem uerum eſt, eam naturam dare animis immortalitatem, quæ dediſſet eis æternitatem, ſi creatæ non fuiſſent. Nunc autem creatis data eſt natura æterna, quam in ſempiternum retro impoßibile fuit habuiſſe. Si ſolitam igitur naturam reſpicias, uerum eſt eandem cauſam dare immortalitatem in præteritum, quæ dat in futurum. Sed abduc oculos à conſuetudine, uidebis diuiniora. Videbis præſidem naturæ facere rem ſempiternam poſſe, quæ nunquam prius exiſtiſſet. Ad hæc cauillatio eſt, Si ea cauſa quæ facit ſempiternum in poſterum, factura fuiſſe ſempiternum in præteritum, ergo quod futurum eſt ſempiternum, fuiſſe retro quoq; ſempiternum. Perinde ſi quis argueret, Si concurrerent eæ cauſæ, quæ Cæſarem Dictatorem fecerunt, me quoque facerent Dictatorem. Sum ergo ſicut Cæſar Dictator. Si mihi corpus eſſet ætherium, glorioſum, tranarem nubes ut Chriſtus. Nubes igitur trano quemadmodum ille. Fitq; progreſſus à conditione ad aſſeuerationem, uitium maximum in ratiocinando. Similis igitur eſt argumentatio, Ea cauſa quæ facit animos immortales in poſterum, ſi prius affuiſſet, feciſſet immortales, & ſempiternos: ergo quia ſunt in poſterum æterni, in præteritum quoq; ſempiterni fuerunt. Conditiones hæ ſunt, non affirmationes. Clarius autem uitium oſtendam, Ea cauſa quæ facit animos immortales in poſterum, ſi prius affuiſſet, feciſſet retro ſempiternos: ſed quoniam impoßibile erat animos retro fuiſſe ſempiternos: ergo nunquam affuiſſet ea cauſa. Sunt enim hic duæ cauſæ, una conditionalis, altera quæ tollat, deſtruatq; id quod ſub conditione latitabat. Latet ſub conditione, præterita æternitas, ſed conditionalis, non aſſerta, non uera. non aſſeritur, quia ſuperuenit cauſa maior efficiens, ne ſit uerum, quod erat ſub conditione. Ea maxima cauſa eſt, quia fieri non poteſt, ſi rectè penſites, atque adeò altè ſpectes, Deo ſolo excepto, eſſe quidquam ſempiternum. Hæc cauſa facit, ut animi non fuerint pariter cum Deo ſempiterni: nulla autem prohibet cauſa ne ſint in poſterum: quia quantuncunque poſthac uixerint, nunquam erunt ſempiterni, id eſt, quales, ſi ab æterno fuiſſent, quæ eſt ſola unica diuinitatis poſſeßio. Sic que tota Ariſtotelis ratio patefacta eſt. Huc adde quòd rationes eius, ut dixi, tendunt contra mundum, compoſitum, miſtum, non contra ſimplicem naturam animorum, contra Platonem probantes, ſi factus fuiſſet mundus, & ex alijs rebus coagmentatus, has res aut potuiſſe congregari, cogiq; ad creationem mundi, atque aliter habuiſſent ante mundum: ſi aliter habuiſſent, nouamq; conditionem accepiſſent, poſſe etiam in futurum redire ad priſtinum ſtatum, ſicut ab illo ſtatu uenerunt ad iſtum: Quòd ſi res illæ, è quibus factus eſt mundus, non poterant mutari, ad aliamq; molem transferri, nunquam certè ex his factus mundus fuiſſet. Factus eſt autem mundus, ergo poterant illa mutari, & non permanere ſemper, ſicuti erant. Itaque diſſoluentur ipſa compoſita in priſtinum. Sic que non eſt incorruptibilis mundus. Vides totam rationem tendere contra mundum à Platone creatum, ſed incorruptibilem in poſterum declaratum. Ratio que eſt ex compoſitis, nullum habens

habens in animis locum. Et nos dicimus, etsi non dixerit Plato, ante mundum nullas res fuisse, à quibus ad mundum facta fuerit mutatio. Chaos interpretamur informe exordium. Sed tacuit more suo cauillaturus Aristoteles optimam partem Platonicæ rationis, non suapte natura mundum, sed diuina potestate non dissoluendum.

Quod lex in Philosophia, omnia orta occidere, etiam à Philosophis aliquando contemnitur: quod eorum sententia, non modo incorporea, & simplicia, sed etiam corporea possint incorruptibilia fieri: Et quod non est semper utilitatis exemplis insistendum: & de duabus naturis. Cap. XXVII.

Sed placet, quando locus est, non solum pro Platone, sed etiam ueritate, & prisceis depugnare. Nam cũ Timæus Locrensis, Philoq; Iudæus asseruerint Deum fuisse hunc mundum, ut à nulla causa possit nisi ab ipso præpotente dissolui, ducti sunt forte probabili ratione, non omnia nata subiacere morti: opinati non modò posse res inuisibiles, ac tenues, simplicesq;, quales animi, creari sempiternæ, ut nunquam intereant, sed etiam corporales. Eamq; Philo putat Mosis esse sententiam de mundo. Scrutemur igitur, angustijs illis in quas se solent conijcere Philosophi, relictis, latissimos Naturæ campos, infinitasq; sapientiæ diuinæ regiones. Videbimus multa uel esse, uel fieri posse, nulla cum nostris Naturæ societate coniuncta. Nemo inuentus est, neque forsan inuenietur unquam, qui possit, qua tandem sidera, Sol, Luna, materia, compage sint, explicare: Cur Sol caloris fœcundissimus, motus indefatigabilis, nunquam nec calore absumatur, nec ob impetum concitatissimum illum dissoluatur. Nulla extitit, ex quo fuit, diminutio, senium, attritio ex omni illo uasto corpore, ut si non fuit ullum in præteritum detrimentum, nunquam etiam sit futurum. Huic simulia multa credo fierent, ex omni fœculentia crassaq; compage, ad purissimam naturam deducta, incorrupta manentia, si summmo sederet opifici. Quis est hic, qui ex uno aut altero terrestri opere, omnipotentiam eius putet metiendam, quem cunctæ gentes, non apparentiũ modò autorem, sed etiam quarundã, non semper, sed rarò, & cum opus fuit exhibitarũ rerum confessi sunt artificẽ, dicentes plura esse factibilia quàm facta, duas fermè magnas naturas inducentes, alteram in qua uisa, usitata nota, altera inusitata, insueta, prodigiosa, miranda, rarò contingentia, contineantur. In hac nota, perspectaq; natura, sunt leges hæ, quas quotidie decurrere cernimus, ex terra fieri aquã, ex aqua aërem, ex aëre puros ignes: Iterumq; reuolui superiora ad inferiora, ignes ad finitimum aërem, hunc ad aquam, aquam ad terram: Ex terra nasci montes, saxa lutulenta, quorum in imo medullis succus terrestris exceptus, grandescat in saxa atq; durescat, ut in uasto elephantis corpore, ex herba quam pascit, aqua quam potat, succus ad tenuras medullas delatus, & excretus, ingentia ossa constipat. Nascuntur simili ratione è terra plantæ, ferrũ, omneq; æs, flumina, fontes, Similiq; cuncta qua fuissent orta ratione, ad matrem reuertuntur. Hæc reparat fœtus, & dum senio confecta recipit, nouos emittit partus ad auras, nunquam his legibus deficientibus: partimq;

mundus

mundus in continua reparatione, et interitu rerum eſt: partim manet incorruptus, è duabus quaſi gentibus factus, altera ſemper cadente, denuoq; ſurgente, altera eadem permanente, ne dū terreſtres hos interitus, uarietatesq; cerneres, nil aliud fieri potuiſſet à creatore credere. Sublatis oculis in cœlum, nouas leges uidebis, & tantopere fieri quæ non morerentur potuiſſe, quantopere facta ſunt, quæ ſemper interirent: nihil artifici ſummo difficili fuiſſe, modò à ſedibus rerum intereuntium purißimas ſublatas naturas, illæſas ad conſeruationem inferiorum ſtare, uiſum eſſet. Hæc igitur natura nota continentur leges, ordines rerum uſitatarum. Altera, ut primum eſt natura cœli, incorrupta, inuſitata, ſic quæ non ſacris modò libris plura comprehenſa: ut cum flumen rapidum, ne curreret, repreſſum eſt: & aqua natura fluxa reddita non fluxa: nox Sole radiante terris inducta: Repreſſus idem, iuſſuſq; rapidum curſum ſiſteret, ſciſſus oceanus hinc atque hinc fortißima moles naturæ non memor fluxæ, ad tempus eſſe coactus: mortuis reuocata uita: uenti tempore non ſuo excita: aquæ maior quàm natura potuiſſet uis demiſſa terris. Non hæc ſacris inquam libris modò, quæ limites, & leges ſolitæ naturæ præuaricantur, continentur, ſed libris item Philoſophorum, & gentium uetuſtarum, quarum nulla propè eſt, quæ nō inuſitata Dei quædā facinora, contrà quàm oculi quotidianè cernant, recenſeat. Mitto libros Platonis ingenio præſtanti uiri, in quibus ad alia mortui reuixerunt, libros item Stoicorum. Sed & Ariſtotelem igneum flumen Aetnæ, quod natura rapidè ſuperfugientes inferret, ſciſſum cogente Deo, relictis in medio pijs, prætereo, quòd exemplorum tam ingentem aceruum efficerent, ut ambitioſus eis recenſendis uideri poſſem. Vnum illud cunctis fuit ſemper hominibus perſuaſum, ac perfectum, non hæc, quæ domeſticè noſcimus, ante animū perpetuò aſtare cernimus, ſola fieri poſſe, ſed item alia, quorum nulla nobis ratione reddita, attonitos, unamq; ſummi Dei omnipotentiam admirantes efficiant. Huius inexplicabilis, incomprehenſibilisq; generis ex corporibus eſt, ut dixi, cœlum, cuius quæ moles ſit, uiſibilis tamen, & ſolida, quo è genere rerū deſumpta, an à terreſtri an extraneo. Et quoniam mundus ex quatuor tantum ſeminibus conſtat, ut quod ex his non ſit, cum mundo numerari, & in rerum mundanarū exercitu locari non poſſit, conſtans ex his, uerbi cauſa, aqua, aut aëre: qua tandem arte ad ſummā, incorruptamq; puritatem redactum, non ſolum ſupernas regiones, ut candidißimæ nubes, appetiuit, ſed ita compactum fuit, ut radiantißima & indeficienti luce terras impleret. Hic ad portum, refugiumq; quò te condas, reſq; corruptibiles, ad incorruptam naturam redactas ne fateri cogaris, concurres: portum ſcilicet nullū, quem tibi ne ueritatem cerneres, paraſti. Veteres tum minus fortè commentitiè, quàm naturaliter magis, quorum ille clarè retulit ſententiam:

Ignea conuexi uis, & ſine pondere cœli,
Emicuit, ſummaq; locum ſibi legit in arce.

Crediderunt ex illa mundana congerie non minus ſubſtantiam cœli incorruptam, uolente

nolente Deo, atq; naturas corruptibiles effectas. Hanc admirandam, inexplicabilem potentiã, in qua sunt innumerabiles formæ, quas nullus sermo percurrere possit, ad animos creatos uetustißimi homines retulerunt, non se cogi putantes, quemadmodum in rerum consideratione ludificati Philosophi posteriores, darent animis perennitatem in præteritum, ne nati moriturí uiderentur.

Quomodo sibi ipsis contradixerunt, animos è cœlo cadere dicentes, iterumq; reverti, & quæ fuerit erroris causa. Et quòd perperam intellexerunt, quæ de regeneratione fuerant uaticinatæ Sibyllæ. Cap. XXVIII.

His erroribus ipsorum met Philosophorũ uoce confutatis, quòd animi sunt sempiterni, neq; uidelicet Diuinitate motus, neq; quia sunt immortales in posterum, eisdem quoq; uocibus ipsorũ, alius error declarandus est, animos antequã in hanc uitam descendant, in altera quadã uita uiguisse. Cuius erroris similis atq; superiorũ causa fuit, cum uellent animos sempiternos in posterum: efficacem rationem crediderunt, si probarentur, antequàm uenissent in corpus, extitisse. Id autẽ probarunt ex rerũ superioris uitæ reminiscentia, persuadentes sibi (uideturq; ab Orpheo manasse) animos antea fuisse. Huius sunt duæ causæ: una, quòd prisci tradiderunt, animos antea fuisse quàm in corpus, ob aliqua in anteacta uita facinora detruderentur: altera, quòd reminiscentia palàm monstret rerum quarundam præteritarum præceptam scientiam. Vult enim, ut Marcus Tullius ait, Plato memoriã esse superioris uitæ recordationem, Multisq; in locis, præcipuè in eo, qui inscribitur Menon, de hoc disseruit: Item in decimo de Republica, in Phædone: Ac, ut arbitror, prima causa peperit secundã, ut cum à maioribus audissent, animos antequam ad corpus accessissent, uiguisse, permoti sint ad inuestigandas huius rei aliquas causas. Sumptaq; est reminiscentia, quæ sit anteactæ uitæ scientia. Quam non operis huius est refellere, tantum, ex dictis eorum, & ex malis, quæ consequantur, probabo uanam hanc, & hominum, nihil habentiũ certi quod statuerent, opinionem fuisse. Huic sententiæ etiã posteriores Platonici subscripsere. Principium eius, ut dixi, creditur ab Orpheo, et Pythagora extitisse. De quo Olympiodorus: παλαιὸς λόγος ὀρφικός τε καὶ πυθαγόρειος, ὁ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα, καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων, ὃ δὴ τὸ κύκλῳ πολλάκις: Vetus fama est, inquit, Orphica, & Pythagorica, quæ ducit animas in altera uita existentes ad corpus, iterumque à corporibus educit, idq; sæpe. Sic Olympiodorus, secutusq; est totam hanc famam æquo superstitiosus Plato: destruitur autem passim profligatur que rationibus, quas à natura, in qua ueritas est, mutauit. Meminit huius item Iamblichus: οἷον προύλαβε βίου ἡ ψυχὴ πρὶν καὶ εἰς ἀνθρώπινον σῶμα εἰσκριθῆναι, καὶ οἷον εἶδος προχέρειον ἐποιήσατο, τοιοῦτον καὶ ὀργανικὸν σῶμα ἔχειν, πρὸς ἑαυτὴν συνηρτημένον, καὶ φύσιν παρασκευάζειν, συνακολουθοῦσαν: Qualem, inquit, prius exercuit anima uitam, quàm in corpus humanum subiret, & qualem speciem promptam fecisset, tale & organicum corpus habet sibi ipsi connexum: similemq; naturam assequentem. Similia re-

peries

peries Iamblichi ſententiæ apud ſuperſtitioſos alios Platonicos, qui relicta inquiſitione Naturæ, temerè ſe maiorũ autoritati crediderunt. Hinc extat carmen de animis, apud eos:

Ἡ γὰθ᾽ ἁπλάχθησαν ὅτε εἰς γένεθλὴν ἀυτὴν
Κάππεσον, ὑλοτρόφει πόθει κλήροισι μανεῖσαι.
Hinc errabundæ ueniunt, cum ad littora lapſæ
Naſcendi inſanæ ſedis mortalis amore.

Empedocles etiam dicebat:

Ὡς κἀγὼ εἶμι φυγὰς θεόθεν, καὶ ἀλήτης
Νείκεϊ μαινομένῳ πιστὸς.
Sic ego deſcendo diuorum pulſus ab axe,
Inſanæ liti parens.

Huius igitur perſpicui, exploratiq; mendacij non alios uolo teſtes, quàm ipſosmet, ut dictis ſuis, quæ dedit Natura uera refellantur. Omnis enim animorum deſtruitur Philoſophia, quam & antiquiſſimi tradidiſſent: & Natura docet, ſi uera hæc ſunt, ut melius animos fuerit mori, quàm illo ludibrio, continuoq; lapſu de cœlo rotari. Nec proderit Platoni, uel terroribus tartareis homines à ſcelere abſtraxiſſe, uel ad iuſtitiam præmijs cœleſtibus propoſitis inuitaſſe, ſi moratus animus aliquandiu in cœlo, detrudetur non multo pòſt in terras, aut non nocuerit improbis, dum cupiditates & libidines expleant ſuas, aliquandiu in tartaro fuiſſe, modo paulò pòſt in uitam reuertantur. Hunc ſortem, & has leges ſceleriſſimi quiq; magno æſtiment, optentq; præfixiſſe Naturam, ſicut iuſti dedignentur, & execrari non ceſſent. Haud planè diſſimilis eſſet his domunis Deus, qui largiti ſeruis beneficia, inde mutata ſententia eriperent. Certiſſimum igitur ſit, ne mutire quidem de uirtutibus, de pietate, de iuſtitia quas tueri, & perſuadere conatur ubiq;, Platonem poſſe, ſtante hac ſententia. Quum ſuis Natura uocibus obiurgãtiſſimè refellat. Gratias autem agamus diuinæ clementiæ, quòd aduenit lux illa, quæ ſola omnem caliginem diſpelleret: qua non ueniente, in magnis erroribus uel primos ipſos ſapientes cæterorum q; facile principes uerſari neceſſe fuiſſet. Redituri igitur ad hanc uitam, cum ſint aut boni, aut mali, autoritas eſt Platonis, malos in tartarum præcipites actos, inde nunquam emergere, ut non fuerint unquam in ſuperiore uita, ſed cũ primum in hac nati, uiuere ſceleratè quàm piè maluiſſent, in æternæ mœſtitiæ loca ſint detruſi. Qui, inquit in Phædone, propter magnitudinem ſcelerum, nullis piaculis expiari, ubi locus expiandi eſt, poſſe uidentur, quòd uel ſacrilegijs ſe expleuerint, uel cædes iniuſtas, cæteraq; id genus perpetrauerint: τοὺς δὲ ἀπροσήκτους μοίρᾳ ῥιφῆναι εἰς τὸν τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν: Hos debita ſors proiecit in tartarum, unde nunquam egrediuntur. Conſtat igitur, hac Platonis ſententia, pœnis æternis deputatos malos nunquam ex illis locis emergere. Quod etiam Poëta noſter eximius ſecutus, ſceleratos pœnis æternis canit cruciari:

Sedet

Sedet, æternumq; ſedebit
Infelix Theſeus, Phlegyasq; miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur uoce per umbras.

Eadem eſt ſententia de bonis, de quibus dicit in Phædone Plato. Qui, inquit, cognitii fuerint piè maximè uixiſſe, hi ſunt qui ex his terreſtribus locis liberati, & uelut ex carceribus uindicati, ſurſum εἰς καθαρὰν οἴκησιν, ad purã habitationem uenientes, in illa beata terra collocantur. Et qui ſe Philoſophia expiaſſent, uiuunt ſine corporibus, in omne deinceps tempus, et in domus adhuc his pulchriores peruenium, quas non facile ſit explicare, ſed nec tempus in præſens ſufficit. Quam ob cauſam conandum totis uiribus, ut uirtutem, ac prudentiam ſequamur in uita: καλὸν γὰρ ἆθλον, καὶ ἐλπὶς μεγάλη: Pulchrum enim præmium, & ſpes magna. Hæ ſunt Platonis duplices ſententiæ. Quam primum igitur hinc egreſſi animi uel tendunt ad ſuperos beati, uel damnati ad inferos. Nulla reuolutio, nulla rotatio. Quare uideat ſummam diſcordiam pugnamq; ſuorum decretorum Plato, cum in eodem libro ait uenire animas defunctorum ad loca quædam, ubi fluat Acheruſia palus, ibiq; certis temporibus aliàs diuturnius, aliàs breuius, πάλιν ἐκεῖθεν τοι εἰς τὰς τῶν ζώων γενέσεις, Rurſus remitti ad uitas animantium. Quomodo mittuntur, ô Plato, animæ defunctorum, ſi iam dixiſti in Tartarum detruſos nunquam remeare ſceleſtos, iuſtos autem perenniter ad cœleſtia gaudia triumphaturos aſcendere? Quanquam mihi perſuadeo ſentire Platonem non omnes animas reuerti. Neq; enim uel cœlo donatas, uel æternis ſupplicijs addictas, ſed eas tantum, quæ ad locum ſubterraneum, & quaſi in Purgatorium profectæ iudicantur, an dignæ ſint quæ mittantur in cœlum, an in Tartarum contrudantur, an redeant in uitam, & cœli lumen, ut melius uiuant, triplici ſorte conſtituta, beatorum, damnatorum, mediorum, quibus detur id edictum, ut ad uitam reuerſæ, æquius, ac iuſtius uiuant, ut ibi oſtendit Plato. Ergo non eſt uera ratio de reminiſcentia, quæ uidebatur concludere de omnibus. Omnes enim præditi ſunt remoniſcentia: cuncti igitur in ſuperiore uita uixiſſent, quia cuncti mortales reminiſcuntur. Quod de illo puſione in Memnone proponit Plato, ualeret in omnes. Totaq; illa in Phædro probatur plena diſſidij, ipſo ſecum autore diſſidente, ratio: qua ex non uero fundamento probata anima immortali, quia ſit in ea motus æternus, proſequitur ut fuerit in cœlo, ſequens allata currum Iouis. Ioue ſupercœleſtem locum, ubi ſit ineffabilis pulchritudo, aſcendente, anima autem aſſequi non ualens, diffluentibus alis recidat in terram. Quæ duabus alijs oppoſitis rationibus ex ipſo petitis euertuntur. primum, quòd ſui quaſi oblitus, cum alibi ſtatuerit præmia iuſtitiæ maxima, magnamq; ſpem propoſitam uiuentibus piè dixerit, quæ demum ſpes ea eſſet? Aut enim dabitur, ut ad illum ſupercœleſtem locum, ubi cernitur inæſtimabilis pulchritudo, perueniam, indeq; nunquam deturber: aut ut attingam ad locum ſupercœleſtem, ubi aliquando a lis amiſſis, iterum in terras reuoluar. Si primum, Animis omnium qui ab æter

no fuerunt piorũ, receptis in locũ ſuper cœleſtem, ſicut etiã in Phædone dixit, adeò imminutum eſſe numerum animorum terras incolentium oportebit, ut in terris relictos nullos ſimile ſit. Neceſſe enim eſt, in æternitate ſemper aliquos bonos fuiſſe. Vt ſi uel unus ſingulo quoq; anno pius reuerſus ſit in locum ſupercœleſtem, omnis iam animorum numerus neceſſariò ſit conſumptus. Sic ſi uel unus ſingulo quoque anno deiectus ſit in Tartarũ. Quòd ſi non in æternitate, ſed certo à creatione tempore, is ordo uiguit: ergo non ſunt animi ingenerabiles, ſed unà cum mundo nati, ſicut in Timæo confirmauit. Si uerò datur pietati præmium, ſupercœleſtis locus: quod tandem præmium eſt, ad eam curiam proficiſci, quò, cum uclut in Barbarorum aulam ad primos honores proiectus, peruenias, inde paulò pòſt deturberis? Hæccine præmia Plato, quæ iuſtis parata dixiſti? Huc adde, quòd eſt in libris eius ſuper hoc tanta inconſtantia, ut appareat nihil eum certi habuiſſe, quod ſtatueret. In Timæo uniuerſum mundum, cœlum, ac terras, cœleſtia, ac terreſtria, uiſibilia, & inuiſibilia creat à ſummo opifice. In Phædro ex ratione, animis minimè congruente, concludit animos ingenerabiles: Et ex ratione incongrua deducit abſurdiora. Sed tum rationibus Naturæ, tum ipſius autoris uerbis demonſtrato, hoc cadentium animorum è cœlo ludibriũ eſſe non poſſe, cum quo ſequitur, animos ingenerabiles non eſſe, alia quoque obijcitur eis ratio, hoc dogma non rectè dilatatum, de paucis à ſuperioribus Theologis poſitum. Nam Pythagoras, cuius omnem ferè Theologiam ab Orpheo deſcendere Platonici teſtantur, retulit homines malos ubi è uita exceſſerint, id habere pro expiatione, ut in corpora brutorum tranſeuntes, ibi luant peccata. Ideo Timæus Locrenſis, diſcipulus Pythagoræ, dixit in Gene ſi ſua, Neceſſariò, inquit, & quædam dira, & inſolita ſupplicia poſita, ſubeuntibus animis, tumidis quidem, in muliebria corpora, ad contumeliam: homicidarum, in corpora ferarum, ad ſupplicium: guloſorum in formas porcorum, et aprorum: leuium autem in aues aërias: ſegnium, & ocioſorum, imperitorũ, in formas aquatiliũ. Hæc illi dixerant. Illa quoq; quã Plato uocat in Phædro παλιγγενεσίαν, regenerationem (ſicq; uocatur à redemptore noſtro, cum Aegyptiorum, Chaldæorumq; oraculis, quæ ad Triſmegiſtum, & Platonis manus peruenerant, ſcilicet fore ut aliquando omnes homines redirent in uitam, quod indefeſſè canunt Sibyllæ) fefellit eos, credentes ſingulis temporibus ſemper homines ad corpora reuerti: quod ſemel tantum ſupremo tempore futurum, oracula canebant. Nec mirum. Nam & lapſum Adæ, & fugam è Paradiſo crediderunt animorum lapſum de cœlo amiſſis alis. Et ad pœnam cuiuſdam facinoris, quod audierant, ſed ignorabant, aſſerebant animam incluſam in corpus. Et diluuium Noë uocarunt Deucalionis. Turrim ædificatam Nembrot gigante, cæteriſq; ſequacibus, ut uſq; ad cœlum aſcenderent, iactarunt fuiſſe Gigantum conatum.

Ter ſunt conati imponere Pelion Oſſæ.

Multaq; alia peruerſè uitio locorum, temporumq; diuturnorum, intellexerunt.

Nam

Nam regeneratio Stoicis quoq; nota fuit, cenſentibus omnibus ſeculis circumactis, reuerti homines ad corpora. Quod explicans Chryſippus τότε δὲ οὕτως ἔχοντος ἅπαλον ὡς ἀδύνατον καὶ ἡμᾶς, μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἱλυμένων χρόνος, εἰς ὃν νῦν ἐσμεν, κατασταθῆναι σχῆμα: Hæc, inquit, cum hoc modo habeant, perſpicuũ eſt, non eſſe impoßibile, nos quoq; poſt mortem, certis temporum reuolutionibus peractis, in eum quo nunc ſumus ſtatum, reſtitutum iri. Hæc igitur illa, quam in libris Sibyllarum, & famæ celebritate per omnes gentes audierant, Palingeneſia.

Quod Plato dicens in Timæo ſeri animos in aſtris, & inde demitti, non uidetur id penitus exiſtimaſſe: & quod alijs libris ueriora ſcripſit, quibus hæc in Timæo refelluntur. Cap. XXIX.

Sed ea quæ Plato de animis diſſerit in Timæo, ipſius teſtimonio, quia non ſunt uera, refelluntur. Ibi hæc loquitur de animis ſatis à Deo: Cum, inquit, conſtituiſſet uniuerſum, diſtribuit animas aſtris æquales, ſingula unicuiq; aſtro attributa. Easq; cum quaſi uehiculum, in naturam uniuerſi impoſuiſſet, monſtrauit eis leges fatales, dicens, Primam generationem fore unam cunctis æquè ordinatam, ne quis ab eo queratur ſe indignè affectum. Sed eas ſingulas ſparſas ut cuiq; congruum eſſet in ſingula organa temporũ, hoc eſt, ſidera, oportere producere animal pißimum, furore, & cupiditatibus cæterisq; affectionibus temperatum, Quibus ſi imperent, fore ut iuſtè uiuant: ſi uincantur, fore ut uiuant iniuſtè. Atq; eum, qui bene datum tempus exegiſſet, ad habitationem ſocialis aſtri profectum, uitam beatam habiturum. Qui autem ſe his ſuperari permiſiſſet, mutandum in ſecunda generatione, in naturam muliebrem. Milleſimo anno utraſq; uenientes ad ſortem, & electionem ſecundæ uitæ eligere, quam uelit uitam. Ibiq; in ferinam uitam, animam humanam demigrare. Quod ſi nunquam abſiſtat, quibus ſe uitijs dediſſet pro morũ quadam conformitate ſemper in ſimilem aliquam mutandum feræ naturã: tandiuq; in hac mutatione, & tranſitu futuram, dum abſterſerit, expiaueritq; ratione ſordes, quæ ex igne, aut aqua, aut aëre, & terra poſtea contraxiſſet: atque ad conuerſionem, motumq; eiuſdem, & ſimilis naturæ quam habet in ſeipſa reuerſa ad primam formam illius optimi & prioris habitus redierit. Quæ cum animis ſanxiſſet, ac defiiniſſet, ut ſi quid accideret poſtea mali, minimè ipſe autor uideretur, ſparſit alios in Solem, alios in Lunã, cæteros in alia temporis inſtrumenta. Hæc Plato. Quæ quidem cum ſint uiolenta, arbitraria, commentitia, ſingula ſingulis alijs uerbis eius et Naturæ teſtimonijs redarguuntur. Ex his enim refelluntur ea, quæ de reminiſcentia in Memnone, & Phædro ſuſpicatus fuerat. Similiter ea quæ in Phædro, et alibi de motu æterno animorum. Ecce enim hic traditur natiuitas animorum, Ecce quomodo, cum nondum nati nec moti, moti ſunt ab alio ad naſcendum. Moti, quòd omnes eis conditiones datæ, quibus uiuunt animi. Docetur etiam motus illos animorum furoris, et cupiditatis, deinde meliores alios ſuperioresq;, ut rationis, imperiũ, datos à Deo. Nõ ſemper ergo motus hos animi tenuerunt. Ad hæc non motus illos

etiam, quòd eos ait ſparſos in ſingula ſidera. Hos omnes motus habere habuiſſeq; principium, Sicq; non ſemper animos fuiſſe, palàm eſt. Non ſemper à ſe ipſis mouebantur. Non fuerunt origo ſibi, ne cunctarum motionum. Reſellitur quoque reminiſcentia. Nam cuius uitæ prioris, quod Iamblichus dicebat, rem niſi in hoc corpore poſſunt animi, ſi nullam duxere prius uitam, ſed tantum in aſtris ſeminabantur, ſparſi per omnes ſtellas, ibiq; tanquam in origine latitantes? Tum uolebant reminiſcentiam eſſe de rebus æternis antè. Nulla hic perennitas, ſed exordium, inchoatio. Secunda contradictio, quòd ait animos bonos reuerti ad ſuam ſtellam, beatam uitam acturos. Animos ſolares ad Solem, Lunares ad Lunam. At, ô Plato, non recordaris dixiſſe te in Phædro, felices animos ire ad ſupercœleſtem curiam, ad loca, extra flammantia mœnia mundi? Non recolis, ſæpe te gloriam, beatitudinemq; bonorum eximijs laudibus extuliſſe? Quæ beatitudo, uiuere in Sole, Luna? An uno cum illis impetu rotari ſemper, & per omnem mundum deſpatiari? Non ne ſuperiores omnes tradiderunt, beatitudinem animorum eſſe? tu quoque in Phædone confirmaſti, cum ad gentem diuinam proficiſci, æuum cum Dijs agere, dixiſti. Et Marcus noſter te imitatus dixit, Si quidem aut Dij, aut cum Dijs futuri ſumus. In Phædone dixiſti, non in Sole, Luna, habitare Deos & iuſtos cum illis, ἱμὸ μᾶλλον, καὶ τόμοις ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι, ὑπ' αὐτῶν, οἷα τυγχάνει ὄντα, καὶ τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι. Et Solem, & Lunam, & aſtra conſpici ab eis, quali natura ſint, & ſequi eos omnem aliam felicitatem. Quid rationis item habet, quæ cauſa Naturæ ſuaſit animos ſpargi per ſidera? Fortaſſe quòd cum ſimul creatos omnes arbitrarentur, nec haberet locum ubi eos conſtitueret, ſidera uiſa ſunt ei commoda habitatio. Ex uno abſurdo, ut uerè dixit Ariſtoteles, plura ſequuntur. Cum cenſuiſſent ſimul omnia uiſibilia, & inuiſibilia facta, animos quoque pariter creatos arbitrari, non crediderunt eos interim dum abſunt à corporibus, in terris eſſe. In cœlo igitur collocarunt. Sed & hoc cum dubium, & obſcurum eſſet, uariè, inconſtanterque tradiderunt. Hic in Timæo naturaliter, & neceſſariò mitti de cœlo in cerpora, in Phædro, & alijs nonnullis locis, ipſe & Platonici, ob neſcio quas priores culpas, è cœlo in terras & quaſi amiſſis alis deturbari. Quorum falſitatem arguit inconſtantia & malè ſtabilita ſententia inſuper & contradictio detegit uanitatem. Nam Marcus ille Tullius, cum originem quæreret animorum, eamque in terris inueniri poſſe negaret, loquens naturaliter, ſuperſtitione dimiſſa ſeque iudicio ferri ſinens, dixit: Nec inuenietur unquam, unde ad hominem uenire poſſint, niſi à Deo. O ſententiam auream. Loquitur, ut uides, de uenientibus animis in corpora, ſingulisque diebus proficiſcentibus à Deo. Neque enim dicit, quemadmodum Plato, olim à Deo ſparſos, & ſatos, ſed reſpiciens quotidianam animorum natiuitatem, uenire creatos à Deo, dimiſſosque ſic alios, quemadmodum primum illum pronunciat. Idem ſenſit, conſſſius que eſt Plutarchus, De his qui ſerò à Deo puniuntur: ὅτε γὰρ εἰσὶν ὅσοι μοῖραι

μοῖραν ἀρετῆς, ἀπ' αὐτοῦ φερόμεναι πρὸς γένεσιν αἱ ψυχαὶ βαγίζουσι: Ignoſcit, inquit, differtq; caſtigare Deus, ſciens quantum uirtutis inſit animis uenientibus ab eo in hunc mundum. Ad hæc, Si potuit Deus cunctos ſimul animos creaſſe, poterit etiam quotidie. Eſt autem rationalius quotidie creari, quàm ſi mul omnes. Nam ſi fuiſſent in cœlo, nunquam eos in terram uenire fas fuiſſet. Eſt enim cœlum locus beatitudinis, perfectionis. Quidquid ibi eſt, ſemper ſit neceſſe eſt. Nec debet illic eſſe quicquam ad malum anceps. Nec uiuere quod in Tartarũ aliquando propter peccata ſit detrudendum. Eſt igitur cœlum, ſedes perfectorum, beatorum, ſedes Deorum. Si animi antequam mittantur in terras, illic degerent: de geret in cœlo, res in malum propenſa. Cum igitur æquè ſit poſsibile animos ſingulis diebus creari, atq; à principio cunctos (ſed probabilius ſit ac melius ſingulis diebus creari: uitatur enim incommodum maximum, quod antè dixi) certè melius eſt, eos ſingulis diebus, quàm omnes dicere creatos à principio. Eſt certè abſurdum temerarium, irrationabile, eandem ſortem, eundem locum eſſe animorum bonorũ, & iam multis caſibus probatorum, atq; animorum in ancipiti ſorte exiſtentium, quiq; poſsint eſſe mali, ac boni. Si enim animi antequam in corpus intraſſent, poterant eſſe boni, & mali, nec dum ſe uel uitijs dedidiſſent, uel probitate, ac ratione peccatis imperaſſent, erant autem cum hac natura in cœlo, priuſquam in corpora ueniſſent: demiſsi in terras probantur an boni, an mali: mali migrant in ſecunda generatione in formas beſtiarum, ad aſtrum ſuum redeuntibus bonis, profectò redeũt eò, ubi aliquando ſcelerati illi, & in formas beſtiarum transformati, aut extremè nefandi in Tartarum præcipites acti, iam dudum uixerant. Sicq; turbantur omnia iura, leges miſcentur, nec inter cœlum, ac terras ulla diſcrimina ponuntur. Et tamẽ Plato dicit cœlum locum purum, ſacroſanctum ſolos puros καθαροὺς, accipere. Non ſunt puri nondum probati. Conſtat quidem hanc de cœlo labentium animorũ, famam potius fuiſſe de Adam è Paradiſo pulſo, ueſte pellicea, nempe corpore, in pœnam ueſtito. Sed hoc in terra. Similiter caſus Dæmonum non fuit e cœlo, loco ſancto, beato, quò nondum probati non aſpirauerant: ſed ex aëre, ut placuit prudentibus, ubi creati. Eoq; nonnullis illic remanentibus, cæteri peiores, inferius cecidêrunt. Sed ignoſcendum Platoni. Periculoſa enim & obſcura de ſatu animorum, & aduentu in corpora, ſententia. Quocirca poſitis clarioribus, riteq; iudicatis obſcuris ſuperſedendum. Quod uitatum eſt ab Ariſtotele. Probabilius igitur eſt, & naturæ conſonantius, animos ſiue in cœlo, ſiue in terra creatos, ſubitò infundi in corpora & in corporibus probari: probatis dari regnum cœlorum, improbis contraria. Cœlumq; eſſe locum probatorum, perfectorum, glorioſorum, non ad utranque uitam pendentium.

Quomodo uera ſit ſententia, ad animum uniuerſi, particulares reuerti. Quod hoc myſterium Philoſophi recentiores peruerſe intellexerint. Quod ea ſit ſacrarũ literarũ ſententia. Quod plato, & Pythagoras dicunt animos ad Deum reuerti. Et ſuper hoc errores Themiſtij. Caput XXX.

DE anima quoq; quæ circunfertur opinio, diciturq; esse quorundam recentium philosophorũ, sed fuit antiqua, si quis eam rectè intellexerit, uerã esse comperiet. Dicitur post discessum è corpore reuerti ad unicã unuersi animam hanc q; unã esse totum orbem terrarũ animantem, cuius quasi sint radij, scintillæq; particulares animæ. Hæc igitur opinio prisca est, nõ noua, sed à nouitijs Philosophis peruersè intellecta. Primũ Pythagoras, qui dixit, autore Cicerone et Plutarcho, deũ esse per omnes mundi partes intentũ, et commeantẽ, ex quo nostri animi carperẽtur, locutus est de aduentu nostrorũ à Deo animorũ, eam de anima sententiam proponens, quã recentes peruersè dixerunt, unam esse omniũ animam. Ecce igitur non rectè perceperunt, aduentũ creationemq; animorũ, non intelligentes animos quidẽ infundi & inspirari ab illa immensa, totius orbis anima, sed nõ connecti, iungiq; cum ea, ut tanquam à sole, inseparabiles radij nitescãt. Ecce enim anima illa immensa, prisci, fuit Deus ipse, non alia anima. Quisenim totũ potest animare, complectiq; mundũ nisi Deus? Si Deus igitur est hæc anima magna, animæ autẽ particulares sunt, tanquam substãtiales luces ab ea radiantes, ad quam redeunt, post separationẽ à corpore, certè Deus essent animæ omnes, immensæ sapientiæ, non imbecilles, non errantes, non hallucinantes. Quarũ manifesta fragilitas declarat animos duinos quidẽ esse, Deos autẽ & ex diuina substantia, minimè. De reditu igitur animorũ ad hanc magnã animam Pythagoræ Platonisq;, quemadmodũ item de aduentu fuit sentẽtia, autore Plutarcho de Placitis Philosophorũ: Πυθαγόρας, & Πλάτων, ἄφθαρτον εἶν ψυχήν, ἐξισῶσαι γὰρ πρὸς τὸ παντὸς ψυχὴν ἀναχορεῖν, εἰς τὸ ὁμογενές Pythagoras & Plato incorruptibilẽ esse animam. Exeuntẽ enim reuerti ad animã uniuersi, ad suum genus. Sic ille. Ex Cicerone autẽ eodemq; Plutarcho habes, hanc animã esse Deum. Dicebat enim superius idem Plutarchus, Pythagorã, & Platonẽ sentire, animã opus æterni Dei. Veniunt igitur à Deo, redeuntq; ad Deum animi. Quæ est etiã sacrarũ literarum sententia: Et spiritus, inquit Salomon, reuertetur ad dominũ, qui dedit illum. Dauid autem, Emitte spiritum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Erat igitur apud priscos firma constansq; sententia, quemadmodum docuit Moses, à deo qui est anima mũdi, omniũ spirituũ creator, et afflator, mitti nostros animos, mitti autem non tanquam à sua substantia. Iuxta quam priscorũ sententiam Simplicius, primo Physicorũ dixit: Καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ ὑπὸ θεοῦ ἐλλάμπεσθαι λέγεται: Etenim, inquit, dicitur anima à Deo radiare. En igitur anima uniuersi, à qua dicũtur animi nostri relucere. Et Marcus, Animus humanus decerptus ex mente diuina. Sic item erat sententia reuerti eas ad suum genitorem, sed non ita reuerti, ut ad suam substantiam coniungendos, & quasi auulsos, copulandos, quemadmodũ dicuntur Auerroës, nonnulliq; alij sensisse: sed ut ad creatorem, regemq; suum à quo creationẽ similitudinemq; suæ naturæ acceperint, et cuius nõ sunt de substantia, posimt ab eo procul esse, ad regna conspectum que eius nunquam uenire, si sese malè factis coinquinauerint. Hoc sensit Plato, tota que antiquitas.

Errores

Errores Themistij, aliam esse animā uniuersalem asserentis, alium ipsum Deum summum. Si foret unus illuminans omnes mentes, intellectus Deum fore. Rationes cur non sit unus. Cap. XXXI.

Vocirca cogor aduersari Themistio, haud è Peripateticis ignobili Philosopho, quem cum dubitatio suspensum tenuisset, potius in id quod magis esset uitandum, quàm quod ratio probaret, propensus fuit, nec antiquæ sapientiæ ueritatem attendit. Is in libris de Anima, primum uerè rectèq; affirmat animum, quem præceptor agentem, Græcè ὁ ἐνεργείᾳ νοῦς ὁ ποιητικὸς νοῦς, uocauit, esse eum qui nobis det esse, & substantiam. Nimirum hominem uerum esse ipsum intellectum, siue animum facientem, operantem, indefatigabiliter cognoscentem, lumen inextinctum, semper luce notionis radiantem, cuius uita sit ipsum intelligere, à quo nunquam relinquatur, quemadmodum nunquam relinquitur Sol à luce, & claritate sua. Dixit ergo nos esse intellectum illum agentem, illum esse uerum hominem. Cum dicis hominem, animum ipsum uiuentem semper, & operantem, sentiendum esse. Atque hanc esse sententiam Aristotelis asserens ait, ἡμᾶς μὴ ποιεῖ τὸν ποιοῦντα νοῦν. νῦν δὲ τοῦτο ἡμῖν βεβαιότερον, ὅτι ἡμᾶς οἴεται τὸν ποιητικὸν, νοῦν: Nos, inquit, facit intellectum agentem. Nunc ait, fortius & uerius probatur, nos Aristotelē appellare animū illum operantem. Quid autem sit is intellectus semper operans, agens, declarat idē his uerbis: ὅταν δὲ αὐτὸς καθ' αὑτὸν γένηται μόνος ὅπερ ἐστίν. ἔστι δὲ ἐνεργείᾳ ἄπαυστος, ἀκάματος, ἀθάνατος, ἀίδιος: Cum autē fuerit ipse per se, hoc est, solus quod est. Est autem intellectus agens irrequietus, indefatigabilis, immortalis, sempiternus. Hæc ille. Duas igitur ponit uerasa sensuq; dignas sentētias: Quòd homo uerus Aristoteli est ille intellectus: secūda, quòd is intellectus est æternus, immortalis, incorruptibilis. Tertiā adijcit eandē, cum priore, quòd eos irridet (est autem is Alexander) qui dicebant hunc intellectum operantem Aristotelē ipsum Deum existimasse. Irridet autem ostendens ex dictis Philosophi, de summo Deo nulla ratione eum sentire potuisse. Ex his, inquit, Aristotelis dictis admirari eos operæpretium est, qui mentem agentem hanc πρῶτον θεὸν ὑπέθεσαν εἶναι κατὰ ἀριστοτέλη, Summū Deum putariū esse secundū Aristotelem. Quarta sententia, quæ ex his omnib. maximè reprehenditur, et cuius cæteros erroris refellit, ipse maximè refellendus apparet. Quærit, animus, quem agentem, & immortalē esse, & Deum non esse docuisset, utrum ne sit unus, an plures. Videri autem unum secundū Aristotelem, quia lumini eum comparasset. Vnum autem esse lumen uniuersi. Imò uero & fontem luminis, à quo omnes animaliū oculi deducantur ex potestate ad actum. Et quemadmodū nihil faciat ad unum quodq; animaliū luminis incorruptibilitas, sic non prodesse nobis intellectus agentis æternitatem. Quòd si plures essent, & eorum, quæ sunt potestate, non unus esset agens, quomodo differant inuicem? Nam in his his, quæ sunt eadem specie, diuisiones esse per materiā. Necesse autem est intellectus agentes eosdem esse specie, siquidē omnes eandē habent substantiā, actum, & eadem omnes cognoscunt. Si enim nō eandem,

ſed diuerſam, quæ erit ſeparatio? Vnde porrò mens poteſtate omnia cognoſcet, niſi primus intellectus cuncta noſcat, qui eam deducat in actum? An uerò primum eſt unus illuſtrans, illuſtrati autem, & lucentes plures? Nam Solus unus eſt, lumen autem uidetur propemodum in uiſiones omnes ſecari. Ob id enim non Solem, ſed lucem pro exemplo uſurpauit. Plato autem Solem, quem ſummo Bono comparat. Quòd uerò in unum agentem intellectum nos omnes reuocamur, compoſiti quaſi ex agente, & poſsibili, & unicuiq; noſtrum ab illo uno eſt eſſe, non eſt cur miremur. Vnde enim communes conceptiones, unde ſimilis, et eadem omniũ ſine præceptore primorum terminorum, primarumq; dignitatum, cognitio, nunquam certè mutua cuiuſq; noſtrum notio fuiſſet, niſi eſſet una mens, cuius omnes eſſemus participes. Et uerum eſt, quod ait Plato, niſi aliquid eſſet hominibus, alijs quidẽ aliud quid, alijs aliud quid idem, ſed quis noſtrum priuatos affectus haberet, non eſſet facile alteri oſtendere affectionem ſuam. Similiter in ſcientijs qui docet, eadem ſentit cum eo qui diſcit. Vnde enim & diſcere & docere poſſemus, niſi idem eſſet doctoris, diſcipuliq; ſenſus? Quod ſi idem, ut neceſſe eſt, certè idem eſt intellectus docentis, ac diſcentis. Has et id genus ſuper intellectus unitate protulit Themiſtius rationes. Quarũ confutatio non profundioribus modò, ſed etiam cuiuis de medio facilis eſt, tum quòd peruerſe Ariſtotelis ſententiã interpretatur, tum quòd & rationi, & autoritati maiorũ contradicit. Et ex uerbis ipſis elicitur confutatio. Tres igitur rationes adſunt in contrariũ. Primum, quòd negans illum intellectum, omnes illuſtrantem, & illuminantem, & quaſi lucem immenſam per omnes animos radiantem, eſſe Deum ſummum, apertè, & perſpicuè ſibi contradixit. Si enim eſt omnium hominum intellectus unus, & is eſt immortalis, incorruptibilis, et non eſt Deus, diffuſus eſt autẽ per omnem generis humani gentem, efficitur ut is ſit Deus, et non ſit Deus. Ille enim intellectus, illa mens, ille animus, qui dat lumen uniuerſis, qui ſpargitur per totũ orbem terrarũ, ubiq; præſens, fieri non poteſt quin ſit Deus magnus, quem dixit Pythagoras per omnes mundi partes intentũ, et commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. Eſt igitur ſolius ſummi, omnipotentisq; Dei, uniuerſalis præſentia, uniuerſalis omniũ animorũ illuminatio. Hoc Ariſtoteles dixit, hoc Plato. hoc omnis antiquitas, hoc ratio clamat, uociferatur, apertam & perſpicuam contradictionem hominis huius pandentes. Negat Deum eſſe, qui omnino eſt Deus. Si quis igitur eſt intellectus, qui det lumen omnibus in toto terrarũ orbe hominibus, qui luceat ubiq;, qui ueritatẽ ubiq; miniſtret, hic fieri nõ poteſt quin ſit Deus. Themiſthius autẽ negat hunc eſſe Deum. expreſſa igitur contractio. Et ſimile quid facit Themiſtius, ac ſi deſcripſiſſet prius, Eſt animal in terris bipes, erectæ ad cœlũ ceruicis, intelligens, ſagax, ſolers, loquens. Deinde hunc hominem eſſe negaret. Tale enim eſt dicere, Eſt quidem intellectus incredibilis magnitudinis, per omnẽ mundum diffuſus, illuminans omnes animos, à quo funditur micatq; omnis ſcientia, & cognitio, ſed is non eſt Deus. Cũ igitur ratio coarguat hunc, immenſum, ingentem

animum

animũ, Deum esse, si quis est, qui det omnibus animis, ut uoluit iste, lumen (sed alia clarior ratio probat, si magnus is animus, qui est Deus, daret animis nostris esse, id est, si homo uerus esset intellectus is, quem probat ratio esse Deum: hunc autem dixit Themistius homines ipsos esse) arguitur profectò, futuros homines ipsum Deum. Si enim magnus ille, & infinitus animus est Deus, ut probat ratio: & si iuxta Themistiũ, is intellectus est substantia nostra, planè coarguitur nostrã substantiam esse ipsum Deũ. Huc deuoluuntur, desmuntq; nouæ, & à uetusta Philosophia abhorrente, persuasiones. Mirari autẽ operæpretiũ eorum ineptias, quæ eos ad hæc prodigia confingenda perpulerunt: Quòd sit cõmunis eademq; notio, quòd præceptor, et discipuli sensibus conueniunt. Quasi unam animã in decem lupis esse, dicendũ sit, quia simulac unus exulularit, omnes statim concurrant, cognita sine ullo præceptore uoce, eos ad prædã inuitante. Sic una erit in bobus, asinisq;, & gallinis anima, quæ facile, nullo docente, uoces mutuas intelligant. Sic oua erunt eadẽ, quia similia. Vbi igitur fuit similitudo, uoluerunt esse unitatem. Similitudinem animorũ, qua similia nosc unt, cogitant, propter similitudinẽ naturæ, incursant in easdem notiones, in eadẽ consilia, putarunt esse unitatẽ: Tale quid perpessi, ac si quis decem specula, quia in cunctis eadem repræsentantur, diceret unum speculũ. Quæ ratio cum sit apertissimè falsa, longius refelli non debet. Nam cur præceptor, ac discipulus conueniant, non unitas facit, sed similitudo animorũ. Separationem autem rerum indiuiduorumq; singuli cuiusq;, pertinacius, quàm par est, leges rerũ corporearũ, ad res corporeas transferre, dicunt à materia semper fieri: Vt separatio indiuiduorũ non existat, ubi materia non est. Non est autẽ in animis, non ergo separari posse. Hæc quoq; ineptius, quàm deceat Philosophos tantos. Quid enim prohibet quo minus spiritualia, inuisibilia sint plura, habeant suam multitudinẽ, diffundantur latè? Quid has leges inuexit? cur mittis in cœlũ terrestria? Corpora per materiam segregantur, multiplicantur. ergo ubi non est materia, non est segregatio, non multitudo. Quæ tanta ineptia in Philosophia? Alia lex est animorum spiritualiumq; rerum, alia corporũ. Qui hoc non uidet, non uidet nisi terrã, nisi corpora, altius non assurgit. Hæret solitis, domesticis. Separantur igitur per suas substantias mentes. Et sicut unus est animus, per suam substantiã, sic alter esse potest per suam substantiã, segregatus, distinctus, seiunctus ab illo. Quorũ segregatio non erit à materia, sed ab ipsorum substantia. Talis ac tanta segregatio, quanta ipsorum corporum. Non ne Deus segregatus est ab omnibus animis? Qua quæso materia segregatus? Hæc igitur cũ non minus q̃ superiora, puerilia sint, indignaq; Philosophiæ grauitate, uerba in eis refellendis uereor profundere. Hoc addo postremũ, ut error tantus appareat. Ille unus intellectus, quem incorruptibilẽ, immortalem asseruit, Deũ esse negauit. Si perirent omnes homines è terra, quod fieri ratio non reclamat, si pestilentia aut alia calamitate, aliquæ nationes interierunt, quemadmodum diluuium cunctos abstulit, præter octo, sic omnes extinguerentur, ubi remaneret, ubi subsiste

ret, cunctis hominibus, quia mortales omnes, è terra ſublatis? Tolerabilior igitur error Alexandri, quem tacitè ſugillat Themiſtius, cenſentis agentem illũ intellectum eſſe Deum, primam cauſam ab Ariſtotele uocatũ. Sed & ipſe grauiſſimè peccat, clara dilucidaq; præceptoris uerba, ut oſtendit Themiſtius, tam peruerſe interpretans, ut quod clariſſimè de intellectu noſtro dixit Ariſtoteles, uocans illum agentẽ, ipſe ad intellectũ diuinum tranſtulerit. Eodẽ uidelicet errore, quo ſuperius æternitatem, principiumq; motus ab animo diuino ad humanũ detorſerant. Nunc quod hominũ eſt, ad Deum traducentes. Maneant igitur cuncta ſuis locis. Quod Ariſtoteles de noſtris apertè locutus eſt, nulla ratione transferatur ad Deos: ſimiliter quæ diuinæ potentiæ tribuit ratio, non fiant humana poſſeßio. Vt igitur ſub epilogo rationes Themiſtiũ coarguentes proponam: Si quis eſt animorũ omnium illuminator, ſolus is eſſe Deus poteſt. Non facit unitatem animorũ ſimilitudo, conſenſusq; cognitionis. Contra philoſophiã uerumq; iudiciũ eſt, in quibus eſt ſimilitudo, ponere unitatẽ. Non eſſet immortalis, incorruptibilis unus animus ille, qui requieſcat ſuper omnes homines innixus illis, & inſeparabilis, ſi cuncta hominũ natio periret. Deniq; luminis comparatio quæ placuit Ariſtoteli non deſignat intellectus unitatem, ſed illuminationẽ, irradiatione ſinguli cuiuſq; intellectus agentis ſuper unumquenq; intellectũ poßibilem. Demũ ſi nobis dat eſſe agens ille intellectus, & is eſt immortalis, omnis utiq; homo habet eſſe ſuũ, ſuamq; ſubſtantiam immortalẽ. Quia homo eſt ille agens intellectus, incorruptibilis, immortalis. Veritas igitur ab antiquiſſimis prædicata poſterisq; mãdata erat, quòd intellectus ille magnus, unus illuminator, eſt Deus magnus, magna mũdi animatio, à quo dicũtur animi noſtri, quando creãtur, quaſi radiare, ac ſcintillare: quemadmodũ ſuperius omnes aſſenſerunt.

De immortalitate animorum famam uetuſtiſsimam eſſe. Nolle facinoroſos animam immortalem, ne terrore futurarum pœnarum peccatis ſuis impendentium torqueantur. Cap. XXXII.

SVnt item hæc de animi immortalitate obſeruanda. Principio quod in undecimo de Legibus ait diuinus Plato, Fidẽ quòd animi ſint immortales, quòd poſt diſceſſum è corpore ſentiant, uiuant, uigeant, longè antiquiſſimã eſſe, ut ob uetuſtatem, quoniam uetuſtiora ſunt meliora, ut idem teſtis eſt, Dijſq; propiora, magis ſit hominibus excipienda: αἱ τῶν τελευτησάντων ψυχαὶ, δύναμιν τινὰ τελευτήσασαι, ἣ κατὰ ἀνθρώπους πραγμάτων ἐπιμελοῦνται, ταῦτα δὲ ἀληθεῖς μὴ, μακροὶ δ' ἐισὶ περιέχοντες λόγοι, πιστεύσαντι ταῖς φήμαις χρεὼν περὶ τὰ τοιαῦτα οὕτω πολλαῖς, καὶ σφόδρα παλαιαῖς οὔσαις: Defunctorum animæ, uim habent quandam defunctæ, & rerum humanarũ procuratrices ſunt. Hæc autẽ ueris, et antiquiſsimis ſermonibus circumferuntur. Fidemq; adhibere neceſſe eſt omni alteri, quæ de hac re iactatur fama, cum ſit tam multa et adeò priſca. Hæc Plato, & hoc Tullius teſtimonio in Tuſculanis de animorum immortalitate utitur. Diuino igitur inſtinctu locuti ſunt, docentes famã de animis immortalibus eſſe uetuſtiſsimam, autoritate priſcorum ſeculorum confirmatam, à patribus

tribus per continuam ſucceſsionem quemadmodum notionem Dei, traditam. Vſq; ab origine mundi, ab Adam, Noë, Abraham, alijsq; antiquiſsimis, poſteritati prædicatam. Hoc igitur maximè obſeruandum. Alterum quod ait Hierocles Pythagoreus, qui maximè uelint animam immortalẽ, non prudentes, ac ſapientes, ſed impuros, ſceleſtos, quiq; libidinibus uitæq; turpitudini, ſe dediderunt: ὁ βούλεται ὁ κακὸς ἀθανάτου εἶναι τοῦ αὐτοῦ ψυχοῦ, ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρόμενον, καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαστὴν, θάνατον ἑαυτῷ καταψηφιζόμενον: Non uult, inquit, improbus, animam ſuam immortalem, ne ad conſpectum illius iudicis æqui pœnis torquendus adueniat. Itaq; ſe ipſum potius morte condemnat.

FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER DECIMVS.

In religionem ueram cunctos Philoſophos conſenſiſſe: Pietatem, Philoſophiamq; Chriſtianam, quæ ſola cunctas ambages reſoluit, omnes tacite collaudaſſe: Rerum humanarum finem eſſe, Philoſophorum conſenſu, pietatem: Hanc autem eſſe ſolam Chriſtianam. Cap. I.



Vltima totius operis meta, uehementer his, quæ præceſſerunt, neceſſaria, & tanquam aptiſsimus colophon reſtat, probandum, cunctos naturali conſenſu, atque adeò rationis eius, quæ ſeparat homines à brutis, inſtinctu, conueniſſe, ibiq; demum uoces eorum, & teſtimonia deſiſſe: nihil eſſe mortalibus pietate, ac religione melius: collectisq; rationibus, cunctos eò tandem deueniſſe, ut hodiernam hanc orbis terrarum religionem, ueram generis humani magiſtram, uel antequam exorta eſſet, ſola ratione duce prædicarint: ut omni natura diligenter humana, cunctisq; rebus, quæ cadere in animum poſſint, uniuerſa'que Philoſophia euoluta, id tandem cuncti, concordes, quaſi ratione ſeipſam excitante, decreuerint eſſe uerum bonum, quod promittit hæc religio, ſine quo, nec homine miſerius quidquam naſci, nec multæ ſedari animi perturbationes, de'que rebus humanis dubitationes poſſe uerint. Verè quidem una hæc omnium perturbationum, ambiguitatum'que, quæ torſerunt in omni ætate mortales, torſiſſent'que ſemper uerum aſylum portusq; apparuit. Vna ſuperiorum ſeculorum tenebras & caliginem nitore ſuo diſpulit. Hæc omnia quondam dubia diſſoluit, humanarum rerum finem ſola declarauit,

degendæ

degendæ uitæ rationem ueram ſola docuit. Secuti ſunt autem uiderunt̃q; eam penè cuncti Philoſophi, quoniam non tam diuina eſt, cœlitus q̃ reuelata, uerum etiam a deo naturalis, ac rationi conformis, ut recte iuſteq; nihil ſtatuere poſſis, niſi ad eam ſorte quadam delatus. Cernere igitur erit Philoſophiæ, & humanæ mentis, ubi minus deſiperet, cum ea concordia? Ac primum nemini dubium eſt, quin ſit in unaquaq; re, optimũ, ac pretioſiſſimũ, & cuius gratia cætera inuenta, ac conſtituta uideantur, quod in fine eſt. ſic res humanas, etſi multæ ſunt, quæ ſub Philoſophiæ conſideratione cadant, quorum afferat animis admirationem contemplatio, id tamen præſtantiſſimum eſſe nemini dubium, cuius uirtus reliqua facile præcellat. Eſſe autem finem rerum humanarũ, apertè, & clarè regio cœleſtis docuit, ut uitam hanc tranſigentes, & ab omni ſcelere, ac fraude abſtinentes, ad meliora, q̃ quæ in oculis habemus, perueniamus. Huc omnia demum rediguntur, qui quidem maximus, nobiliſſimusq; finis trahit omnem pietatem, religionem̃q; ſecum, uniuerſam̃q; Philoſophiam, particulares item rerum cæterarum fines, quibus tota ferme conſtat religio. Nam ubi finem bene, rectéq; uiuendi conſtitueris, neceſſariò ſceleratæ uitæ finis conſtitutus erit. Sic neceſſariò quoq; erit eorum aperta ratio, quibus conſtat recta uita. Cunctaq; eodem ſermone conſonare oportebit. Primum igitur de fine loquendum. Nam Plato & Ariſtoteles, multiq; alij Philoſophorum adeò clarè hunc finem uiderunt, ut penè miraculum ſit eos ratione uidiſſe, quòd pòſt nuntius cœleſtis reuelauit. Quanquam, ut dixi, perennis hæc fuit uſq; ab exordio generis humani Philoſophia: cum mortales omnes, ut ſummi Theologorum perhibent, ante diluuium concorditer unicum, ſingularem̃q; Deum noſcerent, eum̃q; ſolum adorarent, uanis poſtea religionibus, quemadmodũ & flagitioſis alijs erroribus, reperti. Cum igitur omnes ſiue Natura docente, ſiue priſtinæ pietatis, per omnia ſecula ueſtigijs extantibus, magnum præclarum̃q; illum humanarum rerum finem perſpexerint, profectò nulla ſuper reliqua religione diſcordia manebit. Vt aliquis occultatus, cunctos Philoſophos pariter conuocans, ſuiſq; eis ſententias oſtendens, probaturus ſit eis, nullam eos aliam religionem uoluiſſe, quàm hodiernam.

Philoſophos perhibere pietatem eſſe uirtutum principem: probari hanc ſolam eſſe Chriſtianam. Finem à Philoſophis conſentaneè religioni Chriſtianæ conſtitui, ut Deum ſequamur. Huc omnem uitam dirigendam. Hoc illos dicentes, aperte religionem, quæ ſequitur Deum, reſpexiſſe probaſſe. Philoſophis ueram ſcientiam eſſe, Deum noſcere. Cap. II.

PRimum igitur religionis, ac pietatis, quo regitur beatè uita, gradus eſt, quòd agnoſcendus eſt, & colendus Deus, ex cuius amore & cultu, ac bene noſtris factis, perueniendum ſit ad meliorem quàm caducam hanc, corpoream̃que uitam. Hoc cum decantatum, celebr̃que factum ſit, magno illo in terras adueniente Deo, omnes antea propter inſitam, donatam̃que rationem, & quòd unanimes erant quondã in cultu eius, non ignorarunt. Hierocles igitur Pythagoreus, tametſi Chriſtianæ religionis hoſtis, omnis probitatis originem, ac principiũ dixit pietatem;

pietatẽ: πασῶν ἀρετῶν ἡγεμὼν ἡ εὐσέβεια πρὸς τὴν θείαν αἰτίαν ἀναφο/ρὰν ἔχουσα: Omniũ, inquit, uirtutum princeps, & dux est pietas, causam diuinã re spiciens, in eãq; relata. Hæc Theologia ea est, quæ nostris in literis prædicatur Deũ ante omnia uenerari oportere, & quæ constituit hanc toto orbe terrarũ celebrem religionem. Cuius principiũ, & caput, omnis deniq; cura, est summi Dei perfecta ueneratio. Efficit autem ratio, ut si pietas est princeps omniũ uirtutum, eam pieta/tẽ hoc cum primis honore præcellere, qua colitur Deus summus, ac primus. De/inde cùm uirtute nihil sit melius, stabilius, fortius, magis substãtia suffultũ: uirtutum autem magistra, ac regina sit omniũ rerum maxima: ei subiectũ uerum necessariò subiacere, non ex nihilo nasci, in eo uersari, quo non sit melius, dignius, præstan/tius. Ex his autem efficitur, ut hæc eorũ de pietate attestatio, quã ex pectoribus eo/rum eruebat Natura, non cadat nisi in hodiernã religionem, ac pietatẽ. Neq; enim si pietas est dux omniũ uirtutum, omnis probitatis generatrix, & lux, eorum pote rit esse Deorũ, quos aut Poëtæ finxerunt, aut Philosophi quidam recenter inuexe/runt, quorũ priores homines fuerunt, ut Hercules, Pallas, Mercurius, posteriores sint sidera, Dæmones. Efficitur igitur ut hæc pietas, quæ princeps reginaq; uirtutũ dicitur, non alia tandẽ possit esse, nisi hodierna de summo, ac singulari, & præpo/tenti Deo. Quoniam hæc de pietate prædicatio, naturalis est, nihil ei subest fabulo/sum, commentitiũ, uanum. oritur ex intima rerũ perfectaq; consideratione: & solũ de uero, ac principe Deo potest esse uera, cuius cultus, & agnitio, omnibus genera tim uirtutibus, omni probitati præbeat lumen. Hinc enim duntaxat nascitur mode/stia, temperantia, iustitia, rerum humanarum contemptus, in secundis constantia & moderatio, in aduersis fortitudo, nascitur integritas, innocentia. Quamobrem si quis prudenter dijudicet, hæc Hieroclis pro multis alijs attestatio designat, uerã re ligionem, non aliã esse posse, q̃ hodiernã, in qua pietas uera, id est. Dei ueri, ac sin/gularis, de quo tã multa superiores loquebantur, colitur, ac celebratur. Itaq; Arria nus alius è Philosophis, cũ optimè uiderit, diuineq; locutus sit, τέλος ἅπάντωμ τοῖς θεοῖς ἕπεσθαι, finem omniũ rerum esse, Deos sequi: in uno tantũ errauit, quòd Deos nominauit. Nam quos hic sentiam Deos non habeo. Neq; finis est sequi aut Deos illos Aristotelis, Intelligentiã Solis, Lunæ, aut Deos Poëtarũ, Herculem, Mi/neruam. Tũ ipsi & compellente Natura, et uoce clara sæpe, unũ esse principem, cæteros autẽ ab eo natos, ac dependere confessi sunt. Hunc igitur tantũ sequi, non alios, uerus finis est, et esse potest. Ratione igitur cum eorũ testimonio coniuncta, prædicant, exclamant, non potuisse in mundo meliorẽ, ueriorem surgere religio/nem, q̃ hodiernam, cuius omnis finis est sequi Deum uerũ, eius obtemperare præ/ceptis, eum unũ aspicere, cætera pro uanis, aut minoribus, longeq; inferioribus hæ bere. Audi igitur Philosophos ô Christiane, finem omnium hominũ, supremam na turæ curam, studium primũ, ut Deum sequaris. Quod faciunt cultores Dei, præci puũ esse, nihil eos melius exercere posse. Hoc omniũ esse quæ uiuentes agimus pri

mum.

mum. Quidquid egeris aliud, non ad finem tuũ egeris: tunc humanæ naturæ finem secutus fueris, cum Deum sequeris. Sequuntur autem, qui studia curasq; omnes in eum collocarunt, ibiq; aciem mentis defixere, cætera facientes, uelut homines, semper tamen ad finem suum, aciem retorquentes. Hocq; est, quod ipse dixit, Primum quærite regnum Dei. Et cum uult nos sui memores, in itinere, in mensa, in lecto, ubique. Is igitur Philosophorum testimonio est hominum finis. Itaque eadem repetit Arrianus, siue Epictetus consentiens cum Hierocle, quòd non liceat bene quid fieri, nisi ad canonem, siue regulam diuinam referatur: πῶς γὰρ ἔσται τι καλὸν, ὃ μὴ πρὸς κανόνα τὸν θεῖον πράττεται; Quomodo, inquit, erit ulla res bene, ac decorè facta, nisi ad canonem diuinum referatur? ô uocem præclaram, & auream. Suffragium Philosophorum, ac consensus, siue uiolentium, siue natura cogente hodiernam, & iam ab exordio mundi natam religionem, unicã ac singularem esse, quæ regat una gens hominum, referens omnia ad canonem diuinum, ducem eum ac præceptorem sequens. Eadem de laudibus pietatis, cultus ue diuini, & quòd is sit fons omnium uirtutum, omnis probitatis principium, uera hominum uita, locutus est Iamblichus, ob quæ creditus, & appellatus est à suis diuinus, ab alijs etiam diuinissimus. Quo nomine multo magis sunt nostri uocandi diuini, omnis que Philosophia nostra diuinissima dicenda, cum ea doceat multo melius, frequentius, quorum tractatio peperit eis nomen diuinum. Is igitur in eo, qui est de secta Pythagoreorum: ἅπαντα μέν τοι ὅσα περὶ τὸ πράττειν ἢ μὴ πράττειν διορίζουσιν, εἰς σύχασιν πρὸς τὸ θεῖον, καὶ ἀρχὴ αὐτή ἐστι, καὶ ὁ βίος ἅπας συντέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ θεῷ: Omnia, inquit, de agendo, uel non agendo definiunt Pythagorei, respiciunt ipsam Diuinitatem: hoc est principium, omnisq; uita ad id coordinata est, ut Deũ sequaris. Non ne igitur una est Philosophorum Christianorumq; Philophia, eadem sententia, quòd sequendus est Deus, intuendum est in creatorem nostrum? Cum hoc autem sit corpus, uita, substantia religionis hodiernæ non ne hæc illa est, quam Philosophi ueram, unicam que credidere? Sola enim hæc perfectè ducit uitam ad imitationem Dei, respicit perfectè numen æternum. Duo sunt ex Philosophis documenta, quòd pietas est uita uera, cunctarum laudabilium actionum origo: tum ex dictis eorum necessariò ducitur solam hodiernam pietatem esse magistram eorum, quæ tantis illi laudibus extulerunt. Audi etiam eundem non Christianum, sed merè Philosophum. Eodem libro: Καὶ τὸν θεὸν σεβώμεθα, καὶ τρόπον, εἰ τὸν ἐν ἡμῖν νῦν παρασκευάσαιμεν πάσης κακίας, ὥσπερ τινος κηλίδος καθαρὸν: Deum quoq; colamus, & ueneremur congruè, si mentem nostram ab omni scelere, quasi nota, purã uelimus effice re. Et consentiunt nobiscũ, nihil in omni uita superesse melius, quàm Deum timere, uenerari, sequi. Vna igitur omniũ Philosophia, una mens. Idem eodẽ lib. ἡ μὲν γὰρ γνῶσις τῶν θεῶν ἀρετή τε ἐστι, καὶ σοφία καὶ εὐδαιμονία τελεία, ποιεῖ τε ἡμᾶς θεοῖς ὁμοίους. Nam cognitio Deorũ, uirtus est, & sapientia, perfectaq; beatitudo

beatitudo, efficitq; nos Dijs similes. Cur dicis Deorũ, ô Iambliche? quod Plato, et ratio, tu quoq; prædicasti de unico Deo. Si Dei cognitio sapientia est, multo magis supremi Dei, De hoc igitur solo dicenda hæc fuerant, ut dixit Plato, et tu ipse. Nam eodem lib. de fine totius ueritatis, et sapientiæ: ἐπειδὴ μᾶλιστα ἀληθείας καὶ σοφίας ἐφιέμεθα περὶ ῥήτωρ ὧν τοιαύτην ἐπισήμην, ἥτις ἐνὸς ὄντος θεωρητικοῦ, ὅπερ τέλος πάσης θεωρίας: Quoniã maximè ueritatem, sapientiãq; concupiscimus, ad eiusmodi hortatur Pythagoras scientiã, & uitam, contemplantẽ Vnitatem, qui est finis totius contemplationis. Sic ille. Vnitas, ut uisum est superius, apud Philosophos, est singularis ille, incomunicabilisq; Deus. Finis omnis Philosophiæ est notio huius, & unitio. Sic aiunt philosophi, omnibus os apertè claudentes, qui putent cultu Dei, pietateq; in terris, quicquã melius. Marcus ergo Tull. eadem prædicauit, affirmans eam priscæ Philosophiæ fuisse sententiã: Quæq;, inquit, sunt uetera præcepta sapientiũ, qui iubent tempori parere, & sequi Deum. Sic ille. Sentiebant enim prædicabantq; prisci cuncta in arbitrium, prouidentiamq; diuinam esse referenda, & cedendum tempori, uelut omnibus diuinitus missis, faciendumque quod ille: Dominus dedit, Dominus abstulit sit nomen domini benedictum.

Definiente Platone ueram sapientiã fugam ex hoc mundo, assimilationemq; diuinam tum sanctitatẽ, ac iustitiam, unam duntaxat religionem Christianã hac definitione concluisse. Probari Platonis hoc testimonio necessario uenturum in terras Deum fuisse, quem imitari genus humanũ posset. Iamblicho aperte fatente diutinã similitudinem comparari, Deiq; præcepta cognosci non posse, nisi Deus ipse audiator: palam hodiernã religionẽ necessariã mundo ostendisse. Cap. III.

QVod ex minoribus Philosophis deducitur, longè facilius ex priscis, qui fuerunt diuinis propiores, liquebit. Vt enim superius omnium gentiũ, eadem cum nostra quod ad religionẽ attinet, probatur Philosophia, propterea quod totius uitæ finem, studiorum omnium, curarumq; ultimam metam congruit inter nos, & eos esse, sequi Deum, nihilq; fieri rectè posse, quin ad regulam diuinam referatur: quo pacto sit solam uitam ueramque Philosophiam esse, cuius sit demonstrator Deus, & constitutor: alioqui quomodo ad canonem diuinum potuissent omnia referri, nisi mortales eum, uel cœlitus ab eo missos audissent? sed multo melius si eum audissent. sic clarius, & apertius id prædicatum est à Platone. Atque ex eo primum testimonium sumatur, quo uitam ueram, in eo qui inscribitur Thæetetus, diuinè conciderateq; cum religione, definiuit: διὸ καὶ πρᾶττε καὶ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγωμεν ὅτι τάχιστα, φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι: Quocirca, inquit, omni celeritate conandũ est, ut hinc eò aufugiamus. Fuga autẽ est assimilari Deo pro uiribus: assimilari autẽ iustũ, & sanctũ esse. Laërtius item de fine à Platone constituto: τέλος φρονεῖν τὸ ἐξομοιοῦσθαι θεῷ. Ex his apparet, si quis audire Platonẽ, ciusq; autoritati stare uoluerit, illam deniq; fuisse religionẽ uitamq; hominum ueram, unicã singularem unicamq; Philosophiam, cuius præcipuus finis, ac doctrina fuit, ut ab hoc mundo in cœlum celeriter aufugiamus. Quidquid hic resonat, regni cœlestis est prædicatio, omnes ad

cœlum

cœlum inuitamur ab hac Philoſophia. Illeq; eius clariſſimus præco, cupiebat diſſoluí, & eſſe cum Chriſto. Et item religionis huius finis, aſſimilari Deo: Quem ut imitari poſſemus, eiusq; ſimules fieri, fecit ſe nobis ipſe ſimilem, humano corpore, in quo actiones omnes uitæ ſacræ exprimerentur, aſſumpto. Itaque ſemper inhortabatur, ut cum ſequeremur, manſuetudinem, clementiam, tollerantiam attenderemus. Denique non eſt aliud hæc religio, quàm uitæ diuinæ, exemplorumq; eius imitatio. Ac ſi quis altius ſpectat, hoc Platonis teſtimonio primum continetur, ut homines uerè, & clarè poſſent Deo, quod fas eſſet, aſſimilari, quantumq; natura pateretur humana ad imitationem eius attingere, fuiſſe mundo præſentiam, conſpectumq; diuinum neceſſarium, quem perfectè, & clarè intuentes homines, mores ſuos, omnemq; uitam ad imitationem eius effingerent, inflammarenturq; magis, quam uiam primus impreſſiſſet, contemplati. Alioqui nunquam potuiſſet eſſe imitatio perfecta, ueraq;, & quantũ mortali naturæ fas erat aſſimilatio. Secundo continetur, eam deniq; ueram perfectamq; in mundo religionem apparuiſſe, quæ ſola potuit, uſq; quò mortales decuiſſet, docere, & inflammare, ut Deo ſimiles fierent. Ac ſi fieri ſimilis Deo, uera uita, uera Philoſophia definitur, certè ſola ueræ Philoſophiæ nomen meretur, eaq; debet omnium mortalium conſenſu probari, cuius eſt Deus exemplum ſcopusq; uerus & clarus. Facilius autem fuit imitari præſentem, quàm abſentem. Eritq; uerior, perfectiorq; religio, & qua non poßit melior deſiderari, ubi perfectior fuit, & eſſe potuit aſſimilatio. Sola autem nouißimorum ſeculorum religio uidit, & audiuit Deum, ſolaq; potuit perfectè cernere, & noſſe ueros iuſtitiæ ac ſanctitatis fontes. Definit enim Plato, aſſimilari Deo, ſanctum, iuſtumq; eſſe. Ac ut idem potuiſſe Platonem, cæterosq; augurari, (Naturæ enim documentum eſt) quæ ſit hæc iuſtitia, ac ſanctitas, quibus diuina ſimilitudo comparatur, non potuit tamen perfectè noſſe, nec quoad homini fas eſſet, per iuſtitiam, ſanctitatemq; Deo conformari, quantopere qui aut uiderunt, aut audierunt ipſum Deum loquentem, & agentem. Ex his efficitur Porphyrium, Proclũ, aut quicunque religionem Chriſtianam contempſerunt, non modò cæcos fuiſſe, inſectantes quod neſcirent, ſed etiam contra naturam, iudiciumq; præceptoris ſui peccaſſe. Nam Platonis hæc de fuga ex hoc mundo, & aſſimulatione diuina, ſanctitate, ac iuſtitia definitio proinde uera eſt, quia naturalis, pura. Iudicium autem eius fuit, eſſe, aſſimilari Deo, Philoſophiam ueram. Cum autem religio Chriſtiana hanc maximè aſſimulationẽ profiteatur, cuius eſt præcipua cauſa, quòd potuit Deum uidiſſe, & audiſſe, totaq; doctrina eius, ſit Dei imitatio, ex præceptis eius, & exemplis, et eorum qui eum uidiſſent, audiſſentq; confecta, profectò contra ſe, & præceptorem inſanierunt, hanc irridentes, eiq; inſultantes. Quod autem uerè dicatur hanc eſſe ueriorem, quàm poßit eſſe, aſſimulationem Dei & imitationem, ex ipſa iuſtitia, ſanctitateq; probatur, quibus aſſimilatio definitur. Maior enim ſanctitas, iuſtitia, integritas religionis huius profeſſorum apparuit, quàm aliorum, quos anterioribus ſeculis

culis habuit mundus. Hicq; præcipuè uiguit perfecta illa iuſtitia, quam Plato ſæpe prædicauit, non modò non amicis, ſed ne inimicis quidem obeſſe. Præceptor autem, & dux religionis huius, etiam inimicos diligi mandauit, exemplumq; ipſe præbuit primus. Deinde Iamblichus pro cunctis ſiue ſpiritu diuino concitatus, qui uel Dæmonibus extorſit ſæpe ueritatem, ſiue quòd hîc demum per multa uagata ſiſtit, & conquieſcit ratio, proteſtatus eſt alta uoce, & quæ uera ſit religio, & quòd ea mortalibus innoteſcere non poterat, niſi Deus auditus in terris eſſet: Λῦλον ὅτι ταῦτα πρακτέον, οἷς ξυγχαίρει ὁ θεὸς χαίρων. Ταῦτα δὲ οὐ ῥᾴδιον εἰδέναι εἰμήτις ἢ θεᾶς ἀκηκοώς, ἢ δι' ἀκριβοῦς τέχνης θείας πορίζηται: Certũ eſt, inquit, ea agẽda eſſe, quibus gaudet Deus. Hæc autẽ nõ eſt facile noſſe, niſi quis Deũ audierit, aut arte diuina comparet ſibi. Ecce Philoſophi confitentur, in eo uitã omnẽ traducendã, ut Dei mandatis obſequendis totus incumbas, quibus ille gaudeat, inſiſtas. Hæc autem difficilia cognitu iudicantes, concludunt, niſi Deus ab hominibus fuiſſet auditus, nũquam patere uitam potuiſſe, quæ ferret ad Philoſophiæ ueræ fontes, & Deus ſuæ uoluntatis conſiliorumq; ſuorum, & eorum, quibus delectatur, declarator ueniret. Quo iudicio definitur ab eis, ſolam in omnibus præteritis, & futuris ſeculis hodiernam fuiſſe, foreq; religionem, quæ uera Philoſophia, uerus totius humanæ uitæ ſcopus, ſit habenda, quoniam declarata fuit à Deo, prædicans, amplectens, quæ Deum loquentem, uoluntatesq; ſuas explicantem, homines audierunt. Hocq; iudicio fit, quoniã ſine uoce diuina declarari mundo Philoſophia uera non poterat, ut Deus, cuius ſemper humanis rebus proſpexit cura, neceſſariò deſcenſurus eſſet, magnus dux, & declarator ſapientiæ.

Beatos Ariſtotele & Platone prædicantibus, qui diuinam iuſtitiam ſequuntur hodiernam religionem cunctis laudibus comprobaſſe ſolam magiſtram ueram diuinæ iuſtitiæ. Caput IIII.

ASpicies omnium ſententias, confirmantes hodiernam religionem uidiſſe indicaſſeq; eos ante, & poſt eam conditam, naturalem Dei cultum, ueramq; pietatem. Nam quæ fuit Platonis ex ſublimi quodam iudicio ſententia, eſſe ueram Philoſophiam, actionemq; humanæ uitæ perfectam, ſuſcipiẽdum, admirandumq; finem, aſſimilari Deo, per iuſtitiam, ac ſanctitatem, uidens quaſi per ſomnium, & admirans hodiernam pietatem, eadem Ariſtotelis fuit. Is in libro de Mundo, quem eſſe eius, conſtans eſt ſententia, ibi iuxta Platonis ſententiam dixiſſet, eſſe priſcam fãmam, Deum principium, medium, finem omniũ continere: Huicq; ſemper ire comitem Iuſtitiam, ſcelerum ultricem, ſic intulit: ἧς ὁ εὐδαιμονήσων μέλλων, μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη: Cuius mox à principio ſit particeps, qui beatus, & felix eſt futurus. Ecce igitur duorum magnorum Philoſophorum ſententia: prioris, per iuſtitiam, ac ſanctitatem ſimilitudinem diuinam quærendam: hanc eſſe uitam hominis ueram: poſterioris, beatum eſſe, felicemq; qui ſimul natus cœpit iuſtitiam, legesq; diuinas ſectari. Recordare igitur, et cõfer

quæ dicunt noſtri: Beatus uir, qui timet Dominum. Beatus qui non abijt in conſilio impiorum. Quid aliud hæc religio, quàm quòd tam præclarè, ac propè diuinitus Ariſtoteles ſtatuens beatitudinem ſupremamq; felicitatem, diuinis legibus ſe/ctandis. Beatum hunc Ariſtoteles prædicat, Prophetarum oracula beatum dicunt, qui mandatis eius cupit nimis. Et illæ ſapientiæ princeps, Beatos qui cupiant, ſitiantq; iuſtitiam: quod ſua lingua dicit Ariſtoteles, μέτοχον εἶναι φιλίκης: Participem eſſe iuſtitiæ, eam capere, amplecti non ſerò, & iam obrepente ſenecta: ſed iam inde à principio, ut primum lucem aſpexiſti, ſapere, loqui didiciſti, in omni de/inceps uita Hæc religio diuinæ iuſtitiæ, præceptorumq; diuinorum perpetua con/mendatrix, indefatigabilis præco. Ad eam mortales ſemper inuitat. Hanc eſſe bo/norum omnium, & præſentium & futurorum feracem ſapientiam exclamat. Hanc Plato ſi noſſe potuiſſet, ſi tempora eius ad huius ætatẽ peruenisſent, unicam, ſingularemq; prædicaſſet, quæ facit, quod ipſe ſupremum bonum iudicaſſet. Nam in Apologia Socrates: ὅτι ἐγὼ τύγχάνω μέγιστον ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ τοῦτο, ἑκάστης ἡμέρας περὶ ἀρετῆς λόγους ποιεῖσθαι: Eſſe homini hoc maximum bonum, ſingulo quoque die de uirtute habere ſermonem. Hoc facit igitur religio noſtra, id ſupremum eius ſtudium aſſidua cura. Primum loquitur ſemper de principe, reginaq; uirtutum pietate, ſemper hic eſt, hic uertitur omnis. Exinde de charitate, iuſtitiaq; erga homines, quos perinde ac te ipſum diligas, hortatur. His duabus ea ceu columnis fulcitur. Cum igitur quod maximum bonum eſt, ſit humanæ uitæ finis, unum ab animis expetitum, exoptatum: maximum autem bonum de uirtute ſemper loqui, ut ad eam inflammeris, induarisq; ea cenſeat Plato: reuera hæc iudicata eſt ab eo, & prænunciata maximum bonum religio, ueraq; magiſtra, & ſola beatitudo animorum.

Platone præferente cunctis obedientiam diuinam, aperte aſſenſum eſſe hodiernæ religioni: ut homines ſcirent juſſa ſuperna, in terras neceſſario uenturum fuiſſe Deum. Cap. V.

POſſet quoq; ex Platone ea deduci demonſtrandæ religionis ueræ ratio, ſi quis cernat ea, quæ de obedientia diuina pronunciauit, inducens Socratem in Apologia dicentem, Parendũ magis eſſe Deo quàm hominibus, uel mortem intentantibus: nunquam in omni uita committendũ, quin philoſophemur ſemper: πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, καὶ ἕως ἂν ἐμπνέω, καὶ οἷός τε ὦ, οὐμὴ παύσομαι φιλοσοφῶν: Magis, ait, obſequar Deo, q̃ uobis ô iudices. Et dum ſpiritus hos reget artus, dumq; dabitur, nunquã philoſophari deſiſtam. dixit nunc Socrates, quod ille noſter: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Cum igitur talia loquentem, ut uerè locutus eſt, ſapientem hominem, quemq; tota Græcia, omnesq; Philoſophorum ſcholæ admirabantur, induxerit, conſequitur certè, eorum iudicio, quicunq; pareat Deo, nihil eum facere poſſe, quod in omni uita ſit magis faciendum: Iam eam eſſe religionem Philoſophiamq; ueram, unicam, ſacro/ſanctam, quæ doceat ſemper & inhortetur, parere Deo: Eos autem ueros eſſe Philoſophos,

loſophos, uitam laudatiſsimam degentes, ueramq; Philoſophiam profitentes, quorum ſtudia eò ſpectant, ut Deo perpetuò obſequantur, dicta eius defixis oculis attendentes. Sequitur item clarè, & perſpicuè, quoniam parêre Deo eouſq; commendauit, & extulit, ut id uel uitæ præferendum ſtatueret (Parêre autem Deo, qui non uidetur, nec uenit ſub oculorum obtutum, difficile eſt: quanquam qui Naturæ paret, etiam Deo paret) naturale, non coactum, et contra Naturam fuiſſe, ut Deus aliquando in mundum delapſus de cœlo loqueretur, fundens ipſe oracula ſua, quibus homines auditis, unanimiter obſequerentur: Illamq; fuiſſe religionem ueram, & omni quæ ad ea uſq; tempora extitiſſet, futuraq; unquam eſſet meliorem, quæ cum Deum audiſſet, & uidiſſet, uenerabilem quandam, atq; admirandam conſtituit ex dictis, & exemplis eius Philoſophiam. Hæc etiam ab alio ſummo Philoſopho declarantur, prædicantur: qui cum dicat obedire Deo maria & terras, omnemq; mundum, & hominum uitam iuſſis ſupremæ legis obtemperare: primum certum eſt, eum inuiſibilem quandam moderationem, quam cuncta ſuis legibus diuinitus repertis inſiſtentia, ſequantur, animaduertiſſe. Secundum, quoniam uiſibilia, propioraq; nobis, magis mouent, occultaq; illa, ac naturalis rerum obtemperatio, cui ſubiacent omnia, cuiq; parêre hominum uitam aſſeruit, melior eſſet, ac uerior, certiorq;, ſi maiore lumine inclaruiſſet, optimum fuiſſe, Deus ut ſeſe oſtenderet, ut ſecretas illas leges, quas acumine Naturæ uidêre Philoſophi, redderet clariores, quibus humana uita regeretur, nemoq; ſeſe excuſare poſſet, qui latentes Dei leges, uidere, quibus obtẽperaret, nequiuerit. Neq; enim philoſophari poſſunt omnes, & ipſi Philoſophi obſcuro in lumine, quaſi qui primo menſe ſurgere Lunam aut uidit, aut uidiſſe putat, uiderunt illas per omnem mundum latas leges. Naturale igitur fuit, ſummæq; ueritatis ordo, ut illa ſupremæ legis iuſſa, quibus hominum uita obtemperare dicit, inclareſcerent, fierent ſpectata, certa. Hoc autem duabus rationibus fieri poterat: uel per internuncios, quibus è cœlo miſſis leges illas ſuas declararet Deus: uel ut ipſe pro ſua clementia uiſibili præſentia circundatus: quod ipſi quoq; fieri poſſe crediderunt, ut Iupiter apud Poëtam.

Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.

Quas ubiq; leges, cum primis humanæ uitæ tuliſſet, claras efficeret. Quomodo enim iuſſis ſupremæ legis hominum uita poterat obtemperare, quem eſſe finẽ ſentiunt, niſi cœlitus aliquis ueniſſet? Magna igitur uis ueritatis. Ecce Marcus hanc quaſi ex cœleſti reuelatione ſententiam tulit. Nulla enim lex humani generis fuit, cui neceſſe ſit homines obtẽperare, niſi præſentia diuina, et loquente Deo, lata. Vt quod ait Marcus, iuſſis ſupremæ legis obtemperare hominum uitam, reſpiciat uerè, quod eſt in ſacris literis, quòd prima homini naſcenti lata eſt à Deo, cũ ei præcepit, ut dominaretur in omni terra, creſcerent, multiplicarentur: ex omnibus fructibus ueſcerentur: adhæreret uir uxori ſuæ, duoq; eſſent in carne una: Vt terram coleret, ex ſudore ſuo uictitaret. Secunda quoq; lex hominibus repullulãtibus lata

fuit à Deo, cum præcepit Noë, & filijs ut crescerent, replerent terram: Terror eorum esset super cuncta animalia terræ & uolucres cœli, cæteraq; quibus quemadmodum etiam oleribus & fructibus uescerentur: Ne polluerent sanguine dextras: Qui sanguinem fudisset alienum, fundendus esset aliquando sanguis eius. Tertia quoq; lex diuinitus lata est, cum Mosi latius edicta dedit super homicidijs, adulterijs, cæterisq; peccatis. Nouissimè uenit ipse totus suarum legum clarus præco. Hæc, non alia possunt esse iussa supremæ legis, quæ Marcus dixit. Cum igitur hominũ uitã asserat obtemperare legi supremæ, certè illa est uera humana uita, uera religio, ad salutem generis humani cœlitus data, quæ non ut quondam in obscuro, sed clara uoce commostraret, quænam essent hæc iussa Dei. Illiq; uerè uiuunt, qui sub hac religione uiuunt, cognoscentes suprema legis præcepta, eisq; quoad licet, obtemperantes. Itaq; concorditer in his literis dicitur, Beatus uir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Cum igitur hæc religio & iussa superna commonstrauerit, & omnis in commendandis eis uox consonet, profectò hæc uera illa Philosophia, claraq; sapientia fuit, cuius diuinitatẽ quasi spirantes odores procul, senserunt, & ceu per transennam diuitias eius admirati manibus applauserunt, ac clamaueruntq;, et ut præcones eius antecesserunt philosophi. Quã qui sequi nolit, planè ex his sit habendus, quorũ insania animis euersis, nec nosse propinquos sinit, amicos autẽ pro inimicis habere cogit, & homines execrati, cupiunt esse fera.

Definitionem sapientiæ ueræ, quæ assignatur à Iamblihho, uni Christianæ congruere. Philosophos in humana sapientia nullam spem habendam asserentes, solam diuinam hodiernam, ueram esse iudicasse. Ex his quæ facere Philosophiam continent, & quæ in humana Philosophia reprehenduut, probari duntaxat Christianã ueram Philosophiam esse. Cap. VI.

AVdiendus est quoque Iamblichus, in definitione ueræ Philosophiæ: uidebis, non aliam hanc esse, quam tanti æstimat, & admiratur quàm hodiernam. De secta Pythagoreorum: αὐτὴ γὰρ δ' ἰαμελετᾶ καρτερεῖν, καὶ τ' θανατ τὸ κατα φρονεῖν, ἐγκράτειαν ὧν τιθεῖσι δι' ὅλ τ βίσ, καὶ πῶς μὴ τὸς πόνους ῥᾳθλεῖ γυναίως, τῶν δ' ἡδονῶν ὑπερορᾶ παντάπασι. μόνης ἄρα ταύτης αὐτὴ λαμβάνειν χρὴ σὺν βολομένοις τῶν θείων, ἢ ἀνθρώπινων ἀγαθῶν πάντων μεταλαγχάνειν: Hæc enim, inquit, exercet tolerantiam, mortem contemnit, continentiam retinet in omni uita, contra labores fortiter dimicat, Voluptates aspernatur omnino. Hanc igitur unam amplectantur oportet, qui uolunt omnia humana, ac diuina bona consequi. Hæc ô Iambliche Philosophia, cum nusquam tempestate Philosophorum apparuerit, cum nullis in libris uestrorum extet, una certè fuit, quam demissam nouissimis seculis cœlitus uos animo diuino solam iudicastis, quam omnes homines felicitatis humanæ, diuinæq; cupidi sequantur. Vestro ô Philosophi suffragio asserta est hodierna Philosophia, uera, unicaq; iudicata, quam omnes amplecti, sub ea uiuere, quibus est cupido felicitatis oporteat. Nam primum hic tantum perfectæ uoluptates contemnuntur, mortis metus nullus

tus nullus fuit, ſequacibus exercita toleranti-, quia beati prædicantur, qui patiuntur iniuriam. Hæc ſola, non alia largitur felicitatem in corpore, doloribus fortiter toleratis, uoluptatibus fortiter contemptis, deinde felicitatem diuinam, ut præmia uirtutum iſtarum ſubſequantur. Quæ eſt enim alia Philoſophia, quæ bona diuina polliceatur? Vbi prædicatur alibi regnum cœlorum, niſi obſcurè, in nocte, incerto? Nemo igitur eſt, qui non ſentiat, hanc definitionem Philoſophiæ Iamblichi, primum eſſe magnæ, ueræ Philoſophiæ definitionem, non Platonis, Ariſtotelis, aut Stoicæ, Epicureæ, ſed Philoſophiæ ueræ, naturalis, inclytæ, deinde nulli alteri Philoſophiæ definitionem hanc congruere, niſi Chriſtianæ Philoſophorumq; iudicio, hæc ſola cenſetur uera totius beatitudinis, humanæ, diuinæq; finis. Humanæ in hoc corpore, & quoad homini, ut homo eſt, poſſit contingere: diuinæ, ut aſſequaris felicitatem Deorum, maiora quàm humana bona, non probata hominibus unquam, ſed rationes quadam comprehenſibilia, de quibus eſt noſtri Theologi ſententia, Quòd neque auris audiuit, neq; in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Hæc illa bona diuina, ad quæ perducit Philoſophia uera, uoluptatibus calcatis, doloribus ſpretis, tollerantia, ſiue potentia, ſiue patientia, quæ tantopere noſtris in literis prædicatur, aſſumpta, quibus uelut gradibus uehimur ad diuina bona, quam ſapientiæ princeps & autor detulit è cœlo, duce magiſtraq; Philoſophia. Hoc Philoſophi dicunt, ſentiunt: prædicant. Hic quoque conſiderandum ſuccurrit, nullam aliam ſapientiam eos iudicaſſe ueram, dignamq; nomine ſapientiæ, niſi cœleſtem iſtam totamq; humanam ſapientiam cenſuiſſe fermè nihil eſſe. Siquidem Socrates in Apologia: ὅτι ἡ ἀνθρωπίνη σοφία ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ καὶ οὐδενός: Humanam ſapientiam exigui aut nullius pretij eſſe. Supereſt igitur, ſi nulla reperitur in terris uera ſapientia, ſi Philoſophorum libri, quoniam ab hominibus ſcripti ſunt eis aſſerentibus, non ineſt, oculis eos animi rationeq; uidiſſe meliorem quandam, maioremq;, quàm humanam ſapientiam, quæ neceſſariò mortalibus aliquando innoteſceret, eamq; ut magiſtram ueram in omni uita ſequerentur. Nõ igitur uel Plato, uel Ariſtoteles, aut quiuis alius magiſter ſapientiæ, uerus quem fidenter ſequaris eſſe poterat. Et ſi nemo potuit, certè fuit reliquum, ut ueniret Deus, qui ſolus humanis erroribus expiatis iter rectum ad felicitatem oſtenderet, cuius unius, quam traderet terris, Philoſophia uera eſſet. Hanc omnes mortales attenderent, hac Ambroſia ſe quantum uellent explerent. Propterea, quæ de Nectare & Ambroſia, uteraq; ſapientia eodem libro loquitur Iamblichus, dicens bibendam, hauriendamq; pro uiribus ſapientiam, quemadmodum Nectar, & Ambroſiam: τῶν κατὰ σοφίαν θεωρημάτων ἀπολαυσέον ἐφ' ὅσον, οἷόντε καθάπερ ἀμβροσίας καὶ νέκταρος. nulla alia de ſapiẽtia, Philoſophiaq; dictũ, q̃ hodierna, cuius autor inuitans ad pocula eius cũctos, clamabat: Si quis ſitit, ueniat ad me, et bibat. Flumina de uẽtre eius exibunt aquæ uiuæ. Solus igitur ille Nectar et Ambroſiã propinare potuit. Nec uſquã Nectareã illã inuenies ſapiẽtiã, niſi quã fudit ipſe de fonte ſuo.

Hic duntaxat eſt quod idem admiratus eſt Iamblichus, finemq; omnis ſpeculationis, totius q; Philoſophiæ declarauit, idq; eſt bibere Nectar, & Ambroſiam, cum ait: τῆς γὰρ πολυτιμήτου καλλίστην, καὶ θειοτάτην φύσιν, ὅσην ἀνθρώποις ὁ θεὸς ἔδωκε κατιδεῖν: Venire ad aſpectũ pulcherrimæ diuiniſſimæq; naturæ, quoad datũ eſt à Deo. Ecce à Deo data fuit, non alio, ſapientia, qua uideamus diuiniſſimam, pulcherrimãq; naturam, ipſius nempe maieſtatẽ, gaudia ſempiterna, lætosq; triumphos in regno patris ſui, cuius cauſa ſeſe detulit in terras, ignotorũ bonorum, ueræq; ſapientiæ clarus præco, quã nemo mortaliũ tradere potuiſſet. Quapropter Iamblichus hæc iudicio illo, quod homini naſcenti infudit Deus cernens, ſolãq; eam cenſens uitam beatã, quæ tendit ad finem religionis huius, καὶ τὰ μὲν ἀνθρώπινα ἤδη ἐᾶν ὡς ἀπιόντα, τῆς δὲ τῶν θεῶν θρησκείας ὡς ὑπερέχουσης τῆς ἀνθρωπίνης ἐπιμέλεσθαι: Debemus, inquit, conſuetudines humanas, ut plebeias, abijcere, Deorũ autẽ cultum, qui longè præſtat uulgari uitæ, ſectari. Declarat Iamblichus quæ Ambroſia, quod Nectar, quæ uera ſapientia, quam ſuperius extulerat: Eſt, ait, ut abnegantes impietates, & ſecularia deſideria ſobriè, & iuſtè, & piè uiuamus in hoc ſeculo. Nam mirum in modum congruit ſententia Iamblichi, cum ſummo Theologo noſtro. Quæ Paulus κοσμικὰς ἐπιθυμίας, ſecularia deſideria: Iamblich. ἀπιόντα. Quod Paulus, Abnegantes: Iamblichus, ἐᾶν, dimittẽtes, relinquentes. Quod D. Paulus, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν, Sobriè iuſtè, piè uiuamus: ille, religionem Deorũ ſequemur. Sed ſermonis error, dicere Deorum, non Dei, cum ubiq; ſingularẽ Deũ præpotentem, regem cœli & terræ, hominũq; Deumq; patrem nominet Iamblichus. Viderunt igitur etiã ipſi, obſcura nati in nocte, cunctisq; ſuffragijs confirmarũt hodiernam ſapientiam. Eam Socrates ante aduentum eius plurimos annos prædixit mundo neceſſariam, quòd in humana ſapientia nulla ſpes ponenda ſit. Veram autem illam ſapientiã, hodiernãq; Philoloſophiam reſpexiſſe Iamblichũ, ſapientiam inquam, quæ nõ ſcientia rerum duntaxat, ſed iuſtitia, probitate conſtet, audi eum eodẽ lib. ingenuè fatentem: πᾶσά τε ἐπιστήμη χωρὶς ζωμένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, ὁ σοφίαν φαίνεται: Omnem, inquit ſcientiã à iuſtitia, cæterisq; uirtutib. diſiunctam, non ſapientiam, ſed malitiã uel impoſturam eſſe conſtat. Quid uerius et ad agnoſcendã ueram ſapientiã magis idoneum? ne putes ſapientiam, aut Philoſophiã Platonis, aut Ariſtotelis, Aſtrologiã, Mathematicam uel quancũq; humanã doctrinam. Quibus euenit ſæpe, ut quonã ſunt à iuſtitia, pietate, cæterisq; uirtutib. ſeparatæ, non ſapientia, ſcientiaq; ſint, ſed aſtutiæ, malitiæ, cauillationes. Iuſtitia igitur facit ſapientiã. Vbi plus uirtutũ, plus ſapientiæ, plus hoc ipſum nomẽ. cætera uana ſunt omnia, umbra non habitus, ſimulatio nõ poſſeßio ſapientiæ. Commoda fallendis mortalib. deceptio, quib. falſæ ſapientiæ ſpecies imponit. Condemnarunt igitur ipſi ſuis ſuffragijs humanam ſapientiã, Socrates aſſerens eam nullius pretij, Iamblichus appellans impoſturam: & eam ſolam inuentes, aperteq; prædicantes, ſapientiam, quæ iuſtitia, pietateq;

tatēq; nititur, quibus abſentibus quod remanet, impoſtura iudicatur, ſimulachrūq; inane ſapientiæ. Cum autem hodierna religio contemnat humana, reſpiciat diuina, perfectiſſima iuſtitiæ magiſtra, & quæ ſola iuſtitia, & cultu Dei glorietur, nihil um bratile, uanum, præſtigioſum præ ſe ferens, certè hæc illa uera fuit ſapientia, quam Philoſophi uiderunt, oculoſq; ad eam defixos habueruut, cum in reliquis diſcipliriis, magna iactantia, inanis oſtentatio, plurima deceptio, iuſtitiæ nihil, minus pietatis. Audi enim Marcum Tullium, ſic ſapientiam iſtius mundi condemnantem, & quia damnat humanæ ſapientiæ magiſtros, ſolum diuinum probantem. Secundo Tuſculanarum: Quotus enim, inquit, quiſque Philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, ac uita conſtitutus, ut ratio poſtulat, qui diſciplinam ſuam, non oſtentationē ſcientiæ, ſed legem uitæ putet, qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta leuitate, & iactatione, his ut fuerit non didiciſſe melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſeruos, ut cum eorum uita mirabiliter pugnet oratio.

Philoſophos mundi uoluptates improbantes, omnemq; continentiam admirantes, collaudaſſe, comprobaſſe Chriſtianam religionem, ueram continentiæ magiſtrā: Mirabile Plutarchi dictum ad uirtutem & probitatē, opem Dei eſſe neceſſariā. Cap. VII.

IN hodiernam religionem conſpiraſſe, eamq; unam hominibus ſequendam ueritatem Philoſophos iudicaſſe, eſt ratio ex contemptu, & uoluptatum, & abiectione curæ carnis. Nam cum hæc religio ſtudeat, omnes uoces eius conclament, corporeas uoluptates, ut noxias ſpernendas, quoniam non ſolum turbant hanc uitam, ſed quod caput eſt, à maioribus bonis auertunt, nec aliud hæc religio ſit, quàm fuga uoluptatum, perpetua laus continentiæ. profectò toti pependerunt in eam, amplexi que ſunt philoſophi, generis humani ueram magiſtram & ueram ſapientiam ſtatuerunt, cum & ipſi non conſenſerunt modò, ſed clamauerunt, uociferati ſunt fugiendas eſſe uoluptates. Ac primum audiendus Plutarchus, qui non ſolum optimam cenſet continentiam, & frugalitatem admiratur, ſuſpicit, ſed etiam uult hunc cultum honorem que Dei eſſe, perinde ſi ſacrifices, templum que eius donaris adornes. In eo quem inſcripſit De non iracundo: ἐπὶ πᾶσι θοίνυ τὸ μὲν ἐμπεδοκλέους μέγα καὶ θεῖον ἡγῶμαι, τὸ νηστεῦσαι κακόητος, & c. In omnib. inquit, illud Empedoclis magni ponderis, diuinumq; cenſeā, ieiunare à uitijs. Laudarim, & eas uti nō ingratas, nec à Philoſophia procul, in uotis cōſuetudines, à Veneris, & uino purè abſtinere, honorantes Deū, continentia, frugalitate, itemq; certo tempore abſtinere à mendacio, obſeruantes nos ipſos ut ueridici ſimus in iocis cum omni ſtudio. Deinde his animū meum cōponere, ceu nō minor pietas ſit ſacras dies primū paucas ſine iracundia tranſigere, ſicut etiam ſine ebrietate, & uino, perinde ut ſi frugale ſacrificiū, melliſq; libationē celebrē. Deinde menſem aut duos paulatim meijpſius periculū faciens, ita ſenſim progrederer anterius ad innocentiā, obſeruans, et cuſtodiens meipſum cum ſermone muti, placidū, purumq; à uerbis improbis & factis turpib. & commotione, quæ ob exiguam ineptamq; uoluptatē, turbas

ingentes turpiſſimamq; pœnitentiam afferat. Quocirca ſic ſtatuo, Deo coadiuuante, ipſa demum experientia comprobabit animi manſuetudinẽ, et humanitatem, nemini quibuſcũ degas, æquè charam, atq; iucundam fore, atq; ei ipſi, qui poſſideat. Hæc Plutarchus, in primis admiranda, quòd cum Empedocle uetuſtiſſimo Philoſopho, magnum, diuinumq; ieiunium cenſet abſtinere à ſcelere: Vt ſuprema Theologia noſtra clamãs in ieiunio, Scindite corda veſtra, non veſtimenta. Derelinquat impius uitam ſuam, & uir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum. Et precamur, Quos ab eſcis carnalibus præcepit abſtinere, à noxijs quoq; uitijs ceſſare concedat. Viderunt illi, confeſtiq; ſunt præcipuũ, præſtansq; ieiunium eſſe à ſcelere. Miratur, collaudat Plutarchus, diuinũ, magnumq; cenſet, quòd Empedocles poſt excellens hoc ieiuniũ, ſecundo loco ſtatuit, ut cum in uotis ſumus, cum ſacrificamus, cum Deum colimus, à Venere, uinoq; contineamus: Eſſe hoc honeſtũ, gratum, ex Philoſophia, ſi te propter Deum à Venere contineas. Oſtendit autem uiam Plutarchus ad habitũ probitatis & manſuetudinis, ad habitum non iraſcendi, & totius continentiæ. Potiſſimũ à pietate, ſi diebus ſacris, ad cultũ, honoremq; Dei, te à uino, Venereq; caſtum ſeruare ſtudeas: exinde paulatim inſueſcens, firmũ, ſtabilemq; habitum continentiæ corrobores. Sic certo tempore, ſacris diebus, quibus diuinitas colitur, à mendacio uel in iocis cauens ſummo ſtudio, & obſeruantia, mentiri refugiamus. Eadem uia erit ad non iraſcendum. Tantundẽ pietatem cultumq; Dei exiſtimans diebus illis ſanctis non iraſci, atque nec ebrietati, nec luxuriæ, nec mendacio te dedere. Eſſeq; ſine tracundia, quaſi ſine uino & ebrietate, perinde ſi ieiuniũ frugale, quo nos à uino continemus, celebres. Sic menſem, aut duos in omni æquanimitate, manſuetudineq; te cuſtodiens condoceſacias animum paulatim non iraſci, non mentiri, non loqui nefanda, indecorè agere, te ab ea commotione, & uitio abſtrahere, quæ ob exiguam, ingratamq; uoluptatem, fluctus ingentes, fœdiſſimamq; pœnitentiam apportat. Hæc rapida eſt incontinentia, et luxuria, cuius finis eſt fœda pœnitentia, nonnunquam grauiſſimum famæ, ualetudinis, uitæq; diſpendium. Idq; ob exiguam, nullius q; ponderis uoluptatem. Deinde Plutarchus (uide quàm congruat cum ſacris literis, quid ue Natura, ueraq; ſapientia ſuggerat) auxilium Dei cenſet, ad deponenda uitia, uirtutes acquirendas, neceſſariũ: ad habitum illum non iraſcendi, ſi modò nos ipſos excitemus, & à uolente uelimus adiuuari. Si uel exiguus Dei fauor cum aſſuetudine noſtra acceſſerit, inquit, uidebimus, experiemur, ueniet in lucem iudicium illud, non minorem nobis fructum fore ex habitu illo modeſtiæ, atque his, quorum conſuetudine quotidiana utimur. Quid igitur aliud loquuntur noſtri? Audi Auguſtinum. Non ſolum martyres, ſed et ipſum Dominum, cum ipſius adutorio, ſi uolumus, poſſumus imitari. Tota igitur hæc è fontibus Philoſophiæ deprompta ratio, eſt hodiernæ Theologiæ confirmatio: quòd ieiunium uerum eſt à uitijs: quòd à ieiunio corporeo, et ſecundo, peruenitur ad primũ, accedente habitu uirtutis, ex actu frequenti abſtinentiæ, quòd propter Deum

ingredimur

ingredimur hanc uiam uirtutis, ingreſsi penetramus, ad ſummumq; uerticem eo coadiuuante aſpiramus: quòd colitur Deus abſtinentia, frugalitate à luxurie, ebrietateq; continentia. Cultusq; eius eſt, & expiatio, his minimè ſordere, præcipuè quòd hac aſſuetudine, confirmatio uirtutis comparatur, habitus malus paulatim exuitur. Iamblichus autẽ de ſecta Pythagoreorũ: ὁ γὰρ λυσιτελεῖ, τὸ παν/τόδαπον θηρίον, ὥσπερ τὴν ἐπιθυμίαν ἐνεχόντες ποιεῖν ἰσχυρὸν, ὁδὲ τὸν λέοντα, ὥσπερ τὸν θυμόν, & quæ ſequuntur. Non prodeſt, inquit, multiformem beſtiam cupiditatem optimè paſcentes, reddere fortem: nec leonem, nempe furorem, & iracundiã, & ea quæ circunſtant, nutrire fas eſt, et corroborare in nobis, hominẽ autem, ipſam nimirũ rationem, fame enecare, aut debilitare. Quòd audis Iamblichũ prædicantem homini non prodeſſe, feras duas, furorem, & cupiditatem nobiſcum inſitas impinguare, fortioresq; reddere, eſt quod prædicabat ſe facere magiſter hodiernæ ſapientiæ: Sed caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Eſt autem magis ex Philoſophia bene agere, quàm bene loqui. Quod laudibus, uerbisq; effert Iamblichus, factis Paulus comprobauit. Veriores Philoſophi, bene operantes, q̃ loquentes bene. Quod igitur prædicat hodiernæ Philoſophiæ nuncius, eſt quod etiam Platoni & ipſi Iamblicho, ſummis laudibus commendatur. Plato in Phædone, toties locus proponitur ab Iamblicho de corpore. μὴ δὲ ἀναπιμπλώμεθα τοῦ τοῦτο φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύομεν ἀπ' αὐτῆ ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς: Neq;, inquit, natura huius repleamur, ſed puros nos ab eo cõſeruemus, donec ipſe Deus nos diſſoluerit. Sic illi. Bene & mirificè ô Philoſophi: ſed addidit noſter, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Corpore diſſolui non ſufficit, niſi meliora ſequantur. Quæ quidem etiam ipſi, licet obſcurius, uiderunt, agnouerunt. Si, inquit Iamblichus ibidem, fieri non poteſt, ut in corpore quicquã purè noſcamus, è duobus alterum neceſſarium, aut nuſquam eſſe ſcientiam: ἢ τελευτήσασι. τότε γὰρ αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἔσαι ἡ ψυχὴ χωρὶς τοῦ σώματος πρότερον δὲ οὔ: Aut defunctis tantùm. Tunc enim ipſa per ſe erit anima, ſine corpore, prius autem nunquã. Hoc igitur eſt, cur ille cuperet diſſolui, uenire ad curiam cœleſtem, ad chari genitoris conſpectũ, ubi latet omnis ſuauiſſima ſapientia. Philoſophi dixerunt hoc animã per ſe in alta ſapientia. Sed noſtri ſcientiam, & ſapientiam clariſſimè propalarunt, eſſe cum Chriſto. Neq; enim alia eſt ſeparatorũ animorũ ſcientia, ſapientia. Affert item Iamblichus, confirmatq; ſuper fugiendis carnis oblectamentis dicta Platonis. Mille, inquit, incommoda, propter neceſſariũ alimentũ affert nobis corpus. Et ſi ſuperuenerit morbus, impeditur inueſtigatio ueri: corpus itẽ inflãmat libidinibus, terroribus, & ſimulachris uanis implet: ὡς ἀληθὲς τῷ ὄντι ὂν αὐτὸ δὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίνεσαι. et quæ ſequuntur. Vt uerè ne ſapere quidẽ unquã per ipſum nobis liceat, prudenterq; uiuere. Siquidẽ bella, ſeditiones, et pugnas, corpus duntaxat, et huius cupiditates nobis excuſcitant. Nã propter

renda neceſſaria, nulla non bella geruntur. Cum hæc igitur Philoſophi fateantur, ſupereſt eos tacitis indicijs hodiernam pietatem innuiſſe, ad eius confirmationem omnia eorum ſuffragia conſenſiſſe, quoniã uanos diſſuadet amores, à ſocietate corporis diuellit, curam carnis iubet abijcere, tranquillo in portu, mundano mari fluctibus inſanis fremente, continet. Et quod omnibus melius eſt, altius extollit, dux eius, quæ uerè dicitur beata uita. Itaq; etiam Simplicius, comprobans fugiendas ut exitiales uoluptates, deſcendit præcipuè ad Venereã: quæ ſi diuturna eſſet, mortem fore contendit, eoq; breue ad tempus factam à Deo. Aitq; de ea: ἥ δὲ ἐγκράτεια τῆς ἡδονῆς καὶ περὶ τὰς μίξεις, ὅσῳ πολυκωτέρα τῶν ἄλλων ἐστὶ, τοσούτῳ καὶ σιμωτέρα ἐστὶ τῇ ψυχῇ, καὶ τιμιωτέρα ἐκείνη: Abſtinentia, inquit, à uoluptate Venerea, quanto cæteris eſt maior ipſa uoluptas, tanto utilior animo, & pretioſior, pluriſq; facienda. At diuus Paulus: Hæc eſt uoluntas Dei, ut abſtineatis uos à fornicatione.

Philoſophos eam laudantes Philoſophiam, qua uiuitur pure, à corporeis illecebris ſegregamur, aperte religionem Chriſtianam ſpectaſſe. Eos, uoluptates corporeas impedimento eſſe ad cœleſte iter afferentes, unam nobiſcum religionem aſſeruiſſe. Cap. VIII.

DE fugiendis igitur corporeis illecebris undequaq; nobiſcum Philoſophi congruentes, duasq; cauſas pariter approbantes, iam à principio quòd uitæ præſentis ſtatum perturbant, leges humanas dẽprauant, iura profanant, eisq; ſequendis ritus humanæ uitæ ferinus efficitur, ſed cum primis quòd auerſos à uita ducunt ad mortẽ, à ſemita cœleſti ſeducentes, dum uirtute, quæ nos euexiſſet ad aſtra, deſtituti, delabimur inferius, certè conſenſus eſt omnis inter nos, & illos, ſuper ea religione, cuius & ad contemptum uoluptatum omnes inſumuntur uoces, & illum beatæ uitæ portũ reſpicit omnis. Quis enim non ſentit eos aperte religionem Chriſtianam confeſſos, cum Iamblichus, qui diuiniſſimus ab eis appellatur, de ſecta Pythagoreorum ſcribens, probansq; ea quæ de fugiendis uoluptatibus, & coinquinatione corporis Plato ſcripſiſſet, qui carmen Orphei probaſſet:

Quicunq; ad Ditem incæſtus deſcenderit imum,
Infoſſus cœno perpes cruciabitur atro.

Plato autem, ſed purus, & expiatus eò delatus, μετὰ θεῶν οἰκήσῃ, cũ ſuperis habitabit Iamblichus autem, Si enim, inquit, ad gentem diuinam ei qui non fuerit Philoſophatus, pureq; uitam exegerit, neſas eſt adire, certè ſolis accuratis, ac ſtudioſis licebit. Quas ob cauſas, continẽt ſeſe ab omnibus corporeis cupiditatibus uerè Philoſophi, ſeſe minimè dedentes eis et mancipantes. Alligatur enim per uoluptates, quoſdam ueluti clauos, anima corpori: quibus fit ut à diuino conſortio longius abducatur. Et cum exceſſerit, abit ad id, cuius ſibi ſocietatẽ comparauit. Itaq; ſola uidetur eſſe Philoſophia, quæ malis illecebris ſolutos, ἐπὶ τὸ ὄν καὶ γνῶσιν τοῦ ὄντως ἀληθείας, & καθαρσιν τῆς ψυχῆς: Ad ueram eſſentiam, et cognitionem perfectæ ueritatis, expiationemq; animi perducat. Quòd ſi uera in eo felicitas eſt, in eam totis animis incumbendũ eſt, ſi uerè cupimus eſſe beati. Hæc omnis Philoſophorum

phorũ ratio, ſi quis æquè iudicet, cadit in religionem hodiernã, perfectamq; Philoſophiam, non Platonis, Ariſtotelis, aut cuiuſquã. Subditq; Iamblichus, Simul ut eò uentũ fuerit, melior quidem anima habitat cum Deo, circumq; ambulat cœlũ, meliorem ſortem aſſecuta. Sed quæ ſe factis impuris inquinaſſet, flagitiorũ, & impietatis plena, ad ſubterranea iudicia profecta, meritis ſupplicijs addiciuur. His igitur ſic habentibus, non opus eſt pecunijs aceruandis inhiare, neq; gloriæ ambitioniq; ſeruire, ſed duntaxat prudentiæ, & ueritati inuigilare, & ut anima ſit quàm optima. Hæc ad uerbũ ille. Ob quæ diuinus à ſuis appellatur. Subijcit autem, Deus, inquit, nuſquam eſt iniuſtus, nec eſt ei ſimilius quicquã, quàm qui fuerit è nobis iuſtiſſimus. Quanta, inquit, in pedibus celeritas, ἀκολασίαν φευκτέον, Fugienda eſt intemperantia. Hæc et ſimilia ſcribens, ingentiq; affectu proteſtans Iamblichus, aut uolens, aut innuens hodiernã religionem, declarat ueritatem illam eſſe, quã Deus hominibus aliquando reuelare debuiſſet. Quæ ſapientes eos efficeret, ab impietate, flagitijſq; abduceret, ſimiles Deo, iuſtiſſimos redderet, ad ſpes cœleſtes erigeret, cuius unius eſt clara, firmaq; promiſsio, pios et iuſtos, & quibus libidines non imperaſſent, habituros cũ Deo, triumphis beatis eius affuturos. Neq; enim alia Philoſophia promiſit & docuit hæc cœleſtia bona, niſi per umbrã. Velint igitur, nolint, hanc religionem ueram ſolam prædicauerunt, omnibus eam ſuffragijs generis humani Philoſophiam declarauerunt. Ac cum ſit omnibus in rebus ſummum, quo quidem ulterius nec re, nec cogitatione procedere liceat, ſic in omni ſapientia, hæc una perfectio, hæc cunctis rectè conſideratis Sol omnis Philoſophiæ erit. Eius præcepta confirmans addit Iamblichus: Nulla, inquit, utilitas diuitiarum, ſine prudentia, & ſapientia. Decus igitur animi duntaxat erit uita ſecundũ rectam rationem, et animæ profectio ſecundũ mentem. Vt aſſequamur finem beatæ uitæ hominibus à Dijs propoſitũ, & ſecundum præſentem ætatem, & in futura. Homo igitur ſenſu, & mente priuatus, planta ſimilis efficitur, ſed ſola mente multatus, efferaſcit. Irrationabilitate detracta manet in mente, aſſimilatur Deo. Itaq; pro utribus feritatis affectus deponentes, animi puris operationibus, quæ & ſeipſum reſpiciant, & Deum, utamur. Omnia enim ſunt ad intellectũ et Deum conferenda: τὰς προοὶμίας τὰ ἄλλα πάντα, πρὸς νοῦν, καὶ τὸν θεόν: Maximum itaq; bonum præbet nobis Philoſophia, quod diſiungit à uinculis, quæ ſunt in anima, & generatione. Hæc igitur, ut loquar ipſe, Philoſophia, qui ſpectet altè, ſola Chriſtiana eſt. Neq; enim Peripatetica, cuius ſequaces, paucis admodum melioribus exceptis, uideas non modò non libidinibus liberos, ſed his etiam longè grauius, quàm ſi Philoſophi non eſſent, mancipatos. Vna hæc animos à uoluptatibus auocatos, efficit diuinos, inſignitè cæteros anteſtantes omni genere uirtutũ. Inſipienter itaq; ab his factum, qui decus eius, alijs nominibus agnoſcentes, eam ſuo nomine agnoſcere noluerunt.

Philoſophiæ finem, cognitionem Dei, maieſtatiſq; eius admirationem Philoſophos aſſerentes, religionem Chriſtianam, cuius finis eſt Dei notio, omnibus ſuffragijs confirmaſſe, Archytam, Plutarchum, Iamblichum, Simplicium hæc dicere. Cap. IX.

Quòd

QVòd autem de fine totius Philoſophiæ nobiſcum congruant, quo quidem ſit perſpicuũ, unam eorum, atq; noſtram religionem eſſe debere, declarant pro cæteris omnibus Plutarchus, & Iamblichus, Archytasq; Tarentinus, cuius ſententiam Iamblichus explicat. Ait igitur Plutarchus, in Sympoſijs de Geometria, quæ abſtrahit à ſenſibus et cõuertit: ἐπὶ τὸν νοητὸν, καὶ ἀϊδιον φύσιν, ἧς θεὸς τέλος ἐστὶ φιλοσοφίας, οἷον ἐπόπτεία τελετῆς: Ad intellectualẽ, ſempiternam naturã, cuius contemplatio eſt Philoſophiæ finis, quemadmodũ epoptia, id eſt, ſpectatio, finis initiationis. In his apertè Plutarchus uocat naturã intellectualem, ac ſempiternã, Deum ſolũ, cuius unius eſt æterna natura. Ac quanquã ſunt intelligibilia, ſiue intellectualia multorũ generũ, ſeparant tamen Philoſophi ſubſtantias æternas, & intellectuales, ab his quæ quidẽ ſolo intellectu percipiuntur, ſed à corporibus ſeparari nõ poſſunt. Solus igitur Deus eſt intellectualis, æternaq; Natura. Sunt quidẽ alia intellectualia, ut Dij, ſed non ſempiterni, eodem aſſertore Plutarcho. Finis igitur totius Philoſophiæ, eſt ad ſempiternam aſpirare Naturam, cuius aſpectus quæritur ut ſupremũ bonum ab omni Philoſophia. Eſt autem in Teletis, uel initiationibus ea quæ dicitur epoptia, ultimus actus, quo myſteria panduntur initiatio, totius initiationis finis. Sic omnis uitæ, philoſophiæq; finis eſt, ut uideas Deum, ſiue nunc, ſiue in poſterũ. Nunc in tota Philoſophia non eſt alius ſcopus, q̃ Dei ſcientia, et quaſi contuitus: hunc omnis uel promittit, uel oſtentare Philoſophia. Sed quoniã uideri non poteſt, nec ſatiatur hac animus ambigua nubilaq; contemplatione, tum quoniã finis is contẽplandi Dei, eſt propter finẽ, ut cognito nunc ac ſpectato Deo, traducas in cultu eius omnẽ uitam, traducta, maiora præmia, quæ fermè nulla ſunt hic, conſequaris, hunc Philoſophi proponunt & ſentiunt, eũ dicunt eſſe finẽ philoſophandi, naturæ ſempiternæ contemplationẽ. Itaq; poſt Plutarchũ, confirmans eadẽ Iamblichus, de ſecta Pythagoreorũ: Hortatur, ait, nos Pythagoras & Archytas ad ſapientia, & ſcientiã, τὸ ἑνὸς θεωρητικὸν, ὅπερ τέλος ἐστὶ πάσης θεωρίας, Vnitatis contemplatricẽ, qui finis eſt omnis contemplationis. Propoſuit, inquit, etiam aliud bonũ maius Archytas, uelut è ſublimi ſpecula Deũ et cuncta coordinata illi, contueri. Si enim uerè talis omnis felicitatis, ſubſtantiæ, cauſæq;, & τῶν ἀρχῶν ὁ θεὸς ἐξηγῆται, & omnium principiorũ Deus eſt princeps, certè ſtudiũ omne conferendũ ad eam ſcientiam eſt, per quam ſpectare quis eum purũ queat, et per quã latos aditus ad eum reperiat, et per quam principijs extrema connectat: τελεστάτη γὰρ ἥ τοιαύτη ζωὴ, & εὐδαίμων: Eſt enim id uitæ genus perfectiſſimũ, ac beatum. Quo contemplando, non ſeparantur à primis extrema, ſed in unũ utraq; hæc cõplexus animus, principia, finẽ, mediumq; pariter connectit. Ea enim eſt diuina cauſa, q̃ amplectantur oportet cupidi felicitatis. Sicq; hæc cohortatio ad omnia, uel noſtra, uel quæ ſunt in Natura, deniq; res omnes ſpectans, omnes uias cõplectitur, quibus ad Deũ aſcendas, εἰς μίαν τὴν ἐπὶ τὸν θεὸν ἀνήκουσαν ἀναγωγήν. Hæc ad uerbũ Iãblichus. Claret igitur cũ ſit idem, teſtibus illis noſtræ atq;

atq; eorum Philoſophiæ finis (utraq; enim cupit ad Deũ mentes attollere) nullum eſſe nobis diſcrimen cum illis. Id etiam fit ex his perſpicuum, quõniam dicitur Philoſophiæ finis, Dei contemplatio, eam deniq; ueram perfectamq; probari Philoſophiam, quæ ſupra cæteras omnes oſtendit Deũ, clariusq; principia, cauſasq; omnes ad hunc ſuum reuocat fõtem. Omnis enim alia Philoſophia, aliqua parte peccat, & ſeparat à fonte riuos, à creatore creata, nec dilucida contemplatione tendit ad rerum originem. Differtur, diſſultat à uero plurimũ. Hæc igitur Plutarchi, Iamblichiq; explicatio, qua ferunt eſſe finem totius Philoſophiæ contemplationẽ Dei: etſi non expeditè, & uerbis apertis, neceſſariò tamen eſt interpretatio dictorũ Ariſtotelis & Platonis, Tullij, cenſentiũ, beatam ueramq; hominum uitam contemplationem. Itaq; etiam Simplicius affirmat eum eſſe finem Philoſophiæ, & id Ariſtotelẽ uoluiſſe: eumq; eſſe finem Philoſophandi, ut ad ſcientiam Dei deducti, incendamur amore eius, eximiáq; pietate ut creatorẽ noſtrũ colamus, ac ueneremur. Hoc dicit interpretaturus libros Ariſtotelis De rebus naturalibus: Maximũ, ait, eſt ſcientiæ naturalis bonũ, quòd ad notionem ſubſtantiæ animi, & ad contemplationẽ ſeparatarũ formarum uia eſt pulcherrima, ut & Plato monſtrat à Phyſicis motibus aſcendens ad inuentionẽ ſubſtantiæ, quæ per ſe mouetur, et intelligibilis, diuinaq; hypoſtaſeos, id eſt, eſſentiæ: ἐὰν δὲ πρὸς τὴν θείαν ὑπερoχὴν σέβας αὐτῇ μάλιστα διαθερμαίνῃ καλῶς ἐκ τῶν ὑπ' αὐτὴν γινομένων ἀκριβῶς κατανοήσεως εἰς θαῦμα καὶ μεγαλοφότητα τοῦ ποιήσαντος ἀναγείρουσα. τῷ δὲ θαύματι ἡ πρὸς τὸν θεὸν συμπάθεια, καὶ πίστις, καὶ ἐλπὶς ἀσφαλεῖς συνακολουθοῦσι. Inſuper ad diuinã maieſtatẽ, cultumq; eius animos ipſa hæc incendit Philoſophia, ex his, quæ fiunt ab ipſo, apprimè cognitis, & exploratis deducens in adminiſtrationẽ, & maieſtatem conditoris. Huic admirationi adiuncta eſt coniunctio cũ Deo & fides, & ſpes ſecuræ. Ob quæ maximè philoſophandum eſt. Hæc Simplicius. Quibus intelligimus ea gratia Philoſophandũ eſſe, & ob id philoſophos nobis deſudaſſe, libroſq; ſcripſiſſe, ut rerũ cauſis explicatis, diligenterq; cognitis ad ſupremũ conditorem, earumq; inuentorem perueniamus: cognitamq; Dei unitatem, ac maieſtatem eius ueneremur, ſuſpiciamus: & amore, pietateq; accenſi ſpe & fide quoq; repleamur, quibus ſecurè nobis perſuadeamus, fore ut magnis quibuſdam bonis aliquando cum eo fruamur. Is philoſophandi finis: Pietas ſcilicet, amorq; diuinus. Hoc dicit Simplicius nõ Chriſtianus, Ariſtotelicæ Philoſophiæ interpres. Vultq; hunc eſſe Philoſophiæ finem. Eiuſmodi noſtræ quoq; Philoſophiæ finis. Si finis concordat, nulla nobis cũ Philoſophis diſſenſio. Hæc utinam hodierni Peripatetici, quorũ inſcitiam nonnunquam miſereor, inſpicerent.

Philoſophos præſentem uitam contemnendã, & ad ſolum Deum uertendos animos, odioq; habendum corpus affirmantes, hodiernam religionem comprobaſſe. Mercurij Triſmegiſti, Platonis, Ariſtotelis, Syriani ſuper eo teſtimonia. Cap. X.

QVòd autẽ Philoſophia omnis, cũ hodierna religione mirificè conueniat, eumq; finem reſpiciat, qui tollitur, prædicatur in hodierna cœlitus reuelata ſapientia,

ex

ex antiquiſſimis philoſophis, quorũ poſteriores autoritatẽ ſunt uenerati, et ſecuti, põ teſt intelligi. Mercurius Triſmegiſtus uetuſtiſs. fons, unde manauit Græcorũ Theo/logia, prior ea ſcripſit, quæ poſtea ſumus in Platone, cæteriſq; admirati. Audi igitur eum: ὅσοι δὲ ἐπὶ ἀρχὴν θεὸς ἀφορμὰς μετέχουσι, δέδοι ὦ Τάτ ἡμῖν σύγκρισιν τῶν ἔργων, ἀθάνατοι αὐτὴ θνητῶν εἰσί, πάντα ἐμπεριλαβόντες, τῷ ἑαυτῷ νοῖ τὰ ὑπὸ γῆς, τὰ ἐν ἀέρι, τὰ ἐν οὐρανῷ, καὶ εἴπερ ἔστιν ὑπὲρ οὐρανὸν τοσοῦτον ἑαυτοὺς ὑψώσαντες εἶδον τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἰδόντες, συμφορὰν ἡγήσαντο τὴν ἐνθάδε διατριβὴν καταφρονήσαντες πάντων σωματικῶν καὶ ἀσωμάτων, ὑπὸ τὸ ἓν καὶ μόνον ἀποδύσασθαι. Et, ad ipſum Tat: ἐὰν μὴ πρῶτον τὸ σῶμα σὸ μισήσῃς ὦ τέκνον σεαυτὸν οὐκ ἔσῃ σαυτὸν φιλῆσαι δ' ἀμύσασαι: Quicunq; gratiam Dei aſſecuti ſunt, hi, ô Tat ſecundũ operum comparationem, immortales pro mortalibus exiſtunt, omnia mente ſua, quæ uel in terra, uel in cœlo, & ſi quid eſt ſupra cœlum, comprehendentes. Ad eos ipſos ſubleuantes, uiderunt bonum, & uiſo, calamitatem exiſtimarunt hanc in terris uitæ actionem, omnibusq; corporeis, & incorporeis contemptis, ad unitatem duntaxat feſtinant. Niſi primum corpus tuum odio habueris, ô fili, te ipſum amare non potes. Ecce igitur fons, unde Philoſophorum ſcientia manauit, qui dicebant ſuperius, finem omnis Philoſophiæ Vnitatis in tuitum. Syrianus autem, nos cauſa boni philoſophari: Triſmegiſtus, uidendi boni gratia: quod cum aſpexerimus, omnia ſordere terreſtria. Ecce Triſmegiſtus cum ipſa diuina uoce conſentit, quia dixit filius Dei, Qui odit animam ſuam, in uitam æternam cuſtodit eam. Et qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Triſmegiſtus autem oportere nos ipſos odiſſe, ſi uerè nos amare decernimus. Notus eſt igitur & perſpectus, ſacræ profanæ que Philoſophiæ, ueteris, ac nouæ finis, uenire ad intuitum Vnitatis, Videre Bonum quod excellenter ab omni Philoſophia Bonum appellatur. Propterea clarius hoc illi pandent dicunt, ἄκρον καὶ τέλος καὶ ὅρος εὐδαιμονίας ὁ θεὸς Summum & finis, terminus que felicitatis, Deus eſt. Ob hanc cauſam in Epinomide Plato: μεῖζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδὲν εἰς τὸ δυνατὸν ἀνθρώποις ἐνδοῦναι θεοσεβείας ἕνεκα τῷ θνητῷ γένει: Maius eſſe humano generi uirtute, quæ pietas dicitur, nemo nobis perſuaſerit. Eo enim, ut ipſe loquar, nihil eſt pietate apud mortales melius, quod adducat ad intuitum Vnitatis & Boni. Quamobrem quæ dicit Ariſtoteles in Moribus, rogatum Anaxagorã, qui nam eſſet beatiſſimus, reſpondiſſe, Nemo quem tu putes, ſed quidam, quem tu fortè non putas. Id autem dixiſſe, quòd ſciret rogantem beatos putare, qui uel pulchri, uel diuites eſſent. αὐτὸς δὲ ἴσως ᾤετο τὸν ζῶν ἀλύπως, & quæ ſequuntur. Ipſe uero, inquit, fortaſſe uiuentem lætè & purè ad iuſtitiam, aut aliqua diuina contemplatione fruentem, ut hominem beatum uocandum putabat. Solum diuinæ contemplationis, in qua ſola cuncti beatitudinem ſtatuerunt, effectum reſpexiſſe potuit. Quæ cum ſit in corpore nubila, dicentes, in ea beatitudinem eſſe, certè dixerunt in ea, quæ perfectè ſentietur in cœlo, regnis que beatis:

Itaque

ſtaque quod ait idem Ariſtoteles, Τὸ γὰρ ἄριστος ἄθλον, καὶ τέλος ἄριστον φαίνεται, καὶ θεῖον καὶ μακάριον: Pæmium enim, finisq; uirtutis optimus uidetur, & diuinum quiddam, atq; beatum: Non poteſt quicunq; rectè penſitet, niſi de præmio cœleſti, quod undequaq; beatum ſit, dictum eſſe. Neq; enim fructus is finisq;, beatitudoq; cernitur uſquam in terris. Neq; fuit quiſquã, quem præmio beato uirtus in terris affeciſſet. Verè quidẽ aiunt quietius, tranquillius q;, quos uirtus uberrima pafecit, ſed tum pauci id genus ſunt, tũ corporis, humanæq; conditionis fragilitas, tot obiicit incõmoda ad triſtitiã, ut mœror facilius præponderet lætitiæ turbatæ ſemper ab aduerſis. Itaq; etiã Plato partim cogitur idem ſenſiſſe, partim ſenſit apertè, et clarè cum ait in decimo de Repub. cũ ſint tres uoluptates, μιᾶς μὲν γνησίας, δυοῖν δ' ἐνόθοιν: Vnã quidem eſſe ueram, germanãq;, duas autem nothas, et adulterinas. Senſit autem primam, quæ eſt intuitu, contemplationeq; rerum. Sed cum rerum ſpectatio nõ efficiat beatũ, ſolam certè diuinæ uenuſtatis ſpeculationẽ neceſſerio ſequuntur. Inde dicunt ipſi, Ariſtotelesq; beatiſſimũ eſſe optimũ quenq;, ſceleſtum infeliciſſimũ: Atq; idem Plato ne corporeas uoluptates eos ſpectaſſe putes, ait, τὰ λεγόμενα ἀγαθὰ πάντα φθείρει, καὶ ἀσωσπᾶ, καὶ λως καὶ πλοῦτος, καὶ ἰσχὺς σώματος, καὶ ξυγγένεια ἐξέρωμένη: Quæ dicuntur bona corrumpunt omnia, atq; abducunt à recto, forma, diuitiæ, robur corporis, cognatioq; firma propinquorum.

Philoſophos affirmantes finem omnis Philoſophiæ eſſe contemplationem, & felicitatem ueram, ſolum intuitum Dei, & regnum cœlorum ſentire potuiſſe. In terris nullam eſſe beatos reddentem contemplationem. Ex his cum religione Chriſtiana palam eos ſentire.

Cap. XI.

IGitur qui dicunt (ſunt autem tres hi Philoſophorum principes) ueram uitam, ſi nemq; felicitatis eſſe, ſcientiam, ſapientiam, notionem, duo neceſſariò dicere coguntur: Vnũ quod ſuperius à Plutarcho, Iamblichoq; eſt declaratũ, non omnem in uniuerſum cõtemplationẽ eſſe felicitatem, finemq; Philoſophiæ, ſed cognitionẽ Dei modò: ac ſcire, noſſeq; rerum patrem, ad eum tanquam fontem omnia reuocare, & exclamare, Te Deum laudamus, te Dominũ confitemur: Te æternum Patrem omnis terra ueneratur, Eum uidere, ſentire creatorem cœli, et terræ: inde uelut rerum principio, ſapientiæ quoque & contemplationis origine incipere, & in eum deſinere. Tumq; abſolutum eſſe conſtabit philoſophiæ curſum, cum uentum fuerit ad ſummum rerum uerticem. Tum quoniam non eſt hic eiuſmodi perfecta contemplatio, quæ reddat animos perfectè beatos (non eſt autem uanus ullus, incaſſumq; à natura præfixus finis) Philoſophis item perfecta, dignaq; noſtris animis beatitudo, definitur contemplatio, certè concluditur hanc beatam contemplationem duntaxat eſſe contemplationem Dei, quod Plutarchus & Iamblichus apertè fatebantur, & hanc in terris, & in ergaſtulo corporis eſſe non poſſe. Iam primũ igitur quod Ariſtoteles ſcribit in lib. de Moribus: ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία, ὅτι θεωρητική τίς ἐστιν ἐνέργεια καὶ ἐνταῦθεν ἂν φανείη: Quod autẽ perfecta beatitudo, ſit contemplandi quædam actio, uel hinc fit perſpicuũ, Deos enim maximè beatos, et fortunatos arbitra-

tos arbitramur. Sed quas eis actiones deſignemus, utrum ne iuſtitiæ, ceu mercatoribus, qui merces uicißim inter ſe commutent, depoſitaq; iuſtè reddant, cæteraq; id genus? An ſortes, liberales, caſtos, eos & his actionibus eſſe, quemadmodum mortales, inſignes, & beatos dicemus? Sed cũ hæc non ſint apud eos, uiuere porrò beatos illos arbitramur, non dormiunt autem, neq; enim uiuerent, nam æternus ſomnus, æterna mors: ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα θεωρητικὴ ἂν εἴη: Quocirca actio Dei, ſupremæ beatitudinis contemplatiua ſit. Honum quoq; quæ ſimilis illi, maximè beata. Hæc Ariſtoteles, addens, hanc eſſe ueram hominum beatitudinem uel exinde clareſcere, quòd nulli cæterorum animalium contingat. Qua cum beati ſint Dij, eadem quoque homines, quoad eiuſmodi operationis adſit eis ſimilitudo, beatos eſſe. Reliquorum autem animantium nullos eſſe beatos, quibus non ſit contemplationis participatio. Hæc Ariſtoteles, è cuius dictis, ſi quis prudenter, & accuratè perpendat, omnem quoq; ſermonem conſideret, quo ueram ſentit hominum beatitudinem, qua Dij quoq; ſunt beati, noſcet ne ceſſariò concludi, ueram beatitudinem eſſe quidem contemplationem, ſed non omnium rerum contemplationem, neq; etiam in corpore. Sed quoniam comparat beatitudinem Deorum, cum humana, ſimili beatos homines fore contemplatione, qua ſunt item Dij beati: Sed ratio probat, & Ariſtoteles mirabiliter ſuſpexit eam contemplationem, quæ facit ſupremum Deum beatum, ſatians, explensq; animũ eius, eandem facilius redditurã animos minores beatos. Deus autem contemplans ſeipſum, fit eodem autore beatus. ſimilis ergo inauditæ uoluptatis contemplatio felicitabit Deos. Neq; enim uidet aliud, quod dici poßit, ratio. Sed cum nemo fuerit unquã in corpore beatus, neq; ſit uſquam ulla contemplatio beatos reddens animos, aut qua ſe tanta uoluptate perfuſum quiſquam gloriari poſſet, qua nullam maiorem fateatur experiri ſe poſſe (quinetiam nubila eſt omnis, inſynceraq; hominum contemplatio, affligens animos & corpora: Nefas autem eſt, naturam finem poſuiſſe, ad quem nunquam ueniri poſſet) ex his efficitur, ut ea contemplatio, quæ beatitudo uera definitur, ſit illud ſpectaculum, quo nullum ſit delectabilius, & quo ſunt in cœlo Dij beati. Quod homines in terris ſi cernerent, ſimiliter atq; Dij beati eſſent. Ac cum Deos efficiat contemplatio beatos, non ſit autem ueriſimile, quemadmodum nos mortales, eos philoſophari, plenos ambagibus, & ea conſiderare, quæ ſunt ſeipſis minora, Solem, Lunã, piſces, plantas, ex quibus fiant beati, alioqui non magis quàm nos eſſent beati: ex his omnibus arguitur, Ariſtotelem Naturam fateri, ac definire coëgiſſe, beatitudinem ueram atque perfectam eſſe ſpectaculũ Dei, ſolum, non aliud, non cœli, non terræ, non alterius cuiuſquam rei, in quibus ſpectandis nunquam erit beatitudo uera: Spectaculum Dei, uoluptatis omnis fontem uberrimũ, gaudia inaudita. Et hoc erit quod dixerunt Plutarchus, & Iamblichus, eſſe finem philoſophiæ, Vnitatis, æternæq; Naturæ intuitum. Idq; non in hac gra-

ui corporis ſarcina, in qua nemo contemplando potuit ſe gloriari fuiſſe perfectè

beatum

beatum, duabus quidem de cauſis: quòd, ut ait Sapiens, aſſidua meditatio affligit animum: & uidemus ferè pallere ſemper philoſophantes, nõ ſuſtinente longos animo digreſſus fragilitate carnis: Tum ſunt omnia craſſis occultata, & circunfuſæ tenebris, quorum fatigat animos, difficilis cognitio. Ad hæc, nulla res eſt, quæ uiſa, ſpectataq; impleat animum ea, quam Ariſtoteles dixit, τελείαν εὐδαιμονίαν, perfecta beatitudine. Nam eiuſdem eſt ratio, cuius reddat cognitio, ſpectatioq; beatum, eſſe maius eo, qui beatus efficitur. Cum uerò nihil in terris ſit animo melius, certè cognitio rerum inferiorum, non efficiet eum beatum. Sola igitur ſupereſt diuina, quæ repleat inſatiabilitatem animorum, contemplatio. Hæc autem nuſquam eſt in terris, ubi denſis tenebris occultantur omnia: nec inuiſibilis modò Dei ſed eorum etiam, quæ ſunt ante pedes, eſt ambigua cognitio. Certè ſi contemplatio eſt uera animorum beatitudo, cuius Ariſtoteles uulgaribus ignotam dicit ſuauitatem, cœleſtis quædam, non terreſtris ſit oportet. Fitq; uerſimile Ariſtotelem ſenſiſſe quod Marcus Tullius apertius indicauit, qui toties referẽs beatitudinem à Philoſophis definitam, eſſe ſcientiam. Et de finibus dicens, Veteres Philoſophos in beatorum inſulis finxiſſe, qualis natura ſit uita ſapientum: Quos cura omni liberatos, nullum neceſſarium uitæ cultum, aut paratum requirentes, nihil aliud eſſe acturos putant, niſi ut omne tempus in quærendo, ac diſcendo, in naturæ cognitione conſumant. Hæc ille cum ueram beatitudinem ferè ſomniaſſet, demum retulit ad ſuperos apud quos ſit felicitas uera, dicens in Tuſculanis, eſſe noſtrorum aciem oculorum, etſi fuiſſet artificioſè fabricata natura, concretis, terreniſq; corporibus interſeptã. Cum autem nihil erit præter animum, nullam rem obiectam impedimẽto futuram, quominus percipiant quale quidq; ſit. Quàm multa, quàm uaria, inquit, ſpectacula, animus in locis cœleſtibus eſt habiturus? Et, Profectò beati erimus, cum corporibus relictis, & cupiditatum, & æmulationum erimus expertes. Quodq; nunc facimus, cum laxati curis ſumus, ut ſpectare aliquid uelimus, & uiſere, id multo tum faciemus liberius, totosq; nos in contẽplandis rebus, percipiendisq; ponemus. Et, Oræ ipſæ locorum illorum, quò peruenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum cœleſtium, eo maiorem cognoſcendi cupiditatem dabunt. Et, Quod tandem fore putamus, cum totam terram contueri licebit, eiusq; ſitum, formam, conſcriptionem. Et, Atq; ea profectò tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum quò natura fert, liber animus peruenerit. Poſtremò, Portum potius paratum nobis, & perfugium putemus, quò utinam uelis paſſis peruehi liceat. Hæc igitur omnia aut dixit, aut dixiſſe cogitur Ariſtoteles, quoniam quæ rationes perpulerunt Marcum, ut in locis cœleſtibus beatitudinem ſtatueret, quia ſcilicet nihil hic dilucidum, purumq; cernimus, & propter altiſſimas ambages, quibus interſepta ſunt omnia, non magis uoluptas eſt, quàm faſtidium, contemplatio: eadẽ Ariſtotelem cõmouere debuiſſent. Quid quòd Socrates contempſit, ſpreuit ut nauci, humanam ſapientiam; in Apologia: ὅτι ὁ ἀνθρωπίνη σοφία, ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ, καὶ

δολερὸς. In hac igitur tam nihili, tam friuola ſapientia, quis unquam perfectam felicitatem, niſi qui ipſe ſine ſapientia eſt, potuiſſet? Vbi ſunt, aut fuerunt unquam admirabiles illæ, quas in Moralibus largiri ſapientiam uoluptates aſſeruit Ariſtoteles? Non ſolũ autem Socrates, ſed idem Ariſtoteles uilem, exiguamq; iudicauit omnem humanam ſapientiã, ſeruam eſſe humiq; proiectã humanam naturam, ſententiã Simonidis ueram eſſe, Solius dei iure poſſeſſionẽ eſſe ſapientiam. Qui ſolus igitur poſſidet ueram ſapientiam, ſolus eſt uerè beatus. Eſt autem eodem autore, ſapientia diuina, uera maieſtatis ſuæ cognitio, eadem uera beatitudo: certè igitur eadem cognitio animorũ erit beatitudo. Exclamat item Plato, tum finem fore malorũ, cum corporibus relictis, erit animus in cœlo, cum gente Deoum. Et Iamblichus ſuperius eſſerebat, omnia nũc eſſe circunfuſa caligine, nec uidendã nunquam ueritatem, niſi è corpore, uelut è carcere euolaueris. Ac profectò cogitur Ariſtoteles his aſſentiri, quæ ſuper hac re præceptor prior locutus eſſet in Epinomide: οὐ φημὶ ἔγωγ' οὖν δυνατὸν ἀνθρώποις μακαρίοις τε καὶ εὐδαίμοσι γενέσθαι: Nego inquit, fieri poſſe, ut homines beati ſint, ac fortunati præter omnino paucos, dum uiuimus. Bona uero ſpes eſt, defunctis contingere, quorũ cauſa dum uita manabat, elaboraſſent, ut qui laudatiß. uixerit, etiam uitæ curſu expleto, præmiũ uirtutis aſſequatur. Hæc Plato. Ego uero dico, non ſolũ paucos, ſed nullos eſſe beatos in uita. Congruunt igitur ſiue palàm, ſiue tacitè, uerã beatitudinẽ eſſe diuinitatis intuitũ, idq; in cœlo, non terra.

Veram ſapientiam, & omnium quæ fieri poſſint, optimum, teſtibus Philoſophis eſſe pietatem: hanc autem eſſe ſimilitudinem cum Deo, eamq; felicitatem ueram. Hoc cum a Philoſophia fieri dicant, nullam aliam eos ſpectare potuiſſe Philoſophiam, quam hodiernam. Cap. XII.

CVm igitur duabus partibus uera religio conſtet, pietate, & charitate: quorum primum erga Deum, ſecundũ erga homines eſt: primumq; à noſtris, & illis uera ſapientia definitur, & finis omnis humanæ uitæ conſtituitur: ſecundum ſummis item laudibus tollitur: certè Philoſophorũ ac noſtrorum, ſeculorumq; omnium una eademq; noſcitur eſſe religio. Quoniam cuncti conclamãt cogitationũ, ſtudiorum, laborũq; metam ſupremam, et calcem eſſe, ſapientiam: hanc autem eſſe, ſpectare, et colere Deum, ad illum cũctas actiones referre. Neq; enim qualencunq; cognitionẽ, ſapientiam cenſuerunt, aut qualencunq; ſapientiam, finem dixere ſupremũ, ſed eam duntaxat, quæ cum ad aſpectũ Dei, ſcientiamq; perueniſſet, colit eum et admiratur, hic omnes uoluptates poſitas arbitratur. Hoc ergo pro Pythagoreis Iamblichus ἀπὸ τῶν τιμιωτάτων ἀρχώμεθα πρῶτον, ὡς δεῖ θεοσέβειαν ἀσκεῖν αὐτὴν δὲ ὅτι ἂν ἄριστα πράττοιεν, εἰμήτις ἀφομοιώσειε τῷ θεῷ πρᾶξαι δυνάμενος τὸ δὲ πρᾶξαι τὴν ὁμοιότητα ταύτην ἡ φιλοσοφία παρέχει: Ab optimis, inquit, & pretioſiſſimis exordium faciamus, oportere pietatem colere. Hæc autem non adſit unquam, niſi res colens rei cultæ fiat ſimilis, quam ſimilitudinem Philoſophia præſtat. En pretioſiſſimam, optimam appellat pietatem: illud nempe Solomonis, & patris, Initium ſapientiæ timor Domini. Eſt enim θεοσέβεια, timor Domini. A Græ-

mi. A Græco dicitur, τιμιώτατον, pretioſiſſima, optima excellentiſſima: ab Hebræo, principiũ ſapientiæ. Quàm diuinè quoq; ueram pietatem definiuit, ut fiat qui colit, ei qui colitur ſimilis, illud uidelicet diuinarũ literarum. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Addit Iamblichus: ἡ μὲν γνῶσις τῶν θεῶν ἀρετή τε ἐστὶ καὶ σοφία, καὶ εὐδαιμονία τελεία, ποιεῖ τε τοὺς θεοὺς ἡμᾶς ὁμοίους: Cognitio enim Deorum uirtus eſt, & ſapientia, et felicitas perfecta, facitq; Dijs nos ſimiles. At cur Deos dixiſti Iambliche, qui toties ſupremũ tot laudib. extuliſti, eius intuitum Philoſophiæ finem prædicaſti? Cum igitur ſapientiã, et felicitatem perfectam dicat pietatẽ, profectò quidquid Ariſtoteles, & Plato de ſapientia, & felicitate prædicarunt, de pietate, et cognitione Dei, eſt prædicatũ. Perfectaq; illa beatitudo, quam finem dixit in Moralib. ſapientia quoq; quam in libris poſt res naturales, multisq; locis admiratur, non eſt alia, quàm pietas, cognitioq; Dei, & cum eo ſimilitudo: quod idem cum in Morib. eundem ſimillimum Deo, ac ſapientem, ac beatũ definiſſet, profectò ſenſit. Dicit enim ſapientem, perpurgatam, ſegregatamq; ab omni contagione habere mentem, id autem eſſe ſimilitudinẽ Dei. Itaq; concludit eundem eſſe σόφον θεοφιλέστατον. τὸν αὐτὸν δ' εἰκὸς καὶ εὐδαιμονέστατον: Sapientem Deo gratiſſimum, inde & beatiſſimum: ut apertè fateatur, beatum eſſe, cui cum Deo ſocietas, amicitia, atq; ſimilitudo. Hoc idem ſenſit Plato, cũ in Euthydemo muris laudib. effert ſapientiam: ἡ σοφία ἄρα πανταχοῦ εὐτυχεῖν ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους: Vbiq; reddit beatos homines ſapientia. Et quod non ſit diuitijs opus, præſente ſapientia. Et quòd nihil utile ſit ſine ſapientia, & prudentia. Omnibusq; ſtudijs conandum eſſe cuique, ut quàm ſapientiſſimus exiſtat. Et quòd ſi uel lapides aureos efficere poſſemus, nihil prodeſſet ſine ſapientia. Omnibus enim ueſtigatis, quæ tandem hæc ſapientia ſit, ſine qua nihil proſit, & quã præſente, cuncta bona ſequantur, eò tandem conſideratio deueniet, quod Iamblichus dixit, & Ariſtoteles obſcurius. Et quod admirari ſcriptores ſacri, cunctis cœlo, & terris rebus numeratis, in quibus ſit ſapientia, ac ſcientia, tandem clamant eſſe timorem Domini. Et de quo ſimiliter Platoni Solomon, Et qui tenuerit eam, beatus. Hanc omnes Philoſophos, cum tot laudibus tollant ſapientiam, cum Decus humani generis appellent, cum omne bonum in eam conſtituant, innuiſſe non ratio ſolum probat, (quòd nihil eſt, unquam quidquid euoluas animo, tot tantis que laudibus dignum) ſed etiam clariſſima uoce, eorum nonnulli proſtrati ſunt. Nam Simplicius, cum beatitudinem uitæ, quam Ariſtoteles in contemplando, ſciendo que terminaſſet, proponeret, hæc effatus eſt: πάσης ζωῆς καὶ τελειώσεως ψυχικῆς ἀρχὴ καὶ τέλος ἐστὶν ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἀνάτασις, διά τε τῶν ὀρθῶν περὶ αὐτοῦ πολλήψεων, ὅτι τε ἔστι, καὶ πρόνοει καλῶς καὶ δικαίως τὰ πάντα κατευθύνει, καὶ διὰ τὸ πείθεσθαι, καὶ εἶναι ἑκόντα τοῖς ὑπ' αὐτοῦ νομοθετουμένοις: Omnis, ait, beatæ uitæ, perfectionis que animi principium, & finis eſt ad Deum conuerſio, inclinatio: Tum de eo cogitationibus, ſen-

ſiſq; rectis, quòd ſit, & proſpiciat iuſtè, rectéq; gubernet: Tum his ultro, libenterq; obſequendo, quæ fiunt ab eo, ut ab optima ſententia proficiſcentibus. Eodem loco Simplicius idem, Quocirca, inquit, donec cum autore, cauſaq; ſua firmis radicibus hæreat animus, manebit incolumis, perfectionemq; retinebit ſuam, cũ qua creauit eum Deus. Sed ſi ſe diuulſerit inde, atq; abruperit, marceſcet, ac dilabetur, turpis, elanguidusq; effectus, donec iterum conuertatur, uniaturq; ad cauſam. Hæc Simplicius, aliàs Ariſtotelis, nunc interpres Epicteti, ſed nunc ueritatis ſtimulis actus, dulcius, ac uerius loquens, quàm magis Ariſtotelis illic dogmata dilucidans, acerbior minusq; pietatis memor: ſed memor tamen in principio.

Miris laudibns extuliſſe Philoſophos charitatem non fictam: Eo Chriſtianam religionem, cuius fundamentum eſt charitas, comprobaſſe. De præcepto Pythagoreorum. Cap. XIII.

IN admiratione quoq; & laudibus charitatis, quæ pars eſt religionis ueræ ſecundæ, quamq; ſacræ literæ poſt pietatem, præferunt omnibus, & commendant Philoſophi congruentes, declarant non aliam ueram eos iudicaſſe animis, & complexu mentis præſumpſiſſe religionem, atq; hodiernam, ſentientes, prædicantesq; maximum bonum, cui totis animis inhærendum ſit, charitatem non fictam. Principio Simplicius pro cæteris Philoſophis hæc ait: ἡ καθαρὰ φιλία τὰς φίλας ψυχὰς εἰς ἕνωσιν συνάγουσα μελέτη καλίστη γίνεται τοῖς πρὸς τὸν θεὸν ἑνώσεως τυχεῖν, καὶ καλῶς οἱ πυθαγόρειοι πρωτίστως τῶν ἄλλων ἀρετῶν, τὴν φιλίαν ἐτίμων, καὶ συνδέσμου αὐτὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν ἔλεγον: Pura charitas, ſiue amicitia, amicas animas in unitatem coniungens, eſt pulcherrima exercitatio, & præparatio, ad coniunctionẽ diuinam. Atq; præclarè Pythagorei præ cæteris uirtutibus charitatem uenerabantur, & complexum cunctarum uirtutum eam dicebant. Vides conſenſum, agnoſcis ſapientiam Chriſtianã, cuius omne decus, omne robur, eſt charitas, amicitia, eſſe naturalem, rationiq; unde, quaq; conſentaneam ſapientiam, quam prius Deus quàm reuelaſſet, Natura, ratioq; diuinitus nata, prudentioribus uelut lucem procul oſtentabat: qua nihil rationabilius, nihil æquitati congruentius. Nam ut omittam tot laudes, quas diuus Paulis de charitate prædicauit, quibus collatis, una Philoſophorũ, atque noſtrorum ſuper ea conſenſio comprobatur: id abunde eſt, quòd cunctarum uirtutum complexum dicentes eam, Pythagoreos, minores Philoſophi ſunt admirati. Charitas igitur teſtibus illis, eſt omnis uirtus, eſt ſocietas omnis probitatis. Quid aliud ait Paulus? Charitas non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, cæterasq; laudes eius, quas uno uerbo Pythagorei dixerunt, omnium uirtutum ſocietatem. Ex hac charitate factum, ut in alio mirificè nobiſcum priſci Philoſophi congruerent, quod admirati minores, profectò ſunt hodiernam religionem admirati. Quemadmodum igitur ſub Apoſtolis dicitur unam fuiſſe Chriſtianorum ſubſtantiam. Et nemo erat egens inter eos: ſic Iamblichus de Pythagoreis, τὸ μὲν πυθαγορείου κοινὴν τῆς οὐσίαν διάταξιν, & τῆς συμβίωσιν ἅπασι διὰ

διὰ τὸ πάντὸς χρόνὸ διατελεῖν: Pythagorcorum cõmunem ſubſtantiã eſſe præcepit, & conuiciũ ad omne tempus. In eo quoq; mirificè conſenſerunt ijdẽ Pythagorei, referturq; uelut diuinũ à minoribus Philoſophis, quòd quemadmodũ diuus Paulus nobis præcepit, Sol non occidat ſuper iracundiã ueſtram: Sic Pythagoreos tradit, admiraturq; Plutarchus in eo quem inſcripſit de Philadelphia: Oportet, inquit, imitari Pythagoreos, qui genere nihil inuicem attinẽtes, ſed ſolius cõmunis ſermonis participes, ſi quando ad conuitia ab iracundia impulſi fuiſſent, prius quàm Sol occũberet, dexteras amplexi, & exoſculati, recõciliabantur. Hoc Philoſophi mirantur, referunt ut diuinũ, præcipiunt imitari. Itaq; etiã Simplicius, ueram, Deoq; acceptiſsimã pœnitentiã definit, quam princeps & ſalutis, & ſapientiæ noſtræ docuit, ingeßitq;, & ſuis teſtimonijs, beatisq; uerbis declarauit: Si offers, inquit, munus tuũ ad altare, relinque, & uade prius reconciliari fratri tuo. At Simplicius, Vera, inquit, pœnitentia non uerbo, ſed opere fit, cũ offenſos à nobis, contumeliaq; affectos, uel utcunq; læſos & multatos, θεραπεύσαι αὐτοὺς, ἢ τοὺς γόνας αὐτῶν, colimus, placamusq;, aut parentes eorũ, execramurq; iniuſtitiã, auerſiq; rapaces, & iniuſtos, cũ his, qui iuſtitiã colunt, cõſueſcimus. Hæc omnia probant Philoſophos noſtrorũ dogmatũ, totiusq; pietatis, quã fortè neſcirent, uoluntariè fuiſſe cultores, ad ſapientiã duce ratione delatos, & quaſi prudentiæ faciebus adductos, quã detexit è cœlo, ſparſitq; per omnes terras Deus. Nã quod Deus iußit, ut amicos propter nos ipſos diligeremus, inimicos propter ſe, aſpice ut illi cõſtãter aſſeruerint, referente Iamblicho, iußiſſe Pythagorã, τοὺς φίλους ὥσπερ θεοὺς σέβεσθαι, τοὺς ἢ ἄλλους ὥσπερ θηρία χρῆσθαι: Amicos ut Deos, ſi ue Angelos colendos eſſe, cæteros ut feras demulcendos, placandos.

In cultu Dei & pietate Philoſophos, eximias uoluptates ſtatuentes, affirmare, quæ ſemper concinnunt ſacræ literæ. Deſiderantes eoſdem perfectam, mirificamq; pietatem, hodiernam deſideraſſe. Caput XIIII.

IN eo quoq; mirabiliter ad ueram religionẽ Philoſophos Natura perduxit, cum non modò futuræ, ſed præſentis item bene, beatéq; traducendæ uitæ cauſſam pietatem dicunt, aſſerentes nullis maiora, ſyncerioraq; exuberare gaudia, ueriores uoluptates decerpi, quàm quibus eſt ſtabilis, certaq; fides de diuina bonitate, omniq; natura Dei. Poſt eos, inquit Plutarchus pro cæteris contra Epicurum, qui Deum propter ſuam nequitiam, & quibus ſe demerſere uoluptates noxias reformidant, muneribusq; placãt: τρίτον ἤδη σκεψώμεθα τὸ βέλτιον ἀνδρῶν καὶ θεοφιλέστατον γένος ἐν ἡλικίας ἡδοναῖς καθαραῖς περὶ θεὸν δόξαις συνόντες, &c. Tertium conſideremus præſtantius hominum, pijßimumq; genus, quot quantisq; uoluptatibus, puris de Deo cogitationibus & opinionibus aſſueti, perfruantur. Quòd ſit omnium bonorum princeps, pater omnium honeſtorum, cui prauum quid facere minimè liceat, quemadmodum neque perpeti. Bonus enim eſt, bono autem nulla de re adeſt inuidia, neque metus, neque ira, neque odium. Voluptates ineffabiles, quas Plutarchus ait pijs, optimisq; afferre pietatem, læti-

tiamq; immenſam animorum, ſunt quas ubiq; noſtræ literæ decantant, Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium, & exultationem obtinebunt. Iocunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper eum. Cum igitur & illi ſentiant cultu Dei ueraq; de eo ſapientia, ineffabiles contineri uoluptates, profectò congruunt, hoc unũ elaborandũ eſſe in omni uita: ad quod cum noſtra religio deducat ob omnigenam animis inſpiratam ſcientiam Dei, miras uoluptates afferens, profectò ſolam hanc Philoſophi uiderunt, & admirati ſunt abſentem, conclamaueruntq; uitæ beatæ ducẽ, quæ ſynceras, nullis uitijs, doloribusq; inquinatas uoluptates ſemper, affatimq; largiatur, omnem metum ſubmouens late, paſcens animos uberrima, perenniq; lætitia, quaſiq; theatrum bonorum pandens, quo ſpes iucundiſſimæ rerum optimarum continentur: neque ea modò quæ Plutarchus docuit, oſtendens, uerum etiam alia longè plura, quibus animo perceptis, et perſuaſis, lætiſſimus efficitur obtinens triumphi ſimulachra futuri. Si quis igitur dicendo, diuinasq; literas euoluendo dilatet, quod dixit Plutarchus: uidebit eum totam ueræ religionis bonitatem, contra Epicurum fuiſſe confeſſum: hocq; argumento eſſe, Philoſophos ſic Chriſtianam religionem procul uidiſſe, ac diuinaſſe, lætitiaq; ob eam elatos fuiſſe, ut qui matutinam lucem montium iuga pandentẽ cernentes, de maxima luce uentura iudicant, atq; lætantur. Deſtructio quin etiam, deſtomachatioq; ſordium Epicurearum, in quas boni omnes inuaſerunt, eſt hodiernæ religionis confirmatio, illecebrarum, ſordiumq; corporearum contemptricis. Itaque omnia ſuffragia Philoſophi detulerunt abſenti: neq; enim ſciebat eam Plutarchus: decreueruntq; ſolam ueram generis humani magiſtram, ducem ad cœlum affectandæ uitæ. Tanta igitur eſt Philoſophorum cum noſtris ſuper uera pietate concordia, ut miraculum ſit, multa cum ſacris literis eos conformia locutos eſſe, niſi ſciremus ſua ſponte Naturam offerre uerum. Vt igitur in noſtris literis eſt, Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter: Sic illi pietatis colendæ tarditatem, ignauiamq; execrati, Simplicius proilis: ὁ δὲ περὶ τὴν τοῦ θεοῦ τιμὴν ἀμελὴς, καὶ ῥᾳθυμὸς φαινόμενος, περὶ τι ἄν τῶν θεόντων σπουδάσειε: Qui autem circa Dei cultum, honoremq; negligens, ignauusq; cernitur, quamnã neceſſariam rem ſedulò curabit? His pluſquam aureis dictis, quantas os humanũ fundere poteſt, laudibus ea religio tollitur, celebratur, illuſtris, claraq; proponitur, cuius eſt ad pietatẽ honoresq; diuinos inflammata uoluntas faces animis admouens, non contenta mediocri probitate, non ſegni, tardaq; iuſtitia, ſed abſoluta, in qua nihil ſit iniuſtitiæ reſiduum, inducens, ſollicitansq; animos ad ueram ſolidamq; probitatem. Si talis igitur à Philoſophis deſideratur, nimirum deſideratur hodierna.

Philoſophos diuitias contemnendas docentes, malisq; malas & perniciosas aſſerentes, paupertatem admirantes, curam carnis abijciendam, ſtudiumq; ad pietatem, & cultum Dei transferendum contendentes, præſentem religionem unice comprobaſſe. Hanc unam eos uoluiſſe. Cap. XV.

Eo quoq;

EO quoq; probatur, eos neſcio quibus arcanis, Naturæq; in receſſu abſconditis modis, quibus excitatur recta ratio, præſentium ſeculorum collaudaſſe, quæ fo/ret hominum ſuprema ſapientia, religionem, quòd diuitias, & ea, quæ uulgus ad/miratur, uocatq; bona, tum contemnenda ſummo nobiſcum conſenſu prædicaue/runt, tum dixere perniciosa malis, nullam hanc ſuapte natura felicitatem efficere prædicantes, pro quibus Iamblichus, Quæ, inquit, bona uulgo putantur, non ſunt bona, ſed potius mala. Primum bonum dicunt ſanum eſſe, tum pulchritudinem, ter tium diuitias, multaq; alia, acutè ſentire, facere quod cupis imperando. Hæcq; om/nia cum immortalitate poſſidere, beatitudinem eſſe: ὁ δὲ ἐμὸς λόγος τἀναντία λέ/γει. ὡς ταῦτα ἐστὶ ξύμπαντα, δικαίοις μὲν καὶ ὁσίοις ἀνδράσιν ἄρισα κτήματα, ἀδίκοις δὲ κάκιστα ξύμπαντα ἀρξαμένοις ἀπὸ τῆς ὑγιείας: Ego uerò dico, quòd hæc quidem uniuerſa, iuſtis, & ſanctis optima, iniuſtis peſſima ſunt omnia, incipiens ab ipſa incolumitate, uegetisq; ſenſibus. Omninoq; ipſa ui/ta maximum quidem malum, immortaleq; omni æuo poſſidere omnia quæ uocan/tur bona, ſine iuſtitia, omnigenaq; uirtute. Minus autem malum ſi breui tempore huiuſmodi è uiuis rapiantur. Clarè etenim contendo, quæ dicuntur mala, iniuſtis eſſe bona, iuſtis autem mala. At uerò bona, bonis quidem uerè bona, malis autem mala. Atque is quidem qui iniuſtè, contumelioſeq; uixerit, neceſſariò turpiter ui/uit: ſi turpiter, etiam malè. Quocirca inſuauiter, muſerè, ſibiq; pernicioſe uiuit. Di/cimus enim & quidem iuſtè Deos iucundiſſimã, & eandem optimam uitam agita/re. His Philoſophi dictis, ea maximè religio, ea Philoſophia confirmatur, quæ cun ctis ad contemnendas opes, omniaq; præſentia bona hominibus inuitatis, ad pru/dentiam, ſapientiamq; ueram uitæ beatæ, etiam in corporibus cauſam, aperit uiam. Nulla enim unquam Philoſophia, nulla, quarumuis gentium, et à mundo condito doctrina, aut ſecta fuit, in qua ineſſet prudentia, ac ſapientia, quæ deſcribitur, et ue lut abſens deſideratur à Philoſophis. Nam nulla magis uanos diſſuaſit amores, nec facit ulla magis, ut quæ dicuntur bona, utiliaq; non pernicioſa eſſent poſſidentibus. Directus eſt huc omnis eius, & defixus ſcopus, ut bona præſentia, uel ſpernamus, in quibus beatitudinem ſtatuere non deceat, uel ea uirtutis, uitæq; adiumenta putan tes, ex his non perniciem, ſed utilitatem capiamus. Huc igitur pertinet, quo noſcas, hodiernam religionem Philoſophis probatam fuiſſe, quòd quemadmodũ iudicium multitudinis in delectu bonorũ, uitaq; degenda, non ſinit nos attendere præſens re/ligio, idem ſenſerunt, cenſueruntq; Iamblichus enim dicit: τὸ γὰρ πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀναρέσκειν: Multis enim placuiſſe, eſt ſapientibus diſplicuiſſe. Longè igitur magis eſt diſplicuiſſe Deo, multis placuiſſe. Hinc ille noſter, Si hominibus placerẽ, Chriſti ſeruus nõ eſſẽ. Audis Philoſophos, aliorũ anteſignanos, nobiſcũ concordes, unãq; religionẽ profitẽtes? Sic quod noſtræ Philoſophiæ et ſalu tis autor, pro diuina ſua ſapientia, qua ſciret ubi non modò futuræ cauſa, ſed præ/ſentis etiã uitæ tranquillitas eſſet, inhortatus eſt ad paupertatẽ uel capeſſendã, uel

non odio habendã, quod probitatem facilius, difficilius improbitatem efficiat, idem illi prædicauerunt. Nam Plutarchus cum dixisset rationem, prudentiamq; sic uerum iudicium restituere, quemadmodum redditur medicamentis sanitas, his qui à febri sanantur, subiecit: καὶ αὐτάρκης ἔσῃ, ἐὰν μαθῃς τί τὸ καλὸν & ἀγαθόν ἐστι. τρυφήσῃς ἐν πενίᾳ, &c. Et diues eris, si quæ sit pulchritudo, bonitasq; didiceris. Triumphabis, regnabisq; in paupertate, uitamq; priuatam, à turbis q; remotam nihilo diliges amplecteris q; minus, quàm si uel in imperio, & magistratu fores. Vides omnes eorum uoces, eandem, atque hodiernam resonare, desiderare, suggerere mortalibus religionem: Illud quoque quod referunt, miranturq; Porphyrius, & Iamblichus, quod à Pythagora, Pythagoreisq; præcipiebatur, non ne nostrum est, præcipuũ religionis hodiernæ robur? φυγαδευτέων πάσῃ μηχανῇ καὶ πέρι κοπτέον πυρὶ, & σιδήρῳ, & μηχαναῖς πάντοίαις ἀπὸ μὲν σώματος, νόσον, ἀπὸ δὲ ψυχῆς ἀμαθίαν, κοιλίας δὲ πολυτέλειαν, πόλεως δὲ στάσιν, οἴκου δὲ διχοφροσύνην, ὁμοῦ δὲ πάντων ἀμετρίαν: Fugandam totis uiribus, & abscindendam igni, & ferro cunctisq; machinis, à corpore quidem ægritudinem, ab animo insciam, ab urbe seditionem, à domo discordiam, simul ab omnibus intemperantiam. Et illud, quòd eundem Pythagoram ferunt, miranturq; uentris, Veneris q; indulgentiam, cum solitum comparare Sirenis illis homicidis. Et quòd cupiditates, uitiaq; non nata, & facta à natura, sed à nobis ipsis inuenta dixit. Multas, ait, hominum cupiditates acquisitas esse, repertasq; ab ipsis hominibus: διὸ & πλείστης ἐπιμελείας δεῖται τὸ πάθος τοῦτο, καὶ φυλακῆς τε & σωματικῆς ὑπ' ἀνάγκης: Quocirca magna huic morbo opus esse cura & custodia, corporisq; exercitatione. Hoc eximius nostræ Theologiæ præceptor, Castigo, ait, corpus meum, & in seruitutem redigo. Itaque corpus exercendum siue castigandum, cupiditates, curamq; carnis abijciendam, & illi senserunt, constanterq; asseruerunt. Nam quod idem diuus Paulus præcepit, Et curam carnis ne feceritis: Audi ut Marcus Tullius conformiter probauerit, quo uerborum splendore monuerit in Legibus: Nam cum animus, inquit, cognitis, perceptisq; uirtutibus, à corporis obsequio, indulgentiaq; discesserit, uoluptatemq; sicut labem aliquam dedecoris oppresserit, omnemq; mortis, doloris q; timorem effugerit, societatemq; carnis eiecerit, tum suis, omnibus q; natura coniunctis suos duxerit, cultumq; Deorũ, & puram religionem susceperit, & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenij aciem, ad bona diligenda, & reijcienda contraria, quæ uirtus ex prouidendo est appellata Prudentia, quid eo duci, aut excogitari poterit beatius? Hæc Philosophus Latinus, Contemnunt igitur omnes, contemnendaq; clamant, hæc mortalia: omnem autem ad res æternas, ueras q;, animorem, studium q; transferendum Nam & Epictetus: ὅσοι γὰρ περὶ κτῆσιν καὶ ἀγροὺς, καὶ οἰκέτας & ἀρχάς τινας ἀνατρέφεσθε, ταῦτα μὲν δοῦλα, ἄλλου τινὸς ἐστί: Vos ô quicunque agris, famulitio, magistratibus adipiscendis studetis, hæc esse

noritis

uoritis non aliud, quàm fœnum. Hæc quidem Epictetus. At Iamblichus ex Pythagora, qui præcepiſſet, ut publicas ſemitas uitares, multa diuinitus diſſeruit, eius ſententiæ declarator, qua diuus Paulus dixit, Nolite conformari huic ſeculo, Ille uerò, Hoc, inquit, Pythagoræ ſymbolũ, populare quidem, uulgaremq; uitam deſerere, ſeparatã autem, diuinamq; agitare monet, publicisq; opinionibus contemptis, ſe/creta, ac priuata magni æſtimare. Contemptus item humanis illecebris, τῆς δὲ θείας βολήσεως ἐχομένην εὐπραγίαν, περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι: Felicitatem, quæ ex diuina uoluntate dependet, plurimi facere. Humanas præterea conſuetudines, ceu plebeias abijcere, cultu Deorũ, qui longè præſtet uulgari uitæ, ſuſcepto, eóq; optimo: θεῶντε θεραπείᾳ χρῶθαι τῇ ἀρίστῃ. Quis dubitet igitur, quin optimam religionem, cultumq; Deorum, quanquã dicere non eſt è Philoſophia Deorum, Iamblichus puriſſimã, excellentiſſimumq; ſenſerit: nimirum hodiernam, quæ non inueniet animus cogitando, nec meliorẽ, nec puriorem, cui, quem colat, non homines, aut aſtra, aut Dæmones, ſed unicus, ſingularis, præpotensq; Deus eſt propoſitus. Certè ea eſt optima religio, perfectiſſimusq; cultus, quæ ſupremum colit, & colit admirando, decantandoq; eum, & opera miranda, ſuſpiciendáq; eius.

Philoſophos aſſerere religionẽ pure exercendam eſſe, quærendumq; acceptiſſimum Deo cultum, cuncta humana contemnenda. His probari, ea, quæ habentur in religione Chriſtiana, animoſiſſimis animis eos acceptaſſe. Cap. XVI.

Ad hanc rationem pertinent item quæ idem Iamblichus enarrans ſymbola Pythagoræ, diſſeruit, quibus quidem probatur, eos ubique religionem Chriſtianam demiratos, unam hanc tacitè coluiſſe, prædicaſſe, ſuſpexiſſe, unam ueram generis humani Philoſophiam iudicaſſe. Nam quod Pythagoras monuit, ut accedens ad templum adores purè, μηδὲν ἄλλο μεταξὺ βιωτικὸν μήτε λέγων, μήτε πράττων: Nihil aliud ibi uel agens, uel loquens: quod ad corpus ſpectet, eſt noſtræ religionis prædicatio. Quod explicans Iamblichus, Conſeruat, inquit, offertq; Diuinitatem hoc ſymbolum, cuiuſmodi, puram, incontaminatam, ab omni concretione mortali ſegregatam: uultq; hoc præceptum efficere, ut inſueſcas purum purè contingere, ne quid mortale, ac corporeum ad cultum diuinum apportes. Sunt enim quæcunque attuleris aliena, & contraria. Idem ad ſcientiam ualet plurimum. Neque enim cum ſcientia diuina miſcere cogitationem, opinionemq; uulgarem, & humanam, curamq; aliquam, & ſtudium corporis oportet. Neque uerò uerba ſacra, actionesq; diuinas, & puras inquinare, uagis hominibus, aut moribus communicatas. Hæc Iamblichus ad ucrbum Qui quidem omnis ſermo, nemini dubium, quin ſit hodiernæ pietatis explicatio. Atque quod Seruator noſter præcepit, Primum quærite regnum Dei: Audi ut idem ex ſymbolo Pythagorico, quo dixit, non ingrediendum in templum ex caſu, & quaſi aliud agenti, diſſeruit: Non eſt, inquit, cur fores templi fortuitu oculis oblatis ingrediaris. Nam cum ſimile ſimili gaudeat, ſanè cum natura Deorum in uniuerſo ſit eminentiſſima, horum in primis cultus exercendus eſt. Quòd ſi hunc alterius negocij cauſa, quis

poſtpoſuerit, claret cultus, ac notionis ordinem eum peruerſurum, reiecto quod erat primum, in ſecundum locum. Ad hæc, non decet bonis pretioſis utilitates humanas anteponere, aut obiter facere, quæ erant meliora, noſtris ad finem certum directis. Hæc Iamblichus. Hoc alio ſymbolo cum Pythagoras monuiſſet, quo dixit, Nudis pedibus ſacrifica & adora: Deſignat, inquit, modeſtè, compoſitè, minimèque ordine neglecto Deos colendos, capeſſendamque eorum cognitionem. Alterum oportere non impeditum, uinctiſq; ligatum, cultum, notionemque eorum ſuſcipere. Hæc que non de corpore ſolum, ſed item operationibus animi præcipit, ut neq; ab affectibus eas impediri, neque à corporis imbecillitate, aut his, quæ circunſtant exterius, ſinas, ſed expedita cuncta, & prompta ad eorum propinquitatem nanciſcendam habeas: ἕυλυτα δὲ πάντα ἔχῃ, καὶ ἕτοιμα πρὸς τὴν μετὰ σίαν τῶν θεῶν. Hæ quidem diuinus Philoſophus. Quem quidem, quòd omnibus præfert, antecellereq; uult cultum Dei, religionem, pietatem, cunctas humanas curas, & cupiditates, ſatis laudare non poſſum: quòd autem Deos toties inculcat, poſſem eam ſuamet Theologia docere, atq; illi probare, quoniam ſummum, ſingularemq; Deum ſæpius agnoſcit, huic duntaxat cultum, religionemq; deberi, prætereà nullis. Tendendum igitur animis in cœlum, maximeq; huic itineri, regione terreſtri, & labe relicta inſiſtendum, ut ad puriſſimam, ſegregatamq; omni labe uitam perueniamus, utendumq; optimo Deorum cultu, maximeq; ſupremis Dijs congruenti, aſſeruerunt: τὴν πρὸς γένεσιν τῆς ὁρατὰς πορείας ἀντέχεσθαι, καὶ τοῖς νοητοῖς θεοῖς συνάπτεσθαι, καὶ τὴν ὑλικὴν χώρισιν καὶ περιάγεσθαι πρὸς τὸ ἄϋλον καὶ καθαρὸν ζωὴν, θεῶντε θεραπεία χρῆσθαι τῇ ἀρίστῃ, καὶ μάλιστα τοῖς πρωτίστοις θεοῖς προσηκούσῃ. Ex his conſtat optimum illum, ad quem inuitat, Deorum cultum, ſupremoſq; maxime decentem, non alium eum innuere, quàm hodiernum, qui & optimus eſt, & ſupremo maximè Deo conueniens. Neque enim ſupremus eſt, niſi unus, adorandus ſolus, eis fatentibus. Hæc fuerunt ea, ob quæ uocatus eſt Iamblichus à ſuis diuiniſſimus, approbantibus ſcilicet quæ de religione docuiſſet. Itaq; etiam diuinè de rerum humanarum contemptu, ſummo cum Theologia uera conſenſu diſſeruit: Optant, ait, omnes eſſe beati, ſed quam cupiunt in primis uitam, niſi cauſa maior felicitatis accedat, ſentiunt eam non ſufficere. Ergo ridiculum eſt, non omni contentione, ſtudio, atque induſtria elaborare, quo ſapientiam conſequamur, quæ ſola poteſt efficere beatos. Inuenies enim, quæ magni ab hominibus æſtimantur, cuncta eſſe σκιογραφίαν, inania ſimulachra, adumbratam que picturam: ut rectè dicatur hominem μηδὲν εἶναι τὸν ἄνθρωπον, eſſe nihili, humanas que res inſtabiles eſſe. Siquidem robur, proceritas, forma, ridicula ſunt nullius pretij: γέλως ἐστὶ, καὶ οὐδενὸς ἄξια. Nam forma, præterquam quod nihil habet exquiſitum, ſi quis, quemadmodum Lynceum ferunt, parietes, & arbores penetrare uiſione poſſet, quantam malorum turbam uideret eam ſequentem? Honores porrò, gloria que omnis, pro qua ſumma contentione depugnatur,

depugnatur, ἀδιαμφήτου γέμει φλυαρίας, inenarrabili uanitate redundat. Nam qui ipſam ante oculos habet æternitatem, ſtultitiam uidebit his ardenter elaborare. Quid enim humani eſt diuturnum? Hæc Philoſophus. Nihil igitur abeſt, quo minus omnibus ſuffragijs, hodiernam religionem, ueritatis ſedem, reginam probitatis, ſapientiæ ducem decernant, qua nihil ab immortali Deo melius hominibus dari potuiſſet. Vna enim perfectè rerum humanarum fragilitatem, inconſtantiamq; detexit, ab earum amore melioribus proprositis diſſociauit. Sola magiſtra uera fuit eorum, quæ Philoſophis Natura docente, uidebantur. Conuocant igitur & ipſi mortales à terrenis, fragilibusq; auocatos ad æterna, ad religionem puram, ad pietatem ueram, ad cultum Dei, ad ſpes cœleſtes.

Philoſophos arbitrio libertatem tribuentes, ſed opem diuinam ad opera recta ne ceſſariam prædicantes, mirifice cum religione hodierna congruere. Mala ex nobis ipſis eſſe, autoribus eis. Cap. XVII.

Illud quoque mirabile, ſcitu que dignum, quòd de libertate animi, ac libero arbitrio, eadem atq; noſtros, apud eos habentur. Conſpirant enim ſapientia cœleſtis, atq; Natura. Omnem inquam animis datam eſſe libertatem, nobis permitti malimus ne miſeri, an beati eſſe. Siquidem Iamblichus teſtis eſt, Pythagoram, ſumma eſſeueratione, apud omnes περὶ τῆς ψυχῆς αὐτεξουσίου δυνάμεως ἀναμφισβητήτως ἀπεφήνε: De animi iure, expeditaq; poteſtate, ſine ulla ambiguitate diſſeruiſſe, demonſtrationes expreſſas præbuiſſe. Duobusq; id nominibus deſignabat, δυνάμει facultate, poteſtate. Vbi eſt enim poteſtas, nullum eſt uinculum, nulla obligatio, eſt facilitas. Altero αὐτεξούσιον, ſui iuris, ſuæ licentiæ, ſuæ libertatis. Sed diuinius, ac profundius hoc apud eum, & Platonem eſt demonſtratum. Siquidem Pythagoras affirmabat eodem Iamblicho autore, ὅτι αὐτοὶ ἐφ' ἑαυτοῖς ἐσμὲν τύχης, καὶ δαίμονος τάξει, καὶ ἡμεῖς τὸν δαίμονα αἱρούμεθα, & εὐδαίμονας αὐτοὶ ἑαυτοὺς παρασκευάζομεν: Nos ipſos, nobis eſſe Fortunæ, & Genij loco, nos eligere Genium, noſmet facere ut ſimus fortunati. Quid diuinius, ad errores aperiendos humanos præſentius? Nuſquam eſt Fatum non eſt Fortuna, niſi quam tu uolueris. Quem malueris, Genium habebis. Dabit ergo malis mala Deus, dans eis, quæ maluiſſent dum bona, & mala uelle potuiſſent. Hoc Pythagoras eo carmine deſignabat,

Γνώσῃ δὲ ἀνθρώπους ἀνδαίρετα πήματ' ἔχοντας.

Sponte ſua noſces homines ſibi quærere clades.

Sed quoniam liberum quidem arbitrium eſt, uerum niſi maioribus auxilijs in malum potius quàm bonum propter humanam fragilitatem procliue ſuſtineatur, delabitur in deterius, uerè ſanxit Theologia, liberum quidem arbitrium eſſe, ſed indigere auxilij diuini: Solus enim Deus, cuius eſt inexhauſta, indeficiensq; bonitas, poteſt ſemper uelle bona. Nos autẽ qui longè diſtamus ab illo, cadimus, ſed uolentes, qui non cadere poteramus, ſi noluiſſemus. Auxiliũ igitur diuinum implorandum, ut electio potens eſſe malorũ, potius ſit bonorum, cum noſtris illi maximè ſenſerunt.

Iamblichus

Iamblichus: μία μὲν ἀρίστη παράκλησις εἰς τὴν θείαν εὐδαιμονίαν, ἡ μεμιγμένη ταῖς εὐχαῖς καὶ ἀναπλήσεσι τῶν θεῶν, καὶ μᾶλλον τοῦ βασιλέως αὐτῶν Διός: Optima, unaq; præstans est consolatio ad felicitatem diuinam, quæ mista est precibus, & inuocationibus Deorum, maximè uerò regis eorum Iouis. Epictetus etiam eadem atque Iamblichus ratione, nisi solidis radicibus autori nostro penitus hæreamus, fore prædicat, ut nunquam ueram beatitudinem, in multa scelera prolapsi consequamur, ut superius adductum est.

Hieroclem, Syrianum, eximios Philosophos, ueram iudicare sapientiam, uirtutumq; principem pietatem, & assimilationem cum Deo, & imitationem bonitatis, iustitiæq; eius. Eumq; esse Philosophiæ finem. Hanc esse beatitudinem, quam Marcus Tullius dicit à Philosophia donari. Cap. XVIII.

AVdiendus item Hierocles, & Syrianus, summus uterq; Philosophus, de totius Philosophiæ, cunctarumq; contemplationum fine, ut omnes intelligant prosanam Theologiam cœlesti se deouisse, placitisq; eius, pronis animis assensam esse, nec aliam sibi metam studiorũ præfixisse, quàm quam doctrina cœlestis ostendit. Ait ergo Hierocles: τέλος ἁπάντων μὲν ἀρετῶν ἡ φιλία, ἀρχὴ δὲ ἡ εὐσέβεια: Finis, inquit, uirtutum charitas, principiumq; pietas. Est autem ratio pietatis, bonorum nobis omnium origo, & seminarium. Cernis quæ diuus Paulus, Fides, spes, charitas, maior horum charitas. Is finis omnium uirtutum, charitas erga Deum, & homines. Audis à pietate, ueluti fonte, cunctas manare uirtutes? Est enim timor Domini principium omnis uirtutis, & sapientiæ. Exercendam igitur, amplectendamq; clamant pietatem, quemadmodum semper hodierna religio: quia lignũ uitæ est his qui apprehenderit eam: Et qui tenuerit eam beatus. Si pietas igitur est origo uirtutum, finemq; uirtutum nobis apportat: nihil autem est uirtute melius: profectò laudatur, supremis laudibus fertur à Philosophis ea religio, quæ præter omnes, pietatem uerã nouit, & exercuit. Est autem pietas suprema, ueraq; de supremo Deo. Cui colitur igitur, indefessèq; laudatur supremus Deus, rerum principium & finis prædicatur semper, ea pietas uera, atq; suprema. Quis è Philosophis igitur, si uidisset hodiernam religionem, omnem ad æterni, et incommunicabilis Dei cultũ inclinatam, ad eumq; genus humanũ uocantem, si ueritatis amicus esse, priuatis affectibus omissis uoluisset, non extemplò ueram, singularemq;, solã pietatis nomine dignã exclamasset? Idem Hierocles ait, finem uitæ esse, θεὸν ποιεῖν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, κατὰ τὸ δυνατόν: Deum facere ex homine, usq; quò fas est, hominem fieri Deũ. Sentit Hierocles quod apertè nostri, Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, Et, Coheredes Christi, conformes imagini Filij Dei. Huiusmodi finẽ sensserunt & illi, sentientes, hodiernam religionem magistrã omnium bonorũ, et matrem palàm innuerunt, quæ quomodo Dij, aut filij Dei fieri mortales possent, una docuit: et ad ueritatis aulã iter patefecit. Addidit Hierocles Pythagoreus: Quoniã igitur uita secundũ uirtutem diuinã amplectens similitudinẽ, uerè diuina est: at quæ cum scelere, & flagitijs transigitur fera, impia, claret uoluptatẽ probi diuinam lætitiã imitari, Deum, mentemq;

mentemq; ſequentem. Verum improborum uoluptas (ſit enim nunc commune nomen) efficitur motui ſero, & ſtupido perſimilis. His Hierocles oſtendit uirtutem, ſi militudinẽ, imitationemq; eſſe diuinam, ſimiliter uoluptatẽ, ex uirtute naſcentem, ſimilem lætitiæ diuinæ, confirmans ea, quæ noſtris in literis habentur: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Imitamur igitur illũ, cum rectè uiuimus. Non aliud eſt hodierna Philoſophia, q̃ diuinæ probitatis, iuſtitiæ, bonitatis imitatio. Ecce una omniũ religio, mens omnibus una, unus Deus, unus uitæ finis, una eademq; Philoſophia, Deum imitari, uoluptates ex hac imitatione naſcentes ſolas proſequendas, ſolas ueras, ſynceras. Syrianus autem præceptor Simplicij in interpretatione librorũ Ariſtotelis: Τ ἀγαθὸν ἕνεκα, &c. Boni enim cauſa, & ut cum Deo ſimulemur, et cauſa ſalutis noſtræ, ſpeculari deſideramus. Ὁ plus quàm aurea uerba. Magnus igitur Philoſophiæ, & præclarus finis, Deo ſimilari, bonitatem eius imitari. Hæc noſtra ſalus, hoc bonum. Id optat ſibiq; proponit Philoſophia. Vna eademq; noſtra, atq; illorum: Illorum, docente Natura: noſtra, reuelante Deo. Non poteſtis igitur ô Philoſophi negare, quin omnibus quæ cœlitus hominibus donari potuiſſent, optatior, uerior hodierna ſit Philoſophia. Marcus igitur Tullius eximius & ipſe, diuinæq; mentis Philoſophus, de Finibus, Omnis, ait, autoritas Philoſophiæ conſiſtit in beata uita comparanda. Beatè enim uiuendi cupiditate incenſi omnes ſumus. Quæ igitur hæc, ô Marce, beatitudo, niſi quam Syrianus, cæteriq; dicunt, primum diuinam pulchritudinem imitari, tum ex eo conſequi beatam uitam in poſterum, quæ nulla in terris reperiri poteſt? Demq; etiam uetuſtiſſimus Pythagoras uidit & celebrauit hanc beatitudinem donandam ex optimè in uita geſtis:

Ἠνιόχου γνώμιλλα σήσας καθύπερθεν ἀρίστου
Ἦμ δ' ἀκλεέψας σῶμα ὃν αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς
Ἔσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Optima mens, animi fac ut moderetur habenas,
Tum corpus linquens, tranabis ad æthera apertum,
Immortalis eris Deus, amplius haud mortalis.

En quod pater bonorum, hominibus in terra prædicauit: Erunt omnes æquales Angelis Dei. Quod eius Apoſtoli confirmantes, Dedit, inquiunt, eis poteſtatem filios Dei fieri. Et, Conformes imagini filij Dei.

Priſcos à maioribus audiſſe de præmijs æternis: Famam ſemper inter mortales crebuiſſe futuræ felicitatis poſt hanc uitam. Platonis, & Socratis, et Marci Tull. teſtimonia. Cap. XIX.

DEniq; de futura uita, omnibus q̃; his quæ pari, atq; ſuperiora conſenſu cunctæ nationes, nullo non ſeculo crediderũt, aſſeruerunt q̃;, partim ratione, iudicio q̃; uidente, partim ex antiquiſſimis ſeculis, atq; ut ego quidem arbitror, ab exordio mundi per omnes ætates hæc Theologia manante, mirificè nobiſcum Philoſophi conueniunt. Quæ cum & à paucis, & obſcurè, autoreq; incerto quondam circunſer-

cunferrentur, nuncio cœlesti, à regijs sedibus suis in terras descendente, uelut intra adyta, reposita, & condita lux, ruptis quibus antea claustris contineretur, torrenti similis inundauit, clarissimis facibus, toto terrarum orbe explicata. In duas autem finditur hæc futura uita uias: alteram ad æterna præmia, alteram ad æterna supplicia ferentem. In quibus cum mirè Philosophi nobiscum congruant, fit omnium quæ superioribus libris scripta sunt, confirmatio. Confirmatur enim hinc immortalitas animorum, creatio mundi, cuius æternitas non stat cum uita futura. Confirmatur item prouidentia, hominumq; creatio. Mirabile uerò est, ut ratio, Naturaq; docuerat multos, quæ pòst Deus ipse reuelauit. Habet enim ueritas impetus suos, sesesq; sponte, propter diuinam similitudinẽ animis offerens, eos ad confessionem sui compellit. Sed enim semper lux aliqua resulsit, & ex antiqua ante diluuium, ab humanæ prolis initio, pietate, qua solus Deus uno ab omnibus animo colebatur, quædam per omnes gentes reliquiæ restiterunt. Constat igitur, fidem apud mortales semper olim fuisse celebrem, esse post hanc uitam aliud uitæ genus, diuinius, animis pijs, iustisq; paratum, eamq; famam constantem per omnes gentes, seculis omnibus increbuisse, nunquam spem hanc ex humanis pectoribus extinctam, mœstos eos, ac tristes destituisse. Plato igitur in Apologia, εἰ δὲ οὖν οἷον ἀποδημῆσαι ἐκ τούτων ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, &c. Sin autem mors est, quasi hinc in aliũ demigrare locum: & uera sunt quæ dicuntur, esse defunctos illic omnes: quid eo melius dari possit? Ecce priscam publicamq; famam de immortalitate animorum, de præmijs æternis, de consortio societateq; bonorum, quam decantauit extulitq; miris laudibus ibidem Socrates, nihil melius contingere cuiquam posse, quàm cum sapientissimis, iustissimisq; uiris uersari, quos Græcorum optimos fuisse scirent omnes. Hanc celebrem, penesq; omnes fuisse famam Plato docet. Si uera, inquit, sunt, quæ dicuntur, sermo constans unanimisq; omniũ testimonio corroboratus, quem, fontem aliquem magnum, unde flueret, autoritatemq; maiorem quàm humanam habuisse necesse est. Magnus igitur omni seculo crebuit rumor, homines ex hac uita in alium quasi mundum proficisci bonosq; cum bonis congregatos, beatissimè uiuere, quorum tanta sit beatitudo, ut qui sapiens sit, non unam modò, ut eo fruatur consortio, sed mille mortes libenter occumbat. Addit enim Socrates: ἐγὼ μὲν γὰρ πολλάκις ἐθέλω τεθνᾶναι, εἰ ταῦτα ἀληθῆ: Ego sæpius optarim mori, si hæc uera sunt. Hoc ante oculos habentes martyres nostri, omne mortis genus præsentissimis animis subeuntes, se quasi ad epulas, & triumphos tum uocari fatebantur. Hanc quoq; famam, publicamq;, non Græcorum modò, sed item aliarum nationum persuasionem fuisse, insignis testis alius, Marcus Tullius: Autoribus, inquit, ad istam sententiam, quam uis obtineri, uti possumus, quod in omnibus causis et debet, & solet ualere plurimum. Et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu, & diuina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant uera, cernebat. Itaq; unum illud insitum erat priscis illis, esse in morte sensum, neq;

excessu

excessu uitæ, sic deleri hominem, ut funditus interiret. Ecce Marcus insitũ ait fuisse priscis illis, à quibus Græci, Latiniq; originem, & sermonẽ, ritus, et scientias susce pere (quos Socratẽ apud Platonẽ spectasse uerũ est) animos immortales curricu lo uitæ præsentis exacto, ire in alia loca, frequentesq; bonos cũ bonis lætari, trium phari in republica beata. Testimoniũ uetustatis orator grauis ualere plurimũ so lere, et debere in omnibus causis, asseuerat. Quod Aristoteles quoq; in Moralibus confessus est. Meretur autem fidem uetustas, ne fortè putes sine ratione hæc eos sen sisse, quòd ab ortu progenieq; diuina non longe aberant, propiores erant diuino sa tui. Progeniẽ autem diuinã sentut, procreationẽ diuinam, qua Deus procreauit, ge nuit, seu fecit hunc mundũ, & hominem, qui uera diuina progenies fuit. Aut sentit Deos, & Angelos, quos unà cũ hominibus progenitos, homines, uti præceptores audierũt: Fortè intendit eò Cicero, quod Plato in Timæo docuerat, Difficile esse nõ credere natis à Dijs. Credendũ, inquit, mirũ in modũ est priscis, ut aiunt, uiris, qui se progeniẽ Deorũ esse dicebant. Hæc igitur causa, quamobrẽ priscis credendũ sit, à quibus, ut sæpenumero dixi, quandã constat manasse Theologiã, profectam qui dem à priscis ad posteros, ad priscos autẽ à Deo, cuius se progeniẽ illi asserebant. Deus enim Hebraicè dicitur numero multo dij. Natus homo à Deo, eruditus quoq; est, magna cognitione rerũ diuinarũ ex sermone, et præsentia eius dotatus. Hunc et filios eius, ueteres audierunt, senserunt eũ asserentem se progeniẽ esse diuinam. Is et omnis pòst ætas, dicti sunt prisci, nati, ut ipsi asserebant, à Deo. Sed priscos in Timæo natos à Dijs, dixit, in Tusculanis autẽ propiores stirpi diuinæ, ut alij sint prisci, alij progenies diuina. Fuerunt igitur primi genitores, progenies diuina: Cæ teri post eos nati, eosq; contẽplati edoctiq; ab eis ex quotidianis sermonibus, prisci. Grauissimũ igitur hac de causa, et fidelissimũ testimoniũ uetustatis, quæ à parenti bus suis, diuina progenie, animos immortales esse, et ab hac uita migrare ad con sortia beatorũ, multaq; alia mysteria, quorũ reliquiæ, & uestigia quædã collecta sunt his libris, audiuit. Itaq; Marcus idẽ Tullius nõ Platonis modò Theologiæ sub scribens, sed firmã gentis suæ sententiã proponens, Siquidẽ, inquit, aut Dij ipsi, aut cũ Dijs futuri sumus. En illa sacrosancta missa de cœlo in terras ultimis tẽporibus latissima, atq; uberrima sapientia, Erunt, inquit huius sapientiæ fons, omnes æqua les Angelis Dei. Quod prædicauit uelatus humano corpore, nobiscũq; uersatus in terris, iã antea primos parẽtes, priscosq; docuerat partim sua præsentia, partim nũ cijs cœlestibus. Prædicatũ est regnũ cœlorũ, et diuulgatũ nouissimis seculis resonan tius, clarius, dimissis usq; quaq; per omnes terras præconibus, ut haberet autoritatẽ firmã, atq; inconcussã, quod antè celebri quidẽ sermone, sed autore incerto uulga batur. Scintillæq; illæ refulgentes, radiorũq; obscuritas, ipso toto corpore lucis ap parẽte, cognitæ sunt, et perspectæ unde micarẽt. Audi igitur ut Plato audierit à pri scis, prisci à progenie diuina, diuina progenies, à parente suo Deo, iustis, et probis æterna bona commerciũ Deorũ, quos Moses nũcupat Angelos, nec uerò commer

cium

cium ſolum, uerum etiam æqualitas naturæ fuerit promiſſa, antequam lux illa magna flagraſſet in terris: Dura, inquit Socrates, mihi mors uideretur, εἰ μὴ ὤιμην ἐξιὼν πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς θεοὺς ἄλλους σοφοὺς τε καὶ ἀγαθοὺς ἥξειν καὶ παρὰ ἀνδρῶν τετελευτηκότας ἀμείνους τῶν ἐνθάδε: Niſi putarem me profecturum, primum ad Deos alios ſapientes, ac bonos, tum ad homines qui exceſſerunt è uita, longè his qui nunc in terra morantur, meliores. Vides ut ſpes illis quoq; ſeculis rutilaret ex hac uita ad ſocietatem Angelorum, ſanctorumq; uirorum proficiſcendum? Angelorum, inquit noſter, choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere. Superiora ante aduentũ lucis magnæ, poſteriora pòſt dicta ſunt. Eadem reluxit ſemper Theologia, obſcurior prius, & quaſi in crepuſculo, demum flagrantiſſima. Quoniam igitur ad beatitudinem animos ire prædicabatur, hinc fama erat, cuius meminit cum alijs multis idem Plato, eſſe nos in hac uita, tanquam in carcere: Eſt, ait, in arcanis quædam fama: nos qua in cuſtodia eſſe, à qua nemini liceat ſponte decedere.

Plato & Socrates & Marcus Tullius teſtes, fidem antiquã eſſe de præmijs iuſtitiæ, ac probitatis. Eos cum noſtris prædicare, fugiendas corporeas illecebras, uitam cœleſtem in corporibus agitandam. Qui hoc egiſſent, in concilio Deorum futuros. Cap. XX.

HAnc ipſam per omnes mortales à maioribus de futura beatitudine bonorum, malorum autem ſupplicijs, traditam famam, ac ſcientiam ubiq; repetit, inculcatq; Plato. Nam ne credas malos pariter atq; bonos, ea felicitate, beatitudineq; donari, ſentiasq; iuxta Theologiam noſtram, id eſt, eorum, qui poſt cœleſtem effuſam per terras ſapientiam nati ſunt, eos quoq; malos ab hac felicitate ſecluſiſſe, teſtis idem Plato: Optima, inquit, ſum ſpe, eſſe defunctis aliquid, &, ut dictum eſt antè, longè melius bonis, quàm malis: εὐελπίς εἰμι εἶναί τι τοῖς τελευτηκόσι, καὶ ὥσπερ γε καὶ πάλαι λέγεται. Idem paulo pòſt præclaram de hac uita, ac diſcrimine bonorũ, malorumq; uocẽ extulit: Nefas eſt, inquit, ad gentẽ diuinã aſpirare cuiquã, qui philoſophatus non fuerit, purusq; ex hac uita prorſus nõ abierit. Ob quã cauſam ueri Philoſophi ab omnibus cupiditatibus corporeis ſe continent, neq; ſe ipſos eis dedunt unquã. Sic Plato. Noſter autẽ, Apparuit, inquit, humanitas et benignitas Saluatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiẽs nos, ut abnegantes impietates, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè uiuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem. Hæc igitur Socrates uidit, & prædicauit moriturus. Eſt enim beata ſpes, quod Socrates dicebat, ſubleuari ad gentem Deorũ, Angelorum concilio adſcribi. Hoc non datur apud Socratem, niſi purè ac rectè philoſophanti, id eſt, ut ait diuus Paulus, ſobriè, & iuſtè, & piè uiuenti, abnegantiq; impietates, & cupiditates mundanas, quaſi uulgares, quas homines impuri promiſcuè ſectantur, ſpectantes ad corpoream hanc, fragilemq; uitam. Et oblectamenta, uoluptates q; mundi huius. Quibus impuratos, contaminatosq;, & Socrates prius, & poſterius Paulus, negant aditum habere ad ſuperos. Itaq; Philoſophia de regno cœlorum, de conſortio Deorum, & quòd hominibus iuſtis uia patet ad ſuperos, eſtq; bea-

beatitudo parata, necnon quòd philoſophandum ſit, id eſt, ſapienter, iuſtè, pieq; uiuendũ, quoniam ſunt magna præmia propoſita, nempe ſocietas Deorum, cũ prius circumferretur, ultimo tempore celeberrimam reddidit legatus Dei in terras. Hinc Philoſophi, & qui ſapere ex rerum conſideratione, non deſipere ſtatuerunt, agnoſcent hodiernam religionẽ ſemper aliquo modo fuiſſe, eamq; ſapientiſſimos quoſq; ſummis laudibus extuliſſe, prædicaſſe. Vt ſi Socrates hoc tempore, quo tam eximia de patria cœleſti, uitaq; beata illa, Deorumq; commercio prædicantur, & prædicatur ſolos bonos ad eam ſublimandos, certè ſublatis ad cœlũ manibus dicturum fuiſſe par ſit, hanc unicam, ſingularemq; ſapientiam, humani generis magiſtrã apparuiſſe, uerißimaq; eſſe & adoranda, amplectendaq; quæ ab ea dicantur: Nullamq;, ſi quis rectè cenſeat, inter Philoſophos, et hanc religionem diſcordiam eſſe. Nam Socrates ſapientiſſimus Græcorum ab Apolline iudicatus, ſi dixit, & prædicauit, his qui ſapienter, rectéq; uixiſſent, futurum id præmij, quod ad diuinam gentem proficiſcentur, ad quam nefas ſit impuros aſpirare, profectò dixit, quod Chriſtus natus ad hoc ipſum, & corpore uelatus humano, in mundo regia uoce prædicauit, aperuitq; explicans, et clara faciens, et radiantia, quæ quidã obſcura ratione illi augurarentur. Marcus igitur iterum iuxta Platonis, & Socratis & ſuam, quod ea mirificè probabat, ſententiam, duas eſſe uias, duplicesq; curſus animorũ è corpore excedentium, dicit. Nam qui ſe humanis uitijs (quæ diuus Paulus appellat ſeculoria deſideria) contaminaſſent, et ſe totos libidinibus dedidiſſent, (contrà uidelicet, quàm Chriſtus, & legatus eius Paulus prædicarint) quibus cæcati uelut domeſticis uitijs, atq; flagitijs ſe inquinaſſent, uel in republica uiolanda fraudes inexpiabiles concepiſſent, ijs deuiũ quoddam iter eſſe, ſecluſum à concilio Deorũ. Qui autem ſe integros, caſtosq; ſeruauiſſent, quibusq; fuiſſet minima cum corporibus contagio (Quod diuus Paulus dixit, ſobriè & piè et iuſtè uiuere, Et fugere fornicationes, immunditiã, libidinesq; efferas) ſeſeq; ab his ſemper ſeuocauiſſent, eſſentq; in corporibus humanis uitam imitati Deorũ (quod noſtri dicunt in carne eſſe, et præter carnem uiuere, agereq; in terris uitam Angelorũ) his ad illos, à quibus eſſent profecti, reditũ facilem patere. Pauloq; inferius docet, ut conſueſcamus mori. Hoc, dum erimus in terris, erit illi cœleſti uitæ ſimile, quo cum uenerimus, tum deniq; uiuemus. Hactenus Philoſophus Latinus, ex quibus intelligimus, eandem eſſe de ſupremis humanæ uitæ, malorumq; & bonorum finibus, Philoſophorũ, noſtræq; religionis ſententiam: Quòd malis erit iter quoddam deuium, ſecluſum à conſortio Deorũ, ferens in alia longè diuerſa, quàm cœleſtia loca, quæ poſtea ſeparatim explicabuntur. Quòd fugiendæ ſint in corpore, corporeæ uoluptates, Angelorumq; uita in terris agenda: Eſſe in corporibus humanis uitam imitandã Deorum. Hoc uera religio philoſophatur. Innumerabilis multitudo patriæ cœleſtis amore, uitã imitati Deorũ, non modò ab inconceſſis uoluptatibus, ſed etiã licitis ſe continent. Quis eſt, quin putet, ſi magni illi, anteſignaniq; Philoſophi cæterorum Philoſophorum

principes religionẽ hanc uidiſſent, non protinus dicturos fuiſſe, nihil ea melius dari hominibus à Deo potuiſſe, Principem et caput, non hominem, ſed Deum habuiſſe, conditam non humanis, ſed diuinis præceptis? Nam quanquam hæc dixerat Socrates, hærebat tamen adhuc, nec tota luce ſua, ueritas ei affulgebat, multaq; remanebant dubia. Refulſit poſtea faces ſuas è cœlo apportante Deo, qui primus aduentu ſuo, celebre facit & claram regnũ cœlorum. Hanc eandem ſententiam, quæ uiro ſapienti ſummè placeret, retulit Marcus Tullius in Somnio, Si quidẽ, inquit, bene meritis de patria, quaſi limes ad cœli aditũ patet, nunc tanto præmio propoſito enitar multo uigilantius. Ô ueritatẽ ſemper aliqua luce radiantẽ Hoc agitur nunc paſſim, agenditq; is qui merito dictus eſt humani generis Seruator, præcepit, hortatus eſt, oſtentans diuitias cœleſtes, omnes ad eas gratis capeſſendas inuitans. Homines autẽ ſapientes, tantis præmijs propoſitis, acriter eniituntur, tũ noxias à ſeſe uoluptates abijcientes, tũ charitate, iuſtitia, modeſtia, pietate uitã Deorũ imitantes. Quã idẽ ille, ſumma concordia cũ religione uera, ſic deſcripſit: Sunt, inquit, optimæ curæ de ſalute patriæ, quibus agitatus, et exercitatus animus, uelocius in hanc ſedẽ, et domũ ſuã peruolabit. Idq; ocyus faciet, ſi iam tũ, cum erit incluſus in corpore, eminebit foras, et ea, quæ extrà erunt contemplans, q̃ maximè ſe à corpore abſtrahet: Nam eorũ animi, qui ſe corporis uoluptatibus dediderunt, earumq; quaſi ſe miniſtros præbuerunt, impulſuq; libidinũ uoluptatibus obedientiũ, Deorum, et hominũ iura uiolarũt, corporibus elapſi, circũ terram ipſam uolutantur. Hæc ait ille. Nam quod ſubijcit, Nec in hunc locũ, niſi multis exagitati ſeculis reuertuntur, poſthac examinabitur. Conſtat modò, eandem eſſe priſcã atq; nouißimã de præmijs bonorum, ac malorũ, de regno cœlorũ ſapientiam. Ad quod uita caſta, innocenti, pura, iuſta perueniatur, inde longius excludẽdis qui ſe corporeis uoluptatibus dedentes, et ingurgitantes, ſimiles porcis et aſinis eſſe q̃ Dijs, aut Angelis maluerunt: Nolite, inquit oraculũ, fieri ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus. Ad Platonem tanquam legitimũ hæredem, quaſiq; Atticũ Moſen uenit à priſcis hæc Theologia, ſicut de tribus numinibus, de diuina ſimilitudine animorũ, uenit ab Aegyptijs Hebræis, Chaldæisq;, qui à progenie diuina audierant, Marcusq; ipſe, ſuæ gentis quoq; firmam, inſitamq; penitus ſententiam eam fuiſſe cum Seneca confirmat.

Probos poſt uitam Deos declarandos, quemadmodum ſacræ literæ, prædicare Platonem. Improbos, iniuſtos, ſceleratos cum ſimilibus habituros, Tenebras appellare Platonem, pœnas malorum. Cap. XXI.

HAnc eandem ſententiam Plato non modò ut ſuam, quemadmodũ Marcus Tullius, ſed ut maiorum ſuorum, qui diuini apud Græcos habiti ſunt, ſæpe memorat, famam tempeſtatis ſuæ, ſuperiorumq; ſeculorum, quibus à locis fragrantem, haud certum, præclarè inquit in Cratylo, Heſiodus, & alij multi ex Poëtis dicunt: ὡς ἐπὰν δὴ ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν τελευτήσῃ μεγάλην μοῖραν, καὶ τιμὴν ἔχῃ, &c. Quod poſteaquã quis probus exceſſerit è uita, magnã ſortem, honoremq; aſſequitur. Fitq; Dæmon, iuxta hanc ſapientiæ nuncupationẽ. Aſſentior igitur et ipſe, pro-

ſe, prudens & ſciens quicunq; fit, Dæmoniũ eſſe, uel uiuentem, uel defunctum, re/ ctéq; Dæmonẽ uocari. Ecce ab Heſiodo, uetuſtioribusq; Poëtis, quos eoſdem Theo logos dictitabant, de præmijs, honoribusq; bonorũ poſt uitam, magna prædicatio, Qui decernantur, declarenturq; Dij, Quàm bene congruit cum eo, quod Seruator noſter, Erunt æquales Angelis Dei. Hæc illa beata ſpes, hæc illa deificatio, & con formatio imagini filij Dei, cum tales erunt boni, qualis ille: Cum fulgebunt iuſti, ſi/ cut Sol, in conſpectu Dei. Hanc ueteres Poëtæ, præclaram ſortem, ſummosq; hono res bonorũ à priſcis audierunt, Audierunt deificationẽ, quæ promittitur bonis poſt uitam, promittitur reddendos eos Deos, in numerum diuorum collocandos, appel/ landos Dæmones, hoc eſt Deos, ſiue Angelos, ut Philo declarauit. Hoc priſci Poë/ tæ, qui propius ab ortu mundi, ab hominibus, qui Deum uiderant, et audierant ab/ fuiſſent, tradiderunt, perq; omnes ætates ferebatur. Idcirco non magnorũ modò ui rorum teſtimonio, ſed ipſa quoq; ratione fit perſpicuum, uetuſtiores & ſyncerius Deum uerum coluiſſe, & de Diuinitate eius, de mundo, Dijs, hominibusq; rectius quàm poſteriores ſenſiſſe. Venit autẽ ſummi Dei filius, ut reuocatos ab erroribus, quos impietas ſeculorum attuliſſet, homines, & ad uetuſtiorem religionem, primo rumq; hominum pietatem remiſſos, noua quoq; maioreq; ſapientia conſecraret, ſceleribus illis deletis, quæ & à principio contracta, & poſt multa ſecula exorta fuerant. Eandem Theologiam palàm aſſeruit in Theæteto Plato, Mala non eſſe a/ pud Deos, ſed mortalem naturam, et hunc noſtrum peruagari locũ. Quocirca eo nandũ totis uiribus, ut ab his malorũ ſedibus, ad Deos confugiamus. Fugam autem eſſe fieri Deo pro uirili ſimilem. Similitudinem autem contingere, ſi iuſtus ac ſan/ ctus ſapiensq; ſis. Hoc igitur eſt quod in Phædone, totq; alijs locis tradiderat, & quod Marcus ex ipſo Platone: Atq;, inquit, in corporibus humanis, uitam fuerint imitati Deorum. Hac imitatione & ſimilitudine, iter ad ſuperos, & à regno malo rum fugã patêre. Quæ ſors autem ſit malorũ, expoſuit præclarè, & diuinè ibidem in Theæteto. Quicunq;, inquit dementiæ, ſtultitiæq; aſſuerint, dabunt meritas pœ/ nas, uitam ſtultã degentes. Quòd ſi dixerimus fore, ut nunquã eos pœniteat flagitio rũ, uita quidem functos locus ille ſceleris, malorũq; purus non recipiet, ſed ſimilitu dinẽ uitæ conſequentur, ſemper mali cũ malis habitantes. Separat hic, ut uides, pa/ triam conſortiũ, ciuitatem bonorũ, ac malorũ Plato. Bonos cũ bonis, puriſq; futu/ ros, nõ futuros autẽ malos, reijciente eos loco puro, et nõ admittẽte pollutos. Ergo cũ malis, inquinatiſq; ſpiritibus cohabitaturos meritis pœnis cruciandos. Sicut illi in collegio Deorũ, ſic hi in conſortio impiorũ, omniũq; damnatorũ. Has duas ſortes etiã in Phædro, planè, dilucidèq; demonſtrat, de his qui per amorẽ recipiunt amiſ/ ſas alas, præmiũ ingens aſſecuturis, uenturis in patriã cœleſtẽ. Nefàs enim eſſe, nec ullã legẽ pmittere, ut ad tenebras ſubterraneas hi pficiſcãtur, qui ſemel iter cœleſte carpere cœpiſſent: ἐις γὰρ κατόπος ⓒ τὴν ὑπὸ γῆς πορείαν, ὃν νόμος ἐστὶν ὅτε ἐλθεῖν τοῖς κατηργμένοις ἤδη τὴν ὑπερουρανίας πορείας. Quo loco diſtingui tur apertè locus amborũ. oſtenditur etiã infernus, Tenebræ ſcilicet, et iter ſub terrã

iuxta oraculum, in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Theologia maiorum ſimilis hodiernæ cœlitus demiſſæ, quemadmodum & illa, à ueteribus prodita, qui & meliores, & Dijs aut Deo propiores ipſo Platone in Phileboteſte: ὁι μὲν παλαιοὶ κρείττονες καὶ ἐγγυτέρω θεῶν. Quoniã ergo & meliores priſci & Deo propinquiores, ſicut Adam, qui uidit eum, et audiuit, filijſq; eius & nepotes, hanc diuinã de utraq; uia ad cœlum & inferos tendente Theologiam prodiderunt.

Ex Platone de bonorum, malorumq; futura ſorte. Teſtimonium eius hanc Theologiam priſcam eſſe. Caput XXII.

EAdem multo præclarius tradit in Gorgia, ubi primum ex ſententia Euripidis, dubitat an uerum ſit eos, qui uiuunt potius mortuos eſſe, qui moriantur uiuere. Quòd ipſe à ſapiente quodam audiſſet, ὡς νῦν ἡμεῖς τεθνᾶμεν: Quòd nos nũc mortui ſumus. Eſſe enim corpus ſepulchrum animi, animam iacere in corpore, in ſepulchro uti defunctam, uicturam, cum è corpore auolauerit. Fabulamq; illam, quam quidam ex Italia ſit interpretatus, de his fœminis, quæ Belides ſunt appellatæ, quæ ferre in inferis dicantur aquam cribro, ſtultorum animas eſſe, quas nullæ cupiditates, ceu pertuſas, implere potuiſſent, aut obliuioſæ ſemper nihil retinuiſſent. Eſſe igitur cribrum ipſam animam pertuſam, in inferis meritas pœnas ſtultitiæ, & inſatiabilitatis luentem. Sic longè diuiniorem de felicitate cœleſti, & pœnis proponit ſententiam. Legem fuiſſe ſub Saturno (Saturnum maximum Deum, ut ſæpe uiſum fuit, appellat) eamq; adhuc ſemper uigere apud Deos, ut qui iuſtè, ac ſanctè uitam tranſegiſſent, pòſt ad inſulas beatas profecti, beatè uiuant, nullis malis obſtrepentibus. Qui uero ſceleratè, & impiè uixiſſent, ire ad pœnarum, ac uindictæ carcerem, quem uocent Tartarum: Ὃ ἀεὶ καὶ νῦν ἔστιν ἐν θεοῖς, τῶν ἀνθρώπων τὸν μὲν δικαίως τὸν βίον διελθόντα, καὶ ὁσίως, ἐπεισιὼν τελευτήσῃ εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν, τὸν δ' ἀδίκως καὶ ἀθέως εἰς τὸ τίσεως τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ Τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι. Sic diuus Plato. Principio cernis, ſemper eum, Theologiam hanc non ex ingenio ſuo, ſed omni uetuſtate, cui plurimum deferebat, & cur deferendum eſſet demonſtrauit, deducentem. Cernis item beatas inſulas hic eſſe, quem in Phædone, & Phædro uocauit locum cœleſtem. Neque enim habitatio Deorum eſt in terra: cum Dijs autem habitaturos, ad ſocietatemq; ipſorum uenturos iuſtos ſæpe ſæpius aſſeruit. Quemadmodum autem noſtri locum cœleſtem, regnumq; Deorum ſoliti ſunt uocare Paradiſum, nomen rei terreſtris, horti fluminibus irrigui, arboribus omnigenis, & plantis amœni, haud ſecus illi patriam cœleſtem, Fortunatas inſulas dixere: quaſi terras ſupernas, incognitas nobis, nominibus noſtris nuncupatas. Hic palàm eſt diſcrimen præmiorũ, uarietas locorum. Tartarus, carcer, ultionis & pœnarum ſedes, quibus iniuſti, uel quicunque diuina uiolaſſent, omni æuo cum ſimilibus pariterq; nefandis habitaturi dicuntur. Locus autem beatus & amœnus & purus, ut dixerat antè, puros, innocentes, ſanctos

ſanctos admittere. Quis non miretur hæc, celebrem ſemper hodiernam Philoſophiam extitiſſe? quam quidem credo uetuſtiſſimos, eoſdem & optimos plurimum tenuiſſe, diuinitus tunc reuelatam, ſed longo ſeculorum ingreſſu obſoletam. Quam cum Legatus ſummi Patris aperuiſſet, reddidit item luminoſiſſimam nullis in cœlo myſterijs relictis, quæ non in terras attuliſſet, omnes (modò uelint) ſapientiſſimos redditurus. Vos ô Philoſophi omnes conuoco, Platonicos, & Peripateticos, uidete hæc & dignoſcite à principibus ſapientiſſimiſq; Philoſophiæ ueſtræ prædicata, deſcendentia tamen ab altioribus ſeculis. Conferte nouiſſimam hanc poſt Philoſophos omnes ortam, delatamq; in terras Philoſophiam. Suſpicite conſenſum cum priſca illa, & cur conſentiant, agnoſcite. Amplectimini, exoſculamini ſapientiam horum myſteriorum perfectam, abſolutamq; magiſtram. Præclarè quoque dixit ibidem Plato, nulla quidem corporum, dignitatumq;, quas hic geſſiſſent aut opum, illuc animas portare lineamenta, ſed ea tantum, quæ uelut cicatrices animis inhæſiſſent, iniurias, fraudes, affectiones prauas, & id genus mala, ſuper quibus à iudicibus, quos Deus præfeciſſet, iudicentur. Ac quanquam iudices inducit fabuloſos, ex hominibus natos, & ab Homero ſic inductos, ueros tamen hi repreſentant, habente hac Theologia ueriora apud priſcos. Iudicari igitur animas, inquinatasq; peccatis in Tartarum præcipites agi, mitti bonas in inſulas beatas iudicari nemine pro eis rogante, uel patrocinante, nullo amico, nullo propinquo. Ad hanc uitam meditari ſe dicit Socrates, hortaturque amicos, meditentur. Ea ueriſſima ſe credere, ut quibus nihil melius, ac probabilius, tamq; ueritati conſentaneum, quantumuis ſapientes, Philoſophorumq; prudentiſſimos congregatos, nunquam meliora reperturos. Similia ſenſit, & ſcripſit in primo de Republica, cum quis inſtare diem fatalem ſenſerit, ei ſubire pauorem ac curam, ſuper his quæ nihil antè curaſſet. Nam quæ dicantur de his quæ ſunt apud inferos, qui quid in terris iniuſtè peccaſſet, illic eum pœnas dare, quæ ridere quondam ſolitt eſſent, tum uerò torqueri animo, ne uera exiſtant: ipſumq; ſiue quòd debilis cogat ſenecta, ſiue quòd uti propior ad ea trepidet, magis ea cernere, impleri ſuſpitionis & formidinis cogitantem an quenquam uiolauerit. Qui igitur in uita fraudes admiſiſſent, ueluti pueros crebrò è ſomno excitatos trepidare, reliquumq; uitæ cum mala ſpe traducere. At qui nullius ſceleris ſibi conſcius ſit, ſpe blanda, ac dulci γηροτρόφου, ſenectutis alumna, ut ait Pindarus, nutriri. Pulchrè enim eum cecinisſe:

Ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διάγαγῃ
Γλυκεῖα οἱ καρδίαν ἀγάλλουσα

Ἡ γηροτρόφος συνακολουθεῖ ἐλπίς.
Ἃ μάλιστα θνατῶν πολύτροφον γνώμαν ἀναθρῳ.

Quicunq; iustè, sanctéq; uitam traduxisset,
Dulcis ei, cor nutriens & pascens
Alumna senectæ, adsistit spes.
Quæ maximè uersatiles animos mortalium gubernat.

Has duas sortes, duplicem uitam, ciuitates duas, disparia præmia, felicitatis ac pœnarum proponit. Hæc felicitas, cuius spes alit senectam, dicitur à diuo Paulo μακαρία ἐλπὶς, beata spes. Est enim beata spes alumna senectæ, quòd ob anteactam uitam non modò supplicia non reformidamus, sed etiam magna præmia speramus. Hanc igitur omnium seculorum manantem per omnes ætates siue natura partam, exhibitamq; opinionem, siue, ut sæpius dictum est, diuinitus reuelatam, Latinus quoque Plato (sic enim iure Ciceronem appellauerim) perhibet: Numquam, inquit, maiores illi nostri cerimonias sepulchrorum tanta cura coluissent, nec uiolatas tam expiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atq; delentem, sed quandam quasi migrationem, cõmutationemq; uitæ, quæ in claris uiris ac fœminis dux in cœlum soleret esse: in cæteris, humi retineretur, & permaneret tamen. Sic Latinæ Philosophiæ princeps, uiros meritis & pietate, iustitia & sanctitate claros, ut sæpius, asseruit in cœlum tolli. Contrà qui uitam sordidam, terrestremq; egissent, humi retineri, sed & ipsos immortales. Atque maiores ait tantum sibi hac in re (nondum Philosophia reperta) persuasisse, quantum Natura admonente cognouerant. Quod igitur docuerat eos prius Natura, deinceps à Philosophis physica ratione pensitatum, assertumq;, quemadmodum Aristoteles, Plotinus, Alexander, Simplicius, alij que fatebantur. Ecce autem non Romanorum maiores modò, quos Marcus protulit, sed uetustißimi Græcorum, Musæus, & filius Orpheus, ut ait Plato, tot bona dant iustis, probisq; post uitam, ut eos ad locum beatum deducentes, & ad epulas τῶν ὁσίων, sanctorum discumbere facientes coronatos, omne deinceps tempus ebrios uiuere fateantur, arbitrati pulcherrimum uirtutis præmium ebrietatem æternam: τὸν ἀπανταχόθεν ἅπαντα χρόνον μεθύοντας, ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθόν, μέθην αἰώνιον: At uerò impios, inquit, & sceleratos, in cœnum quoddam infodiunt in inferis, coguntque aquam ferre cribro, uiuosq; tristibus cogitationibus exagitant. Hæc Plato. Ex his constat uerißima esse, quæ de Theologia maiorum prodita sunt, multa mysteria propter seculorum bonitatem eos tenuisse, de Deo multa diuinitus locutos esse, animos immortales, bonos in bonis, malos in malis, pœnisque futuros agnouisse. Videmus enim

mus enim Orpheum, Muſæum, Homerum, Heſiodum, Pindarum, aliosq; ante natos Philoſophos, uno ore hæc omnia cecinisſe. Itaq; etiam Timæus Locrenſis in calce operis ſui De mundo, impijs, legumq; contemptoribus, repoſita eſſe ad inferos ſupplicia: κόλασις ἄτε ἐκ τῶν νόμων καὶ ἃ ἐκ τῶν λόγων, σύντονα ἐπάγουσα. δείματα τε ἐπουράνια, καὶ τὰ καθ' ᾅδου, ὅτι καλάσιες ἀπαραίτητοι ἀπόκεινται ἀνοσιαίμοσι νερτέροις: Adeſt uindicta, inquit, ex legibus, ex oraculis, quæ terrores inducat cœleſtes, & ſubterraneos. Quoniam ſupplicia inexorabilia parata ſunt impijs ad inferos. Hæc cum dixerit Timæus Pythagoreus, ueriſimile fit, totam etiam ſcholam ſenſiſſe, cum primis præceptorem: Hunc autem à ſuperioribus didiciſſe, ut præceptore Pherecyde, qui & animos ſempiternos docuit, & de Dæmonibus malis multa retulit. Nec te moueat quòd & ipſe in Republica Plato, & Marcus in Tuſculanis, uolunt contemni aniles q; fabulas haberi, quæ de Cocyto, Tartaro, pœnis q; grauibus Poëtæ confinxerunt. Decernunt enim contemni oportere, ut Poëtæ ea exaggerauerant, impia quædam affigentes, Platoni minimè grata. Supplicia uerò ſceleſtorum celebrant, credunt, fatentur & ipſi.

Platonis de præmijs & ſupplicijs poſt uitam de regno Sacroſancto Beatorum, de teterrimo carcere malorum, de carnifibus infernis, ſententiæ, Quod boni bonos, mali malos adeunt. Quod hæc religio, Fides q; non fuit, niſi cœlitus antiquis reuelata. Cap. XXIII.

VBerius eadem diſſeruit in decimo de Republica. Abſoluto enim iam fermè de iuſtitia, uirtutibus que Sermone, demum de præmio earum, quæ & ab hominibus & à iuſtitiæ Dijs tribuantur, ſiue homine uiuente, ſiue cum exceſſerit, loquendum eſſe ait: ζῶντός τε ἔτι τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἐπιφοιτᾶν τελευτήσαι. Et ſubijcit, Viro iuſto, ſiue inopia, ſiue morbo, cæteriſq; quæ mala putantur circunuento, omnia ceſſura in commodum et bonum. ζῶντί τε καὶ ἀποθανόντι, uiuenti aut mortuo. Veriſimile eſſe, eiuſmodi hominem, qui ſeſe iuſtè uiuendo, ſimilem Dei reddiderit, non negligi à ſimili ſuo Deo, Hoc etiam Ariſtoteles in Moralibus imitatus eſt. Plato, ſic dicit in decimo de Republica: ἀγαθὸν δὴ ὑπὸ γε θεοῦ ποτὲ ἀμελεῖται ὃς ἂν πρόθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δὲ καὶ αὐτὸν γίγνεσθαι, καὶ ἀσκῇ τὴν ἀρετήν, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ, ὁμοιοῦσθαι θεῷ εἰκὸς γ' ἔφην ἐγώ, τοιοῦτον μὴ ἀμελεῖσθαι ὑπὸ τοῦ ὁμοίου: Neq; enim, inquit, à Dijs unquam negligitur, qui conetur iuſtus eſſe, uirtutemq; exercens, quatenus homini datum eſt, aſſimilari Deo. Veriq; ſimile eſt eiuſmodi non negligi à ſimili. Ariſtoteles autem in decimo, Qui uerò, inquit, ſecundum mentem operatur, camq; excolit, optimè affectus, hunc Dijs gratiſſimum eſſe, par eſt. Nam ſi qua cura eſt rerum humanarum à Dijs, ut uidetur, utique probabile ſit eos delectari re optima ſibi que maximè propin-

qua. Eſt autem id mens. Qui uero hanc ipſam mentem diligant, & ornent remunerari, ceu qui curent quæ ſibi grata ſunt, & rectè ac laudatè ui/uant. In his cum ſit apertè ſecutus Ariſtoteles Platonem, deducit rectiſſimè ra/tio, præmia illa, quæ iuſtitiæ propoſita dicit, iuxta Platonem ſic ſtatuiſſe, ſicut ipſe coſtituit Plato. Præmia inquam non modò uiuenti iuſto, ſed etiam defun/cto. Totuſq; ille locus Platonis in decimo, Ariſtoteli neceſſariò eſt afferendus, quo agit de præmijs æternis. Exigua enim ſunt præmia iuſtis in hac uita, in qua ferè ſunt miſerabiliores qui iuſtè uiuunt. Dicebat enim iuſtiſſimus, Si Chri/ſtus non ſurrexit, miſerabiliores ſumus cunctis hominibus. innuens, niſi præmia cœleſtia propoſita eſſent, niſi ſpes uitæ cœleſtis affulgeret, iuſtos in hoc mun/do cunctis mortalibus eſſe miſerabiliores. Quomodo igitur probi, quod Ari/ſtoteles ait, & à Dijs diliguntur, & præmijs afficiuntur? niſi uera ſint quæ & ipſe Diuus Paulus ex cœleſti ſapientia, & Plato tradiderunt, ut ſpectentur præ/mia poſt uitam. Atque ipſe Plato connumeratis bonis, quæ poſſint iuſti conſe/qui in hac uita, demum ait, ταῦτα ὀλίγῃ ἐστι πλήθει, οὐδὲ μεγέθει πρὸς ἐ/κεῖνα, ἃ τελευτήσαντα ἑκάτερον περιμένει: Hæc, inquit, nihil multitu/dine & magnitudine ſunt præ his quæ manent pios cum exceſſerint. Hæc diuina ſententia, ea ferè eſt, qua Diuus Paulus protulit, Non ſunt condignæ paſ/ſiones mundi huius ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Euidentiſsi/mè quoque Plato, de utraque ſorte, beatitudinis & pœnarum poſt uitam, ibi/dem in decimo de Republica diſſeruit, locus pulcherrimus, mirabilis, obſeruan/dus: Vt ſciamus quæ Deus noſter myſteria detulit in terras, aliquam famæ ce/lebritatem ante aduentum eius habuiſſe. Ibi eadem atque in Phædone & Gor/gia, de iudicibus nudas animas iudicantibus proponens, facit quendam ceu Pro/phetam, qui iam duodecimo die ab interitu (interfectus enim cum plurimis fuerat in prælio) cum iam ſepeliendus, rogo impoſitus eſſet, ucuuiſcentem re/tuliſſe, quæ ibi uidiſſet. Hic, multis præteritis, uidiſſe iuſtos iudicatos in dexterã & ſupernum cœli locum ire iuſtos, iniuſtos ad læuam inferius: ὡς ἐπεὶ δὲ διαδικάσαιεν τοὺς μὲν δικαίους τελεύσῃ πορεύεσθαι τῇ εἰς δεξίαν/τε ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ, & cætera. Hæc Plato. Deus autem Platonis, & noſter, Et oues, inquit, ſtatuet à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Exinde cum animas ille uidiſſet, ultro citro que ab inferis & à cœlo inter ſe commean/tes, & ſua quaſque bona uel mala referentes, alias quidem ſqualore & ſitu obſitas, è terra emergentes, cum gemitu, & luctu memoraſſe, quot in ſubter/raneo itinere mala uidiſſent, perpeſſæ que eſſent. Alias autem è cœlo deſcen/dentes amœnitates, ſpectacula que inauditæ pulchritudinis retuliſſe: τὰς μὲν ὀλυρομένας τε καὶ κλαιούσας, & cætera. Quis hic non cernat, u/nam, eandem que omnium ſeculorum ſemper fuiſſe religionem? Refert enim conſtan/

conſtanter eadem Plato, non ſibi credita ac perſuaſa modò, ſed à ſuperioribus ſeculis, à uetuſtioribus nationibus manantia, ſed ab his, qui eò delati fuiſſent, audita. Illud adeòuero mirabile, quod ait illum uidiſſe homines truces atq; igneos, aſtantes & aſpectantes quid os illud inferorum patefactum loqueretur. Atque alios priuatim captos abduxiſſe. Verum Ardiæum tyrannum, homicidam, alios que ligatis manibus & pedibus, capite que interius truſo, & excoriatos ſuper tribulis extra uiam traxiſſe, eos dilanuantes, oſtendentes que prætere untibus, quam ob cauſam ea perferrent, & quòd in Tartarum capiendi tra herentur. Ea eſſe ſupplicia: Ex diuerſo autem ſimilia præmia parata: ἐνθαῦτα δὴ ἄνδρες ἔφη ἄγριοι καὶ διάπυροι ἰδεῖν παρεῶντες, & cætera. Quis hic non uidet, agreſtes illos, igneos que uiros, non niſi Dæmones eſſe, feros, horribiles, ſceleſtorum carnifices, eos excoriantes, & uerberantes, & quod ueritas ſummo conſenſu clarius reuelauit, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores, hoc eſt, in Tartarum præcipitantes? Eadem igitur fuit illorum atque noſtrorum ſeculorum, quemadmodum multis alijs de rebus, ſic de præmijs iuſtitiæ, & ſupplicijs iniuſtorum, ſententia. De loco quoque conſtruit, de carnificibus item, miniſtris q; iuſtitiæ diuinæ, quos oraculum Chaldaicum, canes appellat ſubterraneos. En impij, flagitioſi que uinctis manibus ac pedibus, excoriati, uerberati trahuntur in Tartarum. Quid amplius eſt in Theologia? Fuit igitur eadem ſemper, præcipuè quo magis in prima ſecula reſpicias, religio: ſemper creditum eſt, bonos ſanctos q; manere maiora, quàm mundi huius bona, ubi nullus ordo præmiorum, dum nec iniquis infligitur merita pœna, ut ſæpe cæteris feliciores ambulent, nec bonis datur uera remuneratio. Eadem clarè & apertè confeſſus eſt in decimo de Legibus: Cum, inquit, anima ſe uirtute quadã diuina exornauerit, etiam locum excellentem, ſanctum commutabit, delata in meliora regna. Sed cum contraria uixerit, in contraria proficiſcetur: ὁπόταν μὲν ἀρετῇ θείᾳ προσμίξασα γίγνεται, & cætera. Hac, ait, iuſtitia eſt Deorum cœleſtium, ô fili, ac adoleſcens, qui te putas Deorum prouidentiam ſubterfugere. Nam peiores effecti ad peiores, meliores ad meliores animas tendunt. Claret igitur poſt multa ſecula miſſam diuinius Theologiam, nihil aliud fuiſſe, quàm priſcorum ſeculorum caligantis iam & & obſcuræ, quam animis hominum impreſſerat Deus, & uoce ſua in creatione, poſt in ſecuto tempore per nuncios tradiderat, ſcientiæ reuelationem. Neque enim fieri poteſt, quod poſtea cœlitus eſt apertum, quod que perfectè declaraturus uenit è cœlo in terras Deus, ante aduentum eius alia ratione celebre fuiſſe, quàm eadem ipſa quòd diuinitus eſſet traditum. Fuit certè traditio diuina omnium mortalium conſenſu confirmata.

Platonem fateri, reddituros quoſque factis de proprijs rationem, bonos cum fiducia, malos cum ſumma trepidatione. Non illic aſſore propinquorum cateruas, qui reos ante Tribunal iudicis defendant. Labores quos pij fortiter exantlaſſent in uita, meritis præmijs afficiendos. Deſcriptio patriæ cœleſtis, nominibus rerum ſenſibus expoſitarum Cap. XXIIII.

LOcupletius item perhibuit eadem in duodecimo (Huc enim uenire neceſſe eſt, ac reuolui legum latores) Sunt que aurea uerba: Quòd, inquit, uerus eſt homo (eſt quilibet noſtrum illud ipſum, eſt, dicitur anima: id que cum ſit immortale, pergit ad Deos alios) redditurus rationem, quemadmodum patria lex dicit, Bonus quidem & probus fidenter, formidoloſe uero improbus: Nullum que ei defuncto aſſore patrocinium. Oportuerat enim cum uiueret, omnes propinquos opitulari, ut ſanctiſſimè ac iuſtiſſimè uitæ curſu exacto, defunctus nullas lueret pœnas, quæ poſt uitam impendent, ob facinora admiſſa. Ob quam cauſam conandum eſt ne domum corrumpas, coinquines, cogitans non hunc eſſe hominem, qui ſepelitur ueri hominis imago, Sed illum qui exceſſit filius aut frater, aut quiuis alius, cuius nunc deſiderio teneris, qui ſortem ſuam expleuerit. τὸν ὄντα, ἡμῶν ἕκαστον ὄντος ἀθάνατον εἶναι, ψυχὴν ἐπονομαζόμενον παρὰ θεοὺς ἄλλους ἀπιέναι σώσοντα λόγον, & cætera. Eſſe inquit, quemlibet noſtrum immortalem, uocatum animam: hunc que ad Deos alios proficiſcentem, redditurum rationem, patria lex, rationem inquam tremendam, horribilem, formidabilem ſcelerato: probo autem rationem placidam, cum fiducia, fidenter, intrepidè. Stabunt enim, ut ait oraculum, iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. De ſceleſtis autem, Videntes turbabuntur timore horribili: & præanguſtia ſpiritus gementes. Ecce igitur ſummo conſenſu prædictum fuerat à Platone (eſt enim naturæ uox, eſt impetus excitus è pectore, eſt per omnia tempora lex famigerata Dei) quod à noſtro diuino Theologo: Reſurgent cum corporibus ſuis, reddituri quique de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam: qui uero mala, in ignem æternum. Non ne audis ſimilia Platonem dicentem? Malos reddituros rationem formidabilem, tremendam, horribilem, bonos cum magna fiducia, θαῤῥαλέον, conſtanter, intrepidè, nullo diuerberante ſcelere conſcientiam. Quocirca debent, inquit, propinqui, affines que monere ſuos, ut rectè uiuant, hoc que eis nunc præſtare patrocinium, quod nullum illic poterunt afferre. Nec ante tribunal aderit propinquorum, domeſticorum que caterua, qui te tueantur, iudicem exorantes, qui tibi ignoſcat. Hæc ipſa, præcipuè de beatitudine eorum, qui iuſtè uixiſſent, confirmauit maximè in Epinomide ubi dicit fieri quidem non poſſe, ut homines, præter omnino paucos, in uita ſint beati ac fortunati, καλὸν δὲ ἐλπὶς

τυχεῖν

τυχεῖν ἁπάντων, & cætera. Bona uerò ſpes eſt, defunctos conſequi ea omnia, quorum cauſa quis promptè pro uirili ſe iuſtiſſimè in uita geſſit, & defunctum ſimilem finem indipiſci. Hæc uera præmia, hæc illa beata ſpes, ob hæc ſummis uiribus conandum, ut rectè uiuamus. omnibus hominibus uel ex oraculis, uel rationis bonitate perſuaſum ſemper fuit, eſſe magna bona reposita bonis, magna malis mala, cunctas humanas actiones ad aliam quàm præſentem uitam, referri oportere. Hic ſiue bonis malè, ſiue malis bene uidetur, haud magnopere mirandum. Non is locus eſt, ubi uirtus præmijs ſuis coronetur, aut pro merito ſcelus expietur. Hæc ipſa diſſeruit in eo qui dicitur Axiochus, ſiue Platonis ſit, ſiue alicuius eius tempeſtatis Philoſophi. Ibi primũ illud mirabile, quòd cum probitatem, pietatem tanta bona conſequentur, agnoſcit, fatetur afflatum, gratiam que Dei eſſe, rectè uiuere, ut triumphes. Proficiſcuntur, ait, animæ in locum ferreis clauſtris, clauibuſq; munitũ. Hæc pateſacta ferunt ſtatim ad flumen Acherontem. Exin tranandus eſt Cocytus. Huc animæ profectæ ad iudices aguntur. Vocatur que is locus, Campus ueritatis. Hic ſedentes, diſquirunt quam quiſque uitam uixerit, quo ſtudio, uel inſtituto, in corpore uſus fuerit. Mentiri que non datur: ὅσοις μὴ οὖν ἐν τῷ ζῆν δαίμων ἀγαθὸς ἐπῳκοδόμησεν, εἰς τὸν τῶν ἐυσεβῶν χῶρον οἰκίζονται: Quibus igitur in uita Dæmon bonus aſpiraſſet, hi in terris piorum collocantur. Quaſi in regione uiuorum, in terra uiuentium. Is enim eſt, χῶρος εὐσεβῶν. Vbi, inquit, affatim uelut in Paradiſo nullum tempus anni non exuberat omnigenis fructibus. Hic liquidi fontes, hic florum uarietate uernantia prata, congreſſus Philoſophorum, theatra poëtarum, chori in circunſtantes & dulcè canentes, iucunda cnouiuia, epulæ que ſua ſponte offerentes, ἀκήρατος ἁλυπία, indeficiens alacritas, uita ſuauis: quippe nec uehemens, hyems, nec æſtus adeſt, ſed ſalubre temperatum que cœlum ſpargitur, placidis Solis radijs illuſtre. Hic initiatis eſt certus honos, illic ſancta myſteria, celebrantibus. Plura que id genus perſequitur. Ex aduerſo autem, At qui, inquit, uitam egiſſent ſcelerate, aguntur ab Erinnybus, ἐπ' ἔρεβος καὶ χάος διὰ ταρτάρου, per mediũ Tartarum, in Erebum, & Chaos. Vbi locus impiorum, inexplebiles urnæ, ſitis Tantali, & uiſcera Tityi, & ſaxum Siſyphi, quod nunquam ſiſtitur in cacumine, finituſq; labor, denuo renouatur. Similia cecinerat ante Platonem Sibylla de campis cœleſtibus,

Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινόν, ἁγνιάοντες.
Ζωὴν κληρονομῆσι, χὠν αἰῶν & χρόνου αὐτοί
Οἰκοῦντες πρᾴοισιν ὁμῶς ἐερὴν ἀλέα κῆπον.
Aeternum quicunq; Deum uerumq; colebant,
Accipient uitam, læti ſine fine beato,

Viuent

Viuent in Paradiſo & lætis floribus horto.

À ſeris igitur improbos in inferis dilaniari, ignitiſq; pœnarum facibus concremari καὶ λαμπάσι ἐπιμόνως πυρούμενοι ποινῶν, omnibus flagellis uerberari, ἀϊδίλιαστιμωρίαις τεύχονται, pœnis ſempiternis cruciari. Hæc ibi. Videſq; totam Gehennæ deſcriptionem. Vides ignem æternum, pœnas æternas, ſtridorem dentium, tenebras exteriores, ſulphur et ignem, quæ parata ſunt Diabolo & Angelis eius. Vides Erinnyas, rapientes ad pœnas impios, illos ſcilicet miniſtros, quibus præcepit Deus, ligatis manibus & pedibus proijcere malum, ſordidum, in tenebras exteriores, Tartarum, Chaos, Erebum. Hæc igitur par eſt, antiquos tum quadam ſeculorum continuata Philoſophia didiciſſe, tum diuinis illis oraculis, quæ creberrima quondam Sibyllæ fundebant. Nam de locis beatis, ut uiſum, ſimilia prodiderat Sibylla.

Deſcriptio regionis beatæ, Platonis, diuiq; Ioannis. Vt pulchritudo nemuſtasq; terreſtris, exprimit eis pulchritudinem cœleſtem. Cap. XXV.

MAGNAM mouet admirationem, ut in Phædone patriam cœleſtem, eiſdem nominibus, eodem'que ſermone, rerum'que tralatione deſcripſerit Plato, quibus deſcribitur in ſacris literis. Vt appareat ueritatem Theologiæ ſupremæ, eò mirandam eſſe, quòd olim priſci ſiue per oracula, ſiue indagatione Naturæ uiſam & auditam ſuſpexerunt, mirificisq; laudibus uexerunt, ratione ac ſapientia duce ad id delati, quod poſtea refulſit è cœlo. Igitur diuus Ioannes deſcribens terram cœleſtem dixit, oſtenſam ſibi urbem magnam, ſanctam. Ea de cœlo uidebatur à Deo deſcendere diuina claritate inſignis. Similis lapidi pretioſiſſimo Iaſpidi Cryſtalli puritatem referenti. Mœnibus excelſis, & magnis, portis duodecim, Angelis'que his inſidentibus, Duodecim tribuum Iſrael nominibus inſcriptis. Tribus ab Ortu, totidem à Septentrione, & à Meridie, atque ab occaſu. Duodecim fundamenta ſubſtrata mœnibus, nominibus duodecim Apoſtolorum inſignia. Vrbem in quadra, æqua altitudine, atque latitudine, Longitudine duodecim millibus ſtadiorum. Mœnia centum quadraginta quatuor brachijs ſurgentia. Structura mœnium ex Iaſpide, tota urbs ex auro puro, ceu uitro pellucenti. Ipſa mœniũ fundamenta omni genere gemmarum exornata. Primum fundamentum ex Iaſpide, ſecundum Sapphiro, tertium Calcidone, quartum Smaragdo, quintum Sardonyce, ſextum Sardio, ſeptimum Chryſolitho, octauum Beryllo, nonum Topazio, decimum Chryſopaſſo, undecimum Hyacintho, duodecimum Amethyſto, Duodecim portas, ſingulas duodecim Margaritas eſſe, plateam urbis aurum purum ceu uitrum. In ea Deum omnipotentem ceu Solem, nullo Solis illic, aut Lunæ lumine radiante, immenſa claritate refulgere. Hac luce ſeruatas incedere gentes. Nunquam

portas

portas claudi. Noctem nunquam non inhorreſcere. Exulare inde ſcelus omne. Arceri qui non ſint ſcripti in libro uitæ. Fluuiũ aquæ puræ decurrere, hinc atq; hinc pro ripis, arbores uitæ floreſcere, ſingulis menſibus frugiferas. Hæc et id genus plurima diuus Ioannes, amœnitate et claritate rerum terreſtrium, ad cœleſtes tralata. Similia igitur neſcio qua diuinitate, quo conſenſu animorũ deſcripſit in Phædone Plato: Eſſe primũ terram illam ſupernam, ſi quis eam ſuſpiciat, uelut orbem uariũ coloribus, quorũ terreſtres colores ſint quædam quaſi exempla. Omnem illam terram ex his eſſe. Purpureã alibi et admirandæ uenuſtatis, alibi χρυσοειδεῖ, aureã, uel candentẽ, gypſo, niueq; candidiorem. Aliosq; illic affulgere colores, plures longe, uenuſtioresq; quàm noſtrates. Noſtrates enim æris et aquæ plenos, quandã coloris ſpeciem exhibere, in aliorum colorũ uarietate renidentes: Hîc ſimilibus coloribus cuncta exiſtere: arbores, fructus, flores, montesq;, lapides præterea perſpicuitate, & colore, quàm noſtrates pulchriores. Quorũ ſint quædam fruſtilla & particulæ hi lapilli, qui ſunt apud nos in pretio, Sardij, Iaſpides, Smaragdi, & id genus. Illic nihil eſſe quod non ſit eiuſmodi, pluráq; alia Plato. Demũ illic templa Deorũ eſſe, quorũ ſint ueri habitatores Dij, oracula quoq;, alloquiáq; Deorũ, ſpectari ab eis Solem, Lunam, aſtráq;, qua natura ſint, nullamq; aliam deeſſe felicitatem. His Plato deſcribit patriam cœleſtem, tralatis, ut dixi, nominibus rerum mortaliũ, ad pulchritudinẽ cœleſtium, quarũ inæſtimabile, arcanumq; decus, uenuſtate rerum terreſtrium facilius intelligatur. Hac ratione ſæpe dicitur in noſtris literis, Fulgebunt iuſti, ſicut Sol, in conſpectu Dei. Florebunt ſicut liliũ in ciuitate Domini. Sanctorũ uelut aquilæ iuuentus renouabitur. Illa incomprehenſibilia, & ſolis nota piis gaudia, corporearũ rerum, oculisq; apparentium omnigena uarietate, & pulchritudine, ut poſſunt, repræſentantur. Principio gemmæ pretioſæ, radiantes, coloriq; uarietate delectantes. Aurum quoq; & argentum puriſſimũ. præterea Cryſtallus ſumitur. Ex his igitur ſurgere muros, ſtrata eſſe pauimenta. Nihil non aureũ, non pretioſum ea uenuſtate, et uarietate, quam quis unquã uel in Iride uel angulari Cryſtallo oculis obiecta conſpexit. Illic odores, florũ uarietas inſignis, prata uirentia, perſpicui fontes, flumen hinc atq; hinc arboribus incognitis nobis, ut cum ab oriente, noua quædã genera ad occidentales apportantur, efflores cens, Vt Ioannes apoſuit in deſcriptione flumen aquæ uiuæ. Xenochus æquè fontes liquidos, Plato longius progreſſus, inſulas, mare, ſed omnia, noſtris diſſimilia. Eſt crebrũ in ſacris literis, aërem amœniſſimũ, ac uarium illic nuteſcere, qualis, ut dixi, efficitur in Cryſtallo. Hunc ſæpe mira ſpectacula, aut numinis aduentũ conſpicati Prophetæ, reſeruntſe uidiſſe. Plato pro eo eo, lumen purpureũ, ætherium per regionem beatam diffuſum à Cœlicolis hauriri. Adiecit Ioannes, quod addere Plato non potuit, ſed quaſi tamen ſomniauit: Solem, Lunamq; & ſidera nulla illic eſſe, ſed hæc ipſa uideri à diuis illis inferius uertentia. Nã ſub pedibus diui labentia ſidera cernunt. At pro Sole, Luna, luce qua uiuitur in terris, Ioannes retulit illic radiare longè melio-

rem

rem, gratioremq; lucem, inauditæ, ineffabilis lætitiæ. Qualem ex parte se se Deus ostendit in monte, quando facies eius ut Sol resplenduit, uestimenta ut nix candue/runt, imò magis quàm hæc ipsa (Neq; enim habuit, quo claritatem illã incompre/hensibilem redderet notiorem.) Ea uisa dixerunt dulce illic esse. Cernitur hæc cla/ritas in cœlo, qualisq; uideri Cœlicolis & quanta solet. Is est eorum Sol, hoc uidi/tur astro, Solemq; suum sua sidera norunt. Diui & ipsi sidera lucentia, semper Solem suum noscunt, cernunt, contemplantur, inde beati, fortunati. Hæc eorum cla/ritas æterna. Hoc Plato non meminit. Neq; enim eò usque cogitando ascendere potuit. Tam igitur superius Axiochus, quàm nunc Plato, ante Christi aduentum, ex prisca Theologia, ex oraculis, famaq; succedente, nobiscum de beatitudine sem/piterna, loco, ratione, mirabiliter congruit,

De pœnis ad inferos, ex Plutarcho. De Dæmonibus carnificibus. De præmiis æternis. Hanc Theologiam esse priscam. Cap. XXVI.

EST quoq; admiratione dignum, & sapientißimus quisque cogetur admirari, quæ Plutarchus similiter de pœnis malorum ac scelestorum, de gaudijs, felicateq; bo norum, post exactum uitæ curriculum scripsit, mirè cum nostris congruentia, com probatis scilicet his quæ prior Plato scripsisset. Vt hinc sit clarum, semper unum Deum, unamq; eius scientiam apud sapientiores fuisse. Hanc ipsam scilicet, quam nunc claram cuncti mortales uenerantur, tunc obscuram, incertam, apud anti/quißimos quidem puriorem, postea temporum iniuria, tanquam marinum Glau/cum, sordibus & fabulis obsessam, sed suæ bonitati redditam, cum lux cœlestis ni/tuit in terris. Ac primũ Plutarchus ait, eandem esse de diuina prouidentia, atque immortalitate animorum sententiam, nec alterum posse relinqui, altero sublato: immortalitatem autem animorum consequi præmia & supplicia: una ratione se inuicem tribus hisce trahentibus. Est, ait, prouidentia, idq; ueris apparet exemplis. Hæc docet animos immortales. Hos post mortem remanentes manere uel coronas, uel supplicia. Ea enim est ratio cur prouidentia inducat immortalitatem animo/rum, ne uel probitas contempta iaceat (contemnitur autem in hac uita) uel impro bitas triumphet impunis: ἀλλὰ ἂς μὲν ἐπὶ καθ' ἑαυτὴν ἅπασα κομίζεται τῶν προβεβιωμένων χάριτος ἢ τίνας κολάσεις, δῆλον ἐστι πρὸς ἡμᾶς τοὺς ζῶν τας, ἀλλ' ἀπιστοῦνται, ἢ λανθάνουσι. Et quoniam non uidentur, minus que cre duntur, non defuisse diuinam prouidentiam, quæ præstaret nonnullis, non tam è no stris, quàm suis, ut per speciem oblata indicarent. Itaque Platonis exemplum se/cutus Plutarchus, ut ille quendam induxit, qui cæsus in bello, quatriduanus reuixis/set, referre, eo temporis interuallo uisa prodigia: sic refert Plutarchus, fuisse quen/dam Thespium, qui cum primum uitæ suæ cursum omni libidine, intemperantiaq; exegisset, amisso, breui, patrimonio, iam necessitate compellente, scelestè uixerit, auiditate summa prosequens, quas eum pœniteret amisisse diuitias, simile quid in/temperantibus passus, qui cum habeant uxores, non custodiunt, his amißis, alienas

corrumpere

corrumpere nitantur. Itaque cum à nullo dedecore, quod uel uoluptatem uel lucrum promitteret, abstineret, facultatem quidem non multã, sed opinionem improbitatis breue ad tempus magnam sibi conciliasse, præcipue que eum infamem reddidisse oraculum editum ex Amphilocho. Nam cum misisset sciscituros an melius secum inſequenti tempore agendum esset, respondisse ferunt, Tum cum eo melius agendum, cum mortuus. Itaque paulo pòſt, id nescio quopacto expletum esse. Nam è loco edito in collum delapsum, ex percussione tantum, nullo uulnere accepto obiisse. Sed è sepulchro tertianum reuixisse: καὶ τριταῖος ἤδη περὶ τὰς ταφὰς αὐτὰς ἀνήνεγκε. Vbi se celeriter corroborasset ac collegisset, incredibilem quandam uitæ mutationem fecisse. Neq; enim in commercijs quenquam iustiorem, neq; sanctiorem erga Deum, neq; inimicis infestiorem, amicis constantiorem eius temporis quenquam Cilices nouisse. Itaq; promouisse multos, ut causam tantæ uarietatis efflagitarent. Neq; enim putabant, id quod uerum, et ut ipse retulit amicis, cum primis Protogeni, temerè morum hanc uarietatem accidisse. Itaq; cum mens è corpore auolasset, quale si quis gubernator è naui in profundum lapsus, sic eum se ex mutatione habuisse. Exinde paulum eleuatum uisum sibi respirasse totũ, & circunspexisse, uelut ex uno aliquo corpore, patefacta anima. Principio nihil solitũ uidisse sed sidera ingentia, plurimũq; ab inuicem distantia, splendorem immensum et colorem mirabilem fundentia, solidum præterea ut animam inuectam luce, tanquam in tranquillo passim & celeriter differret. Multisq; spectaculis prætermissis narrasse animas defunctorũ ab imo ascendentes facere bullã luminosam. Sed alijs pleriſq; silentio præteritis, est primũ in hac omni descriptione, quòd Adrastia filia Necessitatis & Iouis super omnib. sceleribus ultrix altissimè constituta est. Et quòd nemo scelératus, siue magnus, siue paruus, fuit unquã, qui uel clàm, aut per uim ausugisset. Varia autem ei seruire supplicia, quæ custos è tribus est, et administra: Alios leniter pro culparũ ratione subijciens pœnis. Quorũ autem scelere maiore medicina sit opus, τούτοις λίπτυ μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, Hos tradere Dæmonẽ pœnis post mortẽ. Qui autẽ sint prorsus immedicabiles, à iustitia reiectos tertiã Adrastiæ seueriſs. ministrã Erinnyn accurentem ad eos uagantes, passimq; diffugientes, miserabiliter, acerbeq; omnes ἀφανίσαι, & κατεδύσαι εἰς τὸ ἄῤῥητον καὶ ἀόρατον, Sublatos è medio, in nefandũ, inuisibilẽq; locũ intrusisse. Reliquæ inquit pœnæ in uita, similes sunt pœnis Barbarorũ. Vt enim apud Persas, ueſtes eorũ qui plectũtur, & tiaras uellicant et cædunt, hi uerò cũ lachrymis orãt absistant: sic plagã uel in corpore uel facultatib. non esse uehemẽtẽ. Quicũq; autẽ effrænatus et impurus illuc peruenerit, hunc iustitia nudũ mergere & abscondere, in theatro omniũ, nihil illo abscondente. Ostenditurq; bonis parentib. si fuerint, execrabilis, & indignus. Quod si ipsi quoq; scelesti fuissent, eos uidens in tormentis, & uisus ipse, purgatur, detractis uitijs, ex diuturnis dolorib. et pœnis, qui tanto superãt magnitudine et acerbitate dolores corporis et in carne, quanto clariora sunt quæ uigiliam

liam, his quæ per insomnii cernuntur. Parte alia describit Plutarchus Paradisum, unde aura mollis aspiret, et placita odorataq; De supplicijs autem hoc ad alia congruit cum nostris, illic esse stagna, καὶ τινὰς ἐφεστάναι δαίμονας, et Dæmonas quosdam astare, uelut fabros ærarios, instrumentis, machinisq; attrahentes, immergentesq; animas, quas insatiabilis auaritia, in scelera præcipites egisset. In his igitur omnibus, (neq; enim cuncta referre laboro) etsi Plutarchus quædā fabulosius, Poëtarumq; more retulerit, summa tamen hæc est, esse pietati, probitati, iustitiæ, sic uiliter improbitati sua præmia. Nullū fore scelus in occulto, in theatro totius mundi latitantes hypocriseis aperiendas. Esse supplicia animorū corporeis incomparabiliter acerbiora. Videri incredibilia, uel quæ de pœnis, uel præmijs passim prædicentur, quòd absconsa sint, et oculorū obtutum fugientia. Dæmonas esse supplicijs præfectos, quos alio nomine Erinnyes, iustitiæ diuinæ ministras, irremediabiliter, malos cruciantes in tenebris æternis è medio sublatos, iure uocatas ἀόρατον, ἄξεστον, quòd,

–Tantum, tendit q; sub auras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus olympum.

Profundissimum, nefandum, teterrimumq; carcerem, miserorum luctibus æternis reboantem. Instare Dæmones animis cruciandis. His constat, paucis demptis, eandem prisci temporis esse, atq; nostrorum seculorum Theologiam: ut tunc obscuriorem, sic postea in omnium pectoribus, allata de cœlo manifesta luce, refulgentem, si quid erroris mistum ferebatur, postea repurgato. Cætera quæ de purgatione sensit prior Plato, & nunc Plutarchus, ut animi à uitijs contractis expientur, ad melioremq; habitum purgati reuertantur, & de genere pœnarum, paucis demptis, congruunt cum nostris.

Ex uetustissimis Poëtis, de pœnis & præmijs bonorum ac malorum. Philosophorum ac Poëtarum autore Plutarcho esse testimonium, manere bonos maxima præmia post uitæ cursum. Cap. XXVII.

Si quis uniuersæ Philosophiæ campos ingressus, in eam omnem oculos conuertat, facile noscet, hac ratione ab exordio generis humani, secula decurrisse, quòd paucis ab hinc annis clarè, perspicueq;, & celebriter creato mundo (cuius rei nemo priscis illis seculis dubius esset, & creatorem eius uniuersis agnoscentibus ac fatentibus, multaq; de bonitate eius ac prouidentia, de præmijs item ex amore & cultu eius, aut supplicijs ex contemptu consequētibus, unanimiter prædicantibus) omnem hanc prædicationem, per omnes ætates, hominibus se diffundentibus, descendisse, sed paulatim exoletam, partim celebritatem illam, claritatemq; amisisse, partim quæ remansisset, commentis humanis contaminatam, non eandem apparuisse, semper tamen hoc meliorem, quo uetustiorem, & ab antiquitate minus disiunctam. Haud igitur mirum, si tam multos ex priscis illis de præmijs probitatis ac iustitiæ, uel ratione persuasos, uel successione doctrinæ, crebrisq; Deorum uocibus & conspectu admonitos, inuenias cecinisse. Ecce enim Pindarus longè ante

Christi

Christi aduentum, quemadmodum superiores, per tralationem rerum amœnissimarum, quas & in nostris literis reperias, describit præmia iustorum. Quale enim Iohannes dicit, se uidisse beatos, palmas gerentes, laureatos, triumphantes: simile Pindarus de his ipsis:

Τοῖσι λάμπει μὲν μάλα ἠέλιος
Τὰν ἡμέραν νύκτα κάτω,
Φοινικοστόλαιτες λειμῶνες εἰσὶ πρόσθεν αὐτῶν,
Καὶ λιβάνῳ σκιερᾶς, καὶ χρυσοκάρποισι βέβριθε.
Καί τοι μὲν ἵπποις, γυμνασίοις, τοὶ δὲ πεσσοῖς,
Τοὶ δὲ φορμίγγεσσι τέρπονται.
Παρὰ δὲ σφίσιν ὄλβος ἅπας τέθηλεν ὀλεθρ.
Ὀδμὰ δ' ἐρατῶν ἡδὺ χῶρον κίδναται ἀεὶ
Θύμματα μιγνύντων πυρὶ τυλεφανῆ
Παντοία, θεῶν ἐπὶ βώμοις.

His nitor ingens Solis, noctem dissipat atram.
Eorum suburbana prata sunt uirentia.
Fructibus aureis, & thure prægrauantur arbores.
Partim equis & palæstra, partim ludunt calculis,
Partim oblectantur & testudine.
Eis semper odorata uirescit felicitas.
Odor gratus & amatus, tota terra spargitur.
Super altaribus diuûm redolet omnis suauitas.

Hæc Pindarus. Ego non reddidi numeros. His odoris, uiroris, cantus, alacritatis, tripudiorum tralationibus, describitur beatitudo cœlestis. Sic & ipse manifestus felicitatis autor & præco: Amplius non bibam de genimine hoc uitis, nisi cum bibam illud in regno Patris mei. En potus & uinum. Similiter apud Ioannem in ripa fluminis Paradisiaci arbor uitæ ferens fructus singulo mense. Neq; enim possumus sensus erudire nostros, nisi rebus manifestis. Erat igitur constans priscis illis, insitáq; fides de præmijs, iustitiæ paratis. Itaq; Plutarchus hoc indicans: εἰσὶ δὲ ὁ τῶν παλαιῶν τε ποιητῶν & φιλοσόφων λόγος ἐσὶν ἀληθὴς, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, οὕτω & τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἐσί τις τιμὴ & προεδρία καθάπερ λέγεται, & χῶρός τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ ὅσιαι ψυχαί: Si uera sunt, inquit, ut par est, quæ prisci Poëtæ et Philosophi prodiderunt, pios quà decessissent, honoribus affici, quemadmodũ fertur, essèq; eis locum repostum, in quo eorum animi morabuntur. Hæc ait Plutarchus, sequens, ut ubiq; solet, superiores Philosophos. Ex aduerso autem, de supplicijs similia atq; nostri perhibet, in eo quẽ De facie quæ uisitur in Luna, ex anterioribus Philosophis audita: πᾶσιν ψυχὴν, ἄντε & σὺν νῷ σώματος ἐκπεσοῦσαν, εἱμαρμένον ἐσὶν τῷ μετὰ

ξὺ γῆς ☾ σελήνης χωρίῳ πλανηθῆναι, χρόνου δὲ ἴσου: Omnem, inquit, animam, siue dementem, siue cum mente, ubi è corpore lapsa esset, fato decretum est, errare in loco, qui est inter Lunam ac terram. non æquali tempore: sed iniustè, immoderatéq; scelerum pœnas persoluunt: bonas autem oportet in amœnissimo aëris esse loco, quem inferorum prata dicunt, certo tempore, quoad expiatæ corpore, quod omnis mali causa fuit, exin in patriam uelut postliminio reportatæ gaudijs perfruantur. In his Plutarchus, ut uides, criminum expiationem ubi discessum est à corpore, fatetur. Variam perhibet expiationem, quòd impuræ pendunt pœnas infra cœlum, procul à loco, patriáq; beata. Puriores autem expiantur & ipsæ, sed lenius, tranquillius, in aëre, donec admissæ in patriam, æternis gaudijs perfruantur. Habes igitur apud eos omnia, quæ libris nostris celebrantur, de triplici sorte: aut eorum qui penitus adeunt regna beata, nusquam remorati: aut qui subitò rapiuntur ad supplicia: uel quibus purgantur peccata, quibus expiatis, uelut in patriam reuocentur. Purgatorium esse infra Lunam & terram, quacunque nobis incognita ratione, modò summus iudex decreuerit, in loco quidem non sancto, sacro, beato, sed medio. Quanquam non desunt negantes mediam sortem. Gaudium quoque uides apud eos, gaudium inquam arcanum, ineffabile, quod gustant beati, expiati. Vides item patriam: uides hunc mundum exilium esse, & errorem. Errare, uagari animos, donec in cœlum reuocentur. Item Plutarchus de supplicijs improborũ apertius scribit eodem libro: Extra, inquit, mare Caspium, & eos qui circa mare rubrum adhabitant, sunt profunda, Lunæ concaua. Quarum maximam uocant spelunçam Hecates, ubi pœnas dant animæ, eorum quæ iam uel perpessæ essent, uel fecissent. Hæc etsi fabulosius de Lunæ concauitatibus à Plutarcho dicuntur, summa tamen est, in profundo recessu animas pœnas malè gestarum rerum dare. Ex his autem uel arguendus, uel certè deridendus Plutarchus cum eo quem inscripsit. Quomodo deceat adolescentem audire poëmata, uult de fluminibus inferorum, & pœnis, Poëtas fabulosius cecinisse. Vel igitur sibi contradixit, uel sensit, uera quidem esse supplicia, sed addidisse Poetas quædam fabulosius, ob quæ ei iecti sint è republica Platonis. Testatur igitur Plutarchus, Homerum, Pindarum, Sophoclem, uates priscos, de pœnis, fœdáq; inferorum habitatione cecinisse: ἔνθεν τὸν ἄπειρον, ἐρεύγονται σκότος, βλυχροὶ δυοφερὰς νυκτὸς ποταμοί. Hinc eructant sub immensis tenebris horrendæ noctis rapida flumina. Et Pindarus tenebras illas canit, quæ dicuntur à Deo, Tenebræ exteriores, in quas, manibus & pedibus ligatis, iubetur impurus, contaminatusq; proijci. Sic Sophocles uates priscus, Platone uetustior, & damnationem miserorũ, & uitam beatorum egregiè prædicauit: τρισόλβιοι ἐκεῖνοι βροτῶν, οἱ ταῦτα δ' ἐρχθέντες τέλη, μολῶσ' ἐς ᾅδου, τοῖς γὰρ μόνοις ἐκεῖ ζῆν ἐστι, τοῖς δ' ἄλλοις πάντα ἐκεῖ κακά: Terq; quaterq; mortales illi beati, qui uitæ metas has et fines contemplati tendunt ad inferos. His enim solis illic uiuere datum. Alijs sunt illic cuncta mala, Hæc

Theolo

Theologia uetuſta naturæ uox, teſtimonijs cœleſtib. poſtea confirmata. Vides eum ter beatos, nimirum beatiſſimos prædicantem, qui uitæ fines reſpexerunt, qui duplices uitæ metas illas, uiuentes ante oculos habuerunt, quarum altera ducit ad bona, altera ad ſumma mala. Beati, ſapientes prædicantur, qui uiuentes ad hæc acres acies intenderunt, hìc defixos oculos habuerunt. hìc inenarrabiliter, innumeris uocib. prædicantur in ſacris literis beati, qui timent Dominũ, qui diligũt iuſtitiam, qui ſpernunt impias & inconceſſas uoluptates, qui finem uitæ ſæpius reſpectant: prædicantur enim propter magna præmia, magnas illas & incomparabiles ſempiternasq; delicias. Quia declaraberis Deus, in immortalitatis & diuinitatis gradu locaberis, tenebris horrendis euitatis.

Teſtimonium Plutarchi, Iamblichi, Marci Tullij, Pythagoræ, de præmijs ac ſupplicijs poſt uitam. Cap. XXVIII.

SImilia prodidit Plutarchus de ſupplicijs, in eo, quo ſcripſit an rectè dictum ſit, Viuendo latita, à priſcis Theologis ac Philoſophis mutuans, Eſſe tertiam uiam eorum qui impiè, legumq; præuaricatores uixiſſent, quæ tradat animas εἰς ἔρεβός τι καὶ βάραθρον, in uoraginẽ quandam, teterrimũq; barathrum, ubi ſonantia noctis horrendæ flumina rapiant & auferant è medio celandos obliuione ſempiterna pœnis addictos κολαζομένους. Neq; enim eſſe uultures ad inferos qui fibras ſemper renaſcentes iecurq; iam uel roſtris illis uel tabo conſumptũ depaſcantur. Neq; ſaxa quoq; & pondera ceruicib. miſerorũ ſemper impendentia, quorum iam corpora et neruos, brachiaq; labor et tempus abſumpſiſſet, ſed unum uerum ſupplicium malorum, quod funditus è medio tolluntur, nullis amplius eos actos præcipites in flumen obliuionis æternæ, uiſuris, in abyſſum pelagusq; profundũ hauſtos, uitæ omnis motus, lucis expertes. Vera igitur definitio Plutarchi, de ſupplicijs æternis, quòd longius à Deorũ regnis ſceleratiſummouẽtur, in tenebroſũ, profundiſſimũ, longiſſ. à luce et uita, omniq; actione carcerẽ trudũtur, meritò uocatũ ἀΐδιον, ἀόρατον, infandũ, iuiſibile. Has ſeruator tenebras exteriores appellat. Has arbitratur pœnas Plutarch. quòd luce et cõmercio bonorũ, beatiſſimaq; actione uitæ priuãtur. Nemo eos ãplius aſpiciet obſcuros, ignotos. At Iãblichus qui uitã dogmataq; priſcorũ Pythagoreorũ diligenter accurateq; perſcripſit, decerpent ex omnib. illis. Mors, ait, nõ modò nõ eſt extimeſcenda, pio ſed multò magis etiã optanda. Aut enim pereunte anima cum corpore, fit omniũ malorum reſolutio: aut ea remanente poſt diſceſſũ reſoluto corpore continget uita beatior, ſed quoniã eſt hoc poſtremũ (claret enim animã eſſe immortalẽ) certè nulla eſt alia uia certa ſalutis, quàm ut optimã, prudentiſſimãq; uitã agamus. Nihil enim fert ſecũ anima tendẽs ad alterã uitam, quàm probitatem, uel improbitatem, quæ plurimũ prodeſſe, aut obeſſe defuncto noſcuntur. Atq; anima quidẽ melior μετὰ θεῷ οἰκεῖ, cũ Deo habitat, per cœli regiones beatas inuecta. Quæ uerò ſeſe factis impijs cõtaminauit, impietate, impuritateq; ſordeſcẽs, proficiſcitur ad iudicia ſubterranea, meritis pœnis deputãda. Ob quã cauſã co-

nandum est in hac uita, dum licet, & datur, uirtutem ac sapientiam indispici. καλὸν γὰρ τὸ ἄθλον, καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη: Pulchrum enim est præmiũ, & spes ingens. Audendumq; ei, qui in hac uita moratur, ut omnes uoluptates corporeasq; ornamenta, tanquam aliena à sese abijciat, non alieno, sed suo cultu animum uestiens, sapientia, & iustitia, reliquisúe uirtutibus: Sicq; expectet profectionem ad alteram uitam, uelut abiturus, cum uoluerit fatum. Quod cum ita sit, non magnis pecuniarum aceruandarum curis æstuandum, non gloriæ, non ambitionis: sed prudentiæ, ueritatis & animi, ut sit quàm optimus, studium capessendum. Neq; enim fas est, quæ uili æstimari debuissent, plurimi facere: neq; rursum, quæ magno in pretio decuisset haberi, nihili pendere. Non corporum igitur, & opum, sed animi. Non enim ex opibus uirtus, sed ex uirtute opes. Viro igitur pio neq; uiuo, neq; mortuo, mali quicquam euenire potest. Nec uiuus, uel mortuus à Deo negligitur. Hæc Iamblichus ex Platone, ut dixi, decerpta. Idem immemores sui, diuinarumq; rerum obliuiosos, omniaq; stultè credentes ait à priscis designatos, fœminis urnas ad inferos gestantibus. Quidam, inquit, eruditus, animum stultorum urnam dicebat esse, propter credulitatem, tum propter insatiabiles cupiditates: τὸν δὲ κόσκινον ὡς ἔφη τις πρός με λέγων τὸν ψυχὸν ἔλεγε τὸν δὲ ψυχὸν κοσκίνῳ ἀπεικάσαι τῶν ἀνοήτων ὡς τετρημένην, ἅτε δὲ συνακμένην εἰς ἡδονὰς καὶ ἐπιθυμίαν. Diuinè quoq; refert idem Iamblichus, Pythagoram de pœnis inferorum non secus atq; in uera religione habetur, statuisse, admonuisseq; potius omnem contumeliam perferendam quàm adduci ut hominẽ interficias. πολλῷ δὲ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι, παρὰ γενέσθαι, ἢ κτεῖναι ἄνθρωπον, ἐν ᾧ δὲ γὰρ κεῖσθαι τὴν κρίσιν. Marcus quoq; Tullius Romanorum omnium eloquentia facilè princeps, cuius testimoniũ in rebus grauissimis pro cũctis Romanis sufficit, utranque sortem bonorum scilicet ac malorum, credidit ac memorauit, antiquæ famæ subscribens. Illi igitur, inquit, impij, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas parricidij luent: uos uerò, qui extremum spiritum in uictoria effudistis, piorum estis sedẽ & locum consecuti.

DE MVNDI EXITIO.



VNDVM aliquando immensis ignibus cõflagraturum etiam Stoici credidérũt: De quo Athenagoras: τούτῳ καὶ οἱ Στωϊκοὶ τῷ λόγῳ ἐκπυρωθήσεσθαι τὰ πάντα καὶ πάλιν, ἔσεσθαι φασὶν ἑτέραν ἀρχὴν τοῦ κόσμου λαβόντες: Hac ratione & Stoici, inquit, omnia inflammanda in posterum, rursumq; reficienda asseruerunt, aliud exordiũ mundi introducentes. Hæc & Ouidius uidetur respexisse cum cecinit,

Esse

Eſſe quoq; in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Affirmantur eadem ab Euſebio, dicente id fuiſſe placitum Heracliti & Empedoclis: τὸ δὲ γίνεσθαι τὴν τοῦ παντὸς φθορὰν, οὐ μόνον χριστιανοῖς ἀλλὰ καὶ τοῖς τῶν ἑλλήνων σοφοῖς δοκεῖ, ὡς Ἡρακλείτῳ τῷ ἐφεσίῳ, ὡς Ἐμπεδοκλεῖ: Totius, ait, iſtius mundi interitū fore, nō ſolum Chriſtianis uiſum, ſed et Græcorum ſiue Gentiū ſapientibus, ut Heraclito Epheſio & Empedocli. Lucanus itē, ſiue quòd eſſet Stoicus, ſiue quod hæc de inflammatione & interitu mūdi fama ue uetuſtima ſit, longo ſe culorum ſucceſſu ad poſteros deuoluta in eam conſentit:

Inuida fatorum ſeries, ſummiſq; negatum
Stare diu, nimioq; graues ſub pondere lapſus
Nec ſe Roma ferens. Sic cum compage ſoluta
Secula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos: omnia miſtis
Sidera ſideribus concurrent: ignea pontum
Aſtra petent: tellus extendere littora nolet,
Excutietq; fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi: totaq; diſcors
Machina, diuulſi turbabit fœdera mundi.

Lucanus quidem hæc. Patruus autem Seneca ſuæ fortaſſe ſectæ ueſtigijs inſiſtens, in Epiſtolis eadem: Non terra, inquit, non cœlum, non ſemper hic omnium rerum contextus, quamuis Deo agente ducatur, non ſemper tenebit hunc ordinem, ſed illum ex hoc curſu, dies aliquis deijciet. Lucretius, quoq; quanquā non Stoicus, idēq́ue Poëta melior quàm Philoſophus, credo quòd hæc apud Stoicos legiſſet:

Vna dies dabit exitio, multosq; per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animi fallit, quàm res noua, miraq; menti
Accidit exitium cœli, terræq; futurum.

Lucanus igitur copioſius expreßit quod à Chriſtianis exiſtimatur & prædicatur de his, quæ in interitu mundi contingent. Primum machinam mundi ſolutis uinculis omniū rerū, turbandā, reuerſuramq; ad antiquū chaos: meminit horæ ſupremæ, de qua in ſacris literis creberrima mentio. Quodq; etiam in noſtris literis refertur, cœlum inuoluendum ut libri uolumen, ſic idē, Sidera ſideribus concurſura, igneaq; aſtra in mare lapſura. Id Eſaias, Tabeſcet omnis militia cœlorū, cōplicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet ſicut defluit folium de uinea & de ficu. Et Seruator in Euangelio, Aſtra de cœlo cadent, & uirtutes cœlorum mouebuntur, & tunc apparebit ſignum filij hominis. Et Dauid, Ipſi peribunt, cœ-

lum et terra, uirtutes cœlorũ aſtra. Diuus autem Petrus ſæpe repetit in ſecunda epiſtola, Cœlũ et elementa igni abſumenda, in die iudicij reſeruata igni: οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, αὐτῷ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως: Cœlũ iſtud quod nunc eſt et terra ſecundum uerbũ eius igni repoſita ſunt in diem iudicij. Deinde, ἐν ᾗ οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα καήσεται: In qua die cœli fluminis inſtar præteribunt, elementa autẽ incenſa reſoluentur, et terra et quæ in ipſa ſunt colliqueſcent. Paulo pòſt, diẽ Domini commorans ait, οἱ μὲν οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται, καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τήκεται: Per quã cœli inflãmati et elementa liqueſcent. Hæc diuus Petrus. Sibylla quoq; cõmemorat amnem ſulphureũ de cœlo labentem. Non tacuit etiam alia prodigia, quæ fore in fine mundi in noſtra Theologia prædicuntur. Videnturq; ad alia Poëtæ hæc in libris Sibyllinis legiſſe. Non diſſenſerunt autẽ, ſi rectè iudices, Stoici à Chriſtianis in reparatione mundi. Siquidẽ et noſtri mundũ nouum, et terram nouã fore uaticinantur. Senſeruntq; Stoici reficiendũ mundum, non eundem, ſed quaſi renouandũ, aliumq; reſtituendũ. Noſtri quoq; interitũ mundi, renouationẽ interpretantur: Quorũ Euſebius: οὐ παντελῶς πρὸς φθορὰν ὁ κόσμος χωρήσει, ἀλλὰ πρὸς ἀνακοινισμόν: Non prorſus, inquit, mundus in occaſum tendet, ſed ad renouationẽ. Hippolytus quoq; et Hieronymus & Euſebius idẽ alibi, & alij pleriq;, eadẽ fatentur. Euſebius ſcripturã ſacram interpretans, quæ de interitu mundi apud Eſaiã uaticinatur: ὡς τυγχάνει ἡ γραφὴ ἄξιον γνωσθῆναι τοὺς λόγους, ὡς ὁ φθορὰν, ὁ δὲ ἀπώλειαν, ὁ δὲ ἀφανισμὸν ἴσασι τοῦ ὅλου σημαίνει ὁ λόγος, ἀλλ' ὡς ἀνελισσομένης βίβλου φανερὸν τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα, ὁ μὴν φθείρει ἡ βίβλος, ἀλλὰν τρόπον ἀνελισσομένης περιεχόσης τὰς τοῦ σύμπαντος αἰῶνος πράξεις, αἳ αὐτικείμεναι λιταῖς ἀποτρύσουσι τὸν ἠέρα λιαπρίδος. τό τε λιὴ αἱ αὐτικείμεναι λιταὶ μὴ αἱ πάλαι λίκλιν ἄερα πολλὸς ἀπατήσαι πεσόντ', οὐδὲ μὴ αὖος ὁ Σατανᾶς: μεταχμαλιζόμενος εἰς ἄγγελον φωτὸς πέπτωκεν ὡς ἀστραπὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Quæ ſunt, Obſeruare hoc loco opereprætiũ quæ dicantur, non enim interitũ, aut abolitionẽ, uel perditionẽ cœli futurã dicit prophetia: ſed ſicut inuoluto libro, declarantur & panduntur ea quæ ſunt inſcripta, liber autẽ non deletur: ſic obuoluto libro quo totius æui res geſtæ continentur, aduerſæ poteſtates decident ex habitione aëria. Tunc inquã hæ, quæ quondam quaſi ſtellæ multos ſolerent decipere, cadent. Quãdo et Satanas ipſe in Angelũ lucis transfiguratus, cecidit tanquã fulgur de cœlo. Hæc Euſebius, non quidẽ declarans quomodo ſit rerũ innouatio futura, ſed tamẽ ſentiens non abolendũ mundum: Aſtrorũ autem lapſum hoc duntaxat loco, in Dæmonas referens. Quod et Cyrillus apertè ſentit: ὅτι οὐ θείας ὀργῆς ἡ ἔφοδος ὁ νῦν μόνῳ ἥξει τοῦ ὑδὶ γῆς, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὸ σύμπαν τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος, κοχαδὸν γὰρ δὴ ἐκ

ὑφ' ἡ

ὕφισαν δίκης τλὺ τοῦ θεοῦ μαχαίρας, τιτυραννηκότες μὲν ἐς χρόνος μακροὺς, κὴ ὅλην ἀπωλέσαντες τὴν ὑπουράνιον δόξαν τὸ μὲν ὑπὸ τοῦ λυσιθύμου τὰς δίκας: Diuinæ iræ impetus, non ſolùm contra terreſtria deſeuiet, ſed etiã contra ipſos immundos ſpiritus: plectentur enim gladio illo diuino, cuius iuſtitiæ ſubiacent qui longo olim tempore tyrannidẽ exercuiſſent, totaq; ſubcœleſti habitatione amiſſa, pœnas repoſcentur ſuarum impietatũ. Vides hic refugere Græcos fateri aſtra peritura, uirtutesq; cœlorũ Dæmonas, q̃ aſtra malunt interpretari. Subdit autem Euſebius eadẽ aſſerens: πρώτας δὲ μετελθούσας ἐν τῷ ἀερίῳ τόπῳ πονηρὰς καὶ ἀντικειμένας δυνάμεις ἃ λεχθεῖσα μάχαιρα τοῦ θεοῦ, λευτέρας ἔχεται τὰς ἐπὶ τῆς γῆς τῶν ἀσεβῶν ψυχάς: Primũ, inquit, gladius Dei corripiet ſceleratas et aduerſas in loco aërio poteſtates, exinde impiorũ in terra degentiũ animas Hic & hoc loci uirtutes cœleſtes interpretatur non ſtellas ſed Dæmonas potius, quia non prorſus cœlũ perdendũ opinaretur. In hac item ſunt alij Theologi Græcorum, quorũ autorum grauiſſima eſt opinio. Siquidẽ idem quem ſuperius nominaui Cyrillus, ubi Eſaias ſcribit, Quia cœli ſicut fumus liquefcent: θάνατον δὲ τῶν στοιχείων ἀδήλως ὀνομάζει τὴν εἰς τὰ ἀμείνω μεταβολὴν, ἐκ γὰρ τῆς κτίσεως ἀνακαινισμὸν οἷον ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, καθάπερ ὑπὲρ σωμάτων τῶν ἀνθρωπίνων ἔστεσθαι φησὶν, λυομένων δὲ στοιχείων, τὸ σωτήριον μὲς εἰς γὰρ αἰῶνα ἕστω: Innouationem, ait, reparationemq; ad meliorem ſtatum appoſitè dixit mortem elementorũ. Itaq; fore prædixit quemadmodũ corporum humanorum, renouationem rerũ creatarũ, quaſi à mortuis reſurrectionem. Reſolutis autem elementis, ſalutare meum erit, inquit, in æternum. Eadem alius Theologus affirmat, qui Seuerus dicitur: ὁ παντελῶς λέγων ἀπώλειαν δὲ γὰρ οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν ἄνθρωποι τοιαύτην ὑποστήσονται, ἀλλὰ τὴν πρὸς καιρὸν καὶ διὰ τοῦτο ἀφθαρσίαν μεταβήσονται. Quæ ſunt, Non omnimodam dicit conſummationẽ: Neq; enim & hi qui inhabitant ipſam terram, tali interitu ſubiacebunt: ſed temporariam, per quam incorruptionem mutabuntur. Hæc à Theologis Græcis pari conſenſu approbantur, quæ noſter ſenſit & affirmauit Hieronymus. Qui in id quod ait Pſalmus, Et ſicut pallium involues eos, & mutabuntur: Ex quo, inquit, oſtenditur perditionem cœlorũ non interitum ſonare, ſed mutationẽ in melius. De quibus dicitur, Erit cœlum nouum, & terra noua, quæ ego faciam permanere in conſpectu meo. probat etiam ex eo, quòd omnis creatura ingemiſcit, ut mutetur et ipſa in melius, cum non animæ ſolum ſuapte natura immortales, ſed etiã corpora glorificabuntur, & præteritis antiquis, facta fuerint omnia noua, conformandaq; eſſe omnia, ſicut et Seuerus opinabatur, hominũ innouationi. Deniq; concludit tametſi ſententiæ alternarẽt, glorificatis et innouatis hominibus cætera innouationẽ ſecutura: nulla putans poſſe conſecutione deduci, ut peritura ſint omnia, cũ hominũ animæ immortales, corpora uerò immortalia ſurrectura, maxima ac præcipua mũdi pars nõ ſinit in nihilũ redi

genda, ſed futura potius meliora. Qui dicit omnem mundũ in nihilum abiturum, dicit etiam animas hominum & corpora, præcipuam mundi partem. Hoc autem ueritati eſt contrarium, Ex ſuperioribus autem Diui Petri teſtimonijs oſtenditur reſoluenda ardore omnia & conſumenda: Cœlum uidelicet & elementa, terram & omnia terreſtria. Sed quoniam horribile eſt ad cogitandum, ut in nihilum rediant omnia, & tum rationes, tum ſacrarum literarũ teſtimonia nihil tale minari noſcuntur (Nam & idem ille Diuus Petrus, qui toties tantaq; aſſeueratione clamauerat, igni cœlum & terram & omnia terreſtria conſumenda, affirmat fore cœlum nouum terramq; nouam, idq; ſecundum promiſionem diuinam, κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν, ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ) uidetur hoc conſtatiſſimè tenendũ, in quo Stoici quoq; conſentiebant cum Theologis, interitũ fore rerũ qua cernimus, ſed ita, ut reſolutis his, ſit alius mundus, ſiue ex his reparatus ſiue aliunde introductus. Atq; cœlũ nouum, & noua terra, ſiue nouus mundus, ut Stoici tradebant, aut ex his ipſis rebus reparandus reficiendusq; eſt, aut alius quidã futurus mundus. Primũ igitur tota Theologia clamat, cœlũ et terram reſoluendã. Secundò, reſoluenda per ignẽ omnibus intra cœlũ & terram, cũ ipſis ſimul incenſis. Hæc accenſio ſine dubio ita cuncta reſoluet, ut penitus intereant et aboleantur. In nouo autẽ mundo omnes conſentiunt. An ergo ex cineribus illis reliquijsq; exuſti mundi ſit tanquã Phœnix ex cineribus ſuis reparandus, an futurus alius quidam alterius generis mundus, hoc cognitu digniſſimũ eſt, maximeq; neceſſariũ. Duobus ergo ſenſibus poteſt intelligi mundi perditio ac renouatio. Primus eſt, ut omnibus rebus cœleſtibus & terreſtribus conſumptis, futurũ ſit aut Chaos, aut id quod erat ante mundũ (erat autem nihil.) Secundo, ut abiecta hac forma et natura, penitusq; in nihilũ redacta, ſuccedat alia uice eius. Hic innouatio poteſt intelligi, aut ex illis mundi reliquijs, ut dixi, aut ex alijs quibuſdã rebus alter mundus. De perditione prorſus ſecunda ſententia uera eſt. De innouatione, an renouanda ſit terra & aqua & aër, & quaſi reformandus ueluti uas recoctũ, nouumq; redditũ, an pro præſenti futurus ſit alius alia natura, alia ſubſtantia, alia forma mundus, in quo non aqua, non aër, non terra, non cœlũ ac ſidera, ſed alius quidã mundus, difficile expedire eſt. Videtur autẽ hoc poſtremũ Theologia uaticinari, nullam rerum harum corruptibiliũ futuram, ſed alium quendam mundum. Ac diuus Petrus duobus locis, clarũ ſuper hac re præbuit teſtimoniũ, in libris Recognitionũ, quos diſcipulus eius Clemens conſcripſit, et in hac ſecunda epiſtola. Sed primũ audiendus eſt Didymus ille uidens, à quo poteſt cognitio & finiendi mundi & innouandi, & ratio cur finem ſit habiturus, percipi: παλεσμένων αὐτῶν τῶν ἀπὸ χρόνου. τὸν γὰρ χρονικὸν ἀρχὴν ἡ τοῦ γίνεσθαι λαχόντα, πολλῶν χρόνων παρατρέχοντων παλαιοῦται, τὸ δὲ παλαιούμενον, καὶ τὸ ἐλίσσεσθαι αὐτὸν σημαίνει παρελκυθέναι τὸν χρῆσαν, καθ' ἣν συνεβάλλοντο τῇ παρούσῃ διακοσμήσει, ὡς γὰρ τὸ πρωτόχαον ἐλίσσεται

μετὰ

μετὰ τὸ πληρῶσαι τὴν χρείαν, ὅτως ἐπεὶ καὶ τὸν οὐρανὸν, ἅμα τῇ γῇ, πάλιν ἀνασυνειλήσις ἔσται μετὰ τὸ παρελθεῖν αὐτὰ τὸν λέγοντα σωτῆρα, ὁ οὐρανὸς καὶ γῆ παρελεύσεται: Omnia, inquit, tempori subiecta, se nescunt. Nam quæ temporis principiũ nascendo habuerunt, longo tempore antiquantur. Quod ergo canit Psalmus, Veterascent, & mutabuntur, designat eum usum abijsse ac feciſſe, quo rerũ ordines sustinebant alebantq; Vt enim indumentum ubi officio functũ fuerit obuoluitur, sic cœlum ac terræ functæ muneribus suis abibunt, rerumq; erit restitutio, iuxta dictũ Seruatoris, Cœlum et terra transibunt. Huc usq; Didymus. Quibus probatißima ratio proponitur, cur mundus finem sit habiturus. Hæc autem summus docet Theologus. Primum, mundũ antiquandum, uetustate et senio interiturũ, sed non eo senio quo res mortales corrumpuntur atq; abolentur. In cœlo tale seniũ nullum est, sed aliud quoddam cuius similitudo ex uestibus ostenditur, cum deponimus eas ubi nobis esse usui desijssent, tanquã inutiles eas exuimus atq; obuoluimus. Sic mundus, id est, cœlum non eò delebitur, quòd eadem uetustate atque omnia animalia, arbores, maria, montes, aliquando sit defecturus, sed quia cessabit usus eius, quo rerum tantos ordines peragebat. Totus autem usus iste cœli, est lucis, caloris, motus, ut omnia gubernet, gignat, alat, uitam omnibus suppetat Hæc autem hominibus fiunt. Homini fulgent sydera, homini nascuntur plantæ, animalia, hominis est terra domicilium. Vt terra homunis est, sic omnia terrestria. Ac quoniã terrestria à cœlestibus aluntur, ea ratione apparet cœlestia fuisse reperta, ut habitatoribus terrarũ deseruiſſent. Itaq; omnes usus, omnes uisibiles ordines, ac rerum facultates, ad hominem reuocantur. Hominibus igitur eiectis in sempiternum è terra, cui florebunt campi et montes, quibus equi, boues, cæteraq; animalia nascentur? Cui cœlum fulgebit? Quis contemplabitur admirabiturq; cœli mirabiles ordines, ortus & occasus certos & ratos? Quibus Sol iam suæ luce saciatis noctem relinquet, nocte quoq; ex quiete refectis iucundam referet lucem, idq; uicißim per totum orbem, alijs diem præsentia, alijs noctem absentia efficiens? Sic item dum alijs æstatem accessu, alijs hyemem discessu præbens, ab utroq; Tropico iter uicißim mirabiliq; ordine peragens. Semper agens nunc æstatẽ, nunc hyemem, ut omnia reficiantur, humores concrescant, fruges matureſcant. Hoc ordine soli terrarum coloni, totum circumquaq; orbem sursum ac deorsum occupantes, fruuntur. Solis ipsis ostenditur excogitatus. His eiectis, aut ad meliorem sortem, quoniam hæc mortalia & corruptibilia sunt, solum corpoream uitam, non maius quoddam optatißimumq; bonum habentia, receptis, quid Sole opus erit, cum uita corporea non erit opus? Cum erit alia uita, quam & rerum humanarum probat necessitas, et mysteria cœlitus reuelata demonstrãt. Adueniente maxima Solis luce, lucernæ & faces remouentur: adueniente maxima uita, qua maior desiderari non possit & melior, usus iste corporeæ uitæ prorsus cessabit. Hæc autem efficiuntur à Sole, omnium mortalium formarũ autore. Qui nactus terrestrem humorem,

omnes generatim ſpecies elicit è terra, hominiſq; peragitur is uniuerſus ordo. Quibus amotis, uanus & inutilis erit. Hoc ergo dicebat Didymus, eadem diuus Petrus, & hoc ſenium eſt mundi. Sed duplex poteſt intelligi mundana uetuſtas, naturalis corporis ipſius ætherij, quod ſit natura ſimiliter atque alia corruptibile, quod nec ratio concedit, & tota Philoſophia ac Theologia negat. Ratio enim oſtendit ætherium corpus eſſe incorruptibile: quoniã quod futurum erat cauſa cæterorũ, ipſum oportebat eſſe incorruptibile: ne ſi & ipſum interiret, reliquarum rerum eſſet exitium. Quod etiam fuit tot ſeculorũ lapſibus incorruptibile, de cuius magnitudine & qualitate nihil abierit, apparet ſemper in poſterum fore incorruptibile. Nam futuri interitus ac ſeneſcentiæ, aliqua iã indicia præceſſiſſent: præceſſiſſet mutatio ab exordio ad hanc ætatem: de corpore quoq;, quemadmodum in arboribus, montibus, ſcopulis, animalibus ſeneſcentibus, aliquid decidiſſet. Non conſtaret idem Sol, non eadem fulgoris eſſet plenitudo, idem radiorũ uigor. Hæc igitur ſenectus nuſquam eſt. Hanc in ſeneſcentiã Plato, Ariſtoteles, noſtriq; pariter deeantant. Ac Plato in Timæo, Deum ita feciſſe hunc mundum, ut nullam iniuriam poſſet recipere: ἔτι δὲ ἵνα ἀγήρων καὶ ἀνόσιον ᾖ αὐτὸν ἐτεκτήνατο, κατανοῶν ὡς ἃ ξυνέστηκε τὰ σώματα θερμὰ καὶ ψυχρὰ, καὶ παντὸς ὅσα δυνάμεις ἰσχυρὰς ἔχει περιπάλλοντα ἔξωθεν καὶ προσπίπτοντα ἀπαίρως, λύει μὴ νόσος, γῆρας τε ἐπάγοντα φαίνειν ποιεῖ, σβέσας δὴ τὴν αἰτίαν, μὴ τὸν λογισμὸν τόνδε, ᾧ ὅλον ἐξ ἁπάντων, τελέων καὶ ἀγήρων μὴ ἀνόσιον αὐτὸν ἐτεκτήνατο. Quæ ſunt, Præterea ut eſſet inſeneſcibilis & ægritudinis expers, intelligens quòd ea quibus conſtant corpora calida & frigida, & quæ ualidas habent uires, exterius imminentia, & importunè incidentia, diſſoluunt, ægritudinesq; et ſenium adducunt, & interitũ. Ob hanc cauſam hæc ſecũ perpendens, unum totum ex omnibus perfectũ, inſeneſcibile, ægritudinis expers, ipſum molitus eſt. Hæc antea Timæus Pythagoreus tradiderat, Doricè loquens, ἀκήρατον τῶν ἐκτὸς κυρδν. οὐ γὰρ ἦν λίχα τοτέων ἄλλα: Incorruptibile ab omni exteriori corruptione. Nihil enim eſt extra mundũ. Cauſam quoq; immortalitatis mundi dicit eſſe, quòd ubi ſit rerum & elementorũ æqualitas & eadem proportio, alterũ ab altero non poſſit offendi, indiſſolubilem temperaturã habentia. Similiter Ariſtoteles cœlũ ait eſſe σωμα τοῖον ὅσον ἕτερον τῶν τεσσάρων ἀκήρατόν τε καὶ θεῖον: Elementũ ſubſtantia à quatuor reliquis diuerſum, incorruptibile et diuinũ. Hæc non illi ſolũ putauerũt, ſed etiã à noſtris facilè conceduntur. Chryſoſtomus eloquentiſſimè, ut omnia: οὐκ ὁρᾷς τοῦτον τὸν οὐρανὸν, πῶς καλὸς, πῶς μέγας, πῶς ποικίλως τῶν ἄστρων ἐξέφανται χορῶν, πόσον διήκει χρόνον, πεντακισχίλια γὰρ καὶ πλέω ἔτη λοιπὸν ἔσηκεν, μὴ τὸ πλῆθος τῶν ἐκ τούτου γεγενημένων αὐτῷ γῆρας. ἀλλ' ὥσπερ σῶμα νέον μὴ σφρίγῶν. αὐθέσαν ἔχει καὶ φανὰ ζῶσαν αὐτῷ τὴν ἡλικίαν, τὴν ὥραν, ὅτω μὴ ὁ οὐρανὸς, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ἔλαχε κάλλος,

διετήρησε

θεωρήσατε, καὶ ὁρᾶτε ἐπὶ τοῦ χρόνου γέγονεν ἀσθενέστερος. Nonne uides, inquit, cœlum hoc ut pulchrũ, ut ingens, ut aſtrorum choreis uarium? Quantum temporis uiguit? Quinq; ac plus annorum millia proceſſerunt. Et hæc annorum multitudo ei non adduxit ſenium, ſed ut corpus nouum ac uegetum, floridæ uigentisq; iuuentæ uiret ætate: ſic cœlum quam habuit à principio pulchritudinem, ſemper eadem permanſit, nec quicquam tempus eam debilitauit. hæc Chryſoſtomus. Verè igitur ſuapte natura inſeneſcibile & inuariabile eſt cœleſte corpus, indelebilisq; eius pulchritudo. Eſt enim puriſſima ſubſtantia, expers omnis iniuriæ, loco & natura. Corrumpuntur autem omnia aut ab igne, aut aqua, aut aëre, aut terra, longè latèq; à cœlo diſtantibus. Philo igitur Iudæus, uir eloquentiſſimus, dogma Theologiæ Moſaicæ, teſtatur eſſe cœlum creatum quidem, ſed non interiturum: quanquam ex libris Moſaicis non probat quod aſtruit, ſed rationibus duntaxat depugnat, alia labefactari detrimentis extrinſecus irruẽtibus, alia malis inteſtinis: ut ferrum ſi rubigine corrodatur, ſui ipſius interno malo depaſci: ſin domo uel urbe concremata, & ipſum concremari cõtingat, alieno morbo diſſolui: ſic animalia uel proprijs morbis cadere, uel cædibus externis, quorum nihil euenire poſſit mundo. Sed illa præponderat ei ratio, quòd à Natura propter ingens robur inſuperabili contineatur, omnes iniurias quæ poſſunt accidere ſuperante. Illa quoq; uidetur ei ualidiſſima, nullam fore unquam cauſſam, ob quam Deus in perniciem operis tanti ſeſe uertat. Hæc ille: quæ poſt melius examinabuntur. Hæc igitur eſt prior inſenescentia à nemine negata. Alia eſt quam Philoſophi neſcierunt, cum uſus cœli inutilis erit, ignis eius & lumen, nulli proderit. Seneſcet ergo cœlum, quia ſeneſcet uſus & cauſſa creati & permanſuri cœli. Ideo enim creatũ fuerat durabile, ut nunquã uitam hominum interrumperet, & quoad ipſe Deus uellet, uiuerent. Succedente uita meliore, quæ nullam à Sole & ſtellis habeat dependentiam, quis eis amplius erit opus? Diuus igitur Petrus docet promiſſionem eſſe cœleſtem, de mundo nouo & terra, in quibus iuſtitia habitat. Amoto igitur præſenti, ſuccedet cœlum & mundus, in quo iuſtitia inhabitat. Non habitat autem iuſtitia niſi in cœlo, ut Plato quoque & Poëtæ dixerunt, in propriæ charitatis ſanctitatisq; domicilio. Apud homines regnat potius iniuſtitia, quæ & diluuium adduxit, & incendiũ urbium impiarum profudit, quarũ ſuperbia & iniuria maxima memoratur. Iuſtitia autẽ non ſolum ipſe eſt Chriſtus, à quo omne ius manat, omnis ordo, omnis lex (Nam & Stoici legem dixerunt rationem ſummi Iouis, omne moderamen, & ad eum ſpectat omnium bene & malefecta dijudicare) ſed etiam omnes qui cœlum adierunt, non ſine iuſtitia peruenerunt. Inde exulant æternum cædes, rapinæ, quicquid poſſit iuſtitiam profanare. Hoc cœlum reſtabit, hoc uigebit tanquam melius, cum genus humanum ad uniuerſale iudicium adductum fuerit, cum dabitur pietati ingens præmium, alijs ad cœlum Empyrium, quod ſolum erit, ſplendentesq; domos aſcendentibus, alijs ad tenebras exteriores in centro terræ detruſis. Alij ſuſpicient tantũ ſul-

gores

gores æternos, & quasdam quasi procul uisiones intuebuntur, uoces diuinas longè resonantes audient, medij inter undequaq; beatos, et undequaque miseros. Cœlum igitur istud ad corpoream uitam repertum renouabitur. Cœlum Empyrium restabit, implens fulgore terras. Tunc erit lumen Solis septem uicibus maius quàm fuisset. Solem, pro lumine amplissimo, largissimoq; illo Empyrij cœli, quod ab altissimis sedibus omnia sursum ac deorsum immenso lumine collustrabit, Vate usurpante. Restabit autem terra, ad quam exusti cœli reliquiæ peruenient, tametsi ætheria substantia leuissima sit, qualis nubium albentium, purissimarum, altarumq;. Restabit terra initium mundi, quæ in æternum stat, purgata tamen & complanata collibus ac montibus, quod Sibylla dixit. Docuit igitur diuus Petrus in Epistola apud Clementem in Recognitionibus, quomodo nouum cœlum sit futurum: Dixit enim superius, ὁ νῦν οὐρανὸς, præsens hoc cœlũ quod cernimus, hoc cœlum quod aspicis igni reseruatum. Apud Clementem uerò multa super hoc Simonis magi refellens, impietates, disserit. Vt superius Philosophorum positæ sententiæ de mundi exitio perpendantur, dicendum est, si Stoici & Lucretius, ut dicta eorum probare nituntur, rerum abolitionem naturali necessitate futuram suspicantur, facilius futurum ut rationi iudicioq; Aristotelis & Christianorum, mens conquiescat, quàm suspicionibus eorum. Vera enim est sententia Chrysostomi, quàm prior Aristoteles, maiorq; Plato conceperant, corpus ætherium liquidissimæ substantiæ suapte natura nec dissolui, nec ullo senio, quemadmodum rerum terrestres posse contabescere. Quòd enim tot annorum curriculis illæsum fuit, cuius magnitudinem, pulchritudinem corporis, nulla temporis iniuria labefactauit, nulla seculorum macula uitiauit, utique tale semper futurum est, cuius fulgore nec unquam impalluisse, nec decreuisse perspectus est, quod pati debuit aliquando tot antè seculis, si futurum erat, certè nunquam patietur, nec aut senio debilitatum, attritumq; diffluet, nec ardoribus ullis, cuius est altissima regio, cunctis ignibus inaccessa, concremabitur, nec ullam quàm cætera corpora iniuriam recipiet. Aliæ rationes apud Aristotelem uideantur. Quòd igitur Plutarchus ait in libro contra Stoicos, eos apertè prædicare: τοὺς θεοὺς ἅπαντας εἶναι γεγονότας, & φθαρησομένους ὑπὸ πυρὸς κατ' αὐτοὺς ὥσπερ κηρινοὺς ἢ κατλιτερίνους τινάς: Vniuersos Deos creatos esse & interituros, liquefaciendos ab igne ueluti plumbeos cereosq;: ratione quidem nulla fieri potest: sed uera tamen Stoici loquebantur, ab anterioribus seculis audita, quibus Sibyllæ Prophetæq; cantabant fore, ut omnis aliquando cœli compago, magnis ignibus inflammata defluere t. Ad alios eximius Prophetarum Esaias, similiter atque Stoici scripserat, Tabescet omnis militia cœli. Complicabuntur, sicut liber, cœli: & omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de uinea & ficu. In Euangelio quoque Deus ipse, Astra de cœlo cadent, & uirtutes cœlorum mouebuntur. Et Dauid, Ipsi peribunt. Et idem Deus, Cœlum et terra transibunt. Virtutes autem cœli, Græci interpretes apud Esaiam, Stellas interpretantur.

tantur. Vera igitur Stoici ſcripſerunt: ſed quod diuinis reuelationibus fuerat prodi-
tum, illi futurum alia ratione credebant, naturaliter humore omni conſumpto.
totam machinam à cœlo uſque in terras conflagraturam. Verum igitur id erit: ſed
cum extra naturæ cœleſtis leges, quibus incorruptibile, nullæq; iniuriæ ſubiectum
eſt ætherium corpus, ſit futurũ, Stoici referre debuerant, ſi poterant non in ſenium,
debilitatemq; corporis cœleſtis, aut ignes illos immenſos mundi, ſed illam poten-
tiam, quàm Sibyllæ monſtrauerant, Deum, meliora mortalibus daturum, cunctis,
quo melior lucentiorq; mundus ſequatur, renouatis alium mundum facturũ. Om-
nis enim, ait magnus Paulus, creatura hanc renouationem expectat, ingemiſcens
& parturiens, expectansq; reuelationem filiorum Dei. Quæ quidem reuelatio fu-
tura tunc eſt, cum claritas ſanctorum corporum, quæ reſurgentia glorificabuntur,
manifeſta terris erit, cum qua rerum cunctarum renouatio conſequetur. Ob id ab
ipſis rebus expectata, quarum cum filijs Dei futura ſit in melius reformatio. Quòd
igitur Marcus Tullius, inducit Stoicum referentem, Ex quo, inquit, euenturum, no-
ſtri putant, de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus
igneſceret, cùm omni humore conſumpto, neq; terra ali poſſet, neq; remearet aër.
cuius ortus aqua omnis exhauſta eſſe non poſſet: Ita relinqui nihil præter ignem.
À quo rurſum animante ac Deo, renouatio mundi fieret, atque idem ornatus ori-
retur. Audierant euenturam mundi conflagrationem Stoici, ſed ad naturales cau-
ſas eam reuocantes, errabant. Quem errorem facilè meliores Philoſophi coargu-
ent. Partim probantes nullam offenſam poſſe cœleſte corpus accipere, partim nun
quam futurum, ut omnis humor abſumatur, quòd neceſſe ſit omnem aquam abſum
ptam, non in nihilũ, ſed in nubes ac uapores euaneſcere: quibus denuò coactis, re-
paretur aqua, ſemperq; is ordo remeet elementorum, nihil in nihilum abire, natu-
ra patiente. Nunquam, ſi quis arcana Naturæ contempletur, eueniet, ut omnis aër,
omnis aqua, cuncti uapores humoresq;, in nihilũ aut igneam duntaxat materiam
diſſoluantur, eò quòd ſimul ardore Solis humor exhauritur, ſimul aër frigidus fœ
cundus humiditatis reparatur, ſimul in nubes hymbriferas grauidatur, ſimul in ca-
uernas ſubterraneas in flumina fontesq; emanaturus, recipitur. Nec ulla fit humo-
ris exhauſtio, quin eadem opera fiat eiuſdem reparatio. Tanta Soli radianti, poten
ti, moles humorum per omnem mundum obiecta eſt, ut eodem tempore quo conco
quit humores, & terras ardoribus torret, alio terrarum hemiſphærio regnet humo
rum copia, uigens & dominans abſente Sole. & cum terras noſtras inflammant
æſtiui dies, humorq; abſumitur omnis, eiſdem ſub Antipodibus ſæuit hyems, præci-
pitesq; cadunt ex æthere nymbi. Semper hoc ordine uigente, quem nulla tollat diu
turnitas, tanto contextu factis elementis, ut alterũ alterius pernicies nunquam eſſe
poſſit, tot ſunt, eruntq; ſemper in mundo nubes, humoresq;, quantũ Solis et ignis,
flammæq; cœleſtis. Nec dabitur unquã ut abolere poſſit ignis aquam, tantam ſem
per futuram, ut iugiter ardoribus Solis reſiſtat, omnemq; conflagrationem pro-
hibeat

hibeat. Sic ardor ſolis diluuia prohibebit, dico autē non particulares aut conflagrationes, aut eluuiones, ſed uniuerſales, quales Stoici ſomniabant, Naturæ legibus nunquā euenturas, quod euenire non poſſit. Quid? quòd ſi uera dicerent, iam pernicies iſta & humoris exhauſtio, principiū habuiſſet, aut ad medium adducta fuiſſet. Iam forent ætates torrentiores, iam minus ubiq; uaporis, iam terras ſqualores preſſiſſent, iam torreri mortales cœpiſſent, exhauſta maria, flumina, paludes, lacus, quorum nihil hactenus conſpicitur. Supereſt igitur uera quidem eos tradidiſſe de conflagratione, de nouo mundo: ſed hoc unum non uidiſſe, non rationibus Naturæ, ſed illius nutibus hoc euenturum qui cuncta creauit, potens eadem qua creaſſet poteſtate, cuncta reſoluere. Quem cum bonitas impulerit ad creandū, quo conſilio & poteſtate creauit, eadem, pulchros ordines illos, uinclaq; tenacia rerum reſoluet. Creauit autē, ut etiam Stoici fatebantur, hominibus omnia, quibus ſolis deſuper ſtellas micantes accendit, Solis curſus Lunæq; meatus inſtituit, terras proferre cibos iuſſit, animalia bruta ad diuerſos uſus eduxit. Hoc conſiliū cum generationis omnis cauſa fuerit, idem cunctam generationē remouebit, cū remoti fuerint, quibus omnis generatio parabitur. Nulla Naturæ neceſſitas Solis æternos curſus ſiſtet, nulla luminis naturalis hebetatio flagrantes eius radios terris auferet. Sic nullus neceſſarius ignis populabitur aëra & terras, aut inundatio rapiet montes & campos urbesq;, ſed quidquid euenturū eſt, eius conſilio dabitur, qui rerum leges excogitaſſet. Quas tunc abolebit, reſcindet, cum hi quibus parata fuerant omnia, remouebuntur. Remouebuntur autem homines è terra, quòd & à Sibyllis Prophetisq; prædictum fuit, et Philoſophi ſi profundius conſideraſſent, negare non poterunt, cum tanta flagitia terras oppriment, ut uiuere mortalibus ſit miſerabile, uitæq; mors à cunctis præferatur. Hæc una cauſa. Maior autem & apertior, quòd iudicandi mortales in theatro totius mundi ſunt aliquando iudice Deo: Quòd tota deificatio animorum & corporum futura eſt: cum qua neceſſariò curſus iſte uitæ quotidianus interpolabitur, ut ſit locus meliori conſilio, cum conſulet melius hominibus Deus, hoc ordine uitæ corporeæ ſublato, bonis præmia debita redditurus. Quæ ſi Philoloſophi perſpicere potuiſſent, quanquam ſimiles ſomniantibus quædam ſuper hoc augurabantur, non recuſaſſent optimam hanc expectatamq; ab omni re creata renouationem, fateri, Nam quotidianam uitam non modò non laudarunt eorum pleriq;, uerum & bonum non iudicarunt, ut deplorarint uitam, mortemq; ei facile prætulerint. Viderunt igitur ratione duce et incredibili deſiderio expetiuerunt aliam uitam, tantumnon in ius diuinam prouidentiā uocantes, quòd homines miſerabiliores cunctis animalibus propè creaſſet. Quæ quidem perturbatio tollitur cum felicitas alacritasq; maior oſtenditur futura, renouato mundo. Hic omnis animæ tumultus ſedatur, hic ceſſat admiratio, bonos nūc infelicius agere quàm malos, impunè uigere flagitia, cædes bonorum uolitare, fortunam peſſimos quoſque flatibus ſecundis in portum collocare. Itaq; quod ait Philo Iudæus, deteſtatus exe-

execratusq; exitium mundi: ὑπὸ δὲ θεοῦ φθείρεσθαι λέγειν αὐτὸν, πάντων ἀνοσιώτατον. ὁ γὰρ θεὸς οὐκ ἀταξίας καὶ ἀκοσμίας, καὶ φθορᾶς, ἀλλὰ τάξεως, καὶ εὐκοσμίας, καὶ ζωῆς, καὶ παντὸς αἰτιος ἀγαθοῦ, ἀνωμολόγηται παρὰ τοῖς τὰ ἀληθῆ δοξάζουσι: Nempe, dicere porrò mundum diuinitus occidere, ante omnia flagitiosissimum est. Neq; enim Deus autor est inordinationis, confusionis, interitus, sed ordinis, uenustatis, & uitæ: omnisq; eum esse causam boni, in confesso est apud eos, qui ueritatem profitentur. Dico ego Philoni, renouatio mundi comprobabit Deum bonorum, pulchritudinis, non interitus autorem. Non enim diruet mundum, uelut opera sua perosus, sed renouabit, reficiet, dabit meliorem, aperiet thesauros bonitatis, quos nunc secundum diuitias sapientiæ suæ prudenter occultat. Tum uerò maxima largitate pandentur, effundentur arcanæ bonitates. Neq; uerò demolietur Deus mundum, nihil amplius daturus, aut animo iniquo quod beneficisset malè perditurus, hoc dicere, flagitiosissimum. Sed quoniam status iste rerum non optimus est, & quo non possit melior esse, quin etiam multis lacrymis sæpe defletus est à pijs, multisq; malis obnoxius iudicatus, Deus pro sua clementia restituet meliorem, ut diruta soloq; æquata Alba refecta Roma fuit: Haud minus pro mundo corruptibili, caliginoso, animorum ergastulo, ostendetur lucidissimus, optimus, fortunatus, in fine ceu supremum bonum repositus. Ille uerus ordo, uerus mundus, & ornatus, erit uera uita, cum præsens ab ipsis Philosophis penè pro morte sit habita. Hæc responsio credo non displicebit Philoni. Qui quidem dogma Philosophorum de postera mundi æternitate sequens, & Solem Lunamq;, & cunctam cœli pulchritudinem, cum Peripateticis ab interitu defendens, sacros autores suos, quorum religioni initiatus esset, cum canunt abolendum, rescindendumq; cœlum, fulgorem siderum denigrandum, liquidissimam stellarum, totamq; cœli compagem ignibus incoctam & tabefactam lapsuram in terras, qua tandem ratione tueatur, libenter didicerim. Verum nostri beneficio cœlesti, mysterium aperuerunt. Hæc de exitio mundi dixisse sat est.

VLTIMVM CAPVT.



Verum igitur beatitudinis fontem esse Pietatem: (quoniam in actionibus uirtutis beatitudo constituitur, fons autem uirtutum, rectarumq; actionum est Pietas) atque hunc esse finem totius felicitatis, omniumq; uirtutum, atq; actionum moderamen: & qui dicit Beatitudinem, seu Felicitatem,

Finemq;

Finemq; omnium rerum, nihil aliud cum dicere, quàm Scientiam, & Cultum Dei: & hanc esse philosophorum quoq; sententiam, declarat mirificè, consonans cum sacris literis, idē Aristoteles, qui libros de Moribus ad Eudemū absoluens, quemadmodum Salomon suos claudens, dixit: Finem dicendi faciamus: Deum time, & mandata eius obserua: Hoc est omnis homo. Sic Aristoteles illo præclaro fine usus est: Omnes actiones nostras, omniaq; studia, rerumq; possessiones, tanto iudicandas esse meliores, quanto magis fecerint, adiuuerint ad cognitionem, & cultum Dei. Deteriora autem censenda, quæ nobis impedimento fuerint, quò minus colatur Deus. ut quasi sic statuat, si quis eius sententiam planius euoluat, Quoniam, inquit, Felicitatem ueluti finem supremum quærimus: Felicitatem autem tibi demonstro, eamq; dico esse beatum, felicemq; animi statum, complexum, societatemq; omnium uirtutum: Apertius, ait, tibi loquar: sedes omnium uirtutum, & finis ille, ad quem quicquid agimus, quicquid possidere studeamus, respiciendum est, Contemplatio & Cultus Dei. Cum, inquit, huc perueneris, tunc finis est, tunc beatus eris. Ob hanc causam quæcunq; te iuuerint ut huc peruenias, pro melioribus habenda: quæ prohibuerint, impedimentoq; fuerint, deteriora iudicanda. Et is terminus ucrus, hæc optima diffinitio, optimus rerum cognoscendarum modus. Sic loquitur Aristoteles: ἔστι δὲ αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν ἢ σώματος ἢ χρημάτων ἢ φίλων ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, αὐτὴ αἵρίστη, καὶ ὅτου ὅρος κάλλιστος, ἐντὶς δὲ ἀφ' ὑπεναντίαν, ἢ ἀφ' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν, καὶ θεωρεῖν, αὐτὴ ἡ φαύλη.

FINIS.

DE NOMINE VRBIS SVAE EVGVBIVM, QVOD CORRVPTE LEGITVR APVD SCRIPTORES: ET QVA RATIONE sit proferendum.



Ipsum est in calce operis huius docere, quod fortasse legentibus non fuerit ingratum. Si quis est, qui nesciat nomen urbis meæ, non est Eugubium, sed ut apud probatos scriptores constat. Iguium, & ciuile nomen non Eugubinus, sed Igūnus, uel Iguius. At ne noua, atq; auribus inusitata uiderer afferre, sequutus sum uulgi consuetudinē: ubiq; me Eugubinum appellans. Verum hoc nomen adeo corruptum, depraua tumq; est apud scriptores, ut nisi iudicium, solertiaq; Doctissimorum uirorum, &

rum, & fides Antiquorum codicum ſuffragata eſſet, difficile potuerit recognoſci. Non fuiſſe igitur oppidum ignobile Iguium, declarat, quòd eius meminit Cæſar in Commentarijs, Tullius in Epiſtolis ad Atticum, Ptolemæus, & Strabo in Geogra/phia, Plinius in libris de Naturali hiſtoria. Silius quoque Italicus. Sed tam uariè a/pud hos omnes deprauatum eſt id nomen, ut apud Cæſarem primo de Bello Ciuili uocetur Tignium, addita litera T, ex nomine Termi Prætoris Pompeiani, qui præſidio quinque cohortium oppidum defenderet: apud Ciceronem de ea re atque Cæſar loquente Siſiguium: apud Ptolomæum Iſuium, apud Strabonem Itor, apud Silium Inginum, apud Plinium in deprauatis exemplaribus ciues dicuntur Ingi/nini. Cauſas autem deprauationis huius, quas ut dixi, mecum Doctiſſimi huius ſe/culi repererunt, quorum iudicio ſuffragati ſunt codices antiqui, explicabo. Dico hoc oppidum eſſe, quod in Commentarijs Cæſaris de Bello Ciuili deprauatiſſimè uocatur Tignium, de quo Cæſar, cum Piſaurum Fanumq; oppida Vmbriæ, ab Eu/gubio non longè diſtantia, memoraſſet, quæ ipſe ſuis præſidijs occupauerat, ſubie/cit his uerbis: Interea certior factus, Tignium Termũ Prætorem cohortibus quinq; tenere, oppidum munire, omniumq; eſſe Tigniorum optimam erga ſe uoluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Piſauri & Arimini habebat, mittit: Cuius aduentu cognito, diffiſus municipij uoluntati Termus, cohortes ex urbe educit, & profugit: milites in itinere ab eo diſcedunt, ac domum reuertuntur: Curio omnium ſumma uoluntate Tigniũ recipit. Hæc Cæſar. Deprenderunt igitur eruditi cauſam deprauationis: nam hoc oppidum, ut eſt apud Lucanũ, in Vmbria eſt. Eugubium quoque, ut Plinius docet, in Vmbria. Illud oppidum Tignium dicit eſſe in Vmbria Lucanus, ſcribens de Bello Ciuili, eo carmine,

Gens Ethruſca, fuga trepidi nudata Libonis
Iusq; ſui pulſo iam perdidit Vmbria Termo.

Et Lucius Florus his uerbis: Prima Arimino ſigna cecinerunt, tũ pulſus Hetruria Libo, Vmbria Termus, Domitius Corfinio. Nullum autem nunc eſt oppidum in Vmbria, nec ullum extat eius ueſtigiũ, quod uocetur Tignium: & illud oppidum non procul Arimino & Piſauro & Fano ſitum erat, ut quòd à Cæſare cũ his ipſis nominatur & cenſetur: Eugubium quoq; non multum diſtat à Piſauro & Fano. Cauſa igitur deprauationis, quod multis nominibus accidit, fuit nomẽ Termi Præ toris, qui literam primam ſui nominis dedit Iguio: nam locus in Commentarijs ha bebat. Interea certior factus Iguium Termũ Prætorem cohortibus quinq; tenere. facilius enim fuit ut pro u, legeretur poſtea n, ut quæ una, eademq; litera eſt ſurſum deorſumq; uerſa. Imperitia igitur ſcriptorũ & deprauatio codicum, fecit ut prima litera nominis Termi adderetur nomini Iguium. Haud mirum quidem, Nam maio ra monſtra olim in omnibus bonis autoribus uiſebantur. Huius deprauationis uel illud clarum argumentũ eſt, quòd idem oppidum, quòd in Commentarijs appella/tur Tignium, in Epiſtolis ad Atticum de eiſdem oppidis, quæ adhuc à Pompeianis

tenerentur, Cicerone ſcribente, non amplius appellatur Tigniũ, ſed alia ſimili quadam deprauatione uocatur Siſiguium. Nam cum ſuſpenſus Cicero expectaret quid agerent Põpeiani, qui Cæſare adueniente oppida præſidijs occupauerant, Termus quidem Iguium, Domitius autem Corfiniũ, quod eſt in Marſis, ut uidebis in eiſdem Commentarijs, ſic ſcripſit: Non iſta expecto, ſed magis quid agat Domitius in Marſis, Siſingui Termus. Vides idem oppidum non appellari quemadmodum in Commentarijs Tignium, ſed Siſiguium in impreſſione Aldina, & manuſcriptis codicibus. nã qui repoſuerunt Tigniũ ex Commentarijs, non remouerunt, ſed auxerunt errorem. Agnoſce igitur aliam deprauationem: ut enim Termus dedit primam literã Iguĩo, ſic extrema ſyllaba huius nominis Marſis applicata fuit nomini ſequenti. ſi enim remoueris ex eo nomine Siſigui quod nunc legitur in ea Epiſtola, extremã ſyllabam, Sis, nominis Marſis, remanebit Iguij. Et lectio erit, Quid agat Domitius in Marſis, Iguij Termus. Hæc deprauatio quoniã de eodem oppido à Cæſare & à Cicerone ſcribitur, clarius atteſtatur Tignium nihil eſſe, ſed eſſe nomen deprauatum. Nam ſi quid eſſet, eodem nomine à Cicerone atq; Cæſare, eodem tempore, de eadem re ſcribentibus, uocaretur: altera quidem alteram deprauationè illuſtrat, ueritatemq; demonſtrat. Occupauerat igitur hoc oppidũ atq; hoc iter Pompeius, ut quod eſt in locis tutiſſimis, in angulo Apennini, non procul à uia Flamminia, ut ſi Cæſar per uiam Flamminiam tranſire non poſſet, minus etiam deflecteret Iguĩum, indeq; iter Romã cum exercitu dirigeret. Nam hi qui nuper dixerunt Tigniũ eſſe qui uocetur nunc Montem ſanctæ Mariæ in Georgio, in apertiſſimũ errorem dilabuntur. Tignium, ut uidimus ex Lucano & Lucio Floro, in Vmbria eſt, locus autem ille in medio Piceno. Non ſatis erat Eugubio ut apud bonos autores tantũ obſcuritatis ac deprauationis haberet, ut etiã adeßet, qui ipſum è ſuis ſedibus tranſportarent in Picenũ. Quòd autem uerum nomen ſit Iguium. ut apud Cæſarem & Ciceronem coarguimus, comprobat item Ptolemæus, qui hoc oppidum appellat Iguium, ponens id inter Tifernũ, Sentinum, Peruſiam, quæ ſunt oppida Eugubio finitima: ſed exigua quadam deprauatione fuit apud eum quoq; nomen obſcuratũ, legitur enim apud eum Icuiũ, propterea quòd Græcis ſimilis eſt litera Gamma atq; Sigma. Itaq; pro Ἰγούϊον deprauatũ fuit à ſcriptore Græco Ἰσούϊον. Nam ſi literã Gamma modico apice connectas, r fiet σ. Vides iam tres excellentes autores inter ſe congruentes: ſed clariſſimum argumentum nomen illud Tignium corruptum eſſe, dicendumq; Iguium, declarat uetuſta quædam hiſtoria, quã ego reperi Eugubij, in qua ſcribitur, Bello ciuili flagrante Eugubinos expulisſe Termũ prætorem Pompeij, & tantis rebus geſtis à Cæſare, & quòd tam bene de Republica meritus eſſet, Curionem prætorem eius cum trium cohortium præſidio exeepiſſe: quod quidem in principijs Commentariorum legitur. Itaq; quo tempore illa hiſtoria ſcripta eſt, non erat apud Cæſarem nomen deprauatũ. uerba hiſtoriæ hæc ſunt: Hanc, inquit, urbem in antiqua quadam hiſtoria Iuliam appellatã inuenimus: quæ utrum à Iulio Cæſare redeunte uictore quem Eugubini & omnes populi ciuitatiũ

Vmbriæ

Vmbriæ cũ lætitia ſuſceperunt, expulſo Termo duce, qui Vmbriã poſſidebat pro Pompeio, Iulia dicta ſit: an propter Iuliam uxorem Octauiani, determinare non uolumus. Hæc hiſtoria, tametſi non adeò Latinè & politè, ſed ſatis ad eorum fidem, quæ ſcripſimus, ut Tignium in Commentarijs Cæſaris noſcatur eſſe Iguium, quod à Termo prætore Pompeij teneretur. Nam Lucius Florus congruens cum hac hiſtoria ſcribit, Prima ciuilis belli arena Italia fuit, cuius arces leuibus præſidijs Pompeius inſederat: ſed omnia ſubitò Cæſaris impetu oppreſſa ſunt. Supereſt Plinius, in cuius hiſtoria libro III. de ſexta regione, poſt Foroſempronienſes numerantur Inginini. Sciendum hunc quoq; locum eſſe deprauatum, quod tum ratio, tum fides antiquorum codicum oſtendit. Ac primo uel hinc liquet non eſſe dicendum, quemadmodum hodie dicitur Eugubiũ: nam Plinius numerat cuiuſq; regionis oppida ſecundum rationem Alphabeti, primumq; recenſet quæ incipiunt à litera A, ſubijcit alia iuxta literarũ ordinem: poſt Forobrenitianos & Foroſempronienſes numerantur Inginini. Plinius ergo recenſuerat noſtrum hoc oppidum ſub litera I, non ſub litera E: nam ſi inciperet nomen à litera E, non nominaſſet ipſum poſt ea quæ incipiunt cum litera F. hoc argumento eſt, deprauatè uulgò dici Eugubium. Manifeſta quoq; ratio eſt cur deprauatum ſit, ut pro Iguini in Plinio legatur Inginini: nam apex qui ſolet Latinis ſuperſcribi literæ I, uidetur nonnunquam eſſe breuiatio, cum uolentes ſignificare præpoſitionem in, ſuperponimus quendam apicem. itaq; exiguum punctũ literæ I, fecit ut putaretur præpoſitio in: atq; ubi dicebatur in Plinio Iguini, ab imperito ſcriptore ſubiectum fuit Inguini: pòſt alia quoq; corruptio facilè irrepſit inter literas u, n. Hæc eadem corruptio accidit in Silio Italico, qui libro VIII. deſcribens populos Vmbriæ, poſt Hiſpellum ac Narniam, oppida Eugubio finitima, recenſet Inginum, eo carmine,

Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim
Inginum, patuloq; iacens ſiue mœnibus aruo

Fulginia. Fuit igitur hic quoque ſimili ratione deprauatum, quoniam apex ſuperſignatus primæ literæ nominis ab imprudentibus ſcriptoribus pro litera n, acceptum eſt: ſcripſerat enim Silius, qui in hoc carmine ſequitur ordinem Plinij, aliorumq; Geographorum in recenſendis Vrbibus, Iguium, uti apud Cæſarem, Pliniumq; legeret, & interpres Silij ait Inginum oppidum eſſe in Vmbria: nullum eſt autem memorabile oppidum eſſe in Vmbria cui poſſit hoc nomen applicari. Nam quod ait interpres, Inginũ à Strabone pro monte accipi, in Græcis exemplaribus Mons ille non Inginum, ſed γιγγῶνον ὄρος, Mons Gingunum uocatur, his uerbis, αὐτὴ δ' ἐστὶ ἡ ὁρίσις ποταμὸς ἡ τὸ γιγγῶνον ὄρος. Hos terminos ponit Vmbriæ Strabo, Flumen Aeſin & Gingunum montem, qui hodie quoque uocatur Genga: niſi fortè Strabo ſcripſerit Cingulum ὄρος terminus. Nec mirum quòd nebulis infeſtum oppidum Eugubium dicat Silius: ſubiacet enim ei planicies, quam nebula mane ſemper opacat, uehemen ius

illo fortaſſe tempore, ſi planicies erat inculta, & palus nebulam exhalabat. Adde quòd Eugubium in planicie dicitur fuiſſe ſitum, ubi nebula inumbrat: propterea dicit olim, non ſua tempeſtate. Sciendum quoq; hoc nomen apud Strabonem de prauate legi: nam poſt Hiſpellum oppidum Eugubio finitimum, ſubijcit "Ιτορ, Itor. Erat ſcilicet pro Tau, Gamma. Sic Igu. Sed reliquũ quoq; nomen corruptum fuit, ut alia pleraq; non minus deprauatè apud eum leguntur. Sed reuertor ad Plinium. Dum hæc mecũ agitarem, Angelus Colotius Epiſcopus Nucerinus, uir noſtri temporis doctiſſimus, in duobus Plinijs, quorum alter eſt uenerandæ uetuſtatis, alter ex prima impreſſione cum primò fuit Plinius excuſus, oſtendit, ubi nunc in uulgatis exemplaribus, & his etiam quæ ſunt impreſſa in Germania, legitur Ingi/nini, omnino eſſe Iguini: hoc ego manifeſtè uidi. Illud autem uehementer in Plinio animaduertendum eſt, cuius me admonuit Iacobus Torellus Fanenſis, uir excellentis ingenij, cuius fere totum eſt, quod ſuper nomine Iguij ſuperius attulimus: is deprendit duobus alijs locis mentionem Iguij fieri apud Plinium libro XV. cùm agit de oleo factitio, & libro XXIII. cap. IIII. de oleo quoq; ſcribens: ſed is locus non admodum deprauatè legitur, eratq; clarus multis, his uerbis: Seleucinum, inquit, neruis utile eſſe diximus, ſicut herbaceũ quoq;, quod Enguini circa uiã Flaminiam uendunt. Hæc Plinius. Nõ admodum peruerſum eſt, ut pro Iguini legatur Enguini, quos ait eſſe iuxta uiam Flamminiam, ut ueriſſimum eſt: attingit enim Iguinus ager uiã Flamminiam. Quin Caſtellum Ditionis Iguij (quod ab antiquiſſimis Græcis uidetur appellatum Schiſſa ἀπὸ τῦ σχίζειν, propterea quòd ſcinditur illic Apenninus, ut quaſi ſecuri ſectus uidcatur) uia Flamminia medium pertranſit. Hîc Iguini oleum herbaceum uendebant, neruis utile: Herbarum ſiquidem, non facilè alibi naſcentium, ferax illic Apenninus. Naſcitur ad alia Coccus, ſeu Vermiculus affatim lectus ex herba uulgò Pimpinella. Huius igitur olei meminit idẽ Plinius etiã lib. XV. ſed locus, ut dixi deprauatiſſimus eſt. Audi igitur eũ, & confer locum libri XXIII. cum hoc XV. ubi de oleo factitio ſcribit his uerbis: Suis, ait, herbis componunt inter Cappadociã & Seleuciũ quod Seleucinũ appellant, neruis admodum utile, ſicut in Italia è gummi. Locus, ſi rectè penſites, perperam habet, ut pro Eguuij legatur è gummi: dicendumq;, Sicut in Italia Eguij. quod locus ipſe teſtatur abunde: nam nullum oleum conficitur è gummi. Adhæc oleum illud quod ſcribit libro XXIII. neruis utile, herbaceum eſt, non è gumni. Præterea ſimiles ſunt inter ſe locus ille libri XXIII. atque quintidecimi, propterea, quòd refert repetitq; eiſdem penè uerbis libro XXIII. eadem illa de oleo, quæ ſcripſerat quintodecimo: idq; ipſe Plinius demonſtrat, Diximus (inquit libro XXIII.) neruis utile Seleucinũ, ſicut herbaceũ quoq;, quod Eguini uendũt. At ubi hoc dixerat Plinius? ui delicet quintodecimo, ibi ſcripſerat oleum herbaceũ neruis utile, non oleum è gummi. Quantus error, ut oleum herbaceum transferatur in oleum è gummi? Et cum idem Plinius ait, Sicut in Italia: iudicat quod clarius repetit XXIII. nempe circa uiam

uiam Flamminiam. Atque obsecro impressores omnes, ut post hac tam in Cæsare quàm Cicerone & Plinio locos illos castigatius imprimant: Nã quod ad me attinet, plurimũ his debere fateor, qui hæc aperuerunt: in primisq; Iacobo Torello Fanensi, perspicacis ingenij uiro: cuius iudicio ut assentirer post aliquod tẽpus fecerunt conjecturæ clariores, & probatæ fidei codices. Igitur nomen urbis est Iguiũ, ciuile Iguinus, uel Iguius, ut est in Cæsare. Magnitudinem uiresq; oppidi, & quid momenti haberet, testatur, quòd illo bello Ciuili, cum Fanum, Pisaurum, Anconam singulis cohortibus Cæsar occupasset, misit huc tres cohortes, & Pompeius quinq; cohortium præsidio cum prætore Termo tenebat. Vetustatem declarat Mausoleum extra mœnia, & theatrum: tum complures tabulæ æneæ repertæ in agris, literis incognitis incisæ, quas hucusq; legere potuit nemo: suspicantur nonnulli Hetruscas esse: tum testulæ sepulchrorum, eisdem literis impressæ, ab aratore inuentæ, cum finibus illis,

Exesa inuenit scabra rubigine pila,
Aut grauibus rastris galeas pulsabat inanes,
Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.

His autem Vrbibus & his finibus Iguium, ut situm cognoscas, terminatur: à Meridie Perusia, à Septentrione uia Flamminia, quæ penetrat Apenninos montes: ab Ortu Sentino, Saxoferrato uulgò, Nuceria colonia, Foro Flamminij: ab Occasu Tiberno, uulgò Tiferno, in media ferè Italia, nunc sub ditione Ducis Vrbini.

FINIS.

nisq; deprauatorum emendatior lectio.

Pagina 3, uersu 24, lege commercio. 5, 2, haberent. 7, 37, locum. 12, 11, αἰτίαν. 15, 14, coordinans. ibidem 20, 5 ὃ. ibidē 22, ὡς. 17, 34, ἀρχαὶ. 19, 14, ἐνοῤῥῶς, ibidem 31, id est. 21, 29, κἀκ τοῖς, ibidem 30, εὐθὺς τὰ πάντα γνω ρίζουσι, ibidem 31, τεταγμένοι. 26, 17, altera. 28, 16, ὁ πρὸ. 30, 26, diuus ille. 31, 18. φανερὸν. 37. 18, δ' ἡ πρᾶ. 40, 9, ὁρμωμένος. ibidem 18, ὑποσά/ σεως. 42, 31, ἀπὸ. 50, 21, πάσῃ, ibidē 33, οὔτε, ibidem 36, πρώτως. 51, 12, Mens inde. ibidem 39, ubertate. 54, 5, τὴν ἀλήθειαν. ibidem 31, Archetyppa. 55, 2, aut. ibidem 22, conformatio. 56, 34, Græcum. 57, 16, ſubſtantiā expunge. 58, 25, ἀπροσοικίδα. 60, 16, quem ea coleret. 63, 2, εἶνεκα. 64, 19, τῶν. 65, 5, ἡ φύσις ibidem 37, ἀίδιος. ibidem 39, ὅμοιος ἐσὶν, ἴσος δὲ. 66, 18, εἰ. 69, 9, μετῆλθε. ibidem 13, ἀπολύτησαν. ibidem 26, decreta. 70, 24, oracula ſolum. ibidem 29, μετοικισμοὶ. ibidem 31, πρόσφατα. 71, 9, Erythræam. ibi/ dem 10, προσηγόρευσαν. ibidem 14, ferunt. 74, 15, primum. ibidem 25, etiam uocat eū. ibidē 29, πρωτόγονον. 75, 22, κατεσκεύασθ. 78, 9, ἐκμαγεῖον. ibidem 32, δ' ἰένδμα. 80, 14, γενέσθ. ibidem 18, ad eum, qui. ibidem 29, συναι/ ποτελῶν. 77, 1, Ideoq;. 87, 8, αὐτὸς. ibidē 23, ἐποίησε. ibidē 24, παγκοί/ λως. ibidē 28, χαραχθῆναι. 88, 26, προσησάμενος. 91, 25, Pythagoreos phi/ losophos. 93, 39, φαντοζεσθ. 94, 5, carnem. ibidem 37, omniaq; quæ. 99, 11, γεννήματα θεοῦ. ibidem 13, ἐγγυτέρω. 109, 8, procedere. 111, 30, est esse. 112, 17, Tertium. 113, 7, est ſecunda. ibidem 25, ex Platone. 114, 31, inuſitatum. 115, 34, illum. 116, 3, denotabat. ibidem 11, εἰς αἰνιγματώδη. ibi/ dem 37, cunctis. 117, 12, Amelio. ibidem 36, Amelius. 118, 15, eum qui eſt. 120, 23, hæc. ibidem 28, δλιακρινέμενον. ibidem 30, mox poſt unum. 121, 12, quæ nō primo. 122, 3, ſubſtantiam eum collocans. ibidem 31, ἔω. ibidem 33. λέγης. ibidē 39. αἰτίαν ἅπαν ὅπωσθ. 123, 4, πρώτιστον. ibidem 9, ἀμέθεκτον. 124, 8, ἐξηρημένον. 125, 3, cauſæ. 127, 28, μυσαγωγίας ἔκγονος, πρῶτον &c. ibi/ dem 29, ὑποδεξαμένδ. 128, 25, perfecta. ibidem 13, illo. 129, 3, ὅτι πολλὰ ἀπ' αὐτοῦ. 130, 2, γεννωμένδ. ibidem 3, κἀκ μεθ'. ibidem 7, αὐτῆ. ibidem 33, aſſerebatur. 132, 1, μηδ' εμία. 134, 13, ſuum. 136, 31, ipſa ſua. 140, 10, guber natorem. 141, 4, niſi. ibidem 35, ἀνεκώλυεν. 142, 11, πανταχάσαι. 143, 18, illud oraculum. ibidem 24, ἔπαθε. 144, 2, ἔθνη. ibidem 9, immediatè. ibidem 17, id in. 145, 34, fontibus ſuperiores. ibidem 31, ἐκέκλητο. ibidem 39, ἐγκύον τε. 151, 25, λειπομένω. 152, 29, iuuentam. 154, 3, habeat. ibidem 11, difficile eſſe. 158, 6, συωπᾶ. 160. 15, κίνησις. ibidem 24, Dei partem. 162, 3, ἐσὶ πάν τως. 163, 2, callidiſſimo. 164, 6, debueram. ibidem 33, οὗτος ἔνδο. ibidem 35, ἀνή ρει. 165, 24, ἀντιτείνω. 166, 18, ὑδλαδοβρέμμονες. 168, 18, ὑπερμεγέθης. 179, 26, Huiuſq;. 180, 19, δ' ιελέχθησαν. 190, 3, μυτέρος, 195, 24, ἀπόπασ μα. 196, 10. ἀναλίσκει. 199, 21, φοῖβος. 207, 27, φυλαττομένη. 219, 11, ἄτρυτον

ERRATA.

ἄτρυτον. 138,27, ἀειδλίδες. 243,28, φοβῶνται. 255,18, πανῖος. 259, 21, Moſes. ibidem 21, πάσχουσιν. ibidem 29, πάντα. πᾶν δ' ἐ. ibidem 31, γίνεται. 261,25, πέλτος ἢ πόντου. 261,37, ἄλλοι μένων, 265,19, γέννατος. 266, 28, τρία καὶ.. 270, 4, ἐξήκεις. 273,7, δυνάμεις. 274,38, γένος καὶ. 277,23, αἰτίαν. ibidem 38, ἁπλῶν. 278,19, γενέσθαι. ibidem 20, ὁ θεὸς ὢν. θεοὶ μὲν οἱ ἄλλο πάντες ἀθάνατοι τετιμημένοι. 282,28, κάτω. 283. ult. μακαρίων παρὰ. 288,4, ἀνεξιχνίαστοι. 306,7, μίμοις. ibidem 11, μερίμναις. 301,2, ἔγκλημα. ibidem ἐμπλήκτοις. ibidem 15, λόγον. 314,20, ἄπασι τῶσι. ibidem 39, τιάπτω. 316,9, ἔχθ. ibidem 15, ὅτι ☉. 318,16, συμβύσεσθαι. 319,23, τοῖς. 320, 8, ἄρχον. ibidem οὐδὲ expunge.





Nā vo ꝑſūptiōis ē inniti ueritati ꝑſūpte. hec eſt rō
ꝓrie. Jac. bu. dic̄ nouum q ꝓfeſſio ml opet ſup ꝑſum
ptōez iur. ⁊ de iur. q ñ credo uex cū ex ꝓfeſſione q̄
nō ꝑt retractari oriaꝫ ius. ⁊ oriaꝫ ꝑſumptio ſilis iur.
⁊ de iur. vna ꝑſumptō partis potētie deſtruit alterā
ꝑnā. vt no. in. l. pe. ꝺ in inte. reſti. ⁊ iō gl. é uerioꝛ. ⁊ ñ
ꝛepiť alibi niſi i coꝛpe hº auc. i gl. q ꝓpetuo tene mē
ti. Jn gl. magna. No. q i q̄ſtitate parua ñ ꝑſumit
fraus neq; ſuſpitio fac̄ ad qōné gdam ꝺz recipe. x. a
quodā magno mercatoꝛe iurat eū ſuſpectū ñ ē neri
ſile. qꝛ nō eſt ei credēdū q fugiat ꝓp paruā q̄ſtitatē
ar. bu⁹ glo. Jn glo. aliogn i fi. idē no. j. i gl. ſequē
ti[illegible]ꝛiū fac̄ q no. i. l. i. j. ꝺ iur. fiſci. li. x. Solue
q ibi erat ſ̄ctus uerus hic ſimulatꝰ iur. ꝑſumptiōe. ni
de Ly. hic ⁊ l. ij. j. de repu. bere. de pruí. cre. l. ſi uē
tri in fi. No. ex hac auc. q quādo nemīm ꝓiudicať
ſ̄ctus iter ꝓuūctas ꝑſonas nō ꝑſumit ſimulatus. Sed
quādo alteri ꝓiudicať ſic fac̄. ff. de ꝓba. l. q teſtō ubi
ꝓicit q omnis ꝓtractus ⁊ omnis confeſſio preſumit
ſimulatus quod eſt notandum.

Am multe Jſta. l. tria dic̄. Jſtio qꝺ donatio q̄ conſtiſtet don
nō ꝺꝫ ante nuptias. ſed ꝓp nuptias. ⁊ q ꝑt fie
ri [illegible]e mſimonio ſic̄ dos. Scꝺo q niſi alia pa
cta expſſa apponaňť i ea tacite theſſe uideňť appoſi
ta eſſe pacto[illegible]ne i dote apponūtur ñ ad quātitatē ſz
ad q̄l tatē [illegible]ertio q iſta donatio fcā ante nup. ꝑt iſi
nuari ꝑſtā[illegible]n. ſimonio. deinde vltio ꝓteſtať q. ll. de
ſimplici donatō loquētes remanēt i ātiquo uigoꝛe.
⁊. h. d. tota. l. ſa pars ē ibi ſi igiť. ꝫ ibi ſiliq; mō. q̄rta
ibi oibus ⁊c. Jn tex. interpellatiōes. i. querele.

Jn tex. ibi ſupſedebant donec ꝫberēt mſimoniū
poſtea nō poterat iſinuari nec fieri. ⁊ hoc vi ſermo
nis. qꝛ uocabanť añ nup. Jn tex. ibi lucreńť ex pa
cto. Jn tex. ibi relinquať qꝛ remota ſuba remone
tur accidēs. vñ remota donatōe remoneť pactū ſup
ea appoſitū. Jn tex. ibi pp nuptias. ⁊ ideo [illegible]




3139